



AA

2







OPERA OMNIA
SANCTI BONAVENTURÆ

S. R. E. CARDINALIS
S. BONAVENTURÆ

EX ORDINE MINORUM

EPISCOPI ALBANENSIS, DOCTORIS ECCLESIE SERAPHICI

OPERA OMNIA

SIXTI V, PONTIFICIS MAXIMI JUSSU DILIGENTISSIME EMENDATA

ACCEDUNT

SELECTA MULTA TUM EX POSTREMA VENETA EDITIONE, TUM EX PRODROMO ERUDITISSIMO
FR. BENEDICTI A CAVALESIO ORDINIS MINORUM REFORMATI

EDITIO ACCURATE RECOGNITA

AD PURAM ET VERIOREM TESTIMONIORUM BIBLICORUM EMENDATIONEM DENUO REDUCTA

CURA ET STUDIO

A. C. PELTIER

CANONICI ECCLESIE REMENSIS

TOMUS DECIMUS TERTIUS



PARISIIS

LUDOVICUS VIVES, BIBLIOPOLA EDITOR

VIA DELAMBRE, 9-

M DCCC LXVIII



113783

PRÆFATIONIS LOCO

Ex Prodomo ad Opera omnia S. Bonaventuræ excerpta quædam.

§ I. SERMONES DE TEMPORE. Incip. : *His autem feri incipientibus.* — § II. SERMONES DE SANCTIS TOTIUS ANNI. Incip. : *Mihi absit gloriari.* — § III. SERMONES DE SANCTIS IN COMMUNI. Incip. *Species cæli (a).* (*Prodrom.*, col. 668-674).

1. Doctorem nostrum, ut aliis gravissimis curis distentum, eo fuisse animatum zelo, ut tempus præterlabi non siverit absque prædicatione, declamandisque ad populum concionibus animum intenderit, adeo mihi non videtur dubium, aut impossibile (quidquid scripserit Oudinus, ac post ipsum novissimi Editores), ut certum mihi quam quod maxime, cum per testem æqualem B. Franciscum Fabrianensem, apud quem audit *pulcherrimus Sermocinator ad Clerum, et Prædicator ad Populum*, tum per testem synchronum locupletissimum Ptolomæum Lucensem Dominicānum, à quo nuncupari meruit *Egregius Prædicator*, necnon per duo Tudertina vetustissima *inventaria* testantia de *Sermonibus ferialibus, et festivis*, et *Breviloquio* Fratris *Bonaventuræ*, ac per plures manuscriptos Codices, ubi ejus Sermones continentur. Profecto nullus dubitandi locus relinquitur circa ejus sermones, quos habuit ad Clerum, concionesque Bononiæ habitas ad Fratres, teste cœvo Chronico Fr. Salimbene : circa sermonem ejusdem, cujus meminit suppar Chronicon 24 Ministrorum Generalium : circa celebrem ipsius sermonem in laudem S. P. Francisci, multas inter curas generalis Capituli Parisiensis anni 1266, ab Ubertino de Casali, teste vel ipso locupletissimo, laudatum : circa sermonem ab eodem prædicatum de B. Francisco in loco S. Mariæ de Portiuncula, quem memorat et ipse suppar Bartholomæus Pisanus : circa alium Parisiis habitum in festo S. Marci Evangelistæ an. 1273 apud Jacobum Echardum : alium ab eo jam Cardinali, ac aliunde occupatissimo, recitatum in concilio Lugdunensi an. 1274, teste ipso, qui interfuit eidem concilio, ejusque brevem historiam narravit : ut nihil dicam de *Sermonibus Dominicalibus* ipsi tributis in Regesto Utinensis Bibliothecæ S. Francisci confecto an. 1397, de *septem Sermonibus* apud Bibliothecam illustrissimi Tarraconensis, necnon de *septem donis Spiritus sancti prædicatis*; missosque faciam *Sermones de Seminante, de Laude Nominis Jesu, de Eucharistia, etc.*

2. Tunc Fratres Minores in id præcipue incubuisse, ut essent divini Verbi præcones, ex eo patet Indiculo, quem texuit laudatus P. Jacobus Echardus, ubi legere est haud paucos ex Minorum ordine concionatores in Parisiensi metropoli ad prædictum annum 1273 ¹. Credamne Bonaventuram tot inter apostolicos viros diu Parisiis manentem, fuisse canem mutum, minime contra vitia latrantem, aut iis sollicitudinibus fuisse distractum, ut nihil

¹ *Script. O. P.*, tom. I, pag. 269, col. 1.

(a) Hos, scilicet Sermones de Communi Sanctorum, remittimus ad tomum sequentem.

otii nactus fuerit ad plures sermones e suggesto recitandos? Numquid credibile ita theoriæ *artis concionandi* studuisse, ut illius praxim omnino neglexerit? Ejus *Sermones de decem Mandatis Parisius ad Clerum prædicatos* præcedenti § (a) audivimus, multoque plures ad populum vel inibi habuisse nullus ambigo, quo suorum fratrum zelum nedum æquaret, sed et longe superaret. Quamvis enim generalatus munus alicui impedimento ipsi esse potuerit, ne tot sermones quot sub ejus nomine circumferuntur, scriberet, ac memoriæ demandaret; non tamen ne velut extemporalis Orator pro re nata recitare valeret, quum memoria teneret utrumque Testamentum haberetque in promptu Patrum testimonia, supra cæteros emereret *præcipue in sermone*, neque ad suas perficiendas addiscendasque conciones eo indigeret tempore, quo opus habent concionatores vulgares. Absque eo autem, quod Sermones ipse propria manu, non sine prævio assiduo studio, exararet, alii potuerunt ejus ex tempore loquentis sermones excipere, ac in tabulas referre. Similiter legere est de sancto Thoma: « Revera sermones sancti Doctoris inter ejus Opera recensentur ab antiquis, sed ex ore dicentis reportati ¹. » Hinc factum puto, quod non sine variante legantur, prout videlicet a diversis reportati fuerunt; eadem enim concio a variis audita, nonnisi cum aliqua varietate narratur.

3. Quod si videatur nimium omnes illas Conciones, quæ sub nostri Bonaventuræ nomine editæ sunt, eidem adserere; nimium quoque videtur, ipsi, ut *egregio Prædicatori*, easdem indiscriminatim omnes auferre, quasi vero ipsæ nullum haberent auctorem. Hoc adeo videtur absurdum, ut vel ipse Oudinus minime ausus fuerit omnes indistincte negare, atque (ut sibi sumpserunt novissimi Editores) ad supposititia amandare. Unde agens de Sermonibus editionis Parisiensis apud Jodocum Badium Ascensium anni 1521, loquitur in hæc verba: « Sunt quidem sermones satis triviales, et minus barbari dictione, et qui Bonaventuræ nec derogare, nec conferre multum possint: unde quid de his sentiam, dicere vix possum. Porro quantum ad alios, quos anno 1596 obtulit Clementi Octavo Angelus Rocca ordinis Eremitarum Divi Augustini in editione Romana omnium Operum S. Bonaventuræ, cum ingenue fateatur eductos illos ex manuscripto Codice, ubi tumultuarie positi inveniebantur, cum sermonibus Petri Aureoli, et aliorum, vix fieri potest cum industria, et circumspectione omni, ut distinguere potuerit perfecte et absque dubio, sermones trium aut quatuor magistrorum tumultuarie positos. Unde major debet esse certitudo eorum, quos anno 1521 Parisiis Jodocus Badius Ascensius publicavit ². »

4. Mirum ergo, ac plusquam mirum, in hac censura Oudinum fuisse novissimis Editoribus, omnes hujusmodi sermones ut supposititios explodentibus, longe moderatiorem. Non tamen probo Oudini censuram in eo, quod prædictos sermones a Jodoco Badio publicatos *triviales* vocat: nec enim *triviales* censuit præfatus eorum recognitor, illustrator ac editor Badius, quem Trithemius *virum eruditissimum, Philosophum, Rhetorem, et Poetam clarissimum, ingenio excellentem, multorumque præclarorum Opusculorum Scriptorem* appellat ³. Minus probo ejusdem Oudini censuram in eo, quod ait « vix fieri potuisse, ut Angelus Rocca distinguere potuerit sermones Bonaventuræ cum sermonibus Petri Aureoli, et aliorum in manuscripto Codice tumultuarie positos. » Nam arte critica non carebat

¹ Citati Operis Echardi, tom. I, pag. 331, col. 1 — ² Tom. III, col. 400. — ³ *De Scriptor. eccles.*, c. 938.

(a) Vid. huj. edit. tom. XII, pag. XX-XVIII, et 228-256.

Angelus Rocca, uti patet ex iis, quæ animadvertit ad Sermonem secundum de B. M. V., in ordine trigesimum octavum inter Sermones de Sanctis in communi, et in Præfatione ad Lectorem tomo Sermones complectenti præmissa. Cæterum idem Rocca cum ex stylo Bonaventuriano probe sibi comperto, tum ex codice, quem præ oculis habebat, non difficile potuit Bonaventurianos Sermones a non Bonaventurianis discernere, ac separare : maxime quum ipsi potuerit esse adjuncto eorundem editio facta Basileæ apud Jacobum Pfortzemium an. 1502, in qua distincti habentur ¹. Nequidem mihi probatur, quod Oudinus censeat potius præstandam fidem editioni Badianæ, quam Vaticanæ. Namque de Sermonibus editionis Badianæ, non vero de omnibus Vaticanæ, dubitari potest, an sint F. Conradi Saxonis Minoritæ ².

5. Quod etiam Sermones editionis Vaticanæ non sint (quemadmodum post Oudinum autumant novissimi Editores) *referendi Bonaventuræ Baduario a Peraga*, ostendo primo, quia inter eos nullus est sermo respondens *Dominicæ infra octavam corporis Christi*, eo quod Urbanus IV fuerit primus, qui *pie statuit præfatæ institutionis memoriam prima quinta feria post Octavas Pentecostes a cunctis fidelibus celebrari*; adeoque illorum auctor censendus est longe antiquior Bonaventura Baduario Augustiniano, cujus obitus refertur ab aliis ad an. 1386, ab aliis ad an. 1389, necnon ad an. 1396 et 1399. Probo secundo, quia in proprio Sanctorum ejusdem editionis inter sermones recentiorum Sanctorum habentur quidem sermones duo de S. Antonio Paduano, et unus de S. Elisabeth, spectantibus ad Ordinem S. Francisci, sed nullus de Sanctis, sive recentioribus, sive antiquioribus ordinis S. Augustini. Ergo eorum auctor credendus potius (a) Franciscanus, quam Augustinianus, et quidem Franciscanus tertii decimi sæculi. Neque verisimile est, Angelum Roccam Augustinianum eripuisse suo Bonaventuræ Baduario sermones, ut illos Bonaventuræ Seraphico adfingeret. Demonstratio tertio, quia auctor sermonis *de S. Elisabeth* ita se coævum manifestat confessario ejusdem Sanctæ, ut dixerit : « Sicut ego ipse audivi ab ejus confessario, » etc.

6. Porro ejus confessarium fuisse Conradum de Marpurg, sive Martpurg, non Dominicicum, uti contendunt Oudinus ³ et Fabricius ⁴, aliique, sed presbyterum sæcularem, constat ex Vita ejusdem sanctæ Elisabeth scripta an. 1289 a Theodorico Thuringo Ord. Prædicatorum ⁵. Quum autem idem presbyter martyrio ab hæreticis affectus fuerit paulo post Sanctæ mortem, scilicet an. 1233, qui non dicam Bonaventura de Peraga, sed noster Bonaventura de Balneoregio dicere potuerit : *Sicut ego ipse audivi ab ejus confessario ?* Respondeo, præter laudatum presbyterum, alium haud difficile concedi posse Sanctæ ejusdem confessarium ex Minorum ordine, illum nempe cujus meminuit cum Thomas Cantipra-

¹ Editio Jac. Pfortzemii Basileensis, an. 1502, in-4, habebat titulum huncce : « *Sermones aurei atque subtiles de Tempore, et de Sanctis, cum communi Sanctorum Sancti Bonaventuræ Doctoris Seraphici, Sacrosanctæ R. E. Card. et Ep. Alb. ex Divo Minorum Ordine, veri et indubitati, diversique ab his aliquando impressis, et Sancto Bonaventuræ falso adscriptis, etc., cum aliquibus aliis Sermonibus Dom. Aureoli Archiepiscopi Aquensis, et Doctoris Illuminati Francisci de Maronis, suis in locis annotatis, de Tempore.* » Illius editionis exemplaria reperiri adhuc poterant, labente sæculo decimo octavo, Castri-Franci in Biblioth. S. Francisci, et in Bibl. Pollingana et Langhemienſi, referente auctore Prodromi, col. 343. — ² Quinam ex Sermonibus de Tempore reperiantur in editione Parisiensi an. 1521, quinam non reperiantur in eadem, annotatur in decursu voluminis hujus XIII, editionis nostræ. — ³ Tom. III, col. 128 — ⁴ *Bibl. lat. med. et inf. ætat.*, lib. III, c. IX. — ⁵ *Antiq. Lect.* Henr. Canisii, edit. Basnag. an. 1725, pag. 130.

(a) In *Prodr.* legitur potuit, loc. potius, per errorem typog.

tanus aïens : « Vidi Fratrem Conradum ordinis Minorum, qui minister Teutoniarum, mira gratia præditus fuit, et Sanctorum ferventissimus venerator, in multis enituit ¹; tum adhuc expressius coævus Richerius monachus : « Temporibus illis Ordo Prædicatorum, et Minorum, per universum mundum cognosci cœpit : nova enim tunc erat eorum plantatio. Erat enim temporibus illis quidam Frater de *Ordine Fratrum Minorum Conraldus nomine*, satis honestus et religiosus. *Hic illi felici matronæ (Elizabeth) familiaris erat*, qui eam ad viam salutis quotidie animabat : cujus consilio illa benigna *Elizabeth* freta, et promissis divinis diligenter intenta, etc. habitum Fratrum Minorum sibi assumpsit ², » etc. Subdens autem prædictus monachus : « Et non multo post (scilicet post mortem Elizabeth) idem ille Conraldus, qui eam converti fecerat, ab hac vita decedens, in ipsa capella in alio latere sepultus esse dicitur, » videtur Conradum Fratrem Minorem cum Conrado presbytero sæculari confudisse.

7. Quodve præter Conradum hunc sæcularem Frater Conradus Minorita verisimilius admitti possit sanctæ Elizabeth Thuringæ confessarius, a quo plura audire noster Bonaventura potuerit circa eandem Sanctam, præterea suadetur, quia in manuscriptis Chronicis XXIV Generalium Ministrorum eadem dicitur *Ordinis Fratrum Minorum filia, et mater singularis*, ac subditur, quod « vir ejus duos Fratres Minores ad eam venire fecit, ut juxta votum cum ipsis de Deo loqueretur; » quodque « post mortem viri Religionem intrans Pœnitentium sub tertia regula beati Francisci, portans chordulam et mantellum, faciebat pœnitentiæ dignos fructus, » etc. De uno autem ex istis Fratribus adseritur, quod fuerit *vir perfectus et plenus Spiritu sancto*. Bartholomæus quoque Pisanus eandem Sanctam ad tertium ordinem sancti Francisci spectare scribit ³, ejusdemque multam in ordinem Fratrum Minorum propensionem testatam facit ipsemet auctor Sermonis de quo in præsentia loquimur, atque etiam Theodericus Thuringus. Quid igitur improbabile, si ipsi a confessionibus fuerit etiam Minorita Conradus? Videantur Annales et Bibliotheca Waddingi ⁴, Martyrologium Arturi ⁵, Menologium Fortunati Hueberti ⁶, necnon Bibliotheca Joannis a S. Antonio ⁷.

8. Evinco quarto auctorem prædicti Sermonis non esse Bonaventuram Baduarium, sed potius Bonaventuram nostrum, cui res sæpe fuit contra Franciscanæ paupertatis hostes; evinco. inquam, ex illis Sermonis ipsius verbis : « Hæc (scilicet Elizabeth) confundit eos, qui paupertatem voverunt, et eidem libellum repudiî porrigunt. Et nota, quod dicit, *per infamiam, et bonam famam* : hodie enim pauperes Christi infamantur, qui bonæ famæ sunt apud Deum, dum a malis hominibus blasphemantur, et eis molestiæ et injuriæ inferuntur, et detractiones. » Recolantur, quæ noster Bonaventura scripsit de hujusmodi *blasphemiis, molestiis, injuriis et detractionibus* contra magistrum Gulielmum de S. Amore, Gerardum de Abbatis-Villa, etc. ⁸.

9. Neque conficiunt contrarium ea, quæ novissimi Editores objiciunt; nam quoad exemplum *B. Bernardini, juvenis plurimum pulchri, nocte in ejus lecto a quadam puella pulchra*, dum apud ipsam hospitaretur, ad turpia lacesciti, Sermone *1 de Laudibus S. Ambrosii*

¹ *Apun.*, lib. II, c. 1, n. 18. — ² In *Chronic. Senon.*, lib. IV, c. xxxi, *Spicil. Dacher.*, tom. II, pag. 641 et seq. edit. Paris. 1723. — ³ *Confor.*, lib. I, fruct. VIII, part. II. In canonizationis bulla data an. 1235 dicitur, quod *Religionis habitum* induit. — ⁴ *Annal.*, ad an. 1227, et *Bibl.*, pag. 106 et seq. — ⁵ Ad diem 3 novemb. — ⁶ Ad diem 3 et 19 novemb. — ⁷ Tom. I, p. 275. — ⁸ Vid. tom. seq. hujus nostræ editionis.

relatum, vel ipsi Editores mendum typographi, aut librarii tenentur agnoscere, quum etiam Bonaventura Badnarius multo ante obitum B. Bernardini decesserit. Præterea idem exemplum simile quidem est ei, quod memoriæ proditum legitur in vita S. Bernardi Claræ-Vallensis primi abbatis a Gulielmo Signiacensi monacho, ac deinde monasterii S. Theoderici prope Rhemos abbate scripta, editaque occasione Operum sancti Abbatis a celeberrimo viro Joanne Mabillonio ¹, iterumque a Bollandianis inter *Acta Sanctorum* ²; sed prorsus diversum est ab eo quod perhibetur in Vita S. Bernardini Senensis, tam prima exarata a Barnabæo Senensi cœvo, quam secunda Maphæo Veggio Laudensi auctore, in pluribus oculato, ac nequidem similitudinem habet idem exemplum cum iis, quæ de sancto juvene Bernardino attestantur Analecta ex duabus Vitis manuscriptis, ac totidem excusis, aliisque tractatibus et auctoribus apud laudatos Bollandianos, quod nimirum fuerit ad infanda tentatus a *quadam matrona in civitate Senensi*, dum ipse diurno tempore, *sicut mos Fratrum est, in eadem urbe ostiatim pro pane transiret* ³. Cætera etiam quæ præfati Editores opponunt ex Sermone altero in Parasceve de *Christo in cruce distenso sicut tympano*, et ex Sermone secundo in Ramis de *Christi asino*, dictis a nobis non adversantur, quum illis conformia sint, quæ Bonaventura noster alibi certissime tradidit ⁴.

10. Sed his levioribus valere jussis, fortius urgeri posset, quod in Sermone primo de Inventione Sanctæ Crucis, inter Bonaventurianos de Sanctis, narratur de mirabili, ac tere incredibili origine ligni Sanctæ Crucis, petita primum a ligno vitæ Paradisi terrestris, dein deducta usque ad tempora Salomonis et reginæ Sabæ, ac tandem producta ad primordia usque Piscinæ circa tempora dominicæ passionis; cui quidem longæ narrationi hanc marginalem notulam præfixerunt Editores Romani: *Unde hæc desumpta, inveniri non potuit*. Ego tamen inveni quid simile relatam a Petro Comestore ⁵, non quidem ut *authenticum*, sed ut scitu dignum. Neque officit, quod auctor in populari Sermone nihil monuerit de *non authenticum*; satis enim de hoc lectorem commonefecisse capite quinto Postillæ in Joannem ⁶.

11. Hactenus de nostri Bonaventuræ Sermonibus dicta puto sufficere pro idoneo responso ad Oudini, aliorumque Censorum exceptiones. Propterea tamen ita mihi adblandiri nolim, quasi vero demonstraverim omnes impressos Sermones, qui Divi Bonaventuræ nostri nomine prænotantur, sinceros atque legitimos, nullumque illorum spurium ac supposititium. Ad id enim opus esset, eos exegisse ad normam melioris notæ codicum, ad quorum tamen notitiam propriorum experimento oculorum, me necdum penetrasse ingenue profiteor. Quare consultius censuerim, nec omnes generatim admittere ut veros, nec omnes ut falsos indistincte rejicere. Probatur enim mihi omnino sententia P. Sbaralæ dicentis: « Etsi diffiteri non possim sermones hos, saltem omnes, non esse sancti Bonaventuræ, vel incertum esse, an omnes ejus sint, ut ipsi Romani Editores admonuerunt; tamen quædam a novissimis Editoribus animadvertuntur, quæ non tam severe tractanda videntur: ut de Sermone secundo in Ramis; nam etiam Bonifacius VIII, in Sermone primo de S. Ludovico rege, apud Waddingum ad an. 1297, n. 19, inquit: « Et ita per tot, et toties examinatum est, et rubri-

¹ Oper. S. Bern., tom. II, col. 1065, n. 7, edit. 1690. — ² Augusti mensis tom. IV, c. 1, n. 9, citatæ Vitæ. — ³ Maii tom. IV, c. 1, n. 5, *Analect.* — ⁴ Circa primum videatur *Lignum vitæ*, novissime edit. Ven., tom. V, pag. 402, hujus vero nostræ edit. tom. XII, pag. 76; et circa secundum, *Exposition. in Lament. Jerem. Proph.*, pag. 936, col. 2, edit. Venetæ, nostræ vero tom. X, pæg. 940, col. 1; necnon S. Ambros., in *Luc.*, lib. IX, præsertim n. 4. — ⁵ *Historiæ Evang.*, lib. 1, c. 81. — ⁶ Vid. huj. nostræ edit. tom. XI, pag. 323, col. 2.

« catum, et discussum negotium (de sancti Regis canonizatione), quod de hoc plus factum « est de scriptura, quam unus asinus posset portare. » Non enim tempora illa tam delicatissimi sensus ingenia forebant, quam hæc nostra. Ad Sermonem de S. Ambrosio notare est lapsus exscriptoris *B. Bernardinum* loco *B. Bernardi* exarantis. »

12. Ex Sermonibus Vaticanis, de quibus hæcenus disserui, præter supra memoratum de sancta Elisabeth, plures alios haberi eos inter, qui sub nostri Bonaventuræ nomine impressi fuerunt an. 1481, 1484, 1485 et 1496, ac forte etiam anno 1479, animadvertendum puto, scilicet in Reutlingen, in-fol. an. 1484 et 1485, *de Tempore* centum et triginta, *de Sanctis* quatuor et quinquaginta, *de Communi* sexdecim, qui in Bibl. Pollingana, Passaviensi, S. Nicolai et Mirandulæ Minorum Observantium, (labente sæculo XVIII, asservantur); in Bibl. etiam Pollingana, necnon in Græcensi, Sermones qui sic inscribuntur: *Ventura bona docentis Seraphici Doctoris Bonaventuræ Ord. Fr. Min. Sacrosanctæque R. E. Card. dignissimi de Tempore simul, et de Sanctis, cum Commune Sanctorum perfructuosum Opus impressum per Joannem Zainer anno Domini 1481*, in-fol. min.; item Sermones *de Tempore* simul et *de Sanctis*, et *de Communi Sanctorum* impressos in imperiali civitate Haganaw an. 1496, quinto idus Januarii, in-4, quorum exemplaria (exstare deberent) in Bibl. Græcensi ac Feltriensi Frat. Min., necnon in Patavina S. Antonii. Verumtamen ¹ ex Sermonibus editionis Vaticanæ, ac etiam Venetæ novissimæ ², sequentes tantum in hac Haganaviensi, sive Hagenoensi an. 1496 inveniuntur, scilicet: de S. Andrea, Serm. 1 et 2; de S. Nicolao, Serm. 2; de S. Ambrosio, Serm. 1; de S. Lucia, Serm. 1; de S. Thoma Apostolo, Serm. 1; de S. Agnete, Serm. 2; de Conversione S. Pauli, Serm. 1; de S. Paulo, Serm. 2; de S. Agatha, Serm. 1; in Cathedra S. Petri, Serm. 1; de S. Matthia, Serm. 2; de S. Marco Evangelista, Serm. 1; de SS. Philippo et Jacobo, Serm. 2; de Inventione S. Crucis, Serm. 1; de S. Joanne Baptista, Serm. 1 et 2; de SS. Petro et Paulo, Sermo; de S. Maria-Magdalena, Serm. 1 et 2; de S. Jacobo, Serm. 1 et 2; de S. Petro ad Vincula, Sermo; de S. Laurentio, Serm. 1 et 2; de S. Bartholomæo, Serm. 2; in Exaltatione S. Crucis, Sermo; de S. Matthæo, Serm. 1 et 2; de S. Michaele, Sermo; de Angelis, Sermo; de S. Luca, Sermo; de SS. Simone et Juda, Sermo; in festo Omnium Sanctorum, Serm. 1 et 2; de Animabus, Sermo; de S. Martino, Sermo; de S. Elizabeth, Serm. 1; de S. Cæcilia, Sermo; de S. Catharina, Sermo; de Dedicacione, Sermo; de SS. Apostolis in communi, Serm. 1, VI, VII, VIII et IX; de Evangelistis, Serm. 1 et 2; de uno Martyre, Serm. 1, 2, 3; de pluribus Martyribus, Serm. 1, 2 et VI; de pluribus Confessoribus, Serm. 1; de uno Doctore, Serm. 2; de una Virgine et Martyre, Serm. V ³. Non omnes tamen hujusmodi priscarum editionum Sermones ad eundem Seraphicum Doctorem spectare videntur. Nam primo in eorum quibusdam laudantur *Isaac Hebræus, Rabbi Moyses quidam permarinus Philosophus et Theologus, Nicodemus*, ac *Liber qui dicitur Paradisus*: allegationes autem hujuscemodi exoticæ omnino sunt apud Bonaventuram nostrum. Secundo in Sermone primo de S. Augustino legere est: « Vere Deus patrem nostrum Augustinum in his honoravit. Beatus enim Augustinus cum Religione et Regula, quam Fratribus servandam scripsit, » etc., quod ab Augustiniano potius, quam a Franciscano dictum, credi potest. Tertio denique Joannes Trithemius præfatos Sermones Fratri Bonaventuræ Patavino Ord. S. Augustini adjudicat,

¹ *Prodrom.*, col. 363. — ² Necnon et nostræ. — ³ Hæc singula iterum annotabuntur suis locis.

dicens : « Scripsit valde utiles et elegantes Sermones *de Tempore*, lib. 1. *Veniet desideratus cunctis gentibus*. Sermones *de Sanctis*, lib. 1. *Mihi absit gloriari*¹. »

13. Notatu autem dignum in Sermone de Exaltatione Sanctæ Crucis legi : « Quis nisi stultus volens cum festinatione ire Romam, viam teneat ducentem ad Compostellam, quæ semper elongat a Roma? » In Sermone primo Dominicæ octavæ post Pentecosten : « Quis ex vobis est, qui omnia bona sua non daret regi Franciæ, si eum adoptaret? » In Sermone primo Dominicæ tertiæ decimæ post Pentecosten : « Qui ita argueret : *Rex Franciæ princeps est Franciæ : ergo ipse condidit Franciam* : stultus ab omnibus haberetur. »

³ Exstat Assisii codex membr. in-4, absque tegumentis, numero et nomine auctoris. Nam temporum injuria valde corruptus est hujusmodi codex. Desunt ei chartæ in principio, in decursu, ac in fine. Videtur D. Bonaventuræ coævus. Inibi contenta ejusdem antiquitatis, atque styli plane Bonaventuriani, esse noseuntur. In eo leguntur quædam edita inter Bonaventuriana, quædam inibi magis quam in iis completa, alia inedita, alia vero ad edita, tanquam non solum deficientia, sed etiam interpolata, rite emendanda perquam idonea : v. g., quoad edita, inter *Sermones de Tempore*, ibi exstat Sermo 1 Dom. xiv post Pentecosten, incipiens : *Nemo potest duobus dominis servire*, et concordat cum impresso in novissima editione Veneta, tom. x, pag. 396³. Itidem Sermo tertius ejusdem Dominicæ, incipiens : *Querite ergo*, concordatque cum edito ibidem, pag. 398⁴. Idem dixerim et de Sermone tertio Dominicæ xv post Pentecosten, qui incipit *Resedit qui erat mortuus*, ibi pag. 405⁵, et de Serm. secundo Dom. xvi, cujus princip. *Amice, ascende superius*, ibi pag. 411⁶; et de secundo Sermone Dom. xxiii, incip. *Cum ejecta esset*, ibi pag. 456⁷; et de secundo Sermone Dom. xxiv post Pent., incip. *Væ autem prægnantibus*, ibi pag. 465⁸. Quo autem ad prædictum Sermonem secundum Dom. xxiii post Pent., ubi in edito hæc est conclusio : *Per tres mortuos significatur, de quibus supra in Sermone : Resedit qui erat mortuus* (qui Sermo est secundus Dom. xv post Pent. heic in manuscripto non exstans), in eodem manuscripto additur : *Et per tres mortuos significatur, quos surgere fecit Dominus*, etc.

Inter Sermones *de Communi Sanctorum* septem sunt in manuscripto prædicto, qui editi habentur, nimirum tres *de Beata semperque Virgine Maria*, tom. xi⁹, a pag. 281; quatuor *de Angelis*, a pag. 291 præfatæ editionis¹⁰. Sed quod spectat Sermonem secundum de S. Virgine Maria, textus Romanis Editoribus suspectus, qui favet immaculatæ ejusdem conceptioni, omnino diversus et contrarius est in manuscripto, in quo sonat : « Primo fuit plena gratia expurgante in sua sanctificatione. Secundo gratia foecundante in Dei Filii exceptione. Tertio gratia decorante in sua conversatione. Quarto gratia consummante in sua glorificatione. Ut sic esset in ea gratia purgativa contra turpitudinem culpæ; gratia foecundativa propter conceptionem integritatis virginæ; gratia decorativa propter pulchritudinem vitæ; et ulterius gratia completiva per eminentiam gloriæ tam in anima, quam in corpore. Dicamus ergo, quod Domina nostra fuit plena gratia expurgante in sua sanctificatione contra foeditatem originalis culpæ, quam contraxit ex corruptione naturæ : solus enim Filius Virginis ab originali fuit culpa immunis. Credendum est tamen, quod in hac

¹ *De Scriptor. eccles.*, c. 562. — ² *Prodrom.*, col. 384 et seq. — ³ Hoc tomo XIII, pag. 415. — ⁴ *Ibid.*, pag. 418. — ⁵ *Ibid.*, pag. 425. — ⁶ *Ibid.*, pag. 431. — ⁷ *Ibid.*, pag. 479. — ⁸ pag. 489. — ⁹ *Huj. edit.* tom. XIV, in ordine Sermon. xxxvii, xxxviii et xxxix. — ¹⁰ *Ibid.*, quatuor immediate sequentes.

culpa per horam non exstitit, sed mox ut anima fuit, gratiam expurgantem accepit. » Quum autem in principio Sermonis tertii de S. Virgine Maria legatur apud manuscriptum codicem : « Sed quia in Sermonibus festivitatum de ipsa salutatione satis arbitror dictum esse, » quæ vox *festivitatum* in editionibus non est ; satis indicare videtur prædictos Sermones pertinere ad Commune Sanctorum. Postremo inter Sermones *de Proprio Sanctorum* sequentes in eodem manuscripto inveniuntur evulgati in præfata editione Veneta, tomo XI, a pag. 1¹, videlicet : tres de S. Andrea Apostolo ; duo de S. Nicolao ; primus de S. Ambrosio ; duo de S. Lucia ; duo de S. Thoma ; duo de S. Agnete ; duo de Conversione S. Pauli ; de S. Agatha ; primus de Cathedra S. Petri ; secundus de S. Mathia ; duo de S. Marco Evangelista ; duo de SS. Philippo et Jacobo ; duo de Inventione S. Crucis ; duo de S. Antonio Paduano ; duo de S. Joanne Baptista, quorum secundus, post *argui volunt* in fine, addit quæ desunt in editione ; duo de S. Maria Magdalena ; duo de S. Jacobo ; de S. Petro ad Vincula ; duo de S. Laurentio ; duo de S. Bartholomæo ; de Exaltatione S. Crucis ; duo de S. Matthæo Apostolo, quorum secundus in manuscripto est prolixior quam in editione ; de S. Luca ; de S. Cæcilia, incipit in manuscripto sicut in editione, sed in illo cætera prorsus sunt detrita.

Inter prædictos Sermones *de Proprio Sanctorum* in codice non exstant Sermo de S. Elizabeth, Sermo de Omnibus Sanctis, duo de Angelis mensis septembris, duo de S. Gregorio Papa, primus de S. Mathia, secundus de Cathedra S. Petri, et secundus de S. Ambrosio, qui passim in editionibus post Vaticanam habentur. Sed ad ea, quæ in eadem Vaticana, et Veneta desiderantur, transeamus.

De S. Michaelæ Archangelo. Incip. *Alius angelus exivit de templo, etc. Angeli secundum doctrinam Dionysii*, in eodem codice, post Sermones *de Inventione S. Crucis*, et ante illos *de S. Antonio Paduano*. In editione Veneta, pag. 125², penitus diversus est Sermo *de S. Michaelæ*. Nam inibi incip. *Angelis suis mandavit, etc. Verbum propositum assumptum*. Uterque legitur in editione Hagenoensi an. 1496 : primus, in festo Apparitionis ; alter, in festo Dedicacionis.

De SS. Apostolis Petro et Paulo. Incip. *Eecce nos reliquimus, etc. Quamvis hoc verbum.* Non exstat in editione Veneta. Qui autem in eadem editione incip. *Vos qui secuti estis me, etc. Hieronymus in Matthæum*, ex manuscripto, ubi vel hic alter continetur, constat esse interpolatum, et in pluribus locis detruncatum. Illic enim in manuscripto post eundem evangelicum textum non incipit, sicut in editione : *Hieronymus in Matthæum* ; sed : *Primus Sermo continuit Apostolorum questionem ; hic vero continet Salvatoris responsionem, etc.* Illic secundus Sermo habetur quoque in laudata editione Hagenoensi, ubi post thema exorditur : *Hieronymus : Grandis fiducia Petrus, etc.*

De SS. Simone et Juda. Habet thema : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderant vos, etc.* Ex hoc ipso themate patet esse penitus diversum ab edito, cujus thema est : *Qui sunt isti.* Dolendum quod in manuscripto pene totus sit corrosus, et absumptus. Finis quoque hujus longe differt ab edito. Desinit enim : « Ergo non facere debet Christianus amore sui Salvatoris, quod illi faciebant amore suæ civitatis ? »

Sermones Mortuorum. Horum fit mentio apud nostrum manuscriptum sub initium ser-

¹ Hoc tomo XIII, pag. 493. — ² Ibid., pag. 603.

monis tertii *de B. Virgine*, ubi legitur : « Nota *Pleni* proprietates, quas inferius annotavi, de quibus, ut memini, in *Sermonibus Mortuorum* aliqua dixi. » Inter Sermones autem editos unus tantum est Sermo *de Animabus*, in quo nihil habetur de *Pleno*, et iste non exstat in nostro manuscripto.

In Purificatione B. Virginis. Incip. *Impleti sunt dies purgationis Mariae.*

In Translatione S. Francisci. Incip. *Ante translationem habuit placuisse Deo.*

De S. Francisco. Incip. *Innova signa, et immuta mirabilia.* In Sermone isto valde notabilis est hæc sententia : « Unde de eo recte exponitur illud Apocalypsis : *Vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi.* De eodem aut simili Sermone sic narrat Frater Bartholomæus Pisanus, lib. III, *Conform.* III, in ordine 31, part. 2, fol. 209, col. 3 : « Quod dicta prophetia Apocalypsis, VIII, fuerit ad litteram de B. Francisco, divinitus domino Fratri Bonaventuræ, Cardinali, tunc nostri Ordinis Generali, fuit ostensum. Cum enim in crastino existens, in loco S. Mariæ de Portiuncula deberet de B. Francisco prædicare, tenens librum Apocalypsis ante se, cœpit instantissime orare Deum, quatenus dignaretur sibi revelare, de quo fuit illa dicta figura Apocalypsis de Angelo habente signum Dei vivi, cap. VII. Et vox de cœlo venit dicens : Frater Bonaventura, figura illa litteraliter dicta est de beato Francisco. Et hoc ipse Fratribus, et sæcularibus postmodum dixit. » Hæc valeant saltem ad hujusmodi Sermonis confirmationem, ut ut fuerit de illa cœlesti voce.

De B. Clara. Incip. *Brevis in volatilibus apīs, et initium dulcoris habet fructus illius.*

In Assumptione B. Virginis. Incip. *Ecce quasi aquila ascendet, et levabitur, et expandet alas suas.*

Secundus de eadem B. Virgine. Incip. *Elevata est nubes de tabernaculo fœderis, profectique sunt filii Israel per turmas suas.*

In festo S. Joannis Apostoli et Evangelistæ. Incip. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam laborum suorum habebit amicum regem.* In hoc notatu dignum, quod asseritur : *Sicut in libro nostro de Pœnitentia est probatum.* Unde inferendum videtur sanctum Bonaventuram scripsisse de pœnitentia, ipsam scilicet *Summam pœnitentialem*, seu *pœnitentiæ*, quam in codice cui titulus : *Speculum, sive Itinerarium mentis in Deum*, Bibl. Carthusianorum Buxhaimii in Suevia, et in cod. 4936, membr. olim Mazarinæo, posthac Bibl. Regis (nunc imperialis) Galliarum, reperire est. Cæterum allegatio hujusmodi nou habetur in editione Hagenoensi, ubi prædictus Sermo legitur post alium de eodem sancto Evangelista incipientem *Super omnes cælos... Si diligenti cura.* Ibidem primus ad secundum, et secundus ad primum sese remittit.

SERIES

OPUSCULORUM QUÆ IN DECIMO TERTIO HOCCE TOMO CONTINENTUR

| | |
|---|-----|
| I. SERMONES DE TEMPORE, NUMERO DUCENTI NONAGINTA QUAUOR. | 1 |
| II. SERMONES DE SANCTIS TOTIUS ANNI, NUMERO SEPTEM ET QUINQUAGINTA. | 493 |

S. R. E. CARDINALIS
SANCTI BONAVENTURÆ

EPISCOPI ALBANENSIS, DOCTORIS ECCLESIE SERAPHICI

SERMONES DE TEMPORE

DOMINICA I ADVENTUS DOMINI.

SERMO PRIMUS ¹.

His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra ². Quoniam in Evangelio hodierno ponuntur præsagia secundi adventus; ideo totum præsens Evangelium refertur ad spiritum et caput levandum ad signa, quæ erunt in sole et luna, et stellis, et cæteris elementis. Sed quia, ex aspectu illorum signorum, multi incircumspecti ex defectu notitiæ, seducti errore, et concussi terrore, avertent se a fidei veritate; ideo Dominus, ad exhibendam cautelam circumspeditionis, et ad removendam fallaciam deceptionis, atque ad eliminandam inconstantiam timoris, in verbo proposito tria facit: Nam primo prædicat futuram tribulationem, ut instruamur; secundo excitat ad providam considerationem, ne seducamur; tertio promittit omnimodam consolationem, ne terreamur. Et sic reddit nos dociles, ex instructione futuræ tribulationis; circumspectos, ex attentione providæ considerationis; benevolos, ex promissione omnimodæ consolationis. Primo ergo prædicat futuram tribulationem, ut instruamur, cum dicit: *His*

autem fieri incipientibus; secundo excitat ad providam considerationem, ne seducamur, cum subdit: *Respicite et levate capita vestra*, id est mentem: quoniam sicut caput præeminet cæteris membris corporis, sic mens, secundum quod hic accipitur pro superiori parte rationis, omnibus viribus animæ; tertio promittit omnimodam consolationem, ne terreamur, cum subinfert: *Quoniam appropinquat redemptio vestra*. Quasi dicat: licet hæc signa nuntia sint dolorum; non tamen terreamini, quoniam vobis patienter sustinentibus, et finaliter perseverantibus, appropinquat redemptio, non exterminatio.

Quantum ergo ad primum, prædicat futuram tribulationem, ut instruamur, cum dicit: *His fieri incipientibus*. Hic reddit nos dociles ex instructione futurorum signorum, quæ erunt in secundo adventu judicis. Multa enim signa debent præire (a), antequam veniat dies judicii; et hæc fieri per omnia, est valde consonum rationi. Quoniam si in primo adventu contigit signa multiplicia fieri: nam stella ³ perduxerat Magos ad monstrandum natum; sol ⁴ obscuratus est, ad demonstrandum passum; terra mota est ⁵, et velum templi cum lapidibus scissum est, ad terrorem incutiendum: multo etiam magis hujusmodi signa erunt ad demonstrationem, ut sic *creatura* (b) *omnis* ⁶ non tan-

¹ Hunc non habet edit. Paris, an. 1521. — ² *Luc.*, XXI, 28. — ³ *Matth.*, II, 1 et seq. — ⁴ *Luc.*, XXIII, 45. — ⁵ *Matth.*, XXVI, 51. — ⁶ *Philip.*, II, 11.

(a) *Cæt. edit.* præterire. — (b) *Vulg. lingua.*

tum verbis, sed etiam factis *confiteatur*, quia Domino Jesu Christo ¹ *data est omnis potestas in cœlo et in terra*, et ² *in nomine ejus omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum*. Cujusmodi autem signa erunt tunc in secundo adventu, ex textu sacræ Scripturæ potest colligi. Nam discipulis interrogantibus ³: *Quod est signum adventus tui et consummationis sæculi?* respondit *post tribulationes dierum illorum, sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo*. Ex intellectu illorum verborum et hodierni evangelii potest colligi, quod tria erunt signa: nam primo erunt signa deceptibilium miraculorum, ad subversionem veritatis fidei; secundo erunt signa carnalium delectationum, ad refrigerationem charitatis incendii; tertio erunt signa multiplicium tribulationum, ad evulsionem longanimitatis spei. Signa carnalium delectationum intelliguntur per lunaris luminis privationem; signa deceptibilium miraculorum intelliguntur per solaris radii obscurationem; signa multiplicium tribulationum intelliguntur per stellarum casum et declinationem. Prima signa deceptibilium miraculorum ad subversionem veritatis fidei intelliguntur per solaris radii obscurationem. Sicut enim radius solis oppositione nubis dicitur obscurari; sic radius fidei obnubilabitur (a) per hujusmodi signa in seducto Christiano, qui non dabit lumen veritatis: quia tunc *surgent pseudochristi, pseudoprophetæ, et dabunt vocem (b) et prodigia, ita ut in errorem inducantur, etiam, si potest fieri, electi*, ut dicitur ⁴. De hoc similiter dicitur ⁵: *Revelabitur ille iniquus, cujus adventus est secundum operationem Satanae in omni virtute, et in signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis*. Dicuntur et signa Antichristi mendacia: non quod non faciet aliqua signa veracia, sed habendo respectum ad finem et intentionem, quia

ad hoc faciet, ut mendacium et falsum persuadeat. Et propter hoc hujusmodi signa, licet videantur fieri in imperceptibili tempore, non tamen dicuntur vera miracula, quia fiunt per transmutationem formarum in natura: sed miracula supra naturam et facultatem naturæ nulla dispositione et transmutatione præcedente fiunt, et ideo solius divinæ potentiæ sunt attestantia. Falsa vero miracula sunt de vilibus in effectum et inutilibus rebus de facili convertibilibus operatione naturæ, sicut patet de generatione ranarum, quas de quibusdam variis in modico nasci contingit. Unde et dæmones maxime faciunt ranas et serpentes, et hujusmodi vilia et inutilia, quæ de facili producuntur operatione naturæ. Unde Deus tunc, sicut etiam modo, condescendet diabolicæ potentiæ et astutiæ, ut patiat seducere malos juxta eorum demerita, et etiam deprehendantur a bonis, ut fides simul cum signis habeat locum. Secundo signa carnalium delectationum ad refrigerationem charitatis incendii intelliguntur per lunaris luminis privationem, et in sanguinem conversionem: quod fit, quando spiritualis et honestus homo convertitur in sanguinem carnalitatis, et privatur lucido exemplo honestatis. Et de hoc potest exponi illud ⁶: *A luna signum diei festi, luna minuitur in consummatione mensis*. Per lunam autem intelligitur vir fidelis, qui per lasciviam carnalitatis minuitur in consummatione vitæ suæ: ab isto ergo, qui sic mutatur et minuitur sicut luna, est signum diei, judicii scilicet. Tunc enim implebitur illud ⁷: *Nulum peccatum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo sit exsors luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lutiæ nostræ, quoniam hæc est pars nostra*. Tertio erunt signa multiplicium tribulationum ad evulsionem longanimitatis spei; quæ intelliguntur per stellarum casum et declinationem. Tunc enim granum purum, excussa palea inconstantia et timiditatis, per exami-

¹ *Matth.*, XXVIII, 18. — ² *Philipp.*, II, 10. — ³ *Matth.*, XXIV, 3, 29. — ⁴ *Ibid.*, 24. — ⁵ *I Thess.*, II, 8-10. — ⁶ *Ecclesi.*, XLIII, 7. — ⁷ *Sap.*, II, 8, 9.

(a) *Edit. Ven.* obnubilatur. — (b) *Vulg.* Signa magna.

nationem diversarum afflictionum summi Regis, intrabit in horrea; et ventosa cauda draconis trahet paleam inconstantiae et timiditatis in locum damnationis. Et de hoc dicitur¹: *Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum, et terrae motus erunt magni per loca, et pestilentiae et fames: terroresque de caelo, et signa magna erunt.* Et in hodierno evangelio dicitur²: *Erit pressura gentium, praec fusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus praec timore. Erit pressura gentium, quia tunc surget gens contra gentem: et pater filium, et filius patrem trahet in mortem: et odio habebuntur omnes Christum confitentes. Praec fusione sonitus maris: tunc enim, secundum Hieronymum, doctorem veracissimum, qui dicit se legisse in annalibus Hebraeorum, mare exaltabitur quindecim cubitis super excelsos montes, et postea prosternetur in imum profundi; et omnia, quae moventur in aquis, levabuntur super aquas; volatilia vero in invicem garrient, et non gustabunt nec bibent. Animalia similiter congregabuntur de silvis ad campos invicem jungentia (a), et non gustantia nec bibentia: et sic tanta erit confusio sonitus maris, garritus avium, et mugitus animalium, ut nesciat homo quid faciet praec timore signorum et terrae motuum, arescentibus hominibus praec timore et pestilentia.*

Secundo notatur excitatio providae considerationis, ne educamur, cum subdit: *Respicite et levate capita vestra.* Levate ergo mentem vestram per providam considerationem, primo ad Filii sapientiam, ne per signa deceptibilium miraculorum a fidei veritate avertamini; secundo ad Spiritus sancti clementiam, ne per lasciviam carnalium delectationum a Christi charitate separemini; tertio ad Patris potentiam, ne per saevitiam innumerabilium tribulationum a spei firmitate evellamini. Primo levate mentem vestram ad Filii sapientiam, ne per si-

gna deceptibilium miraculorum a fidei veritate avertamini. Et de hoc dicitur in Psalmo³: *Ad te levavi animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam; neque irrideant me inimici mei. Ad te, Domine, levavi animam meam, per fidem cordis, credendo te Deum et hominem, et ad quod non poteram per rationem attingere. Deus meus, in te confido, non erubescam, confitendo ore improperium. Neque irrideant me inimici mei, per sua maleficia. Etenim universi qui sustinent te, non confundentur, acquiescendo scilicet falsis consiliis inducentibus ad malitiam falsitatis et mendacii. Sed tu, Domine, qui es veritas et sapientia, vias tuas demonstra mihi, et semitas tuas edoce me⁴ in consiliis. Secundo, levate mentem vestram ad Spiritus sancti clementiam, ne per lasciviam carnalium delectationum a Christi charitate separemini. Et de hoc dicitur⁵: *Sedebit solitarius, et tacebit, et levabit se supra se.* Tunc verus Christianus *sedebit solitarius* per exclusionem carnalium delectationum, immundarum affectionum, et pravarum cogitationum. Et *tacebit*, quando per repressionem sonitus in carne, eam voluntarie et sine murmure coget per omnia obedire spiritui. *Elevabit se supra se*, quando postposita omni creatura, mentali intuitu ascendet ad caelum Trinitatis, ei per conformitatem voluntatis inhærendo, ut jam⁶, *quae sursum sunt, sapiat, non quae super terram.* De hoc similiter in figura⁷: *Elevavit faciem suam ad Jerusalem: benedixit regem coelorum, et dixit: Abs te victoria, etc.* Per *faciem* notitia fidei intelligitur: sed *Jerusalem* visio pacis interpretatur. Unde tunc hoc faciem levat, quando per notitiam fidei elevatur ad videndum tranquillitatem et concordiam pacis in regno animae, carnalibus desideriis suppeditatis. Ista enim concordia est a Deo: nam⁸ *nullus potest esse continens, nisi Deus det.* Deo totum attribuit,*

¹ Luc., XXI, 10, 11. — ² Ibid., 25, 26. — ³ Psal. XXIV, 2, 3. — ⁴ Ibid., 4. — ⁵ Thren., III, 28. — ⁶ Coloss., III,

2. — ⁷ III Esdr., IV, 58-59, inter apocrypha Bibl. — ⁸ Sap., VIII, 21.

(a) Forte legendum mugientia.

ei gratiarum actiones referendo, cum subdit : *Benedixit regem cœli, et dixit : Abs te victoria*, supple carnalium delectationum. Tertio *levate mentem ad Patris potentiam*, ne per sævitiam multiplicium tribulationum a firmitate spei evellamini. Unde in Psalmo ¹: *Lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam levavi.* ² *Eripe me de inimicis meis, et ab his qui oderunt*, quoniam *confortabor (a)*, etc. *Lætifica animam servi tui* ³, *secundum multitudinem dolorum et afflictionum*, infundendo dulcedinem consolationum. *Quoniam ad te, Domine, animam meam levavi*, per spei fiduciam. *Eripe me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me*, inducendo in laqueum mortis æternæ. *Quoniam confortati sunt super me*, multiplicando tribulationes et flagella, damna et opprobria.

Tertio notatur promissio omnimodæ consolationis, cum dicitur : *Quoniam appropinquat redemptio vestra*. Vere omnimoda consolatio tunc erit perseverantibus, et mentem ad Deum per proverbii consolationem levantibus. Nam triplex appropinquat consolatio, secundum triplicem mentis elevationem, ad quam omnis alia consolatio habet reduci : primo, in elevantibus mentem ad Filii sapientiam, purgabitur omnis error visione infallibilis veritatis ; secundo, in elevantibus mentem ad Spiritus sancti clementiam, desipiet carnalis amor fruitione inæstimabilis suavitatis ; tertio, in elevantibus mentem ad Patris potentiam, evacuabitur omnis timor tentatione immobilis firmitatis. Et in ista triplici dote, scilicet visionis claræ, fruitionis quietæ, et tentationis securæ, consistit imago gloriæ. Cui respondet imago gratiæ, qua consistit in fide firma, charitate non ficta, et spe certa in statu isto. Primo, in elevantibus mentem ad Filii sapientiam, purgabitur omnis error visione infallibilis veritatis. Unde dicitur ⁴ : *Scio*

quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum : et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum Salvatorem (b) meum. Scio quod redemptor meus vivit, quasi dicat : Licet in passione vita fuerit induta morte ; tamen in resurrectione, deglutita morte, tota vita resurrexit. *Et in novissimo die surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea*, quando ⁵ *corpus humilitatis mee configuratum fuerit corpori claritatis Christi. Et in carne mea videbo Deum salvatorem meum* ⁶, *facie ad faciem* : in quo modo videndi non potest esse error, sicut in modo videndi *per speculum in ænigmate*, qui est in vita præsentis ; quia tunc sapientia divina proponet bonis rationes illas æternas ad contemplandum in seipso, tanquam in speculo pulcherrime, tanquam in libro indelebiter, tanquam in mensa delectabiliter. Unde Augustinus ⁷ : « Veritatem sine ulla difficultate videbimus, eaque clarissime et certissime perfruemur ; nec aliquid quæremus mente ratiocinante, sed cernemus contemplante. » Secundo, in elevantibus mentem ad Spiritus sancti clementiam, desipiet omnis carnalis amor dulcedine inæstimabilis suavitatis. Et de hoc potest exponi illud ⁸ : *Non corruptilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis ; sed pretioso sanguine agni immaculati et incontaminati Jesu Christi. Vana conversatio paternæ traditionis est perseverare lasciviendo in facibus carnalis voluptatis. Nam merito paternæ prævaricationis facti sumus carnales, ut venundati sub peccato. Sed de ista vana conversatione beati redempti sunt sanguine pretioso Christi, eo quod merito ejus sanguinis effusione degustantes (c) dulcedinem sapientialis oblectabilitatis, quæ tanto ardore desiderii rapit totaliter animam in sui concupiscentiam, ut desipiat omnis caro. Unde licet faciet (d) satietatem, non tamen generat fastidium ; imo continuat desi-*

Consolatio triplex appropinquat.

Gratia in quibus consistit.

¹ Psal. LXXXV, 4. — ² Psal. LVIII, 2 ; XCI, 18. — ³ Psal. XCIII, 19. — ⁴ Job., XIX, 25. — ⁵ Philp., III, 21. — ⁶ I Cor., XIII, 12. — ⁷ Aug., de Trinit., lib. XV, c. XXV, n. 45. — ⁸ I Petr., I, 18.

(a) Leg. confortati sunt. — (b) Vulg. non habet Salvatorem. — (c) Leg. effusionis degustant. — (d) Item faciat.

derium. Sed quia tunc bene et perfecte exterminato fomite concupiscentiæ erunt intenti solum dulcedini suavitatis, ideo dicuntur quasi agni immaculati et incontaminati, similes angelicis spiritibus, qui¹ non nubent neque nubentur. Tertio, in elevantibus mentem ad Patris potentiam, evacuabitur omnis timor tentione immobilis firmitatis. Et de illo dicitur²: *Redemit Dominus Jacob*, scilicet a servitute legis peccati; *et liberavit eum de manu potentioris*, scilicet diaboli, multipliciter eum affligendo; *et venient cum exultatione, et laudabunt*, scilicet continue, in monte Sion, id est enuntiante Deo cœli empyrei. Sion specula: et signat cœlum empyreum, in quo ponuntur beati ad speculandum et contemplandum immobiliter claritatem deitatis. Unde Augustinus dicit³: «Quanta erit felicitas, ubi nullum erit (a) malum, et nullum latebit bonum! Vacabitur Dei laudibus, qui erit (a) omnia in omnibus.» Tunc adhærebit (b), vinculo (c) indissolubili, summo et incommutabili bono. Rogemus Dominum, ut sic faciat nos elevare mentem ad Filii sapientiam per fidei splendorem, ad Spiritus clementiam per charitatis ardorem, ad Patris potentiam per spei certitudinem, ut possimus mereri dotem apertæ visionis, quietæ fruitionis, et securæ tentionis, quod nobis præstare dignetur, etc.⁴

SERMO II⁵.

*Veniet desideratus cunctis gentibus*⁶. Quoniam ad misericordem pertinet desolatos et affictos consolari, hinc est, quod Deus, *Pater misericordiæ et totius consolationis*⁷, videns sanctos patres vehementer desolari, et affligi ex suæ promissionis dilatione, et animo sitibundo et affectu piissimo preces importune multiplicare: pro cuius acceleratione dignatus est eos multipliciter conso-

lari, cum in verbo proposito certificet eos de promissi beneficii adimpletione, dicens: *Veniet desideratus cunctis gentibus*. Sed quia ad petendum benignitas excitat, utilitas provocat, et petentis sanctitas aures divinæ misericordiæ ad audiendum inclinat; ideo hic tria notantur in verbo proposito. Nam primo notatur benignitas ex parte Filii Dei venientis; secundo, sanctitas ex parte populi appetentis; tertio, utilitas ex parte finis subsequenti. Primo magna benignitas fuit in Dei Filio veniente, quia non misit, nec scripsit, imo venit personaliter; et hoc est quod dicit: *Veniet*, etc. Secundo, magna sanctitas ex parte populi appetentis, quia non desiderabat aurum, vel aliquod terrenum, sed Dei Filium; et propter hoc subditur: *Desideratus*. Tertio magna utilitas fuit in fine subsequente, scilicet novi Testamenti: nam per istum adventum cunctæ gentes vocatæ sunt ad Dei veritatem; ideo subinfertur: *Gentibus*.

Dicit ergo: *Veniet*. Ubi notatur benignitas ex parte personæ venientis. Si quæretur ratio et causa quare Deus venit in carnem, optime respondetur, quod hujus ratio præcipua est excellentissima benignitas Dei, a qua, et secundum quam, et propter quam facta est Verbi incarnatio. Nam ille adventus a benignitate procedit, præterdit benignitatem, et ad benignitatem producit (d). Igitur Dei Filius propter nimiam benignitatem voluit humanari: ut veniret primo tanquam mediator gratiosissimus, ad exhibenda remedia pacis et concordiæ; secundo tanquam doctor veracissimus, ad danda documenta pietatis et justitiæ; tertio tanquam rex humilimus, ad demonstranda exempla humilitatis et paupertatis suæ indigentiae. Ut sic, ratione primi, quia mediator, sit sinceriter diligendus; ratione secundi, quia doctor, humiliter reverendus; ratione tertii, quia ad exemplum præcessor, conformiter imitandus.

Adventus
Filius Dei
in carne.

¹ *Matth.*, xxii, 30. — ² *Jerem.*, xxxi, 11. — ³ *Aug.*, de *Civit. Dei*, lib. xxii, c. xxx, n. 1. — ⁴ Vid. in idem *Evangelium* serm. iv et v de Dominica II. Adventus. — ⁵ Huic non habet edit. Paris. an. 1521. — ⁶ *Agg.*, ii, 8. — ⁷ *II Cor.*, i, 3.

(a) *Cæt. edit.* Est — (b) *Leg.* adhærebitur. — (c) *Cæt. edit.* vinculum. — (d) *Leg.* perducit.

Primo venit tanquam mediator gratiosissimus, ad exhibenda remedia pacis et concordiae. Et de hoc dicitur ¹: *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem macerie solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum in (a) decretis evacuans*. Et sequitur: *Veniens evangelizavit nobis pacem*. Dei Filius, assumendo humanam naturam in unitate personae, *fecit utraque*, scilicet divinitatis et humanitatis, *unum*, sustinendo voluntarie (b) tormentum crucis et mortis ad quam non tenebatur, eo quod immunis erat ab omni peccato: *evacuavit decretum* divinae sententiae de clausione januae paradisi, *solvens medium parietem* inimicitiae et discordiae, qui erat inter nos et Deum; et ille Christus, tanquam verus mediator veniens, *evangelizavit pacem* et concordiam inter nos et Deum per seipsum, et non per alium, quia non congruebat. Non enim angelus, quia non debebat; nec etiam per hoc divinae justitiae esset satisfactum. Non enim angelus humanatus, qui ad partem hominis tanquam ad propriam potuisset declinare: et etiam homo non relevaretur ad pristinum statum, in quo soli Deo subjectus erat, eo quod rationetanti beneficii angelo multum teneretur. Non homo, quia non poterat restituere ablatum, eo quod primus parens amiserit et ejus peccati innocentiam. Non Deus sine carnis assumptione, quia non debet, et etiam ab homine posset haberi suspectus. Sed Christus, Deus et homo, qui in quantum Deus valet, et in quantum homo debet. Ideo ab aliquo non potest haberi suspectus. Et hoc est quod dicit Bernardus ²: « Unde constat mihi quod liberator meus nequaquam sit in parte declinando? Si, ut dicitis (c) ³, *decevit misereri Deus*, et cogitat ut complacitior sit adhuc: exinaniat (d) se, humiliet se (e), et

osculetur me osculo oris sui ⁴. Sit in signum pacis, faciat (f) de pace securum, ex æquo (g) partibus congruens neutri, (h) sit suspectus. Suscipio (i) mediatorem Filium Dei, quem agnosco meum. Minime plane (j) jam mihi non erit suspectus, quia frater meus et caro mea est. »

Secundo venit (h) tanquam doctor verus, ad danda documenta pacis et justitiae. Unde ⁵: *Seminate vobis in veritate justitiam (l), et metite in ore misericordiae et innovate vobis novalia (m): tempus autem requirendi Dominum est, cum venerit qui docebit nos justitiam*. Dominum requirimus, dum ejus gratiam postulamus. Sed tempus postulandi illam gratiam, ut a vetustate culpae innovemur, est, cum tandem (n) venerit unus doctor Christus, qui docet seminare verbo et facto veritatem justitiae in puniendo, et pietatem misericordiae in remittendo: quia pietas misericordiae sine veritate justitiae culpam non aestimat, sed ignorat. Unde ⁶: *Miserearis impio, et non discet facere justitiam*, quia veritas justitiae sine pietate misericordiae Deo nequaquam est placita: quia ⁷ *sine misericordia iudicium fiet ei, qui non fecerit misericordiam*. Tamen *misericordiam (o)* in remittendo docet doctrina (p) Christi *superecaltare*, scilicet *iudicium* in puniendo: ut sic peccator non exacerbetur et desperet propter severitatem justitiae; sed ad poenitentiam inducatur cum benignitate misericordiae, quae faciliter parit.

Tertio, venit tanquam rex humillimus, ad demonstranda exempla humilitatis et inopiae. Et de hoc dicitur ⁸: *Ecce rex tuus venit tibi justus et salvator, ipse pauper et ascendens super asinam*. Rex noster Christus, ut destrueret superbiam primi hominis, noluit venire fastuosus et superbus in curribus et equis faleratis; sed humilis et man-

¹ Ephes., II, 14-17. — ² Bern., in Cant., serm II, n. 6. — ³ Psal. LXXVI, 8. — ⁴ Cant., I, 1. — ⁵ Ose., X, 12. — ⁶ Isa., XXVI, 10. — ⁷ Jac., II, 13. — ⁸ Zach., IX, 9.

(a) Vulg. deest in. Græc. ἐν δόγματι. — (b) Cæt. edit. voluntaria. — (c) Item dicitis enim. — (d) Exinaniet.

— (o) Cæt. edit. deest se. — (f) Cæt. edit. faciet. — (g) Quo. — (h) Congruis nullius. — (i) Et certum. — (j) Minimum. — (k) Veniet. — (l) Vulg. in justitia. — (m) Novale. — (n) Cæt. edit. tamen. — (o) Misericordia. — (p) Decet doctrinam.

suetus ascendens in die Palmarum ¹ super asinam contemptibilitatis, ut hominem terrenum revocaret ab amore terrenorum, et ad amorem Dei provocaret. Noluit venire pomposus in divitiis et lapidibus pretiosis, sed pauper et egenus: ut sic per suam humilitatem destructa omnis (a) superbia, et per suam paupertatem mundi malitia cognoscatur, quia ipse est verus salvator. Et hoc est quod ipse Dominus dicit ²: *Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ministraret, et daret (b) animam suam in redemptionem pro multis.* Certe erubescit membrum esse superbum, cum ejus caput est humile; alioquin monstruosa res est, si pes non vult imitari et subjici capiti, sed ei præponi.

Sequitur: *Desideratus.* Hic exprimitur aviditas et sinceritas populi appetentis. Avide enim et cum sinceritate cordis desiderabant sancti patres Filium Dei incarnari, eo quod tria erant in ipso, quæ omne desiderium replent. Nam tria sunt, quæ sufficienter quamlibet rem suo modo reddunt desiderabilem: videlicet, speciositas in aspectu, utilitas in affectu, deliciositas in gustu. Tunc enim est aliquid sufficienter desiderabile suo modo, cum primo delectat visum, in intuendo; secundo, decorat subjectum, in possidendo; tertio, dulcorat gustum, in utendo sive perfruendo. Cum ergo ista tria sint in Christo Jesu excellentissime, merito non tantum a sanctis patribus, sed etiam ab omnibus ratione utentibus debet esse desideratus. Nam primo Christus est speciosus ad intuendum, propter nitorem originalis innocentiae; secundo utilis et pretiosus ad possidendum, propter decorationem illuminantis gratiae; tertio, nobilis et deliciosus ad perfruendum, propter oblectationem sapientialis demulcentiae.

Primo est desideratus propter speciositatem originalis innocentiae. Delectat visum

¹ *Matth.*, XXI, 5. — ² *Matth.*, XX, 28. — ³ *Psal.* XLIV, 3. — ⁴ *Gen.*, XLIX, 26. — ⁵ *Sap.*, VII, 26, 29. — ⁶ *1 Petr.*, I, 12. — ⁷ *III Reg.*, X, 24. — ⁸ *Aug.*, *de Civit. Dei*, lib. XVII, c. VIII, n. 2. — ⁹ *Isa.*, XXVI, 9.

in intuendo. Nullus enim fuit (c) sine peccato actuali vel originali, nisi solus Christus, qui est ³ *speciosus forma præ filiis hominum*, ⁴ *desiderium collium æternorum*, id est angelorum et sanctorum patrum, ⁵ *speculum sine macula Dei (d) majestatis, speciosior sole*, ⁶ *in quem desiderant angeli prospicere*, et verus ille Salomon, de quo dictum est: ⁷ *Universa terra desiderabat videre vultum Salomonis.* Multiplici enim figura figuratus ille Salomon repræsentat verum Salomonem Christum. Unde Augustinus, *de Trinitate* (e) ⁸: « Quæ de Salomone dicuntur a Deo, soli Christo conveniunt: et in illo fuit figura obumbrata (f), sed in Christo veritas repræsentata. » Secundo est *desideratus* Christus, quia propter suam pretiositatem illuminantis gratiæ decorat proprium subjectum in possidendo. Unde ⁹: *Anima mea desideravit te in nocte*, ut videat ¹⁰ *lumen in lumine tuo.* Anima mea desideravit te in nocte, scilicet tenebrositatis et ignorantiae, ut lumen videat in lumine tuo. Et ratione hujus pretiositatis dicitur ¹¹: *Omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari*; quia sicut non est comparatio inter umbram et similitudinem ad veritatem, sic non est comparatio inter creaturam et divinam sapientiam. Nam omnis creatura est similitudo et umbra divinæ veritatis. Tertio est Christus desiderabilis propter oblectationem sapientialis demulcentiæ, quia delectat, sive dulcorat gustum in perfruendo. Unde ¹²: *Sub umbra illius, quem desiderabam, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.* *Sub umbra* refrigerantis gratiæ, et *illius*, scilicet Christi, *quem desiderabam* per excessum inflammatae dilectionis; *sedi* per mentis quietationem; *et fructus ejus dulcis gutturi meo* propter degustationem sapientiae. Unde ad hoc ut anima degustet dulcedinem divinæ sapientiae, re-

— ¹⁰ *Psal.* XXXV, 10. — ¹¹ *Prov.*, III, 15. — ¹² *Cant.*, II, 3.

(a) *Leg.* omni. — (b) *Vulg.* ministrari... ministrare, et dare. — (c) *Cæt. edit.* profuit. — (d) *Deus.* — (e) *Leg. de Civit. Dei.* — (f) *Leg.* adumbrata.

dulcedi-
nem di-
vinae sa-
pientiae,
quid re-
quiratur.

quiritur ut purgetur a peccato, et resolvatur in aquam devotionis; abstrahatur ab amore mundano, ut non sit dispersa ad exteriora; imo recolligat se totaliter ad interiora, ne interponatur aliqua caligo: ut immediate recipiat stillicidium divinae influentiae, et degustet dulcorem aeternae suavitatis. Hunc dulcorem aequaliter sentiens David propheta dicebat ¹: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.*

Tertio notatur utilitas finis subsequentis, cum dicit: *Cunctis gentibus.* Merito erat desideratus a sanctis patribus et cunctis gentibus, eo quod Christus in isto adventu meruit cunctis gentibus, primo, gratificationem adoptionis benignae (a), tollendo originalem culpam; secundo, apertionem caelestis januae, propter judicialis vindictae relaxationem; tertio, sublimitatem finalis gloriae, amovendo miseriam totalem. Primo gentes per adventum Christi consecutae sunt gratificationem adoptionis benignae, propter deletionem originalis culpae. Unde dicit Petrus ²: *Si ergo eandem gratiam dedit illis Dominus, scilicet gentibus, sicut (b) et nobis, qui credidimus (c) in Jesum Christum; sic ergo et gentibus poenitentiam dedit ad vitam.* Ratione hujus beneficii, David propheta invitabat omnes gentes ad gratiarum actiones, dicens ³: *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi: quoniam confirmata est super nos misericordia ejus (d).* Secundo cunctae gentes consecutae sunt per istum adventum apertionem caelestis januae, propter relaxationem judicialis vindictae; et propter hoc dicitur ⁴: *Aperite portas, et ingredietur gens justa custodiens veritatem. Vetus enim error abiit,* quia Dominus Jesus Christus habebat clavem reserandi aditum aeternitatis. Ideo tanquam auctoritatem habens angelicis spiritibus dixit ⁵: *Aperite (e) portas, princi-*

pes, vestras, quoniam per meum sanguinem facta est reparatio concordiae universalis, relaxatio vindictae judicialis. Nunc ergo, amoto flammeo gladio de porta paradisi, volo ut fiat reseratio januae caelestis: ut ingrediaturs gens justa et custodiens veritatem: vetus enim error primae praevagationis, merito cujus obligabatur ad poenam, abiit. Tertio gentes per istum adventum consecutae sunt sublimitatem finalis gloriae, propter amotionem (f) totalis miseriae. Unde ⁶: *Declinabo super eum quasi flumen pacis, id est quasi gloriam inundantem.* In praedicto themate dicitur de hoc: *Veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria: quod implebitur a Deo in generali resurrectione, quando a corpore cujuslibet beati, cujus corpus fuit domus et habitaculum Spiritus sancti, per gratiam amovebitur omnis corruptio, per dotem impassibilitatis; omnis deformitas et obscuritas, per dotem claritatis; omnis tarditas, per dotem agilitatis; omnis infirmitas et animalitas, per dotem virtutis et subtilitatis.* Unde Augustinus ⁷: « Abjicietur a corporibus nostris omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio, sive passibilitas. » Quod nobis praestare, etc.

SERMO III ⁸.

Emitte manum tuam de alto ⁹, etc. Ecce, charissimi, sicut naufragi in medio fluctuum periculosissimorum, et sicut captivi in manu hostium saevissimorum desiderant liberationem, sic patres antiqui ferventissime desiderarunt advenire Salvatorem sui. Unde David exclamans ad Dominum, dicit: *Emitte manum tuam, etc.* Manum Dei dicit Filium Dei. Homo enim per manus operatur, et Deus per Filium ¹⁰: *Omnia per ipsum facta sunt.* Ait ergo: *Emitte manum tuam, id est Filium tuum de alto throno: eripe me, et*

Paris. an. 1521, necnon alios sequentes, iv, v, vi et vii. — ³ *Psal.* cxliii, 7. — ¹⁰ *Joan.*, i, 3.

(a) *Cat. edit. benigne.* — (b) *Sic.* — (c) *Credimus.* — (d) *Cat. edit. add. et benignae adoptionis.* — (e) *Vulg. Attollite.* — (f) *Cat. edit. amissionem.*

¹ *Psal.* xli, 2. — ² *Act.*, xi, 17, 18. — ³ *Psal.* cxvi, 1, 2. — ⁴ *Isa.*, xxvi, 1, 2. — ⁵ *Psal.* xxiii, 19. — ⁶ *Isa.*, lxvi, 12. — ⁷ *Aug., de Civit. Dei*, lb. xxii, c. xxi, quoad sensum. — ⁸ Hunc habet quoque edit.

libera me de aquis nullis suffocantis miseriae, et de manu jugulantis potentiae filiorum alienorum : filiorum, inquam, superbiae, filiorum Luciferi et dæmonum. Considerare autem possumus quatuor causas emissionis, scilicet ut divina offensa placetur, ut natura humana liberetur, ut natura angelica restauretur, ut diabolica violentia refrænetur.

De primo ¹ : *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ*, etc. Agnum utique, cujus sanguinis suavissimo odore tu placearis, Pater æternæ. Ille enim est *agnus absque macula*, cujus sanguis, sicut legitur ², fundi jubetur super altare per circuitum, et membra dividi, et super ligna imponi, quibus subjiciendus est ignis; et sic adoleri in odorem suavissimum Domino. Sanguis Christi super altare crucis per circuitum, de latere, de manibus, de pedibus fusus est. Tu autem funde quotidie hunc sanguinem super altare cordis tui. Funde, inquam, per circuitum, cogitando devote, pensando attente. O anima pretiosa, redempta sanguine Agni immaculati, attende quantum vales; quid pro te datum sit, cogita. Membra Agni veri in cruce divisa sunt, non abscissione, sed quadrifica distensione ³ : *Dispersa sunt omnia ossa mea*. Sunt quoque super ligna crucis imposita, et non defuit ignis amoris, ipsum cogentis mortem pati pro nobis reconciliandis Patri per suavissimum odorem passionis ejus ⁴ : *Dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis*.

De secundo dicitur hic : *Emitte manum tuam*, etc. Certe si quis in mare jaceret, vel in medio inimicorum coangustatus esset, qui sibi manum daret et eriperet, merito eum diligeret : et certe Deus Pater emisit manum, id est Filium de alto throno, ut de aquis miseriae et de manu potentiae nos eriperet. Sed quare, Domine Deus meus, mundus manum non cognovit, quæ ipsum crea-

vit? et quare Judaicus populus manum non cognovit, quæ sibi tanta bona fecit? Forte ideo non cognovit, quia chirotheca carnis tecta fuit, sicut significatum est in Isaac sene et cæco, qui manum Jacob sibi ministrantem non novit, quia pellicula ⁵ circumdata fuit. Isaac enim mundum, vel Israeliticum populum senem tempore, et cæcum mente significare potest. *Cæcitas enim ex parte contigit in Israel*. Pellicula autem, nostra caro est. Cum ergo hæc manus cælum et terram concludat, mundus vix credere potuit, quod tam magna manus esset in tam parva chirotheca. Tamen hæc manus non est minorata. Unde ⁷ : *Numquid abbreviata et parvula est facta manus mea, ut non possim redimere?* Certe, Domine, non est abbreviata manus tua, quam de summo throno in infernum porrexisti : non est parvula facta, quæ uno raptu tot animarum millia secum traxit. Utinam uno digito hujus manus nos Deus tangeret, qui ut quinque digitos nobis exponeret, quinque foramina in chirotheca carnis habuit! De his foraminibus ⁸ : « Ego fidenter quod ex me mihi deest usurpo de visceribus Domini : misericordia affluunt (a), neque desunt foramina per quæ effluat gratia. »

De tertio ⁹ : *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam*, etc. Lux et veritas Christus est. Hæc enim lux antequam fieret nascendo in mundum, tenebræ infidelitatis et ignorantiae culpæ erant super faciem abyssi. Sed hæc tenebræ per hanc lucem declinantur. ¹⁰ *Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris*, etc. Bene autem dicit David ⁹, quod lux *adducit in montem Dei et in tabernacula* ejus. Mons est regnum cælorum, etc. ¹¹ *Quis ascendet in montem Domini*, etc. Tabernacula sunt ordines angelorum : novem sunt ordines angelorum; novem sunt tabernacula. ¹² *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, et cætera usque : *in æterna tabernacula*. O

¹ Isa., XVI, 1. — ² Levit., I, 5 et seq. — ³ Psal., XXI, 5. — ⁴ Ephes., v, 2. — ⁵ Gen., XXVII, 16. — ⁶ Rom., XI, 25. — ⁷ Isa., L, 2. — ⁸ Bern., in Cant.,

serm. LXI, n. 4. — ⁹ Psal., XLII, 3. — ¹⁰ Joan., VIII, 12. — ¹¹ Psal., XXIII, 3. — ¹² Luc., XVI, 9.

(a) Cælit. edit. affluit.

quam beatus est, qui in primo seu infimo tabernaculo habitabit! sed certe beator, qui in secundo. Sic die usque ad nonum. Discumbent enim in his tabernaculis animæ justorum secundum excellentias meritorum. Fient enim æquales angelis, et socii angelorum. Qui propter nos minor angelis extitit¹, æquales nos angelis suæ minorationis virtute fecit.

De quarto²: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus*, etc. Quo modo hæc virga dominetur *in medio inimicorum*, id est dæmonum, significatum est³, ubi dicitur, quod *devoravit virga Aaron*, quæ significat Filium Dei, *virgas magorum* versas in dracones. Virga Aaron significat Filium Dei. Virgæ magorum sunt angeli apostatici, quæ projectæ in dracones efficiuntur. Sed per virga Aaron devorantur, quando per Christum dæmonum malitia supeditatur.

SERMO IV.

*Quis poterit cogitare diem adventus ejus*⁴? Cogitate, charissimi, adventus Domini diem: quæ quadruplex est, videlicet in carne, corde, morte, aere: primus, in die incarnationis; secundus, in die justificationis; tertius, in die resolutionis; quartus, in die resurrectionis. Quis autem poterit cogitare primi adventus plenitudinem, secundi promptitudinem, tertii incertitudinem, quarti magnitudinem, vel fortitudinem?

De primo⁵: *Deus ex semine David secundum promissionem eduxit Israel Salvatorem Jesum, prædicante Joanne ante faciem adventus ejus*. Ecce ad commendationem Domini adventus introducit hic Paulus tres sanctissimas personas: *David* Christi progenitorem, *Joannem* præcursorem, et *Jesum* salvatorem. In quo ostenditur adventus iste convenientissimus ad veniam; unde ex semine David nasci dignatur, qui de enormi-

bus criminibus adulterii et homicidii veniam consecutus est. Item communissimus ad amicitiam: hoc et in David significatur, qui et pastor et rex fuit, quia de ipso natus pauperibus et divitibus communis fuit. Unde in nativitate sua pastores et reges ad se traxit. Item plenissimus ad gratiam: hoc in Joanne significatur. In tempore enim adventus Domini, gratia plenissime fluxit⁶: *Plenum gratiæ et veritatis*, etc. Item saluberrimus ad gloriam: hoc in Jesu significatur, qui interpretatur *salus*.⁷ *Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*. Anselmus: « Quid est Jesus, nisi Salvator? Ergo propter temetipsum esto mihi Jesus. »⁸ *Salutare tuum expectabo, Domine*. O quam plenissimus fuit adventus!⁹ *Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat: et de plenitudine ejus omnes accepimus*.

De secundo¹⁰: *Filios tuos neque draconum, neque venenatorum vicerunt dentes: misericordia enim tua adveniens sanabat illos*. Draco est diabolus. Venenati sunt caro et mundus, quorum fel et venenum in vino temporalis delectationis nobis propinatur.¹¹ *Fel draconum venenum eorum*, etc. Eorum dentes sunt eorum tentationes.¹² *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem*, etc. Misericordia Christus est.¹³ *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam*, etc. Qui adveniens eos justificatione sanabat, id est ægras animas.¹⁴ *Miserere mei, Deus, quoniam infirmus sum*, etc. Adventus autem iste non solius est Filii, sed Patris¹⁵: *Pater meus diligit eum: et ad eum veniemus*. Item Spiritus sancti (a)¹⁶: *Factus est repente de cælo*, etc. O quam promptissimus est adventus iste! Dominus enim ultro offert se ad veniendum; unde de puero paralytico dicit Jesus¹⁷: *Ego veniam, et curabo eum*. « Præsto semper est gratia, quæ nunquam deficit, nisi prius expulsa: continue quod

3. — ¹⁵ Joan., XIV, 23. — ¹⁶ Act., II, 2. — ¹⁷ Matth., VIII, 7.

(a) *Carl. edit. sanctus.*

¹ Hebr., II, 9. — ² Psal. CIX, 2. — ³ Exod., VII, 12. — ⁴ Malach., III, 2. — ⁵ Act., XIII, 23. — ⁶ Joan., I, 14. — ⁷ Hebr., V, 9. — ⁸ Gen., XLIX, 18. — ⁹ Joan., I, 15-16. — ¹⁰ Sap., XVI, 10. — ¹¹ Deut., XXXII, 33. — ¹² Psal. CXXIII, 6. — ¹³ Psal. LXXXIV, 8. — ¹⁴ Psal. VI,

suum est, inspirat, si sit qui recipiat ¹. »

De tertio ² : *Confirmabit nos usque in finem sine crimine in die adventus Domini.* Glossa : « Cujus adventus intelligitur, dum cuique in morte manifestatur. » Felix qui semper ad istum adventum paratus est ! ³ *Si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia, etc.* Prima vigilia est pueritia; secunda, juvenus; tertia, senectus. Multi in tertia vigilia credunt Dominum venturum, quibus in prima, vel secunda nunc venit. O quam incertissimus iste adventus ! ⁴ *Estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis venturus est.* Gregorius : « Tanto quisque ferventior fit (a) in operatione, quanto intentior est devotione. »

De quarto ⁵ : *Sicut fulgur exit ab oriente, et cætera, usque : Ita erit adventus Filii hominis.* Adventus Domini fulguri comparatur propter subitationem et celeritatem ⁶ : *Ecce festinus velociter veniet.* Propter manifestationem et claritatem ⁷ : *Ex Sion species decoris ejus : Dominus enim manifeste veniet.* Primo quidem veniet ⁸ *non habens speciem neque decorem claritatis gloriosæ.* Item propter terrorem et severitatem ⁹ : *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, etc.* O quantæ magnitudinis erit iste adventus ! ¹⁰ *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli ejus cum eo, etc.* Propter hoc bene ait Gregorius : « Terribilem judicem venientem considera : et de adventu illius tunc tua conscientia contremisecet non sine causa, cum jam coram illo posita cælum et terra trement. »

SERMO V.

Hora est jam nos de somno surgere ¹¹. Surgite ergo, peccatores, de somno peccati. Surgite, inquam, propter vigilem excitantem, propter diem appropinquantem, pro-

¹ De ver. et fals. Fœnit., c. xvi, n. 32, inter Oper. Aug., Append. tom. VI. — ² I Cor., 1, 8. — ³ Luc., xii, 38. — ⁴ Ibid., 40. — ⁵ Luc., xvii, 24. — ⁶ Isa., v, 26. — ⁷ Psal. XLIX, 2-3. — ⁸ Isa., liii, 2. — ⁹ Isa., xxx, 27. — ¹⁰ Matth., xxv, 31. — ¹¹ Rom., xiii, 11. — ¹² Act., xii, 7. — ¹³ Cant., ii, 40. — ¹⁴ Psal. LXXXIV, 9. — ¹⁵ Jerem., xxxi, c. — ¹⁶ Eccle., xii, 4. — ¹⁷ Matth.,

pter laborem instantem, propter terrorem sollicitantem.

De primo ¹² : *Ecce angelus Domini astitit, et lumen, et cætera usque : Surge velociter.* Ad surgendum autem hortamur per gratiam, per pœnam. Excitat Dominus per gratiam ¹³ : *Dilectus meus loquitur mihi : Surge, propera, amica mea.* Dilectus, scilicet Christus, loquitur nobis per inspirationem ¹⁴ : *Audiam quid loquatur, etc.* Item prælatus, vel doctor, excitat per doctrinam ¹⁵ : *Clamabunt custodes : surgite et ascendamus in Sion ad Dominum Deum nostrum.* Custodes sunt prælati et doctores, nos, tanquam galli, excitantes, ut surgamus. ¹⁶ *Consurgent ad vocem volucris, id est galli.* Gallus Petrum ad lacrymas excitavit ¹⁷. Item per pœnam excitat angelus percutiendo latus; unde ¹⁸ : *Percussoque latere Petri, excitavit eum.* Lateris percussio est temporalis correctio. Æterna enim percussio non in latere tantum, sed in omnibus membris fit ¹⁹ : *Parata sunt derisoribus judicia, et mallei percutientes stultorum corporibus, etc.* Bene dicit : *Percussoque latere.* Lateris autem percussiones libenter pro ipso sustinere debemus, qui pro nobis in latere vulneratus est ²⁰ : *Lancea latus ejus aperuit.* Bernardus : « Vult benignus dux devoti militis vultum et oculos in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animum rigat, et reddat ad tolerandum fortiorem. »

De secundo dicitur hic : *Hora est jam nos de somno surgere.* Causam autem subdens surgendi, ait : *Nox, id est tempus culpæ, præcessit ; dies, id est tempus gratiæ, appropinquavit.* Est autem triplex dies propter quem surgere debemus, scilicet gratiæ, iræ et gloriæ. De die gratiæ dicitur hic ²¹ : *Ecce nunc dies salutis.* Ille dies incipit ab ortu veri solis. Ait enim Philosophus : « Dies est elevatio (b) solis super terram. » Sol autem æternus super terram elatus (c) est, quando Christus in mundum natus est. ²² *Sol egres-*

xxvi, 75. — ¹⁸ Act., xii, 7. — ¹⁹ Prov., xix, 29. — ²⁰ Joab., xix, 34. — ²¹ I Cor., vi, 2. — ²² Gen., xix, 23. — (a) Cæc. edit. sit. — (b) Item latio. — (c) Item latius.

sus est super terram, et Loth ingressus est Segor. Segor interpretatur *parvula* seu *meridiana*; per Loth electi designantur, qui de æterna damnatione ignis et sulphuris, sicut Loth de Sodoma, liberati sunt, sole super terram egresso, id est, Christo in mundo nato. Item de die iræ sive iudicii dicitur ¹: *Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies illa dies iræ*, etc. Item de die gloriæ ²: *Melior est dies una*, etc. Ut ergo securius simus in die iræ, et perveniamus ad diem gloriæ, cito surgamus in diem gratiæ. Augustinus ³: « Surgamus, et ad illum redeamus, a quo peccando recesseramus: ibi esse nostrum non habebit mortem: ibi nosse (a) nostrum non habebit errorem: ibi amare nostrum non habebit offensionem. » Surgamus, inquam, *in die*, ne sero Dominus conqueratur illud ⁴: *Vae vobis, quia declinavit dies*, et cætera usque: *Surgite et ascendamus in nocte*, id est, pœniteamus in morte. Augustinus ⁵: « Multos solet pœnitentia serotina decipere. »

De tertio ⁶: *Surge et comede: grandis enim via tibi restat.* Hæc via est pœnitentia. Quicumque per triginta, vel quadraginta annos ad infernum ambulaverit, grandem utique viam habet ad eundum ad cælum; quæ licet grandis sit, libenter tamen ad ipsam perficiendam surgere debemus: primo, propter bonam societatem ⁷: *Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et cade in terram illam.* Puer iste est bonus socius ad eundum cum Joseph de Ægypto, id est, cum pœnitente de mundo. Item secundo, propter conductus securitatem: sic surgere debemus cum Jacob ⁸: *Surgens ergo mane*, etc.; qui securum habuit conductum, dicente sibi Domino in eodem somno a quo surrexit ⁹: *Ero custos tuus, quocumque perrexeris.* Item ter-

tio, propter victus durabilitatem; sic surrexit Elias ad viam, confortatus efficaci cibo, pane scilicet gratiæ confortantis vel justitiæ, *in cuius fortitudine* ¹⁰ *ambulavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus.* Bernardus ¹¹: « Panis animæ justitia est: et soli beati qui esuriunt illum, quoniam illi saturabuntur. » Nimirum ad imaginem Dei facta est anima rationalis, et cæteris omnibus occupari potest, repleti omnino non potest. Hæc tria petebat Jacob surgens ad viam, dicens ¹²: *Si fuerit Dominus mecum: hic petit socium; Et custodierit me in via hac: hic petit conductum; Et dederit panem: hic petit victum.* In pane autem gratiæ refectio, in veste bona conversatio significatur.

De quarto: *Quid tu sopore deprimeris? Surge et invoca Deum tuum*, etc. Quicumque enim cum timore in periculoso dormit loco, cito surgit. O quam magna in somno peccati pericula sunt, sicut significatum est in Scripturis, propter quæ surgere debemus! Invenimus enim Jonam ¹³ dormientem in mari periclitatum; Tobiam ¹⁴ excæcatum; Cisaram (b) ¹⁵ et Hisboseth (c) ¹⁶ jugulatos. In quibus significatur quod dormientes in peccatis tempestate tribulationis, periclitantur temporaliter, excæcantur spiritualiter, jugulantur æternaliter. Surge ergo, peccator, ne incidas in hæc pericula. Surge, inquam, et invoca Deum tuum. ¹⁷ *Surgite et orate, ne intretis in tentationem.* ¹⁸

SERMO VI ¹⁹.

Ecce Rex tuus venit tibi ²⁰, etc. Hodie legitur hoc verbum in Evangelio. *Ecce*, dicit propheta demonstrative. *Ecce*, dicit admirabile. *Ecce venit.* Sed ad quid venit? *Ecce venit propinquare per naturam, sanare per gratiam, reconciliare per pœnitentiam, remunerare per gloriam.*

eand. Epist. serm. III, de Dominica II. Adventus. — ¹⁹ Ideo hoc loco positus est sermo iste cum sequente, quia olim legebatur in prima Dominica Adventus Evangelium, quod modernis temporibus cantatur ad processionem Palmarum. — ²⁰ *Matth.*, XXI, 5; *Zach.*, IX, 9. — (a) *Cæt. edit.* velle. — (b) *Al. Sisaram.* — (c) *Al. Isboseth.*

¹ *Sophon.*, I, 14, 15. — ² *Psal.* LXXXIII, 11. — ³ *Aug.*, de *Civit. Dei*, lib. XI, c. XXVIII. — ⁴ *Jeiem.*, VI, 4, 5. — ⁵ *Aug.* — ⁶ *III Reg.*, XIX, 5. — ⁷ *Matth.*, II, 13. — ⁸ *Gen.*, XXVIII, 18. — ⁹ *Ibid.*, 15. — ¹⁰ *III Reg.*, XIX, 8. — ¹¹ *Bern.*, tract. de *Dilig. Deo*, c. VII, n. 21, quoad sensum. — ¹² *Gen.*, XXVIII, 20. — ¹³ *Jon.*, I, 6. — ¹⁴ *Tob.*, II, 11. — ¹⁵ *Judic.*, IV, 21. — ¹⁶ *II Reg.*, IV, 5. — ¹⁷ *Luc.*, XXII, 46. — ¹⁸ *Vid.* in

De primo ¹: *Ecce iste venit saliens in montibus*, etc. Montes sunt angelorum ordines. ² *In montibus excelsis Israel erunt pascua ejus*. Novem ordines, novem sunt montes. O quam felix erit, qui in infimo monte pascetur! Ibi enim est amœnitas inæstimabilis. Quid ergo, si ad secundum montem veneris? O quanto beatior tunc eris! Quod si tertium montem bene vivendo promerueris, adhuc beatior eris. Sic procede de singulis montibus usque ad nonum. In his montibus fundata est civitas cœlestis. ³ *Fundamenta ejus in montibus sanctis*. In his Filius Dei salit jucundando, quia transit per incarnationem, angelicam naturam postponens, et humanam assumens ⁴: *Nusquam angelos apprehendit*.

De secundo ⁵: *Ecce Deus noster ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, et salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum*. Nonne cæci sunt, qui in clara luce fidei in foveam inferni cadunt? ⁶ *Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt*. Item nonne surdi sunt, quibus toties in prædicatione clamatur, et ad ostium a Christo pulsatur, et auribus cordis non audiunt? ⁷ *Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas*, etc. Serpens, ne incantatorem audiat, unam aurem terra, aliam cauda obturat. Sic peccator venenosus terra, id est terrenorum amore, et cauda, id est spe longioris vitæ, aures cordis obturat. Item nonne muti sunt, qui a peccatorum confessione et a Dei laude per multos annos tacuerunt? ⁸ *Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis*. Item nonne claudi sunt, qui gressus operum rectos non habent? Utroque autem pede claudi sunt, qui soli diabolo serviunt. In altero autem claudi sunt, qui partim Deo, partim diabolo serviunt. Sanati autem per gratiam,

¹ Cant., II, 8. — ² Ezech., XXXIV, 14. — ³ Psal. LXXXVI, 1. — ⁴ Hebr., II, 16. — ⁵ Isa., XXXV, 4-5. — ⁶ Math., XV, 14. — ⁷ Psal. LVII, 5. — ⁸ Psal. XXXVIII, 3. — ⁹ Aug., serm. CCLXXXVIII, al. de Divers., XXXIV,

saliunt sicut cervus. Pulcher saltus est de viliis ad virtutes, de mundo ad cœlum. Ecce a talibus malis curat Deus animas, quæ volunt sustinere medicinas. Augustinus ⁹: « Quantum in medico est, sanare venit ægrotum: sed ipse se perimit, qui præcepta medici servare non vult. »

De tertio ¹⁰: *Holocaustomata (a) et pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi: Ecce venio*. Deus pater sic offensus fuit homini, ut nullum unquam quantumcumque sanctum admitteret ad regnum cœlorum. Unde patres antiqui offerebant boves et oves, et sacrificia multa, ut Deum placarent; sed parum eis profuit. Unde Filius Dei compatiens misero homini, ait Patri: Ex quo holocausta Judæorum tibi, o Pater, non placent, ecce venio. Glossa: « Ad me offerendum: » se enim obtulit agnus innocens pro peccatis nostris. ¹¹ *Ecce Agnus Dei*. Agnus detestatur lupum: sic Christus perversos. ¹² *Si (b) communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo*. Dicit ergo: *Et ecce venio*; quasi dicat: Verbo vel jussu hominem non redimo; sed in carne venio. Quare hoc? Ne violentiam facere videretur, et non justitiam. Angelum quoque redemptorem non mitto; sed ecce venio. Quare hoc? quia nullus angelus sufficeret ad pretium redemptionis. Pretium enim redemptionis debuit esse æquivalens vel pretiosius omnibus redimendis. Nulla autem creatura tam pretiosa fuit. Solus enim Deus redimere debuit, quia solus omnibus pretiosior fuit. ¹³ *Empti enim estis pretio magno*. Vere magno. Bernardus ¹⁴: « Suffecisset ad redemptionem humani generis minima gutta sanguinis Jesu Christi; sed data est copia, ut ex inundatione beneficii virtus innotesceret diligentis. »

De quarto ¹⁵: *Ecce Salvator tuus venit: ecce merces ejus cum ipso*. Merces qua remunerabuntur, divina est natura. ¹⁶ *Ego protec-*

c. II. — ¹⁰ Hebr., X, 6. — ¹¹ Joan., I, 29. — ¹² Eccli., XIII, 21. — ¹³ I Cor. VI, 20. — ¹⁴ Bern., in Cant., serm. XI, n. 7, quoad sensum. — ¹⁵ Isa., XL, 10. — ¹⁶ Gen., XV, 1.

(a) Vulg. *Holocaustomata*. — (b) Cant. edit. *Sicut*.

tor tuus sum, et merces tua magna nimis. Hæc merces cum Christo erat. Non ergo necesse erat eam a Judæis mutuare, sed sacculum tantum in quo mercedem abscondit. Humanam ergo tantum naturam, in qua divina latuit, a Judæis accepit; sed hunc sacculum ruperunt, dum corpus ejus perforaverunt. ¹ *Qui mercedes congregavit, misit eas in saccum pertusum.* Sic ergo venit Christus, ut per naturam quam assumpsit, per gratiam quam exhibuit, per pœnam quam sustinuit, per gloriam quam promisit, nos beatificaret. Hæc quatuor significata sunt: *Ecce rex tuus veniet tibi justus, et salvator, ipse pauper: pauper*, in assumpta natura; *salvator*, in gratia; *justus*, in pœna; *rex*, in gloria.

SERMO VII.

Benedictus qui venit in nomine Domini ². Hoc verbum legitur hodie in Evangelio. Si quæris qua auctoritate, quo nomine venit Jesus ad salvandum, audi quod dicitur: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Vere ³ *benedictus fructus ventris tui.* Vere benedictus, et ab omnibus nobis merito benedicendus, si attendamus quomodo et quare venit. Attendite ergo, inveniendò Patris auctoritatem, Filii humilitatem, Spiritus sancti charitatem, generis humani utilitatem.

De primo dicitur hic: *Benedictus qui venit.* Magna auctoritate venit, qui in nomine Dei Patris venit. Sed, heu! Dominus adhuc conqueri potest de avaris, de invidis, de luxuriosis, de aliis perversis Christianis, quod olim dixit Judæis ⁴: *Ego veni in nomine Patris mei; et non accepistis me.* Perversi enim Filium Dei non accipiunt, quia ipsi filii diaboli sunt. Si enim filii Dei essent, Filium Dei diligerent. ⁵ *Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex Deo processi et veni. Neque enim a memetipso veni.* Non solum autem verbis, sed et signis ostendit se Christus auctoritate Patris venisse. ⁶ *Sci-*

mus quia a Deo venisti Magister. Nemo enim potest hæc signa facere, etc. Sicut autem temporalia signa ipsum venisse in mundum, ita spiritualia signa in animas nostras venisse ostendunt Dei Filium, videlicet, quando leprosas animas mundat, mortuas suscitatur, famelicis saliat septem panibus, id est septem donis Spiritus sancti.

De secundo ⁷: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Venit ergo humiliter: non sicut dominus noster, sed sicut servus noster. ⁸ *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* ⁹ « Filius erat, et factus tanquam servus. Non solum formam servi accepit, ut subesset, sed etiam mali servi, ut vapularet; et servi peccati, ut pœnam solveret, cum culpam non haberet. » Et certe non servus servorum Dei, sicut Papa; sed servus servorum diaboli factus est serviens in fimo peccatorum expurgando. ¹⁰ *Servire me fecisti in peccatis tuis.* Servivit autem nobis non uno anno, sed usque ad mortem. Unde nefas est fraudare eum mercede sua, id est anima tua, pro qua servivit. ¹¹ *Qui effundit sanguinem, et qui facit fraudem mercenario, fratres sunt.* Ecce tu, miser avarus, quia mercenario tuo Christo propter injusta bona animam tuam auferis, frater es crucifigentis et fundentis sanguinem Christi: et tu, luxuriose: et tu, invidie: et sic de aliis.

De tertio ¹²: *Timebunt qui ab occidente, nomen Domini; et qui ab ortu solis, gloriam ejus: cum venerit quasi fluvius violentus quem Spiritus Domini cogit.* In occidente sunt, qui in timore servili sunt; in oriente, qui in timore filiali sunt. Venit Christus quasi fluvius, doctrina, et gratia, et sanguine lavans, reficiens et irrigans mundum. ¹³ *Ego quasi fluvius Dorix (a): et sicut aquæ ductus exivi de paradiso, scilicet virginali utero. Dixi: Rigabo ortum plantationum mearum, id est Ecclesiam.* O quam medicinalis est iste fluvius generationi humanæ, genera-

¹ Agg., I, 6. — ² Matth., XXI, 9. — ³ Luc., I, 42. — ⁴ Joan., V, 43. — ⁵ Joan., VIII, 42. — ⁶ Joan., III, 2. — ⁷ Matth., XX, 28. — ⁸ Philip., II, 8. — ⁹ Bern., serm. fer. IV, hebdom. sanctæ, n. 10. — ¹⁰ Isa., XLIII,

24. — ¹¹ Eccli., XXXIV, 27. — ¹² Isa., LIX, 19. — ¹³ Eccli., XXIV, 41, 42.

(a) Leg. fluvii doryx, ut in Vulg.

tioni insanæ! Unde bene vocatur Dorix, quod interpretatur medicamentum generationis ¹. ² « Fusus est sanguis medici, et factus est medicamentum phrenetici. » Quid mirum, si violentus est iste fluvius? Fluvius enim quanto magis coaretatur, tanto violentior et impetuosior efficitur: ita Dei Filius in areto corpore parvuli Jesu. ³ *Parvulus natus est nobis*. Bene autem dicit: *Quem Spiritus Domini cogit*. Interlinearis: « Amor, bonitas, charitas, Spiritus. » Sicut enim auster nubem pluviarum dulcium, ita charitas Spiritus sancti Christum cum pluvia gratiarum venire cogit. ⁴ *Deus ab austro venit*.

De quarto ⁵: *Venit Filius hominis querere*, etc. Non solum autem venit salvare hominem per sanctam passionem, sed etiam illuminare per veram cognitionem ⁶: *Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat*. Item, inflammare per puram dilectionem ⁷: *Ignem veni mittere*, etc. Item venit vivificare abundanter per beatificationem; unde de ovibus suis ait in Joanne (a) ⁸: *Ego veni ut vitam habeant per gratiam, et abundantius habeant per gloriam*. Sed ecce qui venit in mundum oves suas vivificare, ipse veniet ad iudicium porcos diaboli mactare. Mactabit autem illa securi, quæ ad radicem arboris posita est. De qua securi ait ⁹: « Væ mihi, si non peccata mea deflexero. Væ mihi, si non in media nocte surrexero ad confitendum nomini tuo. Væ mihi, si dolum proximo fecero. Væ mihi, si non locutus fuero veritatem. Securis ad radicem posita est: faciat fructum, qui non vult æterno igne perire. »

DOMINICA II ADVENTUS DOMINI ¹⁰.

SERMO PRIMUS.

Deus autem patientiæ, et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum ¹¹. In verbis

¹ Perperam. Sed vox *Dioryx*, quæ est vera lectio, græca est, significans fossam in quam fluvius derivatur. Vid. Cornel. a Lapid. in hunc loc., tom. IX, pag. 662, edit. Vivès. — ² Lib. *Cont. quinque hæres.*, c. VII, n. 9, inter Oper. S. Aug., Append. tom. VIII.

istis Apostolus incitat, excitat et informat. Incitat rationem, excitat affectum, informat actionem. Incitat implicans, excitat supplicans, et informat explicans. Incitat ergo ad intelligendum magnificentiam; excitat ad degustandum unctionem animi; informat ad perficiendum et prosequendum restitutionem zeli. Incitat incipientes ad postulandum utilia; excitat proficientes ad aggrediendum ardua; informat perfectos ad sustinendum aggressa. Primum ibi: *Deus autem patientiæ*. Secundum ibi: *et solatii*. Tertium ibi: *det idipsum sapere*, etc.

Dicit ergo: *Deus autem patientiæ*. Circa primum nota, quod dicitur Deus patientiæ, quia patientiam in se demonstrans, quia patientes probans, et quia patientes remunerans. Primum se habet in ratione initii; secundum, in ratione medii; et tertium, in ratione complementi. Per primum fortificatur anima in tentationum prælio; per secundum purgatur a vitiorum contagio; per tertium fœcundatur a meritorum operum exercitio. De primo dicitur ¹²: *Deus iudex justus, fortis et patiens, numquid irascitur per singulos dies?* Et illud ¹³: *Quoniam patiens Dominus, humiliemus et animas nostras*. De secundo dicitur ¹⁴: *Qui custodit veritatem in sæculum, facit iudicium injuriam patientibus, dat escam esurientibus*. De tertio ¹⁵: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*.

Sequitur: *et solatii*, ubi nos excitat ad degustandum unctionem animi. Est autem Deus solatii, quia consolatur affictos solatio intimo, jucundo, et perfecto: intimo, ut lux; jucundo, ut risus; perfecto, ut sal. Per primum cognoscitur creantis potentia; per secundum, gubernantis sapientia; per tertium, largientis clementia. Consolatur affictos so-

— ³ *Isa.*, IX, 6. — ⁴ *Habac.*, III, 2. — ⁵ *Luc.*, XIX, 18. — ⁶ *Joan.*, XII, 46. — ⁷ *Luc.*, XII, 49. — ⁸ *Joan.*, X, 10. — ⁹ *Ambros.*, in *Luc.*, lib. II, n. 76. — ¹⁰ Huic, et alium sequentem, non habet edit. Paris. an. 1521. — ¹¹ *Rom.*, XV, 3. — ¹² *Psal.*, VII, 12. — ¹³ *Judith.*, VIII, 14. — ¹⁴ *Psal.*, CXLV, 7. — ¹⁵ *Luc.*, XXI, 19.

(a) *Cæt. edit.* ait Joannes.

latio intimo per remissionis gratiam; jucundo, per virtutis influentiam; perfecto, per devotionis experientiam. De primo habetur¹: *Fortissimum solatium habemus, quod confugiamus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam et incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus secundum ordinem Melchisedech pontifex factus.* De secundo²: *Rogo autem vos fratres, ut sufferatis verbum solatii. Etenim perpauca scripsi vobis. Cognoscite fratrem vestrum Timotheum dimissum (a), cum quo si celerius (b) venerit, vos videbo.* De tertio³: *Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes, nihil per contentionem, nec per inanem gloriam; sed in (c) humilitate superiores sibi invicem arbitrantés, non quæ sua sunt singuli (d) considerantes, sed quæ aliorum.*

Sequitur: *Id ipsum sapere*, etc. Ubi informat ad prosequendum restitutionem zeli. *Det vobis*, sinceriter quod facit religio; medulliter, quod facit devotio; rationabiliter, quod facit humilis exhortatio. Sincera religio mundat animam a fœditate cogitationis immundæ; medullata devotio, a curiositate inquisitionis vanæ; rationabilis exhortatio, a credulitate opinionis falsæ. Per primum reducimur ad locum speciositatis et pulchritudinis; per secundum, ad locum ubertatis, sive pinguedinis; per tertium ad locum securitatis et fortitudinis. De primo dicitur⁴: *Quis sapiens et custodiet (e) hæc, et intelliget misericordias Domini.* De secundo⁵: *Beatus vir, qui in sapientia morabitur, et qui in justitia meditabitur, et in sensu suo cogitabit circumspectionem Dei.* De tertio⁶: *Dico enim per gratiam, quæ data est mihi,*

omnibus, qui sunt inter vos: Non plus sapere, quam oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem, et unicuique sicut Dominus divisit mensuram fidei. Rogemus igitur, etc.

Sermo alius de Evangelio.

*Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi*⁷, etc. Verba sunt Joannis ad discipulos suos, et pro eis prolata. Non est enim credendum Christi Præcursorem de adventu Christi in carnem dubitasse, eo quod in baptismo⁸ Spiritum sanctum sicut de cælo descendentem vidit, et sic per eum manentem didicerat, et vocem Patris audierat: *Hic est filius meus dilectus*; nec non et testimonium ei perhibuerat⁹: *Ecce agnus Dei.* Si enim ipsum venisse ignorasset, quomodo eum præsentem digito demonstrasset, et ei testimonium perhibuisset? Relinquitur ergo quod nec ipse ignorans quæsit, nec dubitans discipulos misit, maxime si verba Evangelii, quæ secum portant expositionem, diligentius intelligantur (f). Nam in verbo proposito tria notantur, per quæ veritas omnibus potest esse manifesta. Primo enim notatur multiplicis hominis status signatio per Joannis vincula, cum dicitur: *Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi.* Secundo, proposita de adventu Christi quæstio, cum subdit: *Mittens duos ex discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Tertio, aperta Christi responsio, cum subiungetur: *Respondens Jesus, ait illis: Euntes renuntiate Joanni quæ vidistis et audistis; cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.*

Dicit ergo: *Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi*: ubi notatur signatio multiplicis status hominis per vincula Joannis. Sicut enim princeps apostolorum Petrus post confirmationem positus in carcerem representat hominis peccatoris statum; sic

¹ Hebr., vi, 18-20. — ² Hebr., xiii, 22-23. — ³ Philip., ii, 1-3. — ⁴ Psal. cvii, 43. — ⁵ Eccli., xiv, 22. — ⁶ Rom., xi, 3. — ⁷ Matth., xi, 2. — ⁸ Matth., ii, 16. — ⁹ Joan., i, 29.

(a) CæL. edit. *Divisum*. — (b) *Similius*. — (c) CæL. edit. *deest in*. — (d) CæL. edit. *singulis*. — (e) *Custodit*. — (f) *Intelligent*.

Joannes Baptista in vinculis constitutus, signat animas existentes in multiplici statu miseriae et calamitatis. Nam primo signat animas circumplexas vinculis originalis culpae; secundo signat animas circumpeditas vinculis reatus poenae; tertio significat animas circumvolutas vinculis corporalis miseriae. Primo de vinculis originalis culpae dicitur ¹: *Hanc filiam Abraham, quam Satanas alligavit, nonne oportuit absolvi a vinculo in die sabbati?* quasi diceret sic: Mulier inclinata ad terram, quae non poterat sursum respicere, significat animam merito corruptionis originalis culpae allectam (a) ad terrena propter pronitatem ad malum; nec potest appetere caelestia propter difficultatem ad bonum. His ergo vinculis originalis culpae, scilicet pronitatis ad malum, et difficultatis ad bonum, alligavit eum Satanas; a quibus non potest absolvi perfecte, nisi in sabbato quiescentium: quia, licet concupiscentia transeat in baptizato, quantum ad reatum poenae; remanet tamen quantum ad exercitium, ut quemlibet nostrum experientia docet. Secundo de vinculis reatus poenae; de quo potest exponi illud ²: *Oculos Sedechiae eruit, et vinxit eum in compedibus, ut duceretur in Babylonem.* Sedechias in compedibus a rege Babylonis, qui interpretatur *justitia Domini* ³, signat animas, a rigore divinae justitiae, merito primae praevagationis positas a diabolo in compedibus reatus poenae sive carentiae visionis divinae. Unde oculos ejus eruisse dicitur, quia a visione verae lucis excluserat. Ducitur etiam in Babylonem, id est, in limbum. Babylon enim *confusio* interpretatur, et signat limbum ratione obscuritatis, quam habebant ibi sancti patres. Tertio, de vinculis corporalis miseriae; et potest dici in persona generis humani illud ⁴: *Incurvatus sum multo vinculo ferri, et non est respiratio mihi.* Vere

homo in statu praesentis miseriae incurvatus est multo vinculo ferri: nunc vinculo famis, nunc vinculo sitis, aliquando vinculo nuditatis, quandoque vero infirmitatis: nec est sibi respiratio, eo quod aetas impugnat per nimiam caliditatem; hiems, per nimiam siccitatem, vel per excedentem humiditatem; sensualitas autem repugnat rationi. Ipsa quoque voluntas in semetipsa est contraria et diversa: et sic non est in aliqua parte misero homini respiratio.

Dicto de significatione multiplicis status hominis, et Joannis in vinculis, restat videre de quaestione dubitantium de adventu Christi, quod notatur secundo, cum dicitur: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* In ista quaestione, quam ponunt, ostendunt se dubitare; sed in expectatione, quam supponunt, ostendunt se desiderare. Querimus enim quod dubitamus et desideramus; quod prope est, expectamus. Proponunt ergo quaestionem, eo quod Christum venturum desiderant. Primo quaerunt: *Tu es qui venturus es in mundum, ad solvendum vincula originalis culpae?* Secundo quaerunt: *Tu es qui venturus es in limbum, ad dissolvendum vincula reatus poenae?* Tertio quaerunt: *Tu es qui venturus es ad iudicium, ad exterminandum vincula corporalis miseriae?* Primo quaerunt: *Tu es qui venturus es in mundum, ad solvendum vincula originalis culpae?* Non enim Joannes propter se istam quaestionem fecit; sed propter discipulos suos, qui non credebant in Christum, ut patet, quando invidia moti, eo quod Christus praeferebatur eorum magistro, dicebant ⁵: *Ecce hic qui baptizabat, et omnes veniunt ad eum.* Unde ad certificandum eos dicit idem ⁶: *Nonne dixi vobis quod ego non sum Christus, sed sum missus ante illum?* quasi diceret: Sic. Similiter, quasi praeferebatur se ipsos discipulis Christi, dicebant ad Jesum ⁷: *Quare (b) nos et pharisaei jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant?* Volens ergo beatus Joannes eorum saluti

(a) Cæd. edit. Allecta. — (b) Cæd. edit. Quia.

¹ Luc., XIII, 16. — ² Jerem., LII, 11. — ³ Scilicet קדש, Tsedeq, justitia, et יהוה, Jah seu Jehovah. —

⁴ Orat. Manass. inter apocrypha Bibl. — ⁵ Joan., III, 26. — ⁶ Ibid., 28. — ⁷ Matth., IX, 14.

providere et consulere positus in carcerem, cum esset ab eis in brevi discessurus per martyrium, ne in errore eos relinquat, mittit suos discipulos ad Christum, ut auditis ejus verbis, et visis ejus operibus, credant, quia prius ejus testimonio credere volebant. Ut ergo eorum dubitationi satisfaciat responsione Christi, quæstionem secundum dubitationem eorum formavit, dicens: *Tu es qui venturus es in mundum, ad solvendum vincula originalis culpæ?* Secundo quærunt: *Tu es qui venturus es in limbum, ad dissolvendum vincula reatus pœnæ?* De isto autem adventu Joannes non erat certus: et ideo de isto pro se interrogavit, non de primo. Unde Gregorius in hoc loco¹: « Non enim Joannes, quod esset Filius Dei dubitavit; sed hic quærebat, ut qui eum jam venisse prædicando clamaverat, ipsum etiam ad inferos præcurrendo nuntiaret. » Quasi diceret: Sicut pro hominibus dignatus es nasci, an pro hominibus mori digneris, insinua: et sicut natiuitatis tuæ præcursor extiti, ita etiam præcursor mortis fiam. Tertio quærunt: *Tu es qui venturus es ad iudicium, ad exterminandum vincula corporalis miseriarum?* quasi dicat: Nos ipsi didicimus per legem et prophetas, quod resurrectio erit, in qua amovebitur a corporibus honorum omnis defectus miseriarum. Si ergo tu es qui venturus es ad iudicium, justis defectus corporales amoveas, et nos dubitantes certifica.

Viso de significatione multiplicis status hominum per Joannis vincula, etiam de quæstione dubitantium de adventu Christi; restat tertio videre de aperta responsione per mystica opera Christi, cum subinfert: *Respondens Jesus ait illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, pauperes evangelizantur, mortui resurgunt.* Non enim videtur illa responsio ad interrogationem pertinere; sed certe, si vitam repræsentativam

facti diligenter perpendimus (cum quælibet Christi actio sit nostra instructio), videbimus istam responsionem multum per omnia satisfacere quæstioni. Nam ipse Dominus, qui videbat corda, satisfecit intentioni quærentium interius, potius quam ad quæstionem exterius. Dubitantibus enim illis an ipse esset Christus, fecit quæ nullus alius nisi Christus facere potuisset. Et ideo tollit ambiguitatem, quia melius creditur factis quam verbis. Et propter hoc per mystica facta respondit Joanni figuranti animas existentes in multiplici vinculo calamitatis et miseriarum, dicens primo: *Euntes renuntiate Joanni*, id est animabus circumplexis vinculo originalis culpæ, adventum Mediatoris: quia ego sum, qui veni in mundum, ad dissolvendum vincula originalis culpæ, per humanæ carnis assumptionem. Et in signum hujus, *leprosi mundantur, surdi audiunt.* Secundo renuntiate Joanni, id est animabus circumplexis vinculis reatus pœnæ, adventum Salvatoris, quia ego sum qui venturus sum in limbum ad præcidendum vincula reatus pœnæ per voluntariæ mortis assumptionem. Et hoc erit vobis signum, quia cæci vident, claudi ambulant. Tertio euntes renuntiate Joanni, id est animabus circumvolutis vinculis corporalis miseriarum, adventum Salvatoris: quia ego sum, qui venturus sum ad iudicium, ad exterminandum vincula corporalis miseriarum per utriusque hominis glorificationem. Signum autem hujus est: *Mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Primum renuntiate Joanni, id est animabus existentibus in originali culpa, quia ego sum qui venturus sum in mundum per humanæ carnis assumptionem, ad dissolvendum vincula originalis culpæ. Signum autem hujus est, quia *leprosi mundantur, surdi audiunt.* Unde morbus lepræ signat peccatum primi hominis, eo quod sicut morbus lepræ est communis habitationis separativus, totius hominis infectivus, et generati generanti assimilativus; sic primus parens de merito primæ prævaricationis fuit

¹ Greg., in *Evang.*, hom. vi, n. 1; in *Ezech.*, lib. 1, lom. 1, n. 5.

Pecca-
tom Adm
surditati
compara-
ratur.

ejectus de paradiso, corruptus in corpore et in anima, et etiam filios infectos originali prævaricatione (a) generavit. Comparatur nihilominus ejus peccatum surditati, eo quod ad similitudinem *aspidis surda et obturantis aures suas, ne audiat vocem venefici incantantis sapienter*¹, quæ secundum Isidorum aurem in terram ponit, aliam obturat cauda; sic Adam aurem affectus clausit (b) terrena satisfactione, et amore (c) satisfaciendi uxori, ne contristaret delicias suas; et aurem intellectus clausit cauda, consequendo (d) veniam de peccato, ne audiret vocem Dei præcipientis²: *Hora quacumque*, etc. Unde Augustinus super hunc locum³: « Adam utrumque fieri posse credidit, et ut mulieri morem gereret, et quod post per pœnitentiam pœniteret. » De isto adventu dicitur⁴: *Qui sedes super Cherubin; manifestare coram Benjamin et Manasse. Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos, et salvi erimus. Qui sedes super Cherubin, manifestare coram Benjamin*; quasi dicat: Tu qui præsidet cunctis cœlestibus spiritibus per eminentiam excellentis magnificentiæ, manifestare coram cunctis gentibus per evidentiam humanitatis assumptæ. *Excita potentiam tuam*, scilicet tu qui infinita tua potentia cuncta de nihilo entia produxisti in esse naturæ, excita potentiam tandem, ut cuncta perficias in esse gratiæ. *Et veni*, jungendo primum divinitatis ultimo humanitatis in unitate personæ, ut per hoc *salvos facias nos* a vinculis originalis culpæ. *Domine, Deus virtutum, converte nos* in pristinam innocentiam, faciendo de impio pium, quod est majoris potentiæ quam creare cœlum et terram. *Et ostende faciem tuam* assumptæ humanitatis, *et salvi erimus* a contagione paternæ prævaricationis. Propter hoc dicitur⁵: *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum*. Sequitur: *Veniens evangelizavit vobis pacem,*

qui fuistis longe, et pacem his qui prope. Christus noster reconciliator ad Deum fecit, ut esset una, scilicet divinitatis et humanitatis persona. Veniens tanquam verus mediator, concordans cum utroque extremo, *evangelizavit*, videlicet *pacem* factam per suum adventum *his, qui prope*, scilicet Judæis, ratione datæ legis et sanctæ promissionis; *et vobis qui fuistis longe*, scilicet gentibus, qui legem non habebant, nec Deum cognoscebant.

Secundo, *renuntiate* animabus existentibus in pœnali angustia, quia ego sum, qui venturus sum ad limbum per acerbæ mortis assumptionem, et ad præcidendum vincula reatus pœnæ. In ejus signum *cæci vident, claudi ambulant*. Cæci dicebantur sancti patres existentes in limbo, quia visione divinæ lucis erant privati; sed claudi ex una parte, quia habebant pœnam damni, sive carentiam divinæ visionis: et hic pes affectuosus fuit eis restitutus per adventum Christi in limbum, cum lucem divinitatis aperte viderunt. De primo autem adventu dicitur in figura⁶: *Et venit mihi gaudium a sancto super misericordia, quæ veniet vobis ab æterno salutari nostro. Emisi vos cum luctu et ploratu; reducet autem vos mihi Deus cum gaudio et jucunditate*. Et licet sit verbum prophetæ loquentis super Jerusalem, et gaudentis de liberatione filiorum Jerusalem, qui erant in Babylone in captivitate sub potestate inimicorum; tamen quia⁷ *omnia contingebant illis in figura*, potest esse verbum matris Ecclesiæ gaudentis de liberatione filiorum suorum, qui erant in limbo in captivitate aliquo modo sub potestate inimicorum. Mater vero Ecclesia *emiserat* filios suos *cum ploratu et luctu* in Babylonem, id est limbum obscuritatis ab Abel usque ad mortem Christi; sed cum *reduxit eos Deus*, descendendo in limbum cum gaudio et jucunditate, conferendo eis perpetuitatem glo-

¹ *Psal.* LVII, 5. — ² *Gen.*, II, 17. — ³ *Aug.*, de *Gen.*, ad litt., lib. XI, c. XXXI, n. 41, et c. XLII, n. 59, quoad sensum. — ⁴ *Psal.* LXXIX, 2-4. — ⁵ *Ephes.*, II, 14, 17. — ⁶ *Bar.*, IV, 22, 23. — ⁷ *I Cor.*, X, 41.

(a) *Cæt. edit.* originalis prævaricationis. — (b) *Edit. Vat.* affectum claudit. — (c) *Aliam.* — (d) *Leg. spe* consequendi.

riæ, tunc *venit* recte sibi *gaudium a Sancto sanctorum super misericordia*, eo quod liberati fuerunt per effusionem proprii sanguinis Christi.

Tertio, *renuntiate* animabus existentibus in corporali miseria, quia ego sum qui venturus sum ad iudicium, ad exterminandum vincula corporalis miseriæ per utriusque hominis glorificationem. Et hoc erit vobis signum, quia *mortui resurgunt, pauperes evangelizantur*. In paupertate et morte notatur duplex miseria, qua opprimitur genus humanum usque ad diem generalis resurrectionis, ad quam omnis alia pœnalis miseria potest reduci. Nam in paupertate intelligitur indigentia activorum; sed in morte tolerantia afflictionum doloris. Et de isto adventu dicitur ¹: *Adhuc unum modicum, et ego movebo (a) cælum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes. Et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam cum gloria (b)*; quod adimplebitur quando *corpus humilitatis nostræ* ², quod est domus Dei, *reformabitur* ab omni miseria per configurationem *claritatis gloriæ corporis* Christi, etc. Quod nos, etc. ³

SERMO II ⁴.

Excita potentiam tuam, et veni ⁵. Desiderium antiquorum de adventu Christi hic exprimitur. Quasi enim obdormisset divina potentia dissimulando tamdiu diabolicam violentiam et humanam miseriam, exclamans David, ait: *Excita potentiam tuam, et veni*; quasi dicat: Diabolica potentia magna est contra hominem, et humana potentia contra diabolum minima est: *Excita ergo potentiam tuam*, etc. Non dicit: *Excita sapientiam tuam, vel misericordiam, vel iustitiam tuam*; sed tamen liberalissimus Deus, plus dare solitus quam petatur, venit cum omnibus istis. Venit enim cum potentia, et

sapientia, et misericordia, et iustitia. Venit cum potentia vincendi, cum sapientia docendi, cum misericordia ignoscendi, cum iustitia satisfaciendi.

De primo dicitur hic: *Excita potentiam tuam*: potentiam utique vincendi dæmones, quam et ipsi timebant. ⁶ *Quid nobis et tibi, Jesu fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos*. Legio enim fuit, sicut alii evangelistæ dicunt, quæ istud conquerendo dicit. Bene autem dicit: *Venisti huc*, etc. Venit enim torquere eos in mundo corporaliter, et ejiendo spiritualiter; in inferno, captivos auferendo; in iudicio, pœnius damnando. Si tot millia convenerant ad vexationem corporis, quot millia credis venire ad vexationem animæ usurarii, luxuriosi, et invidi in morte? Item si tot millia canum infernalium, id est dæmonum, Christus fugavit verbo, quid faciet baculo ac saxo? ⁷ *Numquid canis ego sum, quia tu venis ad me cum baculo?* Goliath enim, id est diabolus, baculo crucis et quinque lapidibus, id est quinque plagis stravit. Victus es ergo, o Satan, baculo crucis. Unde Cassiodorus ⁸: «Cruz humilium invicta tuitio, superbiorum abjectio (c), victoria Christi, perditio diaboli.»

De secundo ⁹: *Scio quod Messias venit, qui dicitur Christus. Cum (d) ergo venerit ille, annuntiabit nobis (e) omnia*. Quid autem annuntiavit pauperibus, quid mitibus, quid lugentibus, quid iustitiam esurientibus, quid misericordibus, quid mundis corde, quid pacificis, quid persecutionem patientibus, require ¹⁰. Quid annuntiavit divitibus? ¹¹ *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno*. Quid immitibus? ¹² *Omnis qui irascitur*, etc. Item quid ridentibus et lascivientibus? ¹³ *Væ vobis qui nunc ridetis*, et sic de aliis. Christus ergo annuntiavit omnia quæ ad divinam reconciliationem, nostri meliorationem,

Adven-
tus
Christi.

¹ *Agg.*, II, 7, 8. — ² *Philip.*, III, 21. — ³ Vid. in idem *Evang. serm.* III, de Dominica III. Adventus, itemque *serm.* III, de Domin. IV. — ⁴ Hunc et sequentes, III, IV et V, habet edit. Paris, an. 1521. — ⁵ *Psal.* LXXIX, 3. — ⁶ *Matth.*, VIII, 29. — ⁷ *1 Reg.*,

XVII, 43. — ⁸ Cassiod., *Expos. in Psal.* IV, 6. — ⁹ *Joan.*, IV, 25. — ¹⁰ *Matth.*, V, 3-11. — ¹¹ *Luc.*, XVI, 22. — ¹² *Matth.*, V, 22. — ¹³ *Luc.*, VI, 25.

(a) *Vulg. et commovebo*. — (b) *Vulg.* istam gloria. — (c) *Al.* dejectio. — (d) *Cæt.* edit. add. *que*. — (e) *Cæt.* edit. *Vobis*.

et æternam salvationem pertinent. ¹ *Quam (a) pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem! Pacem*, contra Dei offensam; *bonum*, contra animæ maculam; *salutem*, contra æternam pœnam.

De tertio ²: *Prope est ut veniat tempus ejus* « incarnationis, » ut dicit Glossa. *Miserebitur enim Dominus Jacob*, id est, cordis quod supplantat vitia per pœnitentiam. ³ *Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare*, etc. Glossa: « Misericordie exemplum dat dicens: *Non veni*, » etc. Ecce ad peccatores venit. Hieronymus ⁴: « Notandum in genealogia Salvatoris nullam sanctarum assumi mulierum; sed eas quas Scriptura reprehendit: ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens omnium peccata deleret. » Ibi enim per Raab, et Ruth, et Bersabee, generatus ostenditur Dominus. In his tribus quælibet anima, quæ per mundum, vel diabolium, vel carnem peccatis constringitur, figuratur. Prima, per Raab meretricem Hierico, quod interpretatur *luna*, significat mundum. Secunda, per Ruth Moabitidem, quæ interpretatur *de patre genita*: ⁵ *Vos ex patre diabolo estis*. Tertia, per Bersabee adulteram.

De quarto ⁶: *Juxta est salus mea ut veniat; justitia mea, ut reveletur*. Justitia Dei in Filio revelata est, quia per ipsum pro homine justissime satisfactum est, et homo justissime redemptus. Cum enim redemptio sit condigna pretio rei recuperatio, ecce nihil fuit in cœlo, vel in terra, quod ita pretiosum esset sicut totum genus humanum, quod perditum fuit, nisi solus Deus recuperasset. Oportet ergo Deum esse eum a quo (b) redimi debuimus. Item, qui peccavit, satisfacere debuit: homo autem peccavit: ergo Deus et homo debet esse Redemptor.

Bernardus ⁷: « Homo qui debuit: Deus qui solvere (c) potuit. » Pater meus amisit me: frater meus redemit me. Item homo mortis debitor fuit: mori ergo debuit qui pro homine satisfacere voluit ⁸: *Ut per mortem destrueret*, etc. Item mors per lignum venit: ergo per lignum mors destrui debuit. ⁹ *Benedictum est lignum per quod fit justitia*. ¹⁰ *Per quæ quis peccat*, etc.

SERMO III.

Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt ¹¹. Multum, charissimi, amandæ sunt Scripturæ, tanquam lucernæ in tenebris hujus vitæ. Sed attende quod quadruplex est scriptura, videlicet præscientiæ increatæ, conscientiæ innatæ, scientiæ inspiratæ, sapientiæ incarnatæ. De prima ¹²: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis*. Felices qui sic vivunt, quod nomina sua in libro vitæ scripta esse sperare possunt. Non enim ibi viles, sed reges scripti sunt. Augustinus ¹³: « Omnes regnuros cum Filio suo, sic hos scripsit Deus, hos continet liber vitæ. » Væ autem luxuriosis, invidis, usurariis, et aliis perversis, quorum nomina non sunt ibi scripta ¹⁴: *Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*. Licet autem tales non sint in scriptura prædestinationis, sunt tamen in scriptura reprobationis ¹⁵: *Ecce scriptum est coram me, non tacebo, sed reddam et retribuam in sinu eorum iniquitates vestras*.

Scriptura quadruplex.

De secunda (d) ¹⁶: *Cum gentes quæ legem non habent naturaliter quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum*. Unde conscientia significatur per tabulas lapideas:

habaturi sunt vitam æternam. » 1, q. xxiv, 1, et q. xxxix, 8. — ¹⁵ *Apoc.*, xx, 15. — ¹⁶ *Isa.*, lxxv, 6. — ¹⁶ *Rom.*, ii, 14-15.

(a) Cæt. edit. *Quare*. — (b) *Edit. Vatic.* eum quo; *edit. Ven.* eum quod. — (c) *Cæt. edit.* solvit. — (d) *Secundo*.

¹ *Isa.*, lxi, 7. — ² *Isa.*, xiv, 1. — ³ *Matth.*, ix, 43. — ⁴ Hieron., in *Matth.*, c. 1. — ⁵ *Joan.*, viii, 44. — ⁶ *Isa.*, lvi, 1. — ⁷ Bern., ex Anselm., *Cur Deus homo*, lib. II, c. vii. — ⁸ *Hebr.*, ii, 14. — ⁹ *Sap.*, xiv, 7. — ¹⁰ *Sap.*, xi, 17. — ¹¹ *Rom.*, xv, 4. — ¹² *Luc.*, x, 20. — ¹³ S. Thom.: « Liber vitæ est notitia Dei de his qui

tabulæ enim durabilem (a) in se continent scripturam. Nullus ergo excusari potest, quod Scripturas nesciat, cum scripturam in corde habeat secundum quam vivat. Sicut enim decem mandata in tabulis, tabulæ in arca, arca in tabernaculo; sic lex naturalis in conscientia, conscientia in anima, anima autem in corpore est. Sed, heu! per peccatum obscurata est scriptura conscientia. Sed illuminatur per susceptionem gratiæ¹: *Dabo leges meas in cordibus eorum, et in visceribus eorum superscribam eas.* In libro autem conscientia, non solum lex naturalis, sed etiam quidquid contra hanc legem homo fecerit, scriptum est. Unde si librum conscientia non habes inscriptum bonis meritis tanquam calamo aureo, habes tamen scriptum malis meritis tanquam stylo ferreo²: *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo*, etc., *in ungue adamantino*, id est in corde obstinato. Sed, heu! ista scriptura ab omnibus legetur in novissimo die. Unde Origenes ait³: « Nudabitur cordis conscientia, et aperto corde videbuntur litteræ peccatorum, quæ stylo ferreo, et in ungue adamantino scripta sunt, atque universa spectantium multitudo leget in pectore nostro signatas singulas imagines peccatorum.»

De tertia (b)⁴: *Omnis scriptura divinitus inspirata est.* Has scripturas serva bene vivendo in hac vita, si vis bene vivere in æterna⁵. *Quid faciendo vitam æternam possidebo? At Jesus dicit ad eum: In lege quid scriptum est?* et cætera usque *et proximum tuum sicut teipsum.* Væ autem miseris Scripturæ transgressoribus⁶: *Maledictus homo qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Nota quod ait, *divinitus inspirata.* Et hoc patet quod Scriptura sacra cœlitus nobis est emissa. Propter hæc sicut exules et peregrini de litteris charorum suorum de patria sua missis, ita consolantur amici Dei de

Scripturis divinis. Unde hic bene dicitur: *Quæcumque scripta sunt, usque spem habeamus.* Igitur de patria recitantur litteræ, dum Scripturæ nobis prædicantur. Augustinus⁷: « Peregrinamur, suspiramus, gemimus. Veniunt ad nos litteræ de patria nostra; ipsas recitamus vobis (c). » Signum ergo est quod ad cœlestem patriam non pertinent, qui has litteras servare vel audire nolunt.

De quarta (d)⁸: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis,* etc. Spiritus sanctus in linguis igneis⁹ apparuit super apostolos. Linguam ergo et calamum intellige Spiritum sanctum. Hac enim lingua Verbum Patris per incarnationem in mundum prolatum est. Hoc calamo Verbum Patris pelli humanitatis unitum est. Hæc pellis in ligno crucis est extensa¹⁰. *Extendens cælum sicut pellem.* Velociter iste calamus scripsit, quia in instanti conceptionis liber iste consummatus fuit. Gregorius¹¹: « Nuntiante Angelo, et adveniente Spiritu sancto, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro. » Hic est liber quem vidit¹² *scriptum intus et foris.* Quanta in hoc libro intus sapientia, et quanta foris exempla scripta sint, quis posset scire? Legere tamen semper debemus in hoc libro. Et quid ibi legitur? Lamenta in mundo; carmen in cœlo; væ in iudicio. Ecce qualia scripta, qualia privilegia possidendæ hæreditatis nobis danda sunt, quibus rubrica et bulla apposita est. Joannes Chrysostomus¹³: « Ne aliquid doctrinæ Christi deesset, secuta est forma; quæ ideo ad ultima dilata est, ut quasi piæ hæreditatis testamentum filii superstitibus eo devotius amplecterentur, quo Christi sanguine scripta privilegia manifestius viderunt, et imposita bulla impressam obedientia ejus imaginem. »

SERMO IV.

Tunc videbunt Filium hominis venientem

¹ Hebr., VIII, 10. — ² Jerem., XVII, 1. — ³ Orig. — ⁴ II Tim., III, 16. — ⁵ Luc., X, 25-27. — ⁶ Gal., III, 10. — ⁷ Aug., in Psal. CXLIX, ENARR., II, 3. — ⁸ Psal. XLIV, 3. — ⁹ Act., II, 3. — ¹⁰ Psal. CVI, 2. —

¹¹ Greg., Moral., lib. XVIII, c. XXVII, al. LII, n. 85. — ¹² Ezech., II, 9. — ¹³ Imo Oper. imperf. in Matth., hom. XLIX, Chrysost. inter spuria. — (a) Cæc. edit. Durabiles. — (b) tertio. — (c) Nobis. — (d) quarto.

*in nube cum potestate magna et majestate*¹. Venientis ad iudicium tempus prævenien- dum, personæ intendendum, loco occurren- dum, auctoritate tremendum est. De primo²: *Media nocte clamor factus est: Exite obviam sponso, etc., ecce sponsus venit.* Hebræi tradunt Christum nocte media venturum, sicut³: *Venit omnipotens sermo tuus, Domine*, percutiens Ægyptum. Quidam etiam sanctorum hic opinantur, quod sicut nocte Christus natus est, et nocte venit ab inferis; ita nocte veniet ad iudicium. Alii exponunt: *Media nocte*, id est nullo sciente. Illa autem hora hic per *tunc* exprimitur, cum dicitur: *Tunc videbunt.* O istud *tunc* quam timen- dum malis! quam desiderandum bonis! Tunc enim erit resurrectio mortuorum.⁴ *Tunc surrexerunt omnes virgines ille.* Tunc iudicis manifestatio erit; unde hic: *Tunc videbunt filium hominis.* Tunc sententiæ prolatio⁵: *Tunc dicet (a) rex, etc.* Prævenire ergo debemus hoc tempus cum prudentibus virginibus, accipiendo oleum in cordium nostrorum vasis.

De secundo⁶: *Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet.* Interlinearis: «In eadem forma, id est carnis substantia.» Beda⁷: «In eadem natura veniet iudicaturus, in qua venit iudicandus.» Unde bene dicitur hic: *Videbunt filium hominis.* Divinitas enim Christi a malis non videbitur (sicut dicit Augustinus⁸) sub illa forma qua Deus est, sed qua filius hominis, omnibus apparebit.⁹ *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt, et plangent se super eum omnes tribus terræ.* Videbitur enim universaliter, corporaliter, terribiliter. Videbitur universaliter; unde dicit: *Videbit eum omnis oculus.* Interlinearis: «Tam bonus quam malus.» Non enim tantum humiles,

et continentes, et misericordes, et alii mundi oculi; imo etiam superbi, avari, luxuriosi, et alii immundi oculi, et impii videbunt. Augustinus¹⁰: «Formam servi, quam hic habuisse eum viderunt, et ipsam videbunt invidi, pii, et impii.» Sed vae talibus oculis¹¹: *Oculi tabescent in foraminibus suis.* Item corporaliter; unde addit: *Et qui eum pupugerunt.* Joannes Chrysostomus¹²: «Ostendens in iudicio non solum vulnera et cicatrices, sed ipsam mortem exprobratissimam ostendens. Pungitur autem Christus non solum a crucifixoribus, sed quotidie a tortoribus fidelium¹³: *Si affliget homo Deum: quia vos crucifigitis me.* Item terribiliter; unde: *Plangent, etc.* Si non vis tunc plangere propter sententiam, nunc plange per pœnitentiam.¹⁴ *Plangam paululum dolorem meum.* Plange paululum in mundo, ne plangas plurimum in inferno.

De tertio¹⁵: *Ecce cum nubibus cæli filius hominis veniebat.* Nubes in aere est, et Christus in aere sedebit ad iudicium, ubi boni ipsi occurrent¹⁶: *Simul rapiemur, etc.* Unde bene dicitur hic: *Venientem in nubibus.* Christus ergo et boni erunt in aere super vallem Josaphat, quæ est in latere montis Oliveti; sed mali in valle et in terra manebunt, qui in imo fuerunt vitiorum, quia¹⁷ *adhæsit (b) in terra venter eorum. Congregabo omnes gentes¹⁸, et deducam eas in vallem Josaphat.* Sicut ergo mali in terra, boni in aere erunt; ita credi rationabiliter potest, quod super bonos erit Christus cum eis, qui sedebunt super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Ascendamus ergo de valle vitiorum, ne ibi remaneamus in valle cum damnandis. Nunc in terra Christum sequamur corde, ut tunc in anima Christum sequamur et corpore. Gregorius¹⁹: «Et si

¹ Luc., XXI, 27. — ² Matth., XXV, 6. — ³ Sap., XVIII, 15. — ⁴ Matth., XXV, 7. — ⁵ Ibid., 3½, vel XXII, 13. — ⁶ Act., I, 11. — ⁷ Bed., lib. IV, in Matth. cap. XXV, 31, quoad sensum. — ⁸ Aug., in Joan., tract. XIX, n. 16; cont. Faust., lib. V, IV. — ⁹ Apoc., I, 7. — ¹⁰ Aug., cont. Faust., lib. V, c. IV; de Spir. et litt., c. XXII,

n. 37. — ¹¹ Zach., XIV, 12. — ¹² Aliquid simile reperitur in Opere imperf. in Matth., hom. XLIX. — ¹³ Malac., III, 8. — ¹⁴ Job, X, 20. — ¹⁵ Dan., VII, 13. — ¹⁶ I Thess., IV, 16. — ¹⁷ Psal. XLIII, 25. — ¹⁸ Joel., III, 2. — ¹⁹ Greg., in Evang., hom. XXIX, n. 11.

(a) Fortasse leg. dixit. — (b) Vulg. conglutinatus est.

adhuc tenemur infirmitate corporis, sequamur tamen passibus amoris.»

De quarto ¹: *Cum venerit filius hominis in majestate sua, et omnes angeli ejus cum eo.* Majestas autem venientis apparebit, quia veniet cum turba copiosa ²: *Et ecce veniet Dominus cum omnibus sanctis suis faciens judicium*, etc. (a) Et hic dicitur: *omnes angeli ejus cum eo.* Item veniet in forma gloriosa ³: *Sicut fulgur coruscans*, etc. Glossa: «Subitus et coruscans sic, ut nullus in sua mente manere permittatur, quin iudicis fulgure penetretur.» Augustinus ⁴: «Licet in forma servi glorificata iudicantem videbunt boni et mali, tolletur tamen impius, ut non videat claritatem Dei, qua Deus est: quam soli mundo corde videbunt: quod erit eis vita æterna.» Item veniet potestate virtuosa; unde sequitur: *Venientem cum magna potestate.* Tunc apparebit virtus divinæ potestatis, quia mortuos suscitabit, et totum mundum pro meritis iudicabit.

SERMO V.

Scitote quia prope est regnum Dei ⁵. Quatuor sunt valde prope: Gratiae largitas in mundo; iræ severitas in iudicio; pœnæ acerbitas in inferno; et gloriæ serenitas in cœlo. De primo ⁶: *Prope feci justitiam meam, et non elongabitur, et salus mea non morabitur.* Justitiam dicit gratiam justificantem ⁷: Justitia (b) et iudicium correctio sedis ejus. Justitia gratiæ justificantis, et iudicium pœnitentiæ satisfaciens, corrigens animam quæ est sedes Dei. In hac justitia est salus animæ. Unde addit: *Salus mea non morabitur.* Ex quo ergo prope est salus gratiæ hominibus, quare, miser peccator, gratiam non sentis et non accipis? Audi quare. Unde est quod clara luce dormiens non sentit diem? quia sensus somno ligatus sit. Sic utique prope est nobis dies gratiæ; sed somnus voluptatis carnalis sensus animæ ligat,

¹ *Matth.*, xxv, 31. — ² *Jud.*, 13. — ³ *Luc.*, xvii, 24. — ⁴ *Aug.*, ubi sup. — ⁵ *Luc.*, xxi, 31. — ⁶ *Isa.*, xlvi, 13. — ⁷ *Psal.* xcvi, 2. — ⁸ *Rom.*, xiii, 11. — ⁹ *Joel.*, 1, 13. — ¹⁰ *Jerem.*, xiv, 13. — ¹¹ *Apoc.*, 1, 16. —

ut huic propinquantem lucis diem non sentiat. O summa et inaccessibilis lux, quam longe es a me, qui tibi sum prope! Adhuc lates, Domine, animam meam in luce tua: et ideo versatur in tenebris et miseria. Ideo monet Apostolus, dicens ⁸: *Hora est jam de somno surgere*, et cætera usque: *dies autem appropinquavit.*

De secundo ⁹: *Ah, ah, ah, diei, quia prope est dies Domini.* Ter gemendo *ah*, ostendit gemendum esse timore iudicii eis qui offendunt Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; vel tripliciter offendunt, corde, et ore, et opere. Hoc triplici gemitu pro peccatoribus lamentantur Hieremias, Ezechiel et Joel. Lamentatur Hieremias peccantium damnabilem securitatem ¹⁰: *Ah, ah, ah, Domine Deus, prophetæ dicunt eis: Non videbitis gladium.* Prophetæ isti mali consiliarii et animarum deceptores. Gladius est sententia iræ Dei ¹¹: *De ore ejus gladius exibat ex utraque parte acutus.* Item gemit peccatorum abominabilem voracitatem ¹²: *Numquid stercus humanum comedet quis?* Propheta dicit: *Ah, ah, ah, Domine Deus.* Ecce anima mea non est polluta, etc. Abominabile stercus est peccatum, quod comedunt, qui de usura, furto, rapina pascuntur. Idem Joel gemit iudicii terribilis propinquitatem, dicens ⁹: *Ah, ah, ah, diei, quia prope est dies Domini*, etc.: qui terribilis est peccantibus corde et ore et opere simul.

De tertio ¹³: *Prope est interitus Moab, ut veniat, et malum ejus accurret velociter nimis.* Moab peccatorem significat. Interpretare enim *Ex patre* ^{14, 15}: *Vos ex patre diabolo estis.* Interitus æternam damnationem significat ¹⁶: *Ego in interitu vestro ridebo.* Graviter enim inerit damnandis iste risus; sed tamen juste. Nam in hoc sæculo, ubi

¹² *Ezech.*, iv, 14. — ¹³ *Jerem.*, xlviii, 16. — ¹⁴ Id est, vox *Moab*, quæ hebræa est, oritur a præpositione *Min*, מִן, et a substantivo *Ab*, אב. — ¹⁵ *Joan.*, viii, 14. — ¹⁶ *Prov.*, 1, 26.

(a) *Cart. edit. hic add. Judas in can., sed non erat hic locus.* — (b) *Cart. edit. justitiam.*

Dominus flevisse legitur, peccator ridet per vana gaudia, etc.¹ *Væ vobis qui nunc ridetis, quia lugebitis et flebitis vos.* ² *Quasi per risum stultus operatur scelus.* Et ideo in futuro sæculo peccator flebit³ : *Erit fletus et stridor dentium.* Item Dominus eum irridebit; imo etiam dæmonum ridiculum erit peccator⁴ : *Tyranni ridiculi ejus erunt.* Gregorius⁵ : « Nisi contra malignos spiritus vigilemus sollicite, ipsos irrisores patiemur quos ad malum persuasores habemus. » Timendum valde est, quia interitus iste non solum dicitur esse prope, imo accurrit vel velociter nimis. Peccator enim currit in interitum : et interitus currit ad eum in morte : et multo propior est quam credant. Nam qui inter nos hic nunc sedet, forte infra mensem, forte infra octo dies, forte adhuc hodie erit in inferno. Ejus utique interitus satis est prope⁶ : *Cum enim dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus,* etc.

De quarto dicitur hic : *Prope est regnum Dei.* Notandum autem quod Dominus hic regnum Dei æstati comparat, dicens⁷ : *Videte ficulneam,* et cætera usque : *Scitis quia prope est æstas.* Sicut enim, inchoante æstate, flores et vermes egrediuntur de terra, sic in resurrectione boni egredientur sicut flores. Psalmista⁸ : *Refloruit caro mea.* Mali autem sicut vermes de sepulcris. Sed quid mirum, si tunc quasi vermes appareant abominabiles, qui nunc serpentes dicuntur ?⁹ *Genimina viperarum,* etc. Item sicut æstas delectabilis est de cantibus avium, ita regnum Dei de laudibus jubilantium angelorum et hominum¹⁰ : *Vocem quam audivi sicut citharædorum;* etc. Augustinus¹¹ : « Quanta erit illa serenitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus ! »

¹ *Luc.*, VI, 25. — ² *Prov.*, X, 23. — ³ *Matth.*, VIII, 12. — ⁴ *Habac.*, I, 10. — ⁵ *Greg.* — ⁶ *1 Thess.*, V, 3. — ⁷ *Matth.*, XIV, 32. — ⁸ *Psal.*, XXVII, 7. — ⁹ *Matth.*, XXIII, 33. — ¹⁰ *Apoc.*, XIV, 2. — ¹¹ *Aug., de Civit. Dei*, lib. XXII. — ¹² Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ¹³ *Joan.*, I, 26. — ¹⁴ *Ephes.*, II, 14. — ¹⁵ *Deut.*, V, 5.

(a) *Cæd. edit.* Etiam.

DOMINICA III ADVENTUS DOMINI.

SERMO PRIMUS¹².

*Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis*³. Licet tantæ sanctitatis esset Joannes Baptista, ut a pluribus Christus reputaretur, interrogatus a Judæis utrum esset Christus, respondit veritatem, quia non esset Christus; sed tamen, ut ad propositam questionem Judæorum de Christo responsio pateat, nuntius fidelitatis et præco veritatis adjunxit propositum verbum, dicens : *Medius autem vestrum stetit,* etc. In quo quidem verbo primo asserit reconciliativi officii congruentiam; secundo, recolat Verbi incarnati præsentiam; tertio arguit populi Judaici negligentiam. Primo asserit reconciliativi officii congruentiam, cum dicit : *Medius autem vestrum;* secundo recolat Verbi incarnati præsentiam, cum subdit : *Stetit,* id est, præsentialiter inter vos fuit; tertio arguit Judaici populi negligentiam, cum subinfertur : *Quem vos nescitis.*

Dicit ergo : *Medius autem vestrum,* ubi notatur congruentia reconciliativi officii. Etenim (a) congruum fuit, ut qui medium tenebat in throno, medium teneret in officio; et qui medium in via fuerat creationis, medium existeret in via recreationis : ut per Verbum mundus reficeretur, per quod fuerat factus. Est autem Christus congruum medium : primo, mirabilis colligantiæ, in incarnatione; secundo, regularis disciplinæ, in conversatione; tertio, vitalis influentiæ, in passione. Primo Christus est medium congruum mirabilis colligantiæ in incarnatione, quia in ipso mirabiliter duo conjunguntur extrema, videlicet primum divinitatis, et ultimum humanitatis. *Ipse enim¹⁴ est pax nostra, qui utraque fecit unum :* et propter hoc, multo melius quam Moyses, potest dicere Christus, per quem gratia reconciliationis et veritas incarnationis facta est, illud¹⁵ : *Ego medius fui et sequester inter vos et Deum.* Ipse enim est quasi stella

Christus
medium
con-
gruum.

matutina in medio nebulæ, id est assumptæ humanitatis, secundum quod dicitur ¹. Sicut enim stella matutina est media inter tempora diurna, et nocturna, et influit ad purgationem tenebrarum, sic Christus fuit medius inter diem divinitatis et noctem humanitatis, peccatorum tenebras amovendo. Secundo Christus fuit congruum medium regularis disciplinæ in conversatione, nunquam recedens a medio virtutis (*a*), in locutione; a medio honestatis, in operatione: quia semper medium tenuit in omni genere virtutum perfectionis. Ideo dicitur in Psalmo de ipso ²: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio ejus, non commovebitur*. Et ratio est, quia ita virtute humilitatis se firmavit, quod licet perflarent venti altissimæ superbiam, defossam tamen ejus humilitatem nunquam potuerunt attingere. Nam cum esset Rex altissimus, pauperibus et piscatoribus se sociavit, imo ministravit. Doctor sapientissimus, ad modum pueri simplicissimi, doctores audivit. Princeps fortissimus, ad crucis patibulum se duci permisit. Unde ipse dicit de seipso ³: *Ego autem in medio vestrum sicut qui ministrat*. In medio stat damnans angulos ambitionis, in beneficiorum exhibitione; latibula personarum acceptionis, in præbendarum dispensatione; delusoria verba privatæ consolationis, et conventicula sordidæ delectationis, sicut qui ministrat, non sicut qui dominatur. Tertio Christus fuit melium vitalis influentiæ in passione, ubi ⁴ *operatus est salutem in medio terræ*. Sicut enim cor, quod est medium vivifici caloris, mediantibus spiritibus influit vitam in cætera membra animalis; sic Christus crucifixus in medio latronum, qui est lignum vitæ plantatum in medio paradisi, id est Ecclesie, mediantibus sacramentis influit vitam in alia membra corporis mystici. Et hoc est quod dicitur ⁵: *Ostendit mihi fluvium aque vivæ, splendide tanquam crystallum, proceden-*

tem de sede Dei et Agni in medio plateæ ejus. Fluvius dicitur dispensatio sacramentorum; sed *splendidus tanquam crystallus*, propter claritatem et nitorem, quem relinquit in animabus quæ in hoc flumine baptizantur. Dicitur autem *fluvius aque vivæ*, propter efficaciam gratiæ, quæ vivificat animam. Et dicitur *procedere a sede Dei et agni*, quia sacramentalis gratia est quæ procedit a Deo tanquam ab actore (*b*) et efficiente, sed a Christo tanquam a mediatore et promerente: propter quod dicuntur omnia sacramenta habere efficaciam a passione Christi. Unde secundum Augustinum ⁶, de latere Christi dormientis fluxerunt sacramenta, dum inde fluxit sanguis et aqua in medio plateæ ejus, id est Ecclesie, quæ est corpus mysticum, ut per eum vivificatur (*c*).

Secundo notatur Verbi incarnati præsentia, cum subdit: *Stetit*, id est, præsentialiter inter vos fuit. Stetit autem Christus inter homines, primo, ut pontifex clementissimus, ad purgandum delinquentes a malo culpæ; secundo, ut doctor sapientissimus, ad illuminandum verbo doctrinæ; tertio, ut rex potentissimus, ad liberandum impotentes a malo pœnæ, et induendum ad bonum gloriæ. Sic Christus, tanquam Mediator sufficiens et verus angelus novi testamenti, habuit tres actus hierarchicos in ecclesiastica hierarchia, scilicet: purgare, per expiationem culpæ; illuminare, per eruditionem doctrinæ; et reficere per remotionem pœnæ et collationem gloriæ. Primo stetit ut pontifex clementissimus ad purgandum delinquentes a malo culpæ. Unde ⁷: *Ego sto ad ostium et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cænabo cum eo*. Ego, scilicet Christus, sto ad ostium cordis clausi per peccati delectationem, et pulso per internam vocationis inspirationem, quam (*d*) loquor ad uniuscujusque peccatoris cor. *Si quis audierit*

Sent., CCCXXIX; in *Joan.*, tract. xv, n. 8. — ⁷ *Apoc.*, v, 20. — (*a*) *Leg.* veritatis. — (*b*) *Leg.* auctore. — (*c*) vivificaretur. — (*d*) quum.

¹ *Eccli.*, I, 6. — ² *Psal.* XLV, 5. — ³ *Luc.*, XXII, 27. — ⁴ *Psal.* LXXIII, 12. — ⁵ *Apoc.*, XXII, 2. — ⁶ *Aug.*,

vocem meam, scilicet per auditus inclinationem, et operis executionem; et aperuerit mihi per peccati confessionem et desertionem, intrabo ad illum per justificantis gratiæ inhabitationem; et cœnabo secum per spiritualium ciborum suavem (a) refectionem. Unde Augustinus, super *Genesim ad litteram*¹: «Principium rationalis creaturæ ab æterno est æterna sapientia, quæ nullo modo cessat occulta inspirationis locutione loqui creaturæ, quæ ab ipsa formata est, ut ad ipsam convertatur, quia aliter perfecta esse non potest.» Secundo stetit ut doctor sapientissimus ad illuminandum ignorantes verbo doctrinæ. Unde Joannes²: *In novissimo autem die magnæ festivitatis stabat Jesus*, ut verus doctor; et clamabat, quasi tuba exaltans vocem suam, dicens: *Si quis sitiit* haustum scientiæ salutaris, *veniat ad me* humiliter petendo sine pertinacia contemptionis, et bibat dulce vitæ poculum, quod ei de pelago scientiæ propinabo. Tertio stetit ut rex potentissimus ad liberandum impotentes de malo pœnæ. Unde dicitur³: *Video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei*: dum Jesus Christus existens a dextris, id est ad æqualitatem Patris in quantum Deus, et in bonis potioribus ejus in quantum homo Deus, non solum dignatus est Protomartyri sustinere ictus lapidum pro ejus nomine facere abundantem proventum gratiæ, per quam superabat immanitatem Judæorum per benignitatem orationis; sed dignatus est aperire cœlos, et seipsum ei ostendere quasi in signum, quod eum introductorus erat in bonum similis gloriæ.

Sequitur tertium: *Quem vos nescitis*; ubi arguit Judæorum ignorantiam, quæ consurgebat triplici de causa: primo propter defectum illuminationis supernæ; secundo, propter impedimentum argumentationis sophisticæ; tertio, propter odium æ-

mulationis fraternæ. Primo nascitur Christus propter defectum illuminationis supernæ. Unde in Psalmo⁴: *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulantes*: quia non intelligunt verbum veritatis, quod erat eis præsens per essentiam. Propter cæcitate malitiæ absens fuit per notitiam, sicut sol est præsens cæco, et nequaquam apprehenditur ab ipso: ideo nescierunt fugere malum culpæ, nec facere justitiæ bonum. Nam nullus potest dirigi sine luce fidei: imo *in tenebris ambulantes* sectando falsitatem infidelitatis. Et propter hoc dicitur⁵: *Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant* (b). Secundo nescitur Christus propter impedimentum argumentationis sophisticæ; unde⁶: *Filii Agar, qui exquisierunt prudentiam*, quæ de terra est, *negotiatores terræ et Theman confabulatores, et exquisitores prudentiæ et scientiæ, viam autem sapientiæ nescierunt*. Licet omnis scientia sit bona, quia a Deo est, tamen quia scientia humana perverse utentibus occasionem cupiditatis præbet, ideo dicuntur filii Agar exquirere prudentiam, quæ de terra est. Agar enim *perversio* interpretatur, et designat perverse utentes mundana scientia, qui⁷ *statuerunt oculos declinare in terram*. Dicuntur etiam negotiatores Theman, scilicet voluptatis. Theman autem ficus interpretatur, et signat voluptatem ratione dulcedinis. Ad hoc dicuntur confabulatores scientiæ ratione vanitatis et inflationis: et sic dicitur scientia mundana, quia occasionem multiplicis erroris præbet debilibus et infirmis, id est, perverse utentibus, quæ nomine filiorum Agar designatur. Dicitur⁸ *terrena* ratione cupiditatis deprimentis; *animalis*, ratione voluptatis subvertentis. Dicitur etiam *diabolica*, ratione inflationis superbientis: et quia tales nolunt credere nec acquiescere primæ veritati tanquam matri bonæ, merito credent malæ novercæ, id est, philosophicæ rationi. Propter hoc se-

¹ Aug., de *Gen. ad litt.*, lib. I, n. 10. — ² Joan., VII, 37. — ³ Act., VII, 55. — ⁴ *Psal.* LXXXI, 5. — ⁵ *Prov.*, IV, 19. — ⁶ *Bar.*, III, 23. — ⁷ *Psal.* XVI, 11. — ⁸ *Jac.*, III, 15.

(a) *Cœl. edit.* suavium. — (b) *Edit. Vat. corrunt*; *edit. Ven. currunt.*

quitur¹: *Viam autem sapientiæ nescierunt*, non attendentes suum defectum esse, sed divinæ sapientiæ. Tertio nescitur Christus propter odium fraternæ æmulationis. *Qui autem² odit fratrem suum, in tenebris ambulat, et nescit quo vadit, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* Quia populus Judæicus, dum loqueretur ei Christus veritatem vitæ gratis, impugnabat et bonum supernæ gratiæ: ideo dicuntur odire fratrem suum Christum, et in tenebris esse; imo quod pejus est, dicebant bonum malum, et ponebant lucem tenebras, dicendo miraculosa opera Christi, facta in digito Dei, fieri in Beelzebub principe dæmoniorum. Imo in tenebris ambulant, et nesciunt quo vadunt; et hoc quia tenebræ invidiæ et falsitatis obcæcaverunt oculos eorum, ut non videant videntes, et intelligentes non intelligant.

SERMO II³.

Deus ab Austro veniet⁴. Auster est Spiritus sanctus⁵: *Veni, Auster, perfla hortum meum.* Ab Austro ergo Christus venit, quia per Spiritum sanctum conceptus fuit, qui hortum Virginis perflavit. Consideremus ergo quando, et unde, et quo, et quare venit. De primo⁶: *Cum quietum silentium* (alia littera, *Cum medium silentium*), etc. *continerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, exiliens de cælo, a regalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminii terram prosilivit.* Primum quietum silentium factum est Noe post diluvium a tumultu peccatorum, peccatoribus submersis; secundum, ab Augusto Cæsare, a tumultu bellorum, nationibus subactis; tertium erit interfecto Antichristo, a tumultu persecutionum, conversis Judæis. Quando ergo medium silentium, id est pacem tene-

rent omnia sub Augusto (siluit enim totus mundus in conspectu ejus), tunc venit Princeps pacis, et pax ab angelis nuntiatur⁷. Sequitur: *Et nox in suo cursu*, etc. Ad litteram, nocte diei dominicæ anno regni Augusti Cæsaris quadragesimo secundo, Herodis vero tertio, ab Adam autem quinque millia centum nonaginta fluxere anni, (a) ea die qua dixit Deus⁸: *Fiat lux.*⁹ *Lux orta est nobis.* Quis unquam vidit solem media nocte oriri? Et ecce medio noctis cursu, id est in profundo ignorantiae peccatorum mundo obtenebrato,¹⁰ *lux venit in mundum; et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Ideo etiam media nocte ad judicium veniet¹¹: *Media nocte clamor factus est*, etc.

De secundo¹²: *Scio unde veni, et quo vado*, etc. O Domine Deus, mirabile est cogitare unde caro Verbi venit: a regalibus sedibus venit, id est per Virginem de regali stirpe descendentem, ut patet in libro generationis¹³. Item mirabilius, unde Christi anima venerit: quia non solum de nihilo creata, sicut aliæ animæ, sed ab ipsa creatione repleta Spiritu sancto sine mensura: *Deus ab Austro veniet*, id est Spiritus (b), quo (c) conceptus replebitur. Quis vero (d) miretur de anima Christi, cum mirabilior sit quam creatio cujuslibet alterius animæ? Unde Richardus¹⁴: « Nunquam tantum in omni opere Dei quam in animæ Christi creatione apparet Dei potentia sublimior, aut sapientia mirabilior, aut misericordia jucundior. » Item mirabilissimum, unde veniat ipsum Verbum¹⁵: *Qui de cælo venit, super omnes est*, etc. De cælo Trinitatis; de cælo æternæ altitudinis, de quo¹⁶: *In cælum ascendam* (e), etc. De primo ergo cælo contra Luciferum descendit, ad quod Lucifer ascendere voluit: quia super omnes angelos, et homines et dæmones, merito ipsi omne genu curvatur¹⁷: *In nomine Jesu*, etc.

¹ Bar., III, 23. — ² I Joan., II, 11. — ³ Hunc et sequentes, III et IV, habet quoque edit. Paris, an. 1521. — ⁴ Habac., III, 3. — ⁵ Cant., IV, 16. — ⁶ Sap., XVIII, 14. — ⁷ Luc., II, 1 et seq. — ⁸ Gen., I, 3. — ⁹ Isa., IX, 2. — ¹⁰ Joan., III, 19. — ¹¹ Matth., XXV, 6. — ¹² Joan.,

VIII, 14. — ¹³ Matth., I, 1 et seq. — ¹⁴ Richard. a S. Vict. — ¹⁵ Joan., III, 31. — ¹⁶ Isa., XIV, 13. — ¹⁷ Ph lip., II, 10.

(a) Suppl. ab. — (b) Leg. Spiritu. — (c) Edit. Val. qua. — (d) Suppl. non. — (e) Vulg. conscendam.

De tertio ¹ : *Exivi a Patre, et veni in mundum.* Benignus in malignum venit ² : *In maligno positus est omnis mundus.*³ *Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et concupiscentia (a) vitæ.* Propter hæc vere abominabilis est mundus. Ambrosius ⁴ : « Mundum quasi fœtidum vitæ, et quasi iniquum (b) caveo, et noevum (c) relinquo. » Venit ergo Salvator propter nos, quasi in clibanum ignitum, scilicet in mundum; non tamen ipse igne uritur, sed per eum extinguitur. Ipse est angelus ⁵ qui venit in igne tres pueros liberare. Primus ergo ille, qui per *ventum roris flantem* ⁶, id est per Spiritum sanctum, de igne concupiscentiæ; et secundus ille, qui de igne avaritiæ; et tertius ille, qui de igne superbæ vitæ liberatur.

De quarto ⁷ : *Si autem fortior illo superveniens vicerit eum*, etc. Et bene dicit : *superveniens* : super omnes enim est, et super diabolum venit, et ipsum morte vicit; et mundi conversione *arma ejus*, id est peccata, quibus nos impugnat, *agnus, qui* ⁸ *tollit peccata mundi*, abstulit, et *spolia*, id est animas in limbo detentas, per multas in domo cœlesti mansiones distribuit. Unde et merito dæmones adventum Christi timeverunt, sicut significatum est ⁹, ubi cum arca venisset in castra Israel, dixerunt Philistiim : *Venit Deus in castra, et ingemuerunt dicentes : Væ nobis.* In castra militiæ vitæ præsentis venit Deus nascendo. Arca est corpus Christi : urna aurea in arca est anima Christi; manna, divinitas : Philistiim, dæmones : interpretantur enim *potione cadentes*. Et ipsi ceciderunt potione, quam (d) Christus bibit in cruce. Vide ergo cum quanta gratia Deus venit et subvenit. Bernardus ¹⁰ : « Quis cogitare sufficiat qualiter Dominus prævenit nos, venerit ad nos, subvenerit nobis? » De his quatuor prædictis, sci-

licet quando, unde, et quo, et quare venit Christus : *Cum quietum silentium tenerent omnia, et nox*, etc. : ecce quando venit. *Omnipotens sermo tuus de cælo a regalibus sedibus* : ecce quare (e) venit.

SERMO III.

Joannes cum audisset in vinculis opera Christi ¹¹. etc. Exponamus hoc verbum de bonis vinculis, quia de malis sæpe expositum est. Joannes interpretatur *in quo est gratia*, et significat quemlibet iustum, qui ad conservationem gratiæ quadruplici vinculo debet esse ligatus : videlicet pœnitentiæ, amicitæ, obedientiæ, sapientiæ. Primum est satisfactionis; secundum est dilectionis; tertium, subjectionis; quartum, eruditionis. De primo ¹² : *Ecce circumdedi te vinculis, et non te convertes a latere in latus aliud, antequam compleantur dies obsidionis.* Latus dextrum, in quo est quiescendum, est affectus spiritualis ¹³ : *A dextris est mihi, ne commovear.* Latus sinistrum est affectus carnalis, super quod non debemus converti, quia ibi diaboli sedes est ¹⁴ : *Sedebam in monte testamenti in lateribus aquilonis.* His vinculis ligari debemus, antequam compleantur dies obsidionis, quia quandiu exercitiis, scilicet mundi, diaboli, carnis, obsessi sumus, vinculum pœnitentiæ deserere non debemus, hoc est usque ad mortem. Augustinus ¹⁵ : « Pœnitens enim omnes (f) fructus suæ pœnitentiæ parvos (g) habeat, nunquam sufficiat, semper doleat, semper coram Domino, ante quem peccavit, erubescat, et dolorem cum vita finiat. »

De secundo vinculo, quod est amoris ¹⁶ : *Induite vos, sicut electi Dei, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.* Et sequitur : *Super omnia hæc charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis.* Nota quod Apostolus hic enu-

¹ Joan., xvi, 28. — ² I Joan., v, 19. — ³ I Joan., 11, 16. — ⁴ Ambros., in Luc., lib. VI, n. 107. — ⁵ Dan., 11, 49. — ⁶ Ibid., 50. — ⁷ Luc., xi, 22. — ⁸ Joan., i, 279. — ⁹ I Reg., iv, 7. — ¹⁰ Bern. — ¹¹ Matth., xi, 2. — ¹² Ezech., iv, 8. — ¹³ Psal. xv, 8. — ¹⁴ Isa., xiv, 13.

— ¹⁵ De ver. et fals. Pœnit., c. xiii, n. 28, inter Oper. S. Aug., Append. tom. VI. — ¹⁶ Coloss., iii, 12, 14.

(a) Vulg. superbia. — (b) Al. luem. — (c) Al. nociturum. — (d) Cat. edit. qua. — (e) Log. Unde. — (f) Cat. edit. non habent omnes. — (g) Cat. edit. paratos.

merat multas virtutes sub assimilatione vestium, cum dicit : *Induite vos armaturam Dei*¹. Postea dicit de charitate, quasi addens cingulum nobile quo vestes colliguntur (a) et continentur, cum subjungit : *Super omnia hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, etc. Sed istud cingulum nullus pauper solvere potest. Augustinus² : Fratres, *sectamini charitatem*³, dulce et salubre vinculum mentium, sine qua dives pauper est, et cum qua pauper dives est. » Hoc enim vinculo homines quoad pacem vincuntur.

De tertio⁴ : *Simeon tenetur in vinculis*. Simeon *auditio* interpretatur, sive *audiens mœrorem*. Infirmi enim præcepta obedientiæ, in adversis, perfecti autem quandoque in prosperis audiunt cum mœrore; sed attendant quod ait beatus Gregorius⁵ : « Si obedientiæ culmen (b) apprehendere (c) nitimur, prosperis hujus sæculi ex sola jussione, adversis autem ex sola (d) devotione dominemur. » Auditio quoque obedientiæ mœrorem sensui, sed gaudium spiritui adducit. Psalmus⁶ : *Auditui meo dabis gaudium et letitiam*, etc.

De quarto⁷ : *Decor vitæ est in illa, et vincula illius alligatura salutaris*. Et ibidem præmittitur : *Mitte pedem tuum in compedes illius*. Vincula hominem impediunt, et maxime pedem, ne homo eat quo vult, vel faciat quod vult. Ita vincula doctrinæ, quæ sunt vincula sapientiæ, prohibendo et comminando, et aliis modis, ligant spiritum, ne libere secundum desideria carnis vel mundi moveatur. Ne enim eat ad luxuriam vel avaritiam, constrictus erit quasi quodam vinculo ex sententia illa Apostoli⁸ : *Omnis fornicator aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus*, etc. Similiter introduce alias sententias Scripturæ, quibus constringitur homo ne invidiam, vel gulam, vel alia vitia incurrat. Ferrea et dura sunt ista vincula

potentibus et nobilebus. Psalmus⁹ : *Ad alligandos reges eorum*, et cætera, usque *ferreis*. Augustinus¹⁰ : « Ferrea sunt vincula, quamdiu timentur : amentur, et aurea erunt. » Sed, heu! perversi toties rumpunt ista vincula¹¹ : *Confregerunt jugum, ruperunt vincula : idcirco percussit eos leo de silva*, id est diabolus. Secundum hoc quadruplex vinculum, quatuor in Novo Testamento in vinculis invenimus : Joannem, Christum, Petrum et Paulum. Vincula ergo pœnitentiæ significantur per vincula Joannis, de quo legitur quod pœnitentiam et verbo prædicabat, et exemplis vitæ ostendebat¹² : *Facite*, ait, *fructus pœnitentiæ*. In vinculis decollatus fuit, per quod datur intelligi, quod usque ad mortem pœnitentiam deserere non debemus. Vincula charitatis sunt vincula Christi, de quibus¹³ : *Vincientes Jesum adduxerunt et tradiderunt Pilato*. Hoc fuit vinculum maximæ charitatis. His vinculis per amorem trahit Dominus electos suos¹⁴ : *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*. Vincula obedientiæ per vincula Simonis Petri signantur, de quibus¹⁵ : *Vinctus catenis duabus*. Simon *obediens* interpretatur. Et etiam dicitur¹⁶ : *Alius te cinget, et ducet quo tu non vis*, voluntate sensuali. Vinculum sapientiæ per vinculum Pauli significatur, de quo¹⁷ : *In quo laboro usque ad vincula, quasi male operans; sed verbum Dei non est alligatum*. Istis vinculis ruptis, diabolus agitat hominem per devia peccatorum¹⁸ : *Ruptis vinculis agebatur a dæmonibus in deserta*.

SERMO IV.

*Tu es qui venturus es*¹⁹, etc. Adventus Christi ad hominem quadruplex est : exterior, interior, inferior, superior. Primus in mundum; secundus, in animam; tertius,

Adventus
Christi
quadruplex.

¹ Ephes., VI, 11. — ² Aug., de Laude Charit., circa med., al. SEM. CCCL, n. 3. — ³ I Cor., XIV, 1. — ⁴ Gen., XLII, 36. — ⁵ Greg., Moral., lib. XXV, c. X, al. XIII, n. 31. — ⁶ Psal. I, 10. — ⁷ Eccl., VI, 31, 25. — ⁸ Ephes., V, 3. — ⁹ Psal. CXLIX, 8. — ¹⁰ Aug.,

in Psal. CXLIX, EBARF., n. 15. — ¹¹ Jerem., V, 5. — ¹² Matth., III, 8. — ¹³ Marc., XV, 1. — ¹⁴ Osc., XI, 4. — ¹⁵ Act., XII, 6. — ¹⁶ Joan., XXI, 18. — ¹⁷ II Tim., II, 9. — ¹⁸ Luc., VIII, 29. — ¹⁹ Matth., XI, 3.

(a) Forte leg. colligantur. — (b) Al. palmam. — (c) Al. add. veraciter. — (d) Al. deest sola.

ad infernum; quartus, ad iudicium. Venit in mundum, sicut minister humilis; in animam, sicut dilectus amabilis; in infernum, sicut bellator invincibilis; ad iudicium veniet sicut iudex inflexibilis. De primo ¹: *Quia Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*, etc. O quam fideliter et laboriose nobis servivit, qui etiam in ministerio nostro animam suam dedit! Tamen servitii sui immemores, parvipendimus pretium pro quo servivit triginta tribus annis; imo denarium animæ nostræ ipsi negamus. Unde conqueritur in Psalmis ²: *Pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti*. O quam juste conqueritur! O quam injuste ipsi iste denarius denegatur, quem non solum tanquam pretium servitii solvere tenemur Redemptori, sed etiam tanquam censum Domino Creatori, sicut in imaginis impressione probatur ³: *Cujus est imago hæc? et cætera usque: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris Cæsari*. Unde bene ait Augustinus ⁴: « O! vere plus tibi debeo quam meipsum totum: sed nec plus habeo, nec hoc ipsum pro me totum possum reddere: trahe, Domine, in amorem tuum vel hoc ipsum quod ipsum sum. »

De secundo ⁵: *Veniat dilectus meus in hortum suum*. Hortus dilecti, id est Jesu Christi, est cor fidele, cor devotum, in quo herbæ, flores et fructus diversarum virtutum et meritorum. Venit ergo Sponsus in hortum cordis devoti, non in sentinam cordis sordidi. ⁶ *Computruerunt jumenta in stercore suo*. De hac sentina eripi cupiebat qui dixit ⁷: *Eripe me de luto, ut non infingar*. Sed multi de hoc stercore extrahi differunt: quibus continget sicut Judæo, de quo dicitur, quod in cloacam cadens die sabbati, extrahi noluit; die autem sequenti, hoc est die dominico, rex ipsum extrahi non permisit, sic dicens: « Heri servavit suum sabbatum: hodie servet meum. » Ita faciet peccatori Rex cælestis: si in die vitæ præsentis sentinam vitiorum exire peccator

noluerit, in die futuræ vitæ de lacu miseriæ exire non poterit. Extrahatur ergo peccator in die præsentis vitæ, ut non cogatur subijci æternæ miseriæ. Unde ⁸: *Cujus vestrum bos aut asinus in puteum cadet, et non continuo extrahet illum, etiam in die sabbati?*

De tertio, sicut expouit Gregorius in homilia ⁹, dicitur hic: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus*, etc. Ad infernum ergo venit et supervenit. Venit justis liberator; supervenit dæmonibus triumphator. ¹⁰ *Si autem fortior illo superveniens vicerit illum, universa arma ejus auferet, et spolia ejus distribuet*. Arma diaboli sunt vires impugandi, quibus armatus est contra hominem. Unde de peccatore ad gehennam in morte rapiendo dicitur ¹¹: *Ipsum rapiet armatus*, id est diabolus. Gregorius ¹²: « Quos viventes blanditiis decipit, nos morientes sæviens rapit. » Spolia autem sunt animæ, non solum in mundo, sed etiam in limbo ejus captivitate detentæ, quæ distribuuntur per choros angelorum secundum differentias meritorum. Christus ergo diabolo fortior supervenit, quando potenter ad infernum descendit. Fortem vicit, quando diabolus potestati ejus tremebundus succubuit. Dominus arma abstulit, quando vires tentandi mimuit. Spolia distribuit, quando animas per angelorum ordines divisit.

De quarto ¹³: *Ecce nomen Domini venit de longinquo; ardens furor ejus, et labia ejus repleta sunt indignatione, et lingua ejus ignis devorans*: per igneam sententiam, de qua ¹⁴: *Discedite a me, maledicti*, etc. Horribile est quod dicitur: *Furor ejus ardens*. Furens enim Christus dicitur in iudicio per similitudinem: quia sicut homo furens magnos et parvos indifferenter percutit, neque personas, neque preces, neque munera accipit ad parcendum; ita Christus in iudicio, neque Papæ, neque Imperatoris, neque cujuscunque alterius personam accipiet. Item preces

¹ *Matth.*, xx, 28. — ² *Psal.* lxi, 5. — ³ *Matth.*, xxii, 20-21. — ⁴ *Aug.* — ⁵ *Cant.*, v, 1. — ⁶ *Joel.*, 1,

17. — ⁷ *Psal.* lxxviii, 15. — ⁸ *Luc.*, xiv, 5. — ⁹ *Greg.*, in *Evang.*, hom. vi, n. 1; in *Ezech.*, hom. 1, n. 5. — ¹⁰ *Luc.*, xi, 22. — ¹¹ *Job.*, v, 5. — ¹² *Greg.* — ¹³ *Isa.*, xxx, 27. — ¹⁴ *Matth.*, xxv, 41.

non admittet, quia nullis precibus poterit tunc peccator a mortis sententia liberari. Item munera non suscipiet, quia nulla tunc poterit fieri oblatio pro peccato. Unde de his tribus conditionibus furoris severi iudicis Christi dicitur ¹ : *Zelus et furor viri non parcat in die vindictæ* : ecce primum. *Nec acquiescet cujusquam precibus* : ecce secundum. *Non accipiet pro redemptione dona plurima* : ecce tertium. Propter hoc ait Bernardus ² : « Veniet dies iudicii, ubi plus valebunt pura corda, quam astuta verba; conscientia bona, quam marsupia plena : quando iudex non fallat neque fallatur verbis, neque flectetur donis. »

DOMINICA IV ADVENTUS DOMINI.

SERMO PRIMUS ³.

Parate viam Domini ⁴. Joannes Baptista, tanquam bonus discipulus et verus præmissus ad præparandam viam veri Magistri, magui Regis, æqui Iudicis, Jesu Christi, volens officium a Deo sibi injunctum obsequi diligenter, in verbo proposito tria facit : primo præmittit admonitionem excitativam, ut a somno peccati resurgamus ; secundo vero addit informationem directivam, ut regulas bene vivendi sumamus ; tertio subjungit explicationem motivam, ut Deo obsequio humili occurramus. Primo præmittit admonitionem excitativam, ut a somno peccati resurgamus, cum dicit : *Parate* ; secundo addit informationem directivam, ut regulam bene vivendi sumamus, cum subdit : *viam*. Sicut enim via materialis est quædam regula rectificans hominem, ne erret per devia, sed ducens ad habitaculum civitatis ; sic spiritualis via pœnitentiæ est quedam regula rectificans hominem a deviiis errorum, quousque perducatur eum ad habitaculum patriæ cœlestis. Tertio subjungit explicationem motivam, ut Christo obse-

quo humili occurramus, ibi : *Domino*, id est Christo.

Sed quia tertium tangit ipsum ratione finis, ideo primo videamus hic Domini proprietates ; secundo multiformem ejus proprietatum excellentiam : ut juxta modulum nostræ possibilitatis præparemus viam ei habitaculi mentalis. Habet propterea Dominus noster in se triplicem proprietatem, ratione cujus est sufficiens motor præparationis. Prima autem proprietas est profunditas sapientiæ, ratione cujus est magister sapientissimus ; secunda proprietas est sublimitas potentiæ, ratione cujus est rex potentissimus ; tertia proprietas est æquitas justitiæ, ratione cujus est iudex æquissimus et rectissimus. Et sic, ratione bonorum, habet certitudinem cognitionis ; respectu malorum, regalem gubernationem ; et respectu mortuorum et vivorum, sententialem jurisdictionem. Primo Christus est magister sapientissimus ratione profunditatis sapientiæ. Unde in Psalmo ⁵ : *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus*. Vere *magnus Dominus noster*, quia intimus cujuslibet rei scrutator in essendo : et ideo non putemus eum abesse, cum locum ejus lædamus. *Et magna virtus ejus*, quia potentissimus in agendo. Ideo cum mala committimus, non putemus pœnam evadere, cujus imperium deturpavimus. *Et sapientiæ ejus non est numerus*, quia præsentissimus in cognoscendo : et ideo cum committimus turpia, non putemus eum ignorare, quia ⁶ *oculis ejus infallibilis sapientiæ omnia nuda et aperta sunt*. Unde Gregorius ⁷ : « Oculos clausos in sole tenens, nec te ipsi, sed ipsum tibi abscondis. » Ratione hujus profunditatis sapientiæ dicitur in Psalmo (a) ⁸ : *Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes* : quasi di-

Domini
nostri
triplex
proprietates.

¹ Prov., VI, 34. — ² Bernard., ad Robert., epist. 1, n. 7. — ³ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ⁴ Luc., III, 4. — ⁵ Psal. CXLVI, 5. — ⁶ Hebr., IV, 13.

— ⁷ Greg., Moral., lib. XXV, n. 11, quoad sensum. — ⁸ I Reg., II, 3.

(a) Leg. in Cantico Annæ.

cat: Cogitationes humanæ philosophiæ subji-
ciendæ (a) sunt secundum dictamen ra-
tionis, quemadmodum veterum (b) nullius
valoris est, quia Dominus Jesus Christus est
Dominus scientiarum¹, in quo sunt omnes
thesauri scientiæ et sapientiæ Dei abscon-
diti. Tertio est rex potentissimus ratione su-
blimitatis potentiæ; unde²: *Quis similis tui
in fortitudine* (c), Domine, quis similis tui,
magnificus in sanctitate, laudabilis atque
terribilis, et faciens mirabilia? Quia omnia
contigerunt illis in figura nostræ liberatio-
nis de manu diabolicæ potestatis, ideo se-
cundum exhibitam veritatem dicamus: *Quis
similis tui in fortitudine, Domine*, potesta-
tes diabolicas in profundum abyssi demer-
gendo? *Quis similis tui, magnificus in
sanctitate*, fidelem populum a percussione
mortis æternæ per effusionem proprii san-
guinis liberando? *Laudabilis*, in passione,
propter amorem benevolentiæ et claritatis.
Atque terribilis, in resurrectione, propter
splendorem gloriæ et claritatis. *Et faciens
mirabilia*, in ascensione, propter elevatio-
nem corporis terrestri ad dexteram Patris.
Tertio est Judex rectissimus ratione æqui-
tatis et justitiæ; unde³: *Quærite Deum,
omnes mansueti terræ, qui judicium ejus
facitis: quærite justum, quærite mansue-
tum. Mansueti terræ* dicuntur humiles
corde, qui quærent Dominum cum subjec-
tione filialis reverentiæ; *qui judicium ejus
faciunt*, præterita peccata emendando et
postmodum non committendo. *Quærite jus-
tum*, in puniendo superbientes. *Quærite
mansuetum*, in recipiendo pœnitentes. Unde
Bernardus⁴: « Qualem te sibi tribuis, talem
adventum experieris, » quia⁵: *Cum sancto
sanctus eris, et cum perverso perverteris.*

Sequitur: *Parate*; ubi notatur moni-
tio excitativa. Admonemur autem juxta tri-
plicem ejus excellentiæ proprietatem nos
preparare. Nam primo, quia magister sa-

pientissimus, præparemus nos, ut discipuli
anhelantes ad credendum magistro docenti,
per captivitatem intellectus. Secundo, quia
rex potentissimus, præparemus nos, ut servi
obsequentes ad obediendum præcipienti,
per executionem effectus. Tertio, quia ju-
dex rectissimus, præparemus nos, ut veri
pœnitentes ad respondendum judici, per
emendationem defectus. Primo dico: Præ-
paremus nos, ut discipuli anhelantes ad cre-
dendum magistro docenti, per captivitatem
intellectus. Et de hoc potest exponi illud⁶:
*Esdra paravit cor suum ut investigaret
legem Domini.* Quilibet bonus Christianus,
exemplo Esdræ, deberet parare cor suum,
per soliditatem fidei, in cognitiva; per sin-
ceritatem spei, in affectiva; per sedulitatem
studii, in operativa, ad investigandam legem
evangelicam, non secundum dictamen ra-
tionis philosophicæ, sed secundum dicta-
men veritatis æternæ. Quæ quidem lex illu-
strat rationalem, ad cognoscendum verum;
inflammat concupiscibilem, ad desideran-
dum bonum; elevat irascibilem, ad speran-
dum arduum. Secundo præparemus nos, ut
servi subsequentes ad obediendum præci-
pienti, per executionem effectus. Et de hoc
dicitur in Psalmo⁷: *Paratus sum, et non
sum turbatus, ut custodiam mandata tua.*
Paratus sum, inquit; ubi notatur prompti-
tudo obediendi. *Et non sum turbatus*, quia
voluntarie et cum amore tibi sacrificabo.
Ut custodiam mandata tua, opere diligen-
ter adimplendo. Et de hoc similiter⁸: *Para-
te (d) corda vestra Domino, et servite illi
soli*, nulla admittentes communia, nulla
æquiparantes paria; sed eum extollentes su-
blimiter super omnia, eum amando, corde
obsequendo, ore prædicando, et si necesse
fuerit, corpore patiendo sive moriendo. Ter-
tio præparemus nos, ut veri pœnitentes ad
respondendum judici, per emendationem
defectus. Et de hoc dicitur⁹: *Qui timent
Dominum, præparabunt corda sua, et in*

¹ Coloss., II, 3. — ² Ecod., XV, 11. — ³ Sophon., II, 3. — ⁴ Bern. — ⁵ Psal., XVII, 27. — ⁶ I Esdr., VII, 10. — ⁷ Psal., CXVIII, 60. — ⁸ I Reg., VII, 3. — ⁹ Eccli., II, 20.

(a) Leg. rejiciendæ. — (b) Leg. vetus vestimentum. — (c) Vuig. fortibus. — (d) Vuig. Præparate.

conspectu illius sanctificabunt animas suas; quasi dicat : *Qui timent Dominum*, scilicet timore filialis reverentiæ, *præparabunt corda sua* per amotionem mortalis culpæ. Unde Gregorius¹ : « Tergat sordes pravi operis, qui Deo præparat domum mentis. » *Et in conspectu illius*, scilicet Dei, *sanctificabunt animas suas*, id est affectus amoris et benevolentia.

Tertio notatur in verbo proposito informatio directiva, ut regulam bene vivendi sumamus, cum dicit : *Viam*. Summo enim studio viam mentalis habitaculi ad exemplar viæ materialis præparemus. Nisi enim via mentalis habitaculi sibi bene præparata fuerit, nunquam Christus veniet ad nos, nec nos poterimus occurrere Christo. Sicut enim via materialis bene præparatur, primo per sordium amotionem, secundo per vestium prostrationem, tertio per florum superpositionem : sic via spiritualis bene præparatur, primo per immunditiæ et fœditatis expulsionem, in completa confessione ; secundo, per lasciviæ carnalis prostrationem, in discreta et debita castigatione ; tertio, per floridæ castitatis supererogationem, in pura mentis et corporis conservatione. Primo autem via mentalis habitaculi bene præparatur per immunditiæ et fœditatis expulsionem, in completa confessione ; unde² : *Statue tibi speculam (a), pone tibi amaritudines* compunctionis, ad commissa deplorandum ; *dirige cor tuum in viam rectam*, ad bene comparandam (b). Secundo via mentalis habitaculi bene præparatur per vestium prostrationem in lasciviæ carnalis discreta et debita castigatione. Unde dicitur³ : *Non declinabitis nec ad dexteram, nec ad sinistram, sed per viam quam præcepit Deus vester, ambulabitis, ut vivatis*. Tunc enim in via austeritatis et pœnitentiæ non declinatur nec ad dexteram, nec ad sinistram,

¹ Greg., in *Evang.*, hom. xxx, n. 2. — ² *Jerem.*, xxxi, 21. — ³ *Deut.*, v, 33. — ⁴ Greg., in *Ezech.*, hom. xii. — ⁵ *Psal.* c, 46. — ⁶ *Sap.*, i, 3. — (a) Cæt. edit. *Specula*. — (b) *Forle legendum bona comparanda*.

quando caro obedit spiritui imperanti, ne proruat ad peccandum, et spiritus condescendit (c) necessitatibus carnis, ne succumbat ad moriendum. Per talem enim viam discretæ castigationis carnis præcipit nobis Deus ambulare, ut vivamus in ea. Nam via vitæ increpatio est disciplinæ, quando per dictamen discretæ disciplinæ lasciva caro reprimitur, et spiritui servire cogitur. Qui enim concupiscentiam castigat, culpam devitat, ex qua mala omnia oriuntur. Unde Gregorius⁴ : « Mens nostra si carnalibus desideriis fuerit depressa, nequaquam sui naturam sufficit considerare, quia per tot (d) cogitationes ducitur, quot (e) obstaculis obcæcatur. » Unde quia diabolus multum præsumit de sua potestate, carnis fragilitate, et mundi vanitate ; ideo diaboli machinamenta debemus confringere, carnem propriam vincere, et mundi vanitates despiciere : et tunc in via, quam præcepit nobis Deus, ambulantes, non declinabimus ad dexteram, nec ad sinistram. Tertio via mentalis habitaculi bene præparatur per floridæ castitatis supererogationem, in pura mentis et corporis conservatione (f). Unde in *Psalmo*⁵ : *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat*. Ille ambulat in via immaculata castitatis, qui Christo flores virginitatis ministrat, qui non solum habet munditiam carnis exterius, sed etiam perfectam cordis ordinationem interius per affectiones bonas. Nam sicut in humano corpore, cum in eo abundant multi mali humores, generant quamdam scabiem et impruriginem, et frequenter lepram, et tollunt munditiam corporis ; sic malæ et immundæ cogitationes, quando abundant, generant quosdam motus corruptos et desideria in carne, quæ generant scabiem incontinentiæ, et lepram luxuriæ, et tollunt munditiam castitatis et sanctimonie. Unde⁶ : *Perversæ cogitationes separant hominem a Deo*. Rogemus ergo, etc.

— (c) Condescendat. — (d) *Leg.* quot. — (e) *Leg.* tot. — (f) *Leg.* conversatione.

SERMO II¹.

Veniens veniet et non tardabit ². Quia antiqui vehementer desiderabant Salvatoris adventum, ut per ipsum a culpa et miseria salvarentur, ideo Propheta consolatur desiderantes, dicens : *Veniens veniet*, etc. Geminat verbum veniendi; quadruplex enim adventus Christi geminatur. Primus est in mundo, et hic est geminus; unde dicitur : *Veniens veniet*. In mundo venit visibiliter per incarnationem; sacramentaliter, per transubstantiationem.

Primus, in ventre virginali; secundus, in manu sacerdotali. De primo ³ : *Exivi a Patre, et veni in mundum*. Quare et tu exees de mundo, et venias ad Patrem per Christum, credendo et bene vivendo ⁴ : *Ego sum via, veritas, et vita : nemo venit ad Patrem, nisi per me*. Exi ergo de mundo, mundi vitia, rapinas, luxurias, usuras, invidias, etc., relinquendo ⁵ : *Recedite, recedite : exite, exite inde : pollutum nolite tangere*. Item de secundo accipi potest quod de arca Dei veniente in exercitum dixerunt Philistiim ⁶ : *Venit Deus in castra, etc.* Arca Dei velo involvi jubetur ⁷. In velo ergo arca, in arca urna, in urna manna fuit. Per velum species sacramentalis, per arcam corpus Christi, per urnam anima, per manna deitas significatur. Hanc arcam timent Philistiim, id est dæmones, imo etiam guttam sanguinis Christi timent. Joannes Chrysostomus ⁸ : « Ubi- cumque viderint sanguinem, fugiunt quidem dæmones, occurrunt autem angeli. »

Secundus est in cor humanum, et hic est geminus; unde dicitur : *Veniens veniet*. Dupliciter venit Christus ad cor, scilicet per regenerationem baptismalem, et per conversionem pœnitentialem. De primo ⁹ : *Hic est qui venit per aquam et sanguinem Jesus*

Christus. Unde bene dicit ¹⁰ : *In mari vice tue (a)*. De secundo ¹¹ : *Ego veniam, et curabo eum*. Sed quia ad cor pœnitentis non venit nisi per ardorem amoris, ideo dicit ¹² : *Si quis diligit me*, et cætera usque : *Ad eum veniemus*, etc. Unde bene Elias per duas mirabiles vias venit in paradysum, per aquam et ignem : per Jordanem scilicet, et currum igneum. Paradysus est cor bonum, conscientia bona alienjus : etiam in ipso homine lætitia quidem bonæ conscientiæ paradysus est. Elias autem Christus. Jordanis baptismum, currus igneus pœnitentiam significat, quæ debet esse ignea per amorem : ejus sunt quatuor rotæ : contritio, confessio, satisfactio, restitutio. Augustinus ¹³ : « Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, scilicet cum restitui potest. »

Tertius est ad judicium; unde hic : *Veniens veniet*. Et hic geminus est : venit enim ad judicium [articulare, in morte; et universale, in fine. De primo ¹⁴ : *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit*. Vere vigilandum, et vigilanter agendum, usquequo veniet Dominus, scilicet in morte, repetens animas nostras. Vigilandum utique propter incertitudinem horæ et formidinem. De utraque dicitur ¹⁵ : *Veniet Dominus servi illius in die qua non sperat, et hora, qua ignorat*. Ecce horæ incertitudo. Augustinus ¹⁶ : « Nihil enim morte certius, nihil hora mortis incertius. » Et sequitur ¹⁵ : *Dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis*. Ecce pœnæ magnitudo. Dividitur enim in morte anima a corpore ¹⁷ : *Ipse inter fratres dividet*. Unde gemelli sunt corpus et spiritus : simul enim in utero matris fuerunt. Istorum ergo fratrum divisio amarissima est. Hypocritæ autem sunt dæmones, se in angelos lucis transfigurantes ¹⁸.

¹ Hunc et sequentes usque ad serm. 1, post Nativitatem Domini, exclusive, habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ² *Habac.*, II, 3. — ³ *Joan.*, XVI, 28. — ⁴ *Joan.*, XIV, 6. — ⁵ *Isa.*, LII, 11. — ⁶ *I Reg.*, IV, 7. — ⁷ *Num.*, IV, 5. — ⁸ Chrysost., in *Joan.*, hom. XLVI, al. XLV, n. 3. — ⁹ *I Joan.*, V, 6. — ¹⁰ *Psal.* LXXVI, 20.

— ¹¹ *Matth.*, VIII, 7. — ¹² *Joan.*, XIV, 23. — ¹³ Aug., ad *Maced.*, epist. LIV, al. CLII, n. 20. — ¹⁴ *Matth.*, XXIV, 42. — ¹⁵ *Ibid.*, 50. — ¹⁶ Aug., de *Verb. Dom.*, serm. XXI, al. XCVII, n. 2, quoad sensum. — ¹⁷ *Ose.*, XIII, 13. — ¹⁸ *I Cor.*, XI, 14.

(a) Vulg. *via tua*.

Vel hypocritæ sunt falsi, vel deceptores hominum. Divisione ergo facta inter animam et corpus, pars una, scilicet anima, cum perversis et damnatis ponetur in inferno; pars altera, cum vermibus in sepulcro. De secundo, in Psalmo ¹: *Deus noster manifeste veniet*. Vere manifeste, quia ab omnibus audietur ²: *Omnes qui in monumentis sunt*, etc. Item ab omnibus videbitur ³: *Videbit eum omnis oculus*, etc. Certe oculus luxuriosus, invidus, superbus, et omnis alius. Augustinus ⁴: « Forma sententiæ in iudicio conspicua erit et justis et injustis, et piis, et impiis, et fidelibus et infidelibus. » Tunc omnibus manifestabit se. Tunc omnibus manifestabit te ⁵: *Manifestabit consilia cordium*.

Quartus adventus est in regnum; et de hoc dicitur: *Veniens veniet*. In duobus enim est regnum Christi, scilicet in animabus et in angelis. Venit autem regnare in animabus, quando eas in inferno liberavit. Venit ergo ad infernum; et de hoc interrogavit eum Joannes, sicut exponit Gregorius ⁶ illud: *Tu es qui venturus es*, etc. Item venit in cælum in ascensione, tanquam regnaturus super angelos ⁷: *Quis est iste qui venit de Edom*, etc. Sic ergo octo modis venit Dominus.

SERMO III.

Ipsa est, qui post me venturus est, qui ante me factus est ⁸, etc. Ostenditur Christi venientis humilitas, cum dicitur: *Qui post me venturus est*, intellige, nascendo, prædicando. Ostenditur dignitas, cum additur: *Qui ante me factus est*, intellige, id est mihi præpositus dignitate. Magna humilitas, quia veniendo per carnem prior posterior, dives egenus, dominus servus, hæres alienus factus est.

De primo dicitur hic: *Ipsa est qui post me venturus est*. Vere etenim Christus non solum ante Joannem, imo ante Abraham fuit ⁹: *Antequam Abraham fieret, ego sum*, etc. Imo ante Luciferum genitus est ¹⁰; et tamen Joannem, imo omnes ab initio mundi ante natos, se præcedere voluit in mundum, et multos in processione Palmarum ¹¹: *Turbæ autem quæ præcedebant*, etc. Hoc est contra superbiam multorum, qui alios se prævenire nolunt, nec in eundo, nec in sedendo; contra quos dicitur ¹²: *Recumbe in novissimo loco*. Item, neque in dignitatibus vel beneficiis; contra quos ¹³: *Hæreditas ad quam festinatur in principio*, id est ante annos, *in novissimo*, id est in die iudicii, *benedictione carebit*, de qua ¹⁴: *Venite, benedictione patris mei*, etc. Item, neque in meritis, neque in virtutibus sibi aliquem præferri volunt; contra quos dicitur ¹⁵: *Publicani et meretrices præcedent vos*, etc. ¹⁶ *Erunt primi novissimi*. Et quia ante alios venire contendunt ambitione, ideo ante alios venient in perditione, sicut Lucifer ante alios cadentes.

De secundo ¹⁷: *Ecce rex tuus venit tibi justus et salvator, ipse pauper*. De cujus paupertate dicitur ¹⁸: *Vulpes foveas habent*, etc. Vulpes autem divites sunt, qui foveas, id est repositoria sua habent; volucres sunt elati, qui nidos dignitatis et honorum habent. Christus autem non habuit ubi caput suum reclinaret in mundi ingressu, nisi in præsepio ¹⁹: *Reclinavit eum in præsepio*. Item in progressu, sicut hic ²⁰: *Filius autem hominis*, etc. Item in egressu ²¹: *Inclinato capite, tradidit spiritum*. Attendant mali divites Christi paupertatem. Quare, Domine, ita pauper esse voluisti? Respondetur ²²: *Propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia divites essemus* (a), divites in gratia et in gloria. Nam

Vulpes et volucres cœli, qui.

¹ Psal. XLIX, 3. — ² Joan., v, 28. — ³ Apoc., 1, 7. — ⁴ Aug., in Epist. Joan., tract. IV, n. 5, quoad sensum. — ⁵ 1 Cor., IV, 5. — ⁶ Gregor., in Evang., hom. VI, n. 1; in Ezech., hom. 1, n. 5. Vid. sup., in Dom. III, serm. IV, pag. 31, col. 2. — ⁷ Isa., LXIII, 1. — ⁸ Joan., 1, 27. — ⁹ Joan., VIII, 58. — ¹⁰ Psal. CIX, 3.

— ¹¹ Matth., XXI, 9. — ¹² Luc., XIV, 10. — ¹³ Prov., XX, 21. — ¹⁴ Matth., XXV, 34. — ¹⁵ Matth., XXI, 31. — ¹⁶ Matth., XX, 16. — ¹⁷ Zach., IX, 9. — ¹⁸ Matth., VIII, 20. — ¹⁹ Luc., II, 7. — ²⁰ Matth., VIII, 20. — ²¹ Joan., XIX, 30. — ²² II Cor., VIII, 9.

(a) Vulg. vos... essetis.

antequam Christus per carnem veniret, nimia fuit generis humani paupertas. Unde bene per Labam significatur, cui Jacob, qui Christum significat, dixit ¹: *Modicum habuisti, antequam venirem ad te: et nunc dives effectus es. Benedixit tibi Deus ad introitum meum.* Bene ergo potes dicere ²: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illo (a).* Propter ista bona ait Bernardus ³: « Quam dulciter, bone Jesu, cum hominibus conversatus es! quam abundanter multa et magna largiri bona dignatus es! quam fortiter, tam indigna (b), quam aspera pro hominibus passus es!»

De tertio ⁴: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Ergo servus noster factus est Dei Filius. Quot ergo dominos habuit, si dici liceat, est stupor: certe, ut dicitur ⁵: *Nemo potest duobus dominis servire*, et cætera usque: *alterum contemnet*; et ecce Christus innumerabilibus servivit, et nullum contempsit. Sed, heu! nunc ipse contemptus est, contemptibilia servitia faciens nobis. ⁶ *Dicit Dominus ad contemptibilem animam, ad servum dominorum*, id est ad Christum servum hominum. Contemptibilia sunt ministeria pastorum, portitorum, cloaciariorum. Christus autem fuit pastor noster ⁷. Item Christus fuit portitor noster ⁸: *Dolores nostros ipse portavit.* Item Christus fuit purgator stabulorum et cloacarum diaboli, id est cordium iniquorum ⁹: *Purgationem iniquorum faciens*, etc. Glossa: « Crucem sustinuit, ut nos a peccatis purgaret. » Propter servitia Christi bene ait Bernardus ¹⁰: « Singularis illa majestas voluit mori, ut viveremus; servire, ut regnarem; exulare, ut repatriarem (c), et usque ad servilissima opera inclinata est, ut nos constitueret super omnia opera sua. »

De quarto ¹¹: *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Sicut autem mundus eum

non recepit, ita tu avare, tu luxuriose, tu invidie, eum non recepisti in propriam domum suam, id est cor tuum, ad quod jam pulsas ¹²: *Ego sto ad ostium, et pulso*, etc. Sed ecce qui non recipiunt credendo, vel pœnitendo, Christum, recipient peccando diabolum, et in fine Antichristum ¹³: *Ego veni in nomine Patris mei; alius veniet in nomine suo, et illum recipietis (d).*

SERMO IV.

Dirigite viam Domini ¹⁴, etc. Via Domini quadruplex est, videlicet veræ conversationis, bonæ actionis, meritoriae passionis, devotæ contemplationis. Prima est via Domini illuminantis in justificatione; secunda, Domini confortantis in opere; tertia, Domini consolantis in tribulatione; quarta, Domini inflammantis in dilectione.

De prima ¹⁵: *Ibimus viam trium dierum in solitudine.* Via enim pœnitentiæ habet tres dietas. Ecce enim tres sunt dietæ ad regnum: prima, amaræ contritionis; secunda, integræ ostensionis; tertia, dignæ satisfactionis. Per hanc viam venit Dominus ad illuminandos cæcos, qui neque supplicia, quæ meruerunt, neque gaudia, quæ perdidderunt, neque Deum cognoverunt. ¹⁶ *Et ecce duo cæci sedentes secus viam.* Et ¹⁷: *Cæcus sedebat secus viam*, etc. Cæcus sedens, sed extra viam, in viam ad Jesum veniens, illuminatur. Sicut autem iste a turbis increpatus, ut taceret, magis clamabat; sic nos in oratione, turbis phantasmatum et cogitationum nos impredientibus, magis clamare debemus. Quanto enim ignis magis suffocatur, tanto magis sufflandus est. Gregorius ¹⁸: « Quod flatus carboni, hoc facit oratio devotioni. »

De secundo (e), Psalmista ¹⁹: *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Enumera hic decem mandata. In hac via observatione mandato-

¹ Gen., xxx, 30. — ² Sap., vii, 11. — ³ Bern., in die Pent., serm. II, n. 7. — ⁴ Matth., xx, 28. — ⁵ Matth., vi, 24. — ⁶ Isa., xlix, 7. — ⁷ Joan., x, 1 et seq. — ⁸ Isa., liii, 4. — ⁹ Hebr., i, 3. — ¹⁰ Bern., in Ascens. Dom., serm. III, n. 2. — ¹¹ Joan., i, 11. —

¹² Apoc., iii, 20. — ¹³ Joan., v, 43. — ¹⁴ Joan., i, 23. — ¹⁵ Exod., iii, 18. — ¹⁶ Matth., xx, 30. — ¹⁷ Luc., xviii, 35. — ¹⁸ Greg. — ¹⁹ Psal. cxviii, 32. — (a) Vulg. illa. — (b) Cæt. edit. fortiter enim. — (c) Cæt. edit. repatriarem. — (d) Vulg. accipietis. — (e) Leg. secunda.

Via Domini quadruplex.

Via pœnitentiæ.

rum curritur, implendo et operando. Quot enim bona opera feceris, tot passibus (a) ad regna cœlestia curris. ¹ *Sic currite, ut comprehendatis*. Per hanc viam venit Dominus te confirmare (b) per gratiam Spiritus sancti, ne deficias: *Si dimisero eos jejunos, deficient in via* ²: ubi septem panibus, scilicet septem donorum Spiritus sancti, reficit animam. Quis vidit unquam comedere dormientem? Pane igitur gratiæ non reficieris, nisi prius de somno torporis et negligentiae surrexeris ³: *Surge, comede, grandis enim restat tibi via*. Vere *grandis*: quis enim omnes passus, quibus venit ad vitam æternam, enumerare potest?

De tertio (c) ⁴: *Delicati mei ambulaverunt vias asperas*, etc. Etiam asperæ sunt viæ persecutionum et tribulationum, quas homines sancti in corpore et in anima, et in rebus patiuntur: in quibus per patientiam ambulandum est. Sed dicis: quomodo possum patienter ambulare, cum ita aspera verba mihi dederit sine causa? Certe illa verba ponit diabolus pro laqueis. Sustineas verbum asperum proximi tui, ut evadas verbum asperum Christi, de quo in Psalmo ⁵: *Ipse liberabit me de laqueo venantium, et a verbo aspero*, quod est ⁶: *Ite, maledicti, in ignem æternum*. Psalmista ⁷: *Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras*. Quare, miser homo, impatiens es contra eos, qui tibi serviunt? Bernardus ⁸: Quid nisi servire dicam, qui mihi radit caput, vel calcementum tergit, vel terram rorat? Caput radit, qui temporalia tollit: calcementa tergit, qui corpus verberat: terram rorat, qui usque ad lacrymas tribulat. » Per hanc viam venit Dominus de fonte misericordiæ suæ hominem consolando refrigerare contra æstum tribulationis exemplo suo ⁹: *Jesus fatigatus ex itinere sedebat super fontem*.

De quarto (d) ¹⁰: *Ambula per viam ad splen-*

dorem ejus contra lumen ejus, scilicet legis. In hac via, quanto plus est homo in lumine cognitionis, tanto plus accenditur igne dilectionis ¹¹: *Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram*. Per hanc igitur viam venit Dominus ad amorem cor inflammare ¹²: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis*, etc.

Hæc potest esse illa quadruplex via, de qua ¹³: *Tria sunt mihi difficilia*, etc. *Via viri in adolescentia* est via conversionis ¹⁴: *Adolescens, tibi dico, surge*. ¹⁵ *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua*, etc. *Via navis in mari* est via actionis: activi enim cum virtutibus honorum operum navigant per mare mundi periculis multis. Unde ardentem invocare debent Deum ¹⁶: *Domine, salva nos, perimus*. *Via colubri super petram* est via passionis, propter duritiam petræ, et propter prudentiam colubri. Coluber enim corpus pro capite exponit: sic nos, ut caput nostrum Christum teneamus, corporis passiones sustinere debemus ¹⁷: *Estote prudentes sicut serpentes*, etc. *Via aquilæ in cælo* est (e) propter acutum visum a pulæ, et altum volatum ¹⁸: *Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum?* etc.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

SERMO PRIMUS.

Vade ad populum, et sanctifica illos. Hodie et cras lavent vestimenta sua: et sint parati in diem tertium. In die enim tertio descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai ¹⁹. Circa descensum Domini ad nos per ejus nativitatem, quam in tertio die, Deo dante, celebrabimus, dicentur hæc tria: temporis assignatio, ibi: *In die tertio*; suscipientium præparatio, ibi: *Sanctifica illos*, etc.; veniendi certificatio, ibi: *Descendet Dominus*, etc.

¹ I Cor., IX, 24. — ² Marc., VIII, 3. — ³ III Reg., XIX, 5. — ⁴ Bar., IV, 26. — ⁵ Psal., XC, 3. — ⁶ Matth., XXV, 41. — ⁷ Psal., XVI, 4. — ⁸ Bern. — ⁹ Joan., IV, 6. — ¹⁰ Bar., IV, 2. — ¹¹ Job., XXXVIII, 24. — ¹² Luc., XXIV, 32. — ¹³ Prov., XXX, 18. — ¹⁴ Luc., VII, 11. —

¹⁵ Thron., III, 27. — ¹⁶ Matth., VIII, 23. — ¹⁷ Matth., X, 16. — ¹⁸ Job., XXXIX, 27. — ¹⁹ Exod., XIX, 10-11.

(a) Cat. edit. passionibus. — (b) Item conformare. — (c) Leg. tertia. — (d) Leg. quarta. — (e) Suppl. via contemplationis.

Circa primum, nota quod per tres dies triplex honorum status intelligitur: incipientium, proficientium, et perfectorum. De primo die ¹: *Dies etiam primitivorum, quando offeretis novas fruges Domino, expletis hebdomadibus, venerabilis et sancta erit.* Dies primitivorum status pœnitentium est, qui primitias bonæ vitæ offerunt. Novæ enim fruges novæ virtutes sunt ²: *Augēbit incrementa frugum justitiæ vestræ.* Bonum est congregare has fruges, exemplo Joseph ³, ut habeantur in posterum tempore caritatis seu caritativæ. De die proficientium ⁴: *Portavimus pondus diei et æstus.* Proficientes enim portant pondus laboris operationum, juxta illud Apostoli ⁵: *Alter alterius onera portate.* Item æstus reparationum (a): Diabolus enim proficientes multum impugnat, quia profectui nostro invidet. Unde de hoc æstu semina virtutum arescunt ⁶: *Sole autem orto, cœstuaverunt; et quia non habebant radices, aruerunt.* De die perfectorum ⁷: *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem.* Hæc est dies, qua ingreditur anima ad Assuerum, scilicet Christum ⁸: *Die autem tertio induta est Esther regalibus indumentis (b),* etc., id est virtutibus. Psalmista ⁹: *Astitit regina a dextris tuis.* Ambrosius ¹⁰: « Multo melius est animam ornare virtutibus, quam corpus pretiosis induere vestibus. »

Circa præparationem suscipientium, nota quod incipientes debent præparari per puram contritionem; proficientes, per bonam conversationem; perfecti, per puram satisfactionem. Et hoc significari potest triplici præparatione, quæ hic tangitur: videlicet in ablutione corporum, de qua dicitur hic: *Sanctifica illos.* Hæc ad incipientium contritionem pertinet, qua abluuntur. Psalmista ¹¹: *Lavabis me a peccatis, et super nivem*

dealbabor. Et ¹²: *Descendebat filia Pharaonis in flumine,* etc., ubi invenit in fiscella parvulum vagientem. Filia Pharaonis anima peccatrix, quæ est filia diaboli: descendit per humilitatem de domo patris sui diaboli. Psalmus ¹³: *Obliviscere populum tuum,* etc. Lavantur (c) autem flumine lacrymarum per contritionem. Ambrosius ¹⁴: « Ablue te lacrymis: lava fletibus. Si tu te ipse fleveris, non flebit te alius. » Si se Saul flevisset, Samuel eum non flevisset. Et tunc invenit parvulum, de quo ¹⁵: *Parvulus natus est nobis.* Invenitur autem in fiscella, videlicet vase junceo, id est, in corde virtutibus contexto. Item in lucida conversione proximorum ¹⁶: *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* O quam pauci sunt, qui hæc vestimenta sine macula observant! ¹⁷ *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua: ambulabunt (d) tecum in albis.* Contra quod dicitur de Miphiboseth ¹⁸, quod non laverat vestes suas, quando occurrit regi David. Item amotione uxorum, sicut ibidem dicitur ¹⁹: *Estote parati in diem tertium; ne appropinquetis uxoribus vestris.* Hæc præparatio ad puram perfectorum affectionem pertinet, qua a carnalitate vel sensualitate, tanquam ab uxore separantur. De qua uxore dicitur ²⁰: *Quia audisti vocem uxoris tuæ,* etc. Nota ordinem deceptionis. Serpens est diabolus suggerens; Eva sensualitas delectans; Adam vero consentiens. Huic uxori non appropinquare debet spiritus, ne seducatur: ne affectum purum in non purum, spirituale in carnalem convertat.

Circa tertium, scilicet veniendi promissionem, nota qualiter Dominus hic descendit; descendit enim in fumo, in igne, in nube. Sic spiritualiter ad incipientes descendit in fumo contritionis; ad proficientes, in nube devotionis; ad perfectos, in igne dilectionis.

¹ Num., xxviii, 26. — ² II Cor., ix, 10. — ³ Gen., xli, 35. — ⁴ Matth., xx, 12. — ⁵ Gal., vi, 2. — ⁶ Matth., xiii, 6. — ⁷ Prov., iv, 18. — ⁸ Esth., v, 1. — ⁹ Psal., xlii, 10. — ¹⁰ Imo Ambrosiaster, in Dom. I Adv., serm. II. — ¹¹ Psal., l, 9. — ¹² Exod., ii, 5. —

¹³ Psal., xlii, 11. — ¹⁴ Ambros., in Luc., lib. V, n. 55. — ¹⁵ Isa., ix, 6. — ¹⁶ Eccl., ix, 8. — ¹⁷ Apoc., iii, 4. — ¹⁸ II Reg., xix, 24. — ¹⁹ Exod., xix, 15. — ²⁰ Gen., iii, 17. — (a) Forte legendum impugnationum. — (b) Vulg. vestimentis. — (c) Leg. lavatur. — (d) Cæst. edit. ambulaverunt.

De primo dicitur¹: *Totus mons Sinai fumigabat* (a). Fumus iste contritionem significat²: *Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum*. De secundo dicitur³, quod *nubes densissima cæpit operire montem*. Nubes devotionem significat, quæ hominem dulci lacrymarum nube perfundit⁴: *Cribrans aquas de nubibus cælorum*. De tertio dicitur ibidem⁵: *Eo quod descendisset Dominus super eum in igne*, scilicet in igne amoris ad perfectos descendit⁶: *Ignis in altari meo semper ardebit*. Augustinus⁷: « O amor, qui semper ardes, et nunquam extingueris, charitas Deus meus, accende me. »

SERMO II.

*Cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum*⁸. Verbum istud hodie cantat Ecclesia: et congruit instanti solemnitati nativitatis Christi, in qua Dominus cum hominibus fuit corporaliter, et erit nobiscum spiritualiter, si digne parati fuerimus. Innuuntur ergo in his verbis duo, scilicet humana præparatio, et divina associatio: primum ibi: *Cras egrediemini*; secundum ibi: *Et Dominus erit vobiscum*. Circa primum considerandum est, quod electi egrediuntur ad miseriam, in procreatione; ad justitiam, in conversatione; ad pugnam, in tentatione; ad gloriam, in evolatione.

De primo⁹: *Quasi flos, egreditur et conteritur*, etc. Flos est homo in mundo, stercus in sepulchro. Psalmista¹⁰: *Facti sunt ut stercus terre*, etc. Licet quandoque flos in cacumine arboris, tamen in stercore tandem cadit, sic est de excellentibus in mundo¹¹: *Si ascenderit usque in cælum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine perdetur*. Hoc est quod dicitur¹²: *Omnis caro fœnum*, et cætera usque:

Et cecidit flos. Cadit ergo flos gloriæ carnis (b) in morte, et fit stercus in putrefactionem; sed de stercore iterum flos in resurrectione. Psalmista¹³: *Refloruit caro mea*. Sed hoc fit per florem ortum de Virgine, de quo¹⁴: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet*, etc. Primus ergo flos est gloriæ carnalis; secundus, immortalis: tertius est gloriæ virginalis.

De secundo¹⁵: *Mementote diei hujus, in qua egressi estis de Ægypto, de domo servitutis*. Domus servitutis Pharaonis, id est diaboli, est mundus, in quo peccatores triplici servitute opprimuntur, scilicet luti luxuriæ, lateris avaritiæ, paleæ superbiæ. Egrediendum ergo est de hac domo per pœnitentiam ei qui in luxuria est carnis, avaritia mundi, superbia diaboli. Ideo bene dicitur¹⁶: *Egredere de terra, et de cognatione tua*. Caro est cognatio et vitia carnalia; domus, mundus; pater diabolus. Psalmista¹⁷: *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui*. Contra hanc triplicem servitutum Dominus noster Christus de Virgine nascitur, contra luxuriam; pannis involvitur, contra avaritiam; in stabulo ponitur, contra superbiam. Ut homo egrediatur servitutum diaboli, venit Christus in servitutum hominis. Bernardus¹⁸: « Singularis illa majestas servire voluit, ut nos regnaremus. »

De tertio dicitur hic: *Cras egrediemini contra eos*, scilicet filios Moab et Amon (c), et montem Seir. Moab interpretatur *Ex patre*. et significat diabolum, qui est ex patre Lucifero. Lucifer enim pater est dæmonum. Dæmones autem sunt patres eorum, quos decipiunt: patres dico non generatione, sed imitatione¹⁹: *Vos ex patre diabolo estis*. Lucifer ergo est avus hominum perversorum. Amon (c) *filius generis nostri* interpretatur, et significat carnem, quæ de nostro genere, de nostris parentibus est²⁰: *Sum qui-*

¹ Exod., XIX, 18. — ² Tob., VI, 8. — ³ Exod., XIX, 18. — ⁴ H. Reg., XVII, 12. — ⁵ Exod., XIX, 18. — ⁶ Levit., VI, 12. — ⁷ Aug., Conf., lib. X, c. XX. — ⁸ H. Paratip., XX, 17. — ⁹ Job, XIV, 2. — ¹⁰ Psal., LXXXII, 11. — ¹¹ Job, XX, 7. — ¹² Isa., XL, 6-8. —

¹³ Psal., XXVII, 7. — ¹⁴ Isa., XI, 1. — ¹⁵ Exod., XIII, 3. — ¹⁶ Gen., XII, 1. — ¹⁷ Psal., XLIV, 11. — ¹⁸ Bern., in Ascens. Dom., serm. III, n. 2. — ¹⁹ Joan., VIII, 44. — ²⁰ Sap., VI, 1. — (a) Vulg. fumabat. — (b) Forte leg. carnalis. — (c) Vulg. Ammon.

dem et ego mortalis, homo similis omnibus, et ex genere terreno illius, qui prior factus est. Anima, sive spiritus, quia de parentibus non traducitur, filius nostri generis non est, sed potius Dei, quia immediate a Deo creatur¹: *Genus ergo cum simus Dei*, etc. Factus est ergo Deus ex genere nostro, ut redimeret quod fuit de genere suo. Augustinus²: « Quare hoc nostri generis corpus tantum propter nos Deus assumere atque agere dignatus est; quanto videtur vilius, tanto est clementia plenius. » Mons Seir mundus est, qui temporalium superfluitatibus, versutiis et fraudibus pilosus est. Hos pilos Seir significat; interpretatur enim *pilosus*. Mundum ergo a nobis ad festum illud radamus. Hos enim pilos Ezechiel propheta precipit radere et amovere³: *Sume tibi gladium acutum radentem pilos*, etc. Si enim ob reverentiam festi pilos corporis superfluos radimus, quanto magis pilos superfluos vitiorum! etc.

De quarto⁴: *Egredimini, filia Sion*, id est animæ puræ, quæ estis Dei speculum (*Sion speculum* interpretatur.) *Et videte regem Salomon in diademate, quo coronavit eum mater sua*. Bernardus hic distinguit quadruplicem coronam dicens⁵: « Coronavit eum mater sua corona paupertatis nostræ; nunc coronatus est a noverca sua corona spinea, corona miseriæ; coronandus est a familia sua, corona justitiæ, quando exhibent angeli, et colligent de regno ejus omnia scandala. Coronavit eum pater ejus corona gloriæ, » sicut ait psalmista⁶: *Gloria et honore coronasti eum, Domine*. Nunc ergo egredimini ad pugnam, ut in morte egrediamini ad coronam. In pugna enim hujus vitæ fortes esse debemus usque ad egressum animæ nostræ, ut coronemur in æterna jucunditate.⁷ *Media pars nostrum teneat lanceas ab ascensu auroræ, donec egrediantur astra*. Lancea est zelus contra vitia; aurora est initium bonæ vitæ; astra

sunt bonæ animæ, quæ egrediuntur in morte.

SERMO III.

*Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol*⁸. Quia Jesus interpretatur *salus*, potest dici: *Cras erit nobis salus*. Nunc enim ad hoc ingressus est nascendo, ut esset nobis salus⁹: *Egressus est in salutem*, etc. Sol Christus est¹⁰: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ*. Solis calor est Christi amor, quo coactus est incarnari. In quatuor autem beneficiis præcipue calor charitatis ostenditur, videlicet in incarnatione, in corporis sui traditione, in passione, et Spiritus sancti effusione.

De primo dicitur hic: *Cras erit vobis salus*. Nota historiam, quando Naas noluit habere pacem cum viris Jabes Galaad, nisi erueret omnium oculos dexteros: propter hoc missum est eis verbum consolatorium illud: *Cras erit vobis salus*. Naas interpretatur *serpens*, et significat diabolum, de quo Eva dicit¹¹: *Serpens decepit me*. Diabolus serpens est lubricus, cujus si capiti, id est primæ suggestioni non resistitur, totus cordi illabitur. Oculus est fides: sinister autem est fides de humanitate Christi; dexter vero, fides de divinitate. Isti sunt oculi cæci nati, qui per lutum humanitatis, et sputum sapientiæ divinitatis aperiuntur. Sed dexter oculus Judæis eruitur, qui Jesum hominem, et non Deum putant. Item est oculus intentio: dexter autem oculus ad gloriam, sinister ad gehennam respicit. Dextrum amor, sinistrum timor aperit. Qui ergo non amore beatitudinis, sed timore damnationis malum fugit et bonum agit, dextrum oculum eruit. Hinc¹²: *Oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur*. Contra hanc diaboli oppressionem venit nobis salus, quando venit nobis Jesus. Venit autem in calore, quia datus est in amore¹³: *Sic Deus dilexit mundum*, etc.

n. 3. — ⁶ *Psalm.* VIII, 6. — ⁷ *II Esdr.*, IV, 21. — ⁸ *I Reg.*, XI, 9. — ⁹ *Habac.*, III, 13. — ¹⁰ *Malac.*, IV, 2. — ¹¹ *Gen.*, III, 13. — ¹² *Zach.*, XI, 17. — ¹³ *Joan.*, III, 16.

¹ *Act.*, XVII, 29. — ² *Aug.* — ³ *Ezech.*, V, 4. — ⁴ *Cant.*, III, 11. — ⁵ *Bern.*, in *Epiph. Dom.*, serm. II,

De secundo ¹: *Cumque incaluisset sol, liquefiebat.* Hoc dicitur de manna: significat autem Eucharistiam, quæ animæ mirabiliter sapida est ²: *Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem,* etc. Iste panis de cælo venit, et de terra colligitur sine agricultura. Sic Christus Jesus de terra virginali, sine cultura maritali, exhibitus est ³: *Terra illa inculta facta est ut hortus voluptatis.* Calor solis est amor CHRISTI, quo nobis hoc sacramentum liquefit per suavitatem, et resolvitur in gratiam. Licet autem manna a sole liquefieret, ab igne tamen indurabatur. Ita hoc sacramentum, per calorem amoris divini, liquefit homini ad salutem. Per calorem autem amoris mundani et carnalis, induratur homini ad damnationem ⁴: *Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat,* etc. Joannes Chrysostomus ⁵: « Spiritus cibus si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdit, non sua natura, sed accipientis vitio. »

De tertio ⁶: *Non aperientur portæ Hierusalem usque ad calorem solis.* Hierusalem est illa cœlestis civitas, in qua omnes liberi erimus ⁷: *Illæ, quæ sursum est, Hierusalem libera est.* Hujus portas nullus sine pretiosa veste intrare potest. Psalmista ⁸: *Aperite mihi portas justitiæ: ingressus in eas confitebor Domino,* etc. Portæ plenæ satisfactionis et reconciliationis ⁹: *Non erat licitum indutum sacco aulam regis intrare.* Sacco, id est vili conversatione. Portæ istæ clausæ erant per peccatum primi hominis, et non aperiebantur usque ad calorem solis, id est usque ad fervorem amoris Christi nobis in passione exhibiti. Ante enim nullus intrare poterat. Per clavem enim crucis janua aperienda erat ¹⁰: *Dabo clavem domus David super humerum ejus,* etc. Valde durus est, cujus cor ad tantum calorem solis non li-

quefit. Bernardus ¹¹: « O duri et obdurati filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis pretiosas merces expendit! »

De quarto ¹²: *Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans.* Radii ignei sunt illuminationes et operationes Spiritus sancti, a sole aeterno Jesu Christo procedentes. Utinam isti radii tangerent sensus nostros! Augustinus ¹³: « Mitte, Domine, radium sapientiæ tuæ, ut expellat tenebras nostras, et fulgeat imago tua in nobis. » Nota quod dicit *exsufflans*. ¹⁴ *Insufflavit et dixit: Accipite Spiritum sanctum.* Solis ergo calor montes exurit, dum Christi amor apostolos accendit: imo quotidie nrit electos per Spiritus sancti radios, qui bene dicuntur montes propter meritorum altitudines. Tripliciter autem exurit, quia ter apostolis Spiritum sanctum dedit. Vel montes sunt veri pœnitentes, qui tripliciter in contritione, confessione, satisfactione, exuruntur. Psalmus ¹⁵: *Non est qui se abscondat a calore ejus,* etc.

SERMO IV.

Cras egrediemini et Dominus erit vobiscum ¹⁶. Viso qualiter egrediendum sit, modo videamus qualiter Dominus nobiscum sit. Est autem nobiscum visibiliter, sacramentaliter, æternaliter. Nobiscum est in natura, in Eucharistia, in gratia, in gloria.

De primo ¹⁷: *Ecce virgo concipiet et pariet,* et cætera usque *Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus.* Nobiscum, tanquam socius noster, scilicet sensibiliter ¹⁸: *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Vere bonus socius, qui et onera socii sui in via portat, et divitias suas socio suo communicat. Ita Christus nobiscum fuit, ut onera peccatorum nostrorum portaret ¹⁹: *Peccata nostra ipse tulit,* etc.

¹ *Exod.*, xvi, 21. — ² *Sap.*, xvi, 20. — ³ *Exod.*, xxxvi, 35. — ⁴ *1 Cor.*, xi, 29. — ⁵ Chrysost., in *1 Cor.*, hom. xxviii, n. 1. — ⁶ *1 Esdr.*, vii, 3. — ⁷ *Gal.*, iv, 26. — ⁸ *Psal.*, cxvii, 19. — ⁹ *Esth.*, iv, 2. — ¹⁰ *Isa.*, xlii, 22. — ¹¹ Bern. — ¹² *Eccl.*, xliii, 4. — ¹³ Aug.

— ¹⁴ *Joan.*, xx, 22. — ¹⁵ *Psal.*, xviii, 7. — ¹⁶ *1 Paral.*, xx, 17. — ¹⁷ *Isa.*, vii, 14. — ¹⁸ *Bar.*, iii, 38. — ¹⁹ *Isa.*, liii, 12; *1 Petr.*, ii, 24.

Augustinus ¹: « Nihil sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio. » Item divitias gratiarum nobis communicavit ²: *Mecum communicavit (a) de bonis.* ³ *Propter nos egenus factus est, etc.* E contrario dicitur de malo socio ⁴: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, etc.*, ubi ostenditur quam periculosa sit mala societas. Psalmista ⁵: *Cum perverso perverteris.*

De secundo ⁶: *Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Hoc figuratum est ⁷: *Hydria farinæ non deficiet, neque lecythus olei minuetur usque in diem, qua daturus est Dominus pluviam super faciem terræ.* In farina sacramentum hoc significatur: Farina enim granum est contritum. Granum est Christus ⁸: *Nisi granum frumenti, etc.* Hoc granum nobis produxit uterus virginalis. Psalmista ⁹: *Veritas de terra orta est, etc.* Attritus autem est in mola crucis ¹⁰: *Attritus est propter scelera nostra.* In oleo gratia hujus sacramenti significatur: unde bene manna habuit ¹¹ *saporem quasi panis oleati.* Hæc autem farina non deficiet, quia hoc sacramentum nobiscum est *usque in diem pluviae, et usque ad consummationem sæculi.* Pluvia terram germinare facit: pluvia ergo est influentia cœlestis virtutis, faciens semina corporum mortuorum pullulare per resurrectionem de terra. Vel stillæ pluviae sunt animæ innumerabiles ad modum pluviae de cœlo ad corpora sua per originem descendentes ¹²: *Dabitur pluvia semini tuo.* De quo semine dicitur ¹³: *Seminatur corpus animale, etc.* Igitur si Dominus tecum sit sacramentaliter, tamen valde miserabilis es, si non fuerit tecum et tu cum eo spiritualiter. Augustinus ¹⁴: « Magna hominis miseria est cum illo non esse, sine quo non potest esse. »

De tertio ¹⁵: *Dominus vobiscum, quia fuis-*

tis cum eo: si quaesieritis eum, invenietis. Si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. Si quaesieritis bene vivendo, invenietis spiritualiter, sicut pastores corporaliter ¹⁶: *Invenietis infantem, etc.* Est ergo Dominus cum bene viventibus in conversatione, sicut hic. Et ¹⁷: *Si fuerit mecum Dominus, etc., et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum (b), etc.* Ubi in pane gratia, in vestimento bona gratia significatur. Item cum patientibus in tribulatione. In Psalmo ¹⁸: *Cum ipso sum in tribulatione.* Bernardus ¹⁹: « Bonum mihi, Domine, in tribulatione magis amplecti te, habere te mecum in camino, quam esse sine te in cœlo. » ²⁰ *Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram?* Item cum moerentibus (c) in debellatione ²¹: *Dominus mecum est quasi bellator fortis. Idcirco qui persequitur me, cadet (d), etc.* Item cum regentibus in prælatione ²²: *Dominus Deus tuus tecum sit, sicut fuit cum Moyse: qui contradixerit ori tuo, et cætera usque moriatur.* Merito morietur. Ait enim Gregorius ²³: « Qui se contra suos præpositos erigunt, profecto ostendunt quia servi Dei esse contemnunt. »

De quarto ²⁴: *Ipse Deus cum ipsis erit eorum Deus, et absterget, etc.* Ibi enim erit Deus cum justis sicut lux cum vidente, dulcedo cum gustante, vita cum vivente. Ibi erit Deus cum eis in ratione, cum eis in voluntate, cum eis in memoria. Bernardus ²⁵: « Ipse rationi futurus plenitudo lucis: ipse voluntati plenitudo pacis: ipse memoriæ continuatio æternitatis. » De prædictis significatum est ²⁶, ubi Angelus dicit ad Gedeon: *Dominus tecum, virorum fortissime, etc.;* ubi quatuor signis ostenditur Dominus cum eo, scilicet in rore, in pane, in igne, in lampade. Nobiscum ergo Dominus est in assum-

¹ August. — ² Sap., VIII, 9. — ³ II Cor., VIII, 9. — ⁴ Eccli., XIII, 1. — ⁵ Psal., XVII, 27. — ⁶ Matth., XXVIII, 20. — ⁷ III Reg., XVII, 14. — ⁸ Joan., XII, 24. — ⁹ Psal., LXXIV, 12. — ¹⁰ Isa., LIH, 5. — ¹¹ Num., XI, 8. — ¹² Isa., XXX, 23. — ¹³ I Cor., XV, 44. — ¹⁴ Aug., in Joan., tract. CVI, n. 2, quoad sensum. — ¹⁵ II Paral., XV, 2. — ¹⁶ Luc., II, 12. — ¹⁷ Gen.,

XXVIII, 20. — ¹⁸ Psal., XC, 15. — ¹⁹ Bern. — ²⁰ Psal., LXXII, 25. — ²¹ Jerem., XX, 11. — ²² Jos., II, 17-18. — ²³ Greg., in II Reg., XXIII. — ²⁴ Apoc., XXI, 3-4. — ²⁵ Bern., in Cant., serm. I, n. 5. — ²⁶ Judic., VI, 12 et seq.

(a) Vulg. *communicabit.* — (b) Hæc, quæ posita sunt inter duo etc., non habent cat. edit. — (c) Leg. merentibus. — (d) Vulg. *persequuntur, cadent.*

pta natura : hoc significatur in rore divinitatis descendente in vellus humanitatis. Nobiscum in Eucharistia : hoc significatur in pane hordeaceo subvertente castra Madian, id est vires diaboli. Hordeaceus dicitur, propter aculeos passionum Christi. Nobiscum in gratia : hoc significatur in igne ascendente de petra, id est gratia Spiritus sancti de Christo effusa. Nobiscum in gloria : hoc significatur in lampade ¹, lagena fracta, hostem fugante. Lagena enim frangitur, dum corpus moritur. Tunc splendore lampadis, id est claritate sanctæ animæ evolantis diabolus confunditur.

IN NATIVITATE DOMINI.

SERMO PRIMUS.

A summo cælo egressio ejus ². Filius Dei in incarnatione sua non tantum a cælo sidereo vel empyreo, imo a summo Trinitatis cælo egressus, quo etiam Lucifer ascendere voluit ³ : *In cælum ascendam* (a), etc., venit in mundum. Egressus est autem ad clarificandum (b) divinam majestatem ; ad irrigandam humanam ariditatem ; ad expugnandam diabolicam potestatem ; ad reparandam angelicam societatem.

De primo ⁴ : *Propter Sion non tacebo, et propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur, ut splendor, justus ejus, etc.* Splendor Patris Christus est. Sicut enim splendor solis vel ignis ostendit claritatem, sic Filius paternam in mundo majestatem. Unde beatus Augustinus Patrem igni, Filium splendori, Spiritum sanctum calori comparat. ⁵ *Qui cum sit splendor gloriæ, etc.* Sicut autem splendor per vitrum integrum transit, ita Christus per Mariam integram et incorruptam est egressus. De hoc vitro ⁶ : *Ipsa vero civitas, id est Maria, aurum mundum, per charitatem ; simile vitro mundo,*

per castitatem. Splendor autem non solum per integrum vitrum transit ; sed etiam colorem inter pertranseundum induit : sic Dei Filius purissimam carnem et pulcherrimum colorem de Virgine traxit superantem omnes mundi colores ⁷ : *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus.*

De secundo ⁸ : *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus, et veniet quasi imber temporaneus nobis et serotinus terræ.* Per imbrem multiplex Christi gratia significatur, qua veniens mundum irrigavit ; per temporaneum, gratia præveniens ; per serotinum, gratia subsequens. Vel quasi temporaneus imber est Christus illis qui cito, quasi serotinus illis qui tarde convertuntur, sicut latro in cruce ⁹. Ante ingressum Filii Dei per carnem mundus aridus fuit ab humore gratiæ, neque germen, neque fructum boni operis faciens, et erant homines ligna arida igni tantum apta. Anselmus in Soliloquio ¹⁰ : « O lignum aridum et inutile, æternis ignibus dignum ! Quid respondebis in illa die, dum exigetur a te usque ad ictum oculi omne tempus vivendi tibi impensum, qualiter fuit expensum ? » ¹¹ *Omnis arbor, etc.* Stillicidiis gratiarum per egressum Christi per-fusus est mundus aridus. Psalmista ¹² : *Descendet sicut stillicidia, etc.* Expone historiam de vellere Gedeonis ¹³.

De tertio ¹⁴ : *Tu, Bethleem, terra Juda, etc. Ex te enim egrediatur, qui sit dominator Israel ; et egressus ejus, et sequitur : Reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel.* Reliquiæ quandoque dicuntur, quæ superfluunt comedentibus. Quicumque ergo a diabolo non devorati, relinquuntur, reliquiæ sunt. ¹⁵ *De pauperibus terræ reliquit Nabuzardan princeps militiæ* (id est diabolus) *vinitores et agricolas.* Filii Israel angeli sunt ¹⁶ : *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.* Alia littera habet, *angelorum Dei.* Israel enim visio

¹ *Judic*, vii, 19. — ² *Psal.* xviii, 7. — ³ *Isa.*, xiv, 13. — ⁴ *Isa.*, lxiii, 1. — ⁵ *Hebr.*, i, 3. — ⁶ *Apoc.*, xxi, 18. — ⁷ *Job*, xxviii, 36. — ⁸ *Osc.*, vi, 3. — ⁹ *Luc.*, xliii, 32. — ¹⁰ Anselm., *Medit.*, ii, pag. 208, col. 723. — ¹¹ *Matth.*, vii, 19. — ¹² *Psal.* lxxi, 6. — ¹³ *Judic.*, vi

et vii. — ¹⁴ *Mich.*, v, 2, 3. — ¹⁵ *IV Reg.*, xxv, 12. — ¹⁶ *Deut.*, xxxii, 8.

(a) Vulg., *conscendam.* — (b) *Leg.* clarificandam.

Dei interpretatur, quod convenit angelis ¹ : *Angeli eorum semper vident faciem Patris*, etc. Gregorius ex verbo prædicto Deuteronomii infert ² quod tot homines ad angelorum ordines assumentur, quot corruerunt. Deus tamen novit numerum salvandorum. Reliquiæ ergo fratrum ad filios Israel convertuntur, dum bonorum animæ in cælis conjunguntur, et per eos angelicæ ruinae reparantur. Benedicta sit terra, quæ angelis et hominibus talem utique reparatorem peperit. Anselmus ³ : « O femina mirabiliter singularis, et singulariter mirabilis, per quam elementa renovantur, inferna remediuntur, homines salvantur, angeli reintegrantur ! »

De quarto ⁴ : *Egressus est*, et cætera usque : *Percussisti caput de domo impii*. Gregorius ⁵ : « Ecce (a) caput iniquorum omnium diabolus est. » O quam deformis esset homo, qui caput lupi haberet ! Et certe deformior est anima, cujus caput est diabolus. Contra hoc caput egressus est Filius Dei in prælium ⁶ : *Dominus sicut vir fortis egreditur : sicut vir præliator suscitabit zelum*. Hoc caput Christus ligno percussit, ut ipsum Christum pro capite habeamus. Omnis ⁷ *virum caput Christus est*. Sed multi monstruosi volunt habere ambo capita, qui partim Deo, partim diabolo serviunt ; sed non possunt utrumque simul habere ⁸ : *Quæ conventio Christi ad Belial ?*

SERMO II.

Abscissus est lapis de monte sine manibus, et percussit statuam ⁹. In his verbis nativitas Christi pulcherrime figuratur, qui de monte virginalis sublimitatis abscissus sine manibus amplexus virilis, percussit statuam humanæ vanitatis. Ostenditur qui, a quo, quomodo, ad quid abscissus fuit. Qui ? Est lapis. De quo ? Monte. Et quomodo ? Sine

manibus. Ad quid ? Quia perensit statuam. In primo, nascentis perpetuitas ; in secundo, parentis dignitas ; in tertio, nativitatis singularitas ; in quarto, in Christo credentis utilitas significatur.

De primo considera, quod lapis est Christus, qui nobis datus est, ut ipso Ecclesia firmetur, et fundetur tanquam supra primum lapidem. ¹⁰ *Educat lapidem primum*, scilicet in ædificio positum. Quanto major persona fuerit, tanto majora dona super ipsum offert ad sumptus fabricæ. Sic Deus Pater magna dona gratiarum cum Filio nobis misit ¹¹ : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illo (b)*. De quibus bonis Augustinus ¹² : « Teneamus nos ad humanam nativitatem, per quam nobis Deus donavit gratiam suam, per ipsam levat mentem, per ipsam curat ægrotantem, per ipsam coronat laborantem. » Illic autem lapis est sine manibus abscissus in incarnatione ; bis virga percussus ¹³ in passione ; caput anguli factus in ascensione. Psalmista ¹⁴ : *Lapidem, quem reprobaverunt*, etc. Angulus est ubi duo parietes conveniunt. In capite ergo duorum parietum, id est angelorum et hominum, factus est Christus.

De secundo nota, quod triplex est mons, de quo lapis ille potest dici abscissus. Mons enim est synagoga ¹⁵ : *Montes Gelboe*, nec ros nec pluvia, etc. Pluraliter dicitur *montes* propter plures Judæorum : sed isti montes propter superbiam humiliantur, sicut viles, id est humiles, exaltantur ¹⁶ : *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis*, etc. Ros est gratia, pluvia doctrina, fortes (c) Israel sunt prophætæ et apostoli ab eis interfecti, imo et ipse Christus. O quot hodie in monte superbiæ privantur rore gratiæ ! Lapis ergo de monte abscissus, quia Christus de populo Judaico natus est. Item mons est Scriptura. Psalmus ¹⁷ : *Inter medium montium*, id est

¹ *Matth.* XVIII, 10. — ² Greg. — ³ Anselm., *Orat.* LII, al. LI, pag. 281, col. 955. — ⁴ *Itabac.*, III, 13. — ⁵ Greg., in *Evang.*, hom. XVI, n. 4. — ⁶ *Isa.*, XLII, 13. — ⁷ *I Cor.*, XI, 3. — ⁸ *II Cor.*, VI, 15. — ⁹ *Dan.*, II, 34. — ¹⁰ *Zach.*, IV, 7. — ¹¹ *Sap.*, VII, 11. — ¹² Aug., in

Psal. CXLVIII, n. 8. et alias passim. — ¹³ *Num.*, XX, 11. — ¹⁴ *Psal.* C.VII, 22. — ¹⁵ *II Reg.*, I, 21. — ¹⁶ *Luc.*, III, 5. — ¹⁷ *Psal.* CII, 10.

(a) Apud Greg. legitur *Certe*. — (b) Vulg. *vin*. — (c) *Cæc. edit. fontes*.

duorum testamentorum, *pertransibunt aquæ* doctrinarum et consiliorum. Hieronymus ¹ : « Si quid dixerò quod non aliquo duorum testamentorum probaverò, non mihi credatur. » De hoc monte lapis abscinditur, quando Christus de Scripturis ostenditur. Item mons est Maria propter excellentiam meritorum ² : *Apparuit de monte Pharan* : Pharan (a), quod interpretatur *frugifer*. Vere enim frugifera fuit Maria, quæ granum frumenti tam pretiosum tulit. Vere frugifera, de qua universi quasi frugem colligunt. Bernardus ³ : « De plenitudine Mariæ accipiunt universi : peccator veniam, justus gratiam, angelus lætitiã, tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam. »

De tertio nota, quod est triplex manus, qua non abscinditur Christus. Est enim manus amplexus maritalis. Væ ei, qui hanc extendit male sentiendo ad Mariam. Nam Oza percussus fuit ⁴, quia extendit manum ad arcam. Item est manus reatus originalis ⁵ : *De manu mortis liberabo eos*. Item manus operationis naturalis, qua habitaculum animæ, corpus humanum, in utero materno successive formatur, sicut videmus quod materiale habitaculum quandoque per plures dies ædificatur. Sancta vero Christus membra, in quibus Deus per innocentiam habitat, in ipsa conceptionis hora, animam scilicet et corpus, perfecta habuit : quod certe manus naturæ subito facere non potuit. Gregorius ⁶ : « Angelo nuntiante, et Spiritu sancto adveniente, mox Verbum in utero, mox infrat uterum Verbum caro. »

De quarto nota, quod est utilitas nativitatis Christi in credentibus, quod statuam, id est amorem mundi et vanitatem, destruxit. Hæc statua ex materia pretiosissima, scilicet auro et argento; item ex fortissima, scilicet ære et ferro; item ex materia vilissima, scilicet luto constat. In primo, avaritia; in secundo, pompa vel superbia; in tertio luxu-

ria figuratur. In his consistit vanitas mundi ⁷ : *Omne quod est in mundo*, etc. Hanc ergo statuam lapis abscissus, puer natus, percussit et destruxit. Non solum percussit per gratiam et meritum, et per pœnam; sed etiam per exemplum et doctrinam. Nam parvulus natus percussit et damnat superbiam; egenus natus percussit avaritiam; de virgine natus percussit luxuriam.

SERMO III.

A summo cælo egressio ejus ⁸. Sicut supra dictum est ⁹, Filius Dei per incarnationem egressus est ad clarificandum, ad irrigandum, ad reparandum, ad expugnandum. Secundum ista quatuor, egressus est sicut sol de oriente, sicut fluvius de fonte, sicut lapis de monte, sicut leo de antro.

Quoad primam causam, egressus est ut sol ¹⁰ : *Sol egressus est super terram, et Lot ingressus est Segor*. Legitur ibi quod Dominus subvertit igne et sulphure quatuor civitates. In quinta vero, quæ est Segor, egresso sole, salvatus est Lot. Quatuor civitates quatuor sunt damnatorum diversitates, videlicet Paganorum, Judæorum, Hæreticorum, maiorum Christianorum. Hi igne et sulphure æternaliter puniuntur ¹¹ : *Ignis et sulphur*, etc. Quinta civitas Segor, Ecclesia justorum : Segor enim interpretatur *parvulus* vel *calens*. Qui enim in Ecclesia salvari vult, debet esse parvulus per humilitatem, et calens per charitatem, quia Christus amabilis. Bernardus ¹² : « Non hoc loco prædicatur Dominus *magnus et laudabilis nimis*; sed parvulus Dominus et amabilis. » Sol autem est Christus ¹³ : *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ*. Sole ergo egresso, id est Christo nato in mundum, illuminante per clarificationem divinitatis, quicumque Segor, id est, Ecclesiam per fidem et amorem

¹ Hieron. — ² Deut., xxxiii, 2. — ³ Bern., *serm. in Dom. infra Octav. Assump. Mariæ*, n. 2. — ⁴ II Reg., vi, 7. — ⁵ Ose., xiii, 14. — ⁶ Greg., *Moral.*, lib. xviii, c. xxvii, al. lxx. — ⁷ I Joan., ii, 16. — ⁸ Psal. xviii,

7. — ⁹ Vid. sup., *serm. I*, pag. 44. — ¹⁰ Gen., xix, 23. — ¹¹ Psal. x, 7. — ¹² Bern., *in Vig. Nativ. Dom.*, *serm. vi*, n. 7. — ¹³ Malac., iv, 2.

(a) *Cæt. edit. non repet. Pharan.*

ingreditur, cum ipsa a damnatione salvatur.

Quoad secundam causam, egressus est ut fluvius ¹: *Egredebatur fluvius de loco voluptatis ad irrigandum paradisum*, id est Ecclesiam. Augustinus ²: «Ecclesia in sanctis temperanter (a) et juste et pie viventibus (b) paradisus recte dicitur, pollens affluentia gratiarum castisque deliciis.» Fluvius est Christus ³: *Timebunt qui ab occidente nomen Domini, et qui ab ortu solis gloriam ejus, cum venerit (c) quasi fluvius violentus*, etc. O quam necessarius fuit iste fluvius mundo ariditate deficienti! Quatuor flumina, in quæ dividitur, sunt quatuor humores qui ad mundi irrigationem, ut fructificare posset in salutem, de Christi corpore profluxerunt. Primum ergo est flumen lacrymarum, quas Dominus sæpius flens, fudit pro hominibus ⁴: *Videns civitatem flevit*, etc. Istud flumen etiam in infantia fluere cœpit. Ambrosius ⁵: «Me illius infantie fletus abluerunt, illæ lacrymæ mea delicta laverunt. Secundum est sudoris ⁶: *Factus est sudor ejus*, etc. Tertium est sanguinis per vulnera effusio ⁷: *Tu vero in sanguine testamenti*, etc. ⁸ *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio*: prorsus copiosa, quia non gutta, sed unda sanguinis largiter per quinque partes corporis emanavit. Quartum est flumen aquæ, quod de latere fluxit ⁹: *Continuo exivit sanguis et aqua*.

Quoad tertium, egressus est ut lapis de monte ¹⁰: *Inde egressus est pastor lapis Israel*. Hic est lapis qui *de monte*, id est Maria, *abscissus est sine manibus*, id est sine virili contactu, sicut dicitur ¹¹. Hic etiam est lapis, de quo Psalmista ¹²: *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes*, etc. In angulo junguntur duo parietes: duo autem parietes

in structura cœlesti sunt homines et angeli. Hos lapis angularis, id est Christus, jungit, *caput anguli factus*; id est super homines et angelos exaltatus. Unde Bernardus ¹³: «Pastor Christus. Hic est enim pastor, qui habet centum oves: ovem perditam, id est hominem, ad nonaginta novem id est ad novem ordines angelorum, reduxit, æqualem angelis faciens.» Augustinus ¹⁴: «Resurrectionis et promissionis filii æquales erunt angelis Dei, si non corpore, neque ætate, certe felicitate.»

Quoad quartum, egressus est ut leo de antro uteri virginalis contra diabolum ¹⁵: *Ascendet leo de cubili suo: priedo gentium se levavit (d)*; *egressus de loco suo, ut ponat terram in solitudinem (e)*. Leo Christus est ¹⁶: *Ecce (f) vicit leo*, etc., qui quasi leo diabolum invasit, et gentes per vocationem ad fidem de manibus diaboli quasi prædam rapuit. Terram in solitudinem (e) posuit, quando limbum inferni, eductis animabus sanctorum, evacuavit. Hic est ille leo, in cujus ore mel fuit, sicut legitur ¹⁷. Mel est dulcedo doctrinæ ¹⁸: *Quam dulcia faucibus meis*, etc. Mel est dulcedo gratiæ ¹⁹: *Spiritus meus super mel dulcis*. Mel est dulcedo gloriæ ²⁰: *Hæreditas mea super mel et favum*. Christus in ore habuit primum mel, prædicando Evangelium; secundum, sufflando Spiritum; tertium, latroni dando paradisum. Mortuus autem leo fuit, qui mel ministravit, quia mortuus fuit Christus, ut per ipsum hanc triplicem dulcedinem haberemus.

SERMO IV.

Evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo ²¹, etc. Hoc gaudium sensit Elisabeth in utero ²². *Exultavit in gaudio infans in utero meo*. Hoc nunc evangelizat Angelus, dicens: *Evangelizo vobis gaudium*.

¹ Gen., II, 10. — ² Aug., de Gen., ad litt., lib. XII, c. xxxiv, n. 63. — ³ Isa., LIX, 19. — ⁴ Luc., XIX, 41. — ⁵ Ambros. — ⁶ Luc., XXII, 44. — ⁷ Zach., IX, 11. — ⁸ Psal. CXXIX, 7. — ⁹ Joan., XIX, 34. — ¹⁰ Gen., XLIX, 24. — ¹¹ Pau., II, 34. Vid. Sermon. II, pag. 46, col. 1. — ¹² Psal. CXVII, 22. — ¹³ Bern., ex Ambros. in Luc., lib. VII, n. 210. — ¹⁴ Aug., cont. Maximin., lib. II, c. xxv; in Joan., tract. cx, n. 7, quoad sensum. —

¹⁵ Jerem., IV, 7. — ¹⁶ Apoc., V, 5. — ¹⁷ Judic., XIV, 8. — ¹⁸ Psal. CXVIII, 103. — ¹⁹ Eccli., XXIV, 27. — ²⁰ Ibid. — ²¹ Luc., II, 10. — ²² Luc., I, 44.

(a) Cæt. edit. temporaliter. — (b) Cæt. edit. add. et. — (c) Cæt. edit. deest cum venerit. — (d) Cæt. edit. levabit. — (e) Item solitudinæ. — (f) Item Nanc.

Vere magnum gaudium est, quod nobis Salvator natus est. Sicut gaudium est redemptio captivo, lumen cæco, thesaurus mendico, via mortuo, sic gaudium est *omni populo*, etc. Genus humanum erat populus captivus culpa, cæcus ignorantia, pauper gratia, moriturus, id est separandus a vita æterna.

Erat genus humanum captivum per diabolum ¹: *Propterea ductus est populus meus captivus, quia non habuit scientiam; et nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit. Propterea dilatavit infernus animam suam*. Ecce carcer, in quo captivi tenebantur: tanta enim erat ante Christi nativitatem dilatatio inferni, ut et bonos et malos caperet. Captivus autem dicitur homo, ideo quod non habuit scientiam: sicut ideo capiuntur pisces, quia nesciunt hamum sub esca. ² *Facies hominis quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem: totum in hamo(a) sublevavit*, scilicet diabolus. Miser enim homo sub esca terrenæ delectationis latere nescit hamum æternæ mortis. Sed ne simus reptile sine principe, Deus principem nobis misit, de quo ³: *Parvulus natus est nobis*, et cætera, usque: *Princeps pacis*. Et contra hamum diaboli fecit Deus hamum suum. Hamo diaboli captus est homo; hamo Dei diabolus. ⁴ *An extrahere poteris Leviathan hamo?* Hamus est Christus, in quo virtus divinitatis latuit in esca humanitatis.

Erat etiam genus humanum populus cæcus ignorantia ⁵: *Dedi te in sædus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum*. Magna cæcitas, quando populus neque Deum cognovit, neque aliam vitam quam præsentem, neque præmium honorum, neque pœnam malorum scivit, neque viam, qua ad præmium veniretur, vel pœna vitaretur; sed tanquam cæci omnes in foveam inferni ceciderunt. O miser peccator! miser

cæce! utinam adhuc velles animæ oculos aperire! Bernardus ⁶: « *O! utinam saperes et intelligeres, et novissima provideres! Saperes quæ Dei sunt: intelligeres quæ mundi; provideres quæ inferni. Profecto inferna horresceres, superna appeteres, quæ ad manum sunt, contemneres.* » Sicut autem cæcus in domo undique ardente exire nescit, ostium ignorans, sic humanum genus fuit in mundo undique per malitiam inflammato ⁸: *Adhuc ignis in domo impii, thesauri iniquitatis, et mensura minor*, etc. Venit autem Christus in lucem gentium, ostium ostendens, cæcum educens, sicut Pater ejus præcepit ei ⁹: *Educ foras populum cæcum et oculos habentem*.

Erat quoque populus humani generis *unicus et pauper* ¹⁰ in gratia ¹¹: *Populum pauperem salvum facies*. Vere pauper est, qui non habet divitias spirituales, gratiam scilicet virtutum et honorum operum ¹²: *Dicis: Quod dives sum*, etc. O quanta mala sustinent pauperes a malis dominis! Sic pauperes virtutibus et bonis operibus, a diabolo ¹³: *Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum (b) pauperem*. Sed ecce dives Deus factus est pauper, ut homo fieret dives ¹⁴: *Propter nos egenus factus est, cum esset dives*, etc. Augustinus ¹⁵: « *Quales nos facturus est de divitiis suis, quos divites fecit de paupertate sua?* »

Homo erat mortuus, vel moriturus, propter prævaricationem æternæ vitæ ¹⁶: *Inebriatus est in cælo gladius meus. Ecce super Idumæam descendet, et super populum interfectionis meæ*. Gladius iræ vel sententiæ divinæ, qua homo privatus fuit vita æterna, fuit in cælo de calice iræ Dei, quando Luciferum cum angelis suis percussit. Super Idumæam descendit, et super populum interfectionis, dum humanum genus, terrenæ et sanguineæ conditionis, corporali, spi-

¹ *Isa.*, v, 1-14. — ² *Habac.*, 1, 14-15. — ³ *Isa.*, ix, 6. — ⁴ *Job*, xl, 20. — ⁵ *Isa.*, lvi, 6. — ⁶ Bern., *ad quemd. Sæcular.*, Epist. lxxii. — ⁷ *Deut.*, xxxii, 29. — ⁸ *Mich.*, vi, 10. — ⁹ *Isa.*, xlvi, 8. — ¹⁰ *Psal.*, xxi, 16. — ¹¹ *II Reg.*, xiii, 28. — ¹² *Apoc.*, iii, 17. —

¹³ *Prov.*, xxviii, 15. — ¹⁴ *II Cor.*, viii, 9. — ¹⁵ Aug., *de verb. Apost.*, serm. xv, al. clxix, n. 2, quoad sensum. — ¹⁶ *Isa.*, xxxiv, 5.

(a) Cæt. edit. *hamum*. — (b) Cæt. edit. *omnis populum*.

rituali et aeternali morte percussit. Idumaea enim *terrena* vel *sanguinea* interpretatur. Sanguinei autem a gladio sanguinis per sanguinem Christi liberantur. Ut ergo ostendat se Deus tantæ severitatis gladio nolle uti, factus est parvulus. Sicut enim parvuli gladio non utuntur, sed faciliter placentur; sic pro parvo reconciliari possumus parvo illi; et si nolumus, resumet hunc gladium ad iudicium ¹: *De ore ejus gladius utraque parte acutus exibit.*

SERMO V.

Ecce evangelizo vobis gaudium magnum ². Vere magnum gaudium est captivo de redemptione, caeco de illuminatione, mendico de locupletatione, mortuo de vivificatione. Ipse enim, qui natus est, redemptio est captivo, illuminatio caeco, thesaurus mendico, vita mortuo.

De primo gaudio ³: *Et ambulabunt qui liberati fuerint et redempti a Domino, convertentur, et venient in Sion cum laude, et lætitia sempiterna super caput eorum. Gaudium et lætitiā obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.* De redemptione hominum habetur in Psalmo ⁴: *Misit Dominus redemptionem populo suo.* O quam stultus esset, qui mille marchis auri vix redemptus esset de mortali inimico, si se iterum captivum traderet pro pomo! Sed omni auro quod est in mundo, gutta sanguinis Christi pretiosior est, quo redempti sumus ⁵: *Non corruptilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine agni incontaminati et immaculati Jesu Christi.* » Hic est agnus, de quo ⁶: « Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, » etc. Et tu, avare, luxuriose, perverse, iterum tradis te diabolo pro modico.

De secundo ⁷: « Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem

qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum, » etc. Ager est humana natura ⁸: « Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni. » ⁹ « De plenitudine ejus omnes accepimus. » Quicumque semina meditationum, desideriorum, et orationum, et operum, in hunc agrum mittimus, melius centies millies recipiemus. Thesaurus est divina natura ¹⁰: « Infinitus thesaurus est hominibus. » O avare, hunc thesaurum quære, qui finire non potest, qui erogatus non minuitur. Unde Augustinus ¹¹: « Christus quod attulit, erogavit: neque sibi ipsi minuitur; se l mirabiliter suorum fidelium pauperiem ditavit, et indeficientibus thesauris ipse plenus remansit. Vendamus ergo transitoria pro hoc gaudio, relinquamus caduca pro hoc agro. »

De tertio, ubi Raphael Tobiaë dicit ¹²: « Gaudium tibi sit semper; » et Tobias ait: « Quale gaudium mihi erit, quia in tenebris sedeo, et lumen cæli non video? » Cui juvenis, scilicet Angelus, ait: In proximo est, ut a Deo cureris. » Ecce hoc est gaudium quod sibi Raphael prædixit. Lumen cæli Christus est ¹³: « Viderunt oculi, » et cætera usque: « Lumen ad revelationem gentium. » O quantum gaudium est videre hoc lumen! ¹⁴ « Dulce lumen et delectabile est oculis videre solem. » O suavissima lux purgatæ mentis, sapientia! Non enim cessas innuere nobis quæ et quanta sit virtus tua super omne creaturarum decus. Quod si animæ sanctæ vix sustinent nunc per fidem videndo, quid ergo, cum per speciem videbunt? Si gaudium inæstimabile est de lumine stellæ, quid ergo erit de sole? ¹⁵ « Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde. » Stella est fides duceus ad Christum. Si de stella gaudebant, quid erat quando Dominum stellæ videbant? Sed ad hoc gaudium non pertinent manentes in tenebris vitiorum ¹⁶:

16. — ¹⁰ Sap., vii, 14. — ¹¹ Aug., serm. cclxxii, de Tempore, al. xxxvi, n. 9, quoad sensum. — ¹² Tob., v, 11-13. — ¹³ Luc., ii, 30-32. — ¹⁴ Eccle., xi, 7. — ¹⁵ Matth., ii, 10. — ¹⁶ i Joan., ii, 11.

¹ Apoc., i, 16. — ² Luc., ii, 10. — ³ Isa., ix, 10. — ⁴ Psal., cx, 9. — ⁵ i Petr., i, 18. — ⁶ Isa., xvi, 1. — ⁷ Matth., xiii, 44. — ⁸ Gen., xxvii, 27. — ⁹ Joan., i,

« Qui odit fratrem suum, in tenebris est. »

De quarto gaudio ¹: « Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis, ut gaudeatis, et gaudium vestrum sit plenum. » Per hanc vitam spiritualiter, per hanc æternaliter vivemus, cujus evidentissimum hodie signum datum est. De quo ²: « Retro rediit sol, et addidit regi vitam. » Attende quod sententia mortis data fuit contra Ezechiam: et sicut ipse oratione et lacrymis impetravit vitam corporalem, sic et tu spiritualem. ³ « Vitam petiit a te, et tribuisti. » Augustinus ⁴: « Pœnitens paratus sit facere pro obtinenda vita animæ, quæcumque faceret pro vitanda corporis morte. » Retrocessit autem sol in decimam lineam. Sol est Dei Filius ⁵: « Orietur vobis, timentibus nomen meum, sol justitiæ. » Novem lineæ, novem sunt ordines angelorum. Quasi novem lineas pertransiens, in decimam venit, quando humanam naturam assumpsit ⁶: « Nusquam angelos apprehendit; sed semen Abraham. » Hujus gaudii causæ quatuor prædictæ significatæ sunt ⁷, ubi dicitur quod « per septem dies epulantes cum gaudio magno gavisi sunt. » Gaudium istud erat de beneficiis exhibitis per Raphaelem a Deo missum. Raphael autem significat Christum medicum animarum: interpretatur enim *medicina Dei*. Beneficia autem principaliter sunt quatuor: nam Sara per eum a dæmone liberatur; Tobias cæcus illuminatur; bonis temporalibus filius ditatur; filio vita obtinetur vel custoditur, ne a pisece devoretur. Redde singula singulis causis gaudii in prædictis.

SERMO VI.

Invenietis infantem ⁸: Considerandum autem quod Christus quatuor modis invenitur, scilicet corporaliter, sacramentaliter, spiritualiter, intellectualiter. Primo modo invenitur in terra; secundo modo, in altari;

¹ *I Joan.*, 1, 2. — ² *Eccli.*, XLVIII, 26. — ³ *Psal.* XX, 5. — ⁴ Imo auctor libri *de ver. et fals. Pœnit.*, c. XV, n. 30, inter Oper. Augustini, Append. tom. VI. — ⁵ *Matth.*, IV, 2. — ⁶ *Hebr.*, II, 16. — ⁷ *Tob.*, XI, 21.

tertio, in anima; quarto, in scriptura. Primo, per incarnationem; secundo, per communicationem; tertio, per devotionem; quarto, per lectionem. Unde in pueritia quater legitur notabiliter (a) inventus: in utero, in templo, in præsepio, in domo.

Inventus in utero ⁹: « Inventa in utero habens, » etc. In quo bene designatur inventio corporalis. De utero enim Virginis sumpsit naturam, qua corporaliter invenitur in terris ¹⁰: « Habitu inventus est ut homo. » Est autem a tribus inventus in utero: a Joseph, sicut dicit Glossa super prædictum locum *Matthæi*; ab Elisabeth; a Joanne Baptista adhuc existente in utero ¹¹: « Unde hoc mihi, » etc. In hoc quod Elisabeth recognovit Mariam esse matrem Domini, patet quod Elisabeth eum invenit; in hoc quod exultavit infans, patet quod Joannes eundem invenit. Cum ergo omnes homines vel sint viri, vel mulieres, vel pueri, et ab his tribus inventus est; patet quod omnibus communis est ¹²: « Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, » etc., scilicet viris, et mulieribus, et parvulis. Leo Papa ¹³: « Sicut nullum a peccato liberum reperit, ita liberandis omnibus venit. » Si tamen viri Joseph, mulieres Elisabeth, pueri vero Joannis sanctitatem imitentur, inventus erit.

Inventus est a pastoribus in præsepio. De hoc est thema: *Invenietis infantem*, etc. Ubi tria consideranda sunt circa pastores: primo, quod supra gregem vigilaverunt; secundo, quod in via festinaverunt; tertio, quod in reditu Deum glorificaverunt. Hæc inventio significat illam in altari: sicut enim in præsepio invenitur pabulum jumentorum, sic Christus in altari pabulum nostrum. Item hæc inventio fuit in Bethleem, quod interpretatur *domus panis*. Ecclesia enim est domus, in qua invenitur panis angelorum in præsepio altaris. Augustinus ¹⁴: « Dominus auge-

— ⁸ *Luc.*, II, 12. — ⁹ *Matth.*, I, 18. — ¹⁰ *Philip.*, II, 7. — ¹¹ *Luc.*, I, 43, 44. — ¹² *Ibid.*, II, 10. — ¹³ Leo, *de Nativit. Domini*, serm. I, n. 1. — ¹⁴ August., serm. XXIII, al. CXCIV, de temp., n. 2.

(a) *Cat. edit.* nobiliter.

lorum hodie factus est homo. » Tria autem exiguntur ab illis, qui sic ipsum inveniunt : digna præparatio in accedendo ; fervens devotio in percipiendo ; gratiarum actio in recedendo. Primum significatur in vigilia super gregem. Per gregem enim sensus, et desideria, et motus, et cogitationes nostræ significari possunt. Hic est grex, qui dum ad interiora minatur, Dominus in rubo ardentis¹, in corde ferventi cognoscitur. Bernardus² : « Ab exterioribus ad interiora redeam, ab inferioribus ad superiora ascendam, ut possim cognoscere unde venio, aut quo vado, quid sim, vel unde sim ; ut per cognitionem mei possim pervenire ad cognitionem Dei. » Secundum significatur in festinantia. Unde dicitur : *Venerunt festinantes*. Bernardus³ : « Qui amat ardentius, currit velocius. » Tertium autem in laude pastorum ; unde dicitur : *Reversi sunt pastores laudantes et glorificantes Deum*. Ubi ostenditur quod nullus sine gratiarum actione debet recedere de præsepio altaris.

Inventus est tertio a Magis in domo⁴ : « Intrans domum, invenerunt puerum, » etc. Per hoc significatur inventio spiritualis in domo conscientie⁵ : « Intrans in domum meam, conquiescam cum illa. » Hic non invenitur nisi duce stella, id est fide vel gratia. Hic tria notanda sunt : nam illi ipsum in domo invenerunt, qui aurum, thus, et myrrham obtulerunt. In auro, dilectio ; in thure, devotio ; in myrrha, contritio significatur. Nam sine his tribus Jesus spiritualiter non invenitur in domo mentis. Invenitur autem, si ei dilectio, devotio, contritio intus offeratur.

Inventus est quarto *in medio doctorum*⁶ *in templo* ; quod accidit cum Christus in Scriptura vel doctrina sacerdotum in Ecclesia invenitur. Sed et hæc tria consideranda sunt, quia *post triduum* est inventus. Primus dies est doctrina mosaica ; secundus prophetica ; tertius evangelica. Vel primus

dies in Scripturæ lectione ; secundus, in auditione ; tertius, in meditatione consistit. Primus dies in audiendo ; secundus, in intelligendo ; tertius, in faciendo. Psalmus⁷ : « Intellectus bonus omnibus facientibus enim. » Tunc enim procul dubio Christus invenitur, quando ex operatione mens magis illuminatur. Unde patet ? Duo discipuli Scripturarum expositionem in via⁸ audierunt. Sed, sicut dicit Gregorius⁹ : « Non audiendo, sed faciendo illuminati sunt, » quando Dominum secum ad hospitium ire coegerunt.

Nota hic qualiter eum in utero magis iudicaret de Spiritu sancto, quam de viro ; quomodo Joseph poterat moveri ad credulitatem, quod eum Maria habebat de Spiritu sancto. Joannes Chrysostomus¹⁰ : « Joseph conceptionem manifeste videbat, et fornicationem suspicari non poterat. Possibilis enim credebat mulierem posse sine viro concipere, quam Mariam posse peccare. » *Antequam convenirent*. Non dicit : Priusquam acciperet eam ; sed : *Priusquam convenirent*, quoniam jam erat accepta in domum. Unde Glossa : « Desponsata viro. » Rabanus¹¹ : « Antiquitus mos erat, quod sponsus et sponsa non conveniebant absque nuptiarum celebratione. »

Quæro : Cum concipi de Spiritu sancto sit supra naturam et rationem, quomodo potest esse quod Maria inventa est a Joseph habens in utero de Spiritu sancto ? Respondeo secundum Joannem Chrysostomum¹² : « Omnibus documentis, quibus fornicatio mulieris intelligi, vel argui solet, deficientibus, sola apud eum mansit suspicio gratiæ Dei, per quam existimavit eam habere in utero, antequam convenirent. Inventa est ergo a Joseph, qui zelo et amore semper se admonente, vitam circumspiciebat Mariæ. » Dicit etiam inventam Mariam a Joseph gravidam manifeste, postquam rediit a peregrinatione. Putatur enim absens esse, cum Maria post

¹ Exod., III, 2. — ² Bern. aliquid simile habet in Cant., serm. XXXVI, n. 6. — ³ Id., in Cantic., serm. XXIII, n. 1. — ⁴ Matth., II, 11. — ⁵ Sap., VIII, 16. — ⁶ Luc., II, 46. — ⁷ Psal. cx, 40. — ⁸ Luc.,

XXIV, 32. — ⁹ Greg., in Evang., hom. XXIII, n. 2. — ¹⁰ Imo auctor Oper. imperf. in Matth., hom. 1 ; inter Oper. Chrysost., Append. tom. VI. — ¹¹ Raban. — ¹² Imo auctorem Operis imperfecti in Mattheum, ubi sup.

collocutionem cum angelo, ad Elisabeth cum festinatione perrexit.

SERMO VII.

*Invenietis infantem pannis involutum*¹. Considerandum, quod secundum quadruplicem Christi inventionem, quadrupliciter est involutus. Involutus est enim natura corporea, specie sacramentali, ænigmate spirituali, et sensu litterali.

De primo²: « Ezechias scidit vestimenta sua, et obvolutus est sacco. » Ezechias Christum significat: interpretatur enim *auxilium Domini*. Vestimentum ejus fuit synagoga, quæ scissa est. Saccus est humana natura³: « Sol factus est niger sicut saccus cilicinus. » Sol est Christus secundum divinitatem⁴: « Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, » etc. Bernardus⁵: « Sacrum misit Deus Pater in terram: saccum utique, licet parvum, tamen plenum: sacrum, inquam, in passione concidendum, ut effundatur quod latet in eo pretium redemptionis et gratiæ. » Quare autem Ezechias obvolutus fuit sacco, triplex fuit causa: movit enim ipsum blasphemia, hostium suorum angustia, nuntiorum molestia, qui seisis vestibis ad eum venerunt. Potest autem significari triplex ratio, quare Dei Filius sacco humanitatis sit involutus: videlicet diaboli violentia, hominis miseria, patrum desideria. Patres enim quasi nuntii fuerunt, qui pro adventu Christi desiderii et suspiriis corda sciderunt.

De secundo⁶: « Cumque immolaverit Aaron et filii ejus, sanctuarium tunc intrabunt filii Caath, ut portent involuta. » Per Aaron summum sacerdotem Christus significatur. Psalmista⁷: *Tu es sacerdos in æternum*. Per filios ejus, sacerdotes Novi Testamenti significantur; per sanctuarium, corpus Christi. Hic primo a Christo involvitur, dum in cœna hoc sacramentum instituitur.

Nunc autem ab aliis sacerdotibus quotidie involvitur, dum virtute prolatorum ab eis verborum panis in corpus Christi convertitur, et accidentibus sensibilibus velatur. Notandum, quod sanctuarium ab Aaron, etc., primo involvitur; postea aliis datur. Sic corpus Christi primo a sacerdotibus consecratur, postea aliis datur. Tria autem per corpus Christi consequimur: propitiationem, refectionem, illuminationem: et significantur in tribus, quæ inter alia in sanctuariis fuerunt involuta, sicut dicitur⁸ scilicet altare, mensa propositionis, et candelabrum. In altari propitiatio, in mensa refectio, in candelabro illuminatio significatur.

De tertio⁹: « Ecce ventus turbinis et nubes magna, et ignis involvens: et de medio ejus quasi species electri. » Per electrum, quod est ex auro et argento, Christus in duabus naturis significatur¹⁰: auro divinitatis, et argento humanitatis. Ignis hic electrum involvens, est fides nos illuminans per cognitionem. Est tamen involvens propter ænigmatis obscuritatem. Videmus enim nunc *per speculum in ænigmate*¹¹, et sub obscuris similitudinibus, sicut exponit Glossa. Possunt autem hic tria attendi, propter quæ Dominus nunc quasi involutus est oculis mentis nostræ: turbatio extra nos, naturalium obscuratio intra nos, immensitas luminis supra nos. Primum, in vento turbidinis; secundum, in nube; tertium, in igne. Unde bene ibi dicitur⁹: « Et splendor in circuitu ejus. » Tantis enim est splendor diviniæ naturæ, quod ad ipsam in hac mortali vita oculus mentis accedere non valet¹²: « Lucem habitat inaccessibilem. » Augustinus¹³: « O summa et inaccessibilis lux, quam longe es a me, qui tibi sum prope! Adhuc lates, Domine, animam meam in luce, et ideo illa adhuc versatur in tenebris et miseria. »

De quarto¹⁴: « Ecce manus missa est ad

¹ Luc., II, 10. — ² Isa., XXXVII, 1. — ³ Apoc., VI, 12. — ⁴ Malac., IV, 2. — ⁵ Bern. — ⁶ Num., IV, 15. — ⁷ Psal., CIX, 4. — ⁸ Num., IV, 6 et seq. — ⁹ Ezech.,

I, 4. — ¹⁰ Greg., in Ezech., lib. I, hom. II, n. 14. — ¹¹ I Cor., XIII, 12. — ¹² I Tim., VI, 16. — ¹³ Aug. aliquid simile habet, Conf., lib. VII, c. XI, n. 17. — ¹⁴ Ezech., II, 9.

me, in qua erat liber involutus; et scripta erant in eo lamentationes, et carmen, et vae. » Libri enim scriptura (a), sub ejus litterali sensu et allegoria Christus involvitur, tripliciter ostendit Christum nobis, videlicet tanquam redemptorem, tanquam judicem, et ultorem, tanquam remuneratorem. Lamentatio ergo ad redemptionem passionis, vae ad ultionem damnationis, carmen ad remunerationem beatificationis pertinet. Primum, in mundo; secundum, in inferno; tertium, in cœlo: ut sic *in nomine Jesu omne genu flectatur: caelestium*, tanquam glorificatori; *terrestrium*, tanquam redemptori; *infernum*, tanquam ultori. Lamentemur ergo pro peccatis nostris coram redemptore pro peccatis nostris passo. Gregorius¹: « Mala, quæ nos egisse meminimus, fletibus puniamus, ut per lamenta pœnitentiæ perveniamus ad carmen vitæ: ne, si affligi modo pœnitendo noluerimus, vae postmodum sine fine sentiamus. »

SERMO VIII.

*Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*². Caro enim carni amicabile est, passibilis, esibilis, sensibilis. Filius ergo Dei, qui est Verbum, caro factus est, ut esset amicabile pro desiderio, passibilis pro triumpho, esibilis pro sacramento, sensibilis pro exemplo: ut sic in carne Christi esset dilectionis fomentum, redemptionis tormentum, refectionis sacramentum, imitationis documentum.

De primo³: « Omni vita tua dilige Deum, et invoca illum in salute. Omne animal diligit simile sibi: sic et omnis homo proximum sibi. Omnis caro ad similem sui conjungetur. » In hoc verbo ostenditur Deus esse diligendus, non solum quia Deus, sed quia caro nobis similis. Diligitur autem quandoque caro multum aliena; magis autem diligitur propinqua; maxime autem proxima.

Diligitur caro aliena propter speciem; et quisnam speciosus sicut Christus? Psalmista⁴: « Speciosus forma, » etc. Item propter nobilitatem. Caro autem Christi ex sanguine fuit regali⁵: « Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, » et nobilissimo sanguine virginali. Augustinus⁶: « Nobilitas fuit nascentis in virginitate parientis, et nobilitas parientis fuit in divinitate nascentis. « Item magis diligenda est caro Christi tanquam propinqua nobis in primo gradu: frater enim noster est. Ipse enim est verus Joseph, de quo⁷: « Frater noster et caro nostra est. » Bernardus⁸: « An trepidas ad Christum accedere? frater tuus est et caro tua, per omnia tentatus absque peccato, ut misericors fieret. » Item magis diligenda est caro Christi quasi propria⁹: « Nemo enim unquam carnem suam odio habuit. » Quis enim carnem capitis sui non diligeret, cum carnem membrorum suorum diligit homo plusquam aurum? Christus autem caput nostrum est, nosque ejus membra¹⁰: « Membra sumus corporis ejus, de ossibus ejus, et de carne ejus. »

De secundo¹¹: « Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, » etc. Glossa: « Eisdem, id est carni et sanguini. » Vel eisdem, id est pueris factus est puer, constans ex anima et carne. Bene autem dicit similiter, juxta idem¹²: « Deus Filium suum misit in similitudinem (b) carnis peccati, » etc. Magnæ enim dignationis esset, si in similitudinem carnis gloriæ; item majoris, si in similitudinem carnis innocentiae misisset, quomodo fuit caro ante lapsum; maximæ autem dignationis, quod in similitudinem (b) carnis culpæ, id est in carne passibili et mortali misit Filium, ut per mortem talis carnis destrueret mortis imperatorem. Si ergo volumus ab isto imperatore liberari, si-

in Nativ. B. Mar., serm., n. 7. — ⁹ Ephes., v, 30. — ¹⁰ Ibid. — ¹¹ Hebr., II, 14. — ¹² Rom., VIII, 3.

(a) *Leg.* Liber enim Scripturæ. — (b) *Cæt. edit.* similitudine.

¹ Greg., ubi sup., hom. IX, n. 35. — ² Joan., I, 14. — ³ Eccli., XIII, 18-20. — ⁴ Psal., XLIV, 3. — ⁵ Rom., I, 3. — ⁶ Aug., serm. CC, n. 2. — ⁷ Gen., XXXVII, 17. — ⁸ Bern.,

mus cum puero pueri, id est puri a peccatis, quam puritatem per passionem purissimæ carnis consequimur ¹ : « Nunc reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem exhibere nos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso. »

De tertio ² : « Qui manducat carnem meam, » etc. Qualiter autem hæc caro manducanda sit, significatum est ³ : « Edent carnes nocte illa assas igni. » Quidam comedent carnes Christi crudas, per præparationis negligentiam, crudo corpore, sine debita consideratione et devotione accedentes ad altare; quidam coctas aqua, dum per mundanam sapientiam carnali spiritu et ratione discutere volunt hoc sacramentum; item quidam assas igni, per Spiritus sancti præsentiam, dum divina virtute accenduntur et ignito amore. De his omnibus ⁴ : « Non comedetis ex eo crudum quid, neque coctum aqua, sed assum tantum igni. » O amor Dei! O quantum obsessos amaret, qui seipsum in hostili obsidio, aliquibus manducandum daret, ne fame deficerent! Hoc facit verus amicus Christus in hac vita, qua a dæmonibus obsidemur ⁵ : « Unusquisque carnes amici sui comedet in obsidione. »

De quarto ⁶ : « Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. » Si Filius Dei neque sentiri per carnem, neque sentire potuisset, quomodo ejus conversatio vel operatio exemplum imitandi fuisset? Unde Leo Papa ⁷ : « Non esset Deus verus, nisi afferret remedium; et non esset verus homo, nisi præberet exemplum per carnem. » Ergo Christi sensibilem habemus formam in conversatione : *Verbum caro factum est*, et cætera usque *plenum gratiæ et veritatis*. Iterum exemplum in passione ⁸ : « Christo igitur in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini. » Item spem in resurrectione (a) ⁹ :

« Initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, id est, per carnem suam. » Gregorius ¹⁰ : « Ad hoc Dominus apparuit in carne, ut humanam vitam admonendo excitaret (b), exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, et resurgendo repararet. »

SERMO IX.

Verbum caro factum est. Filius Dei factus est caro, ut esset, sicut dictum est, amicalis ad dilectionem, passibilis ad redemptionem, esibilis ad refectionem, sensibilis ad imitationem.

Caro utique factus est, ut per carnem caro alliceretur, per carnem caro redimeretur, per carnem caro reficeretur, per carnem caro reformaretur. Reficeretur itaque non carnaliter, sed spiritualiter. Ut enim ait Augustinus ¹¹ : « Non est cibus ventris, sed mentis. » Unde benedicta caro Christi in his quatuor effectibus propositis præfigurata est in Veteri Testamento. Hæc caro est, qua Eva producit ¹², Goliath vincitur ¹³, Elias pascitur ¹⁴, Naaman restituitur ¹⁵. Amicalis igitur est caro Christi ad dilectionem fidelibus omnibus, quia hac carne per passionis ejus effectum, et regenerationis sacramentum sunt producti, sicut Eva de latere Adam ¹⁶ : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. » Adam Christum, Eva Ecclesiam significat. De latere Adæ dormientis formatur Eva; de latere Christi patientis, Ecclesia producit, cum de latere Christi sanguis in pretium redemptionis, et aqua in sacramentum ablutionis profluxerunt. Sicut autem Eva multum diligere debuit Adam, quia non solum ejus sponsa, sed etiam ejus caro fuit; sic utique Ecclesia, et quælibet fidelis anima Christum. Filius enim Dei de tua carne, et de ejus carne es producta. Quare non solum ejus sponsa, sed etiam

¹ Coloss., 1, 22. — ² Joan., VI, 54 vel 56. — ³ Exod., XII, 8. — ⁴ Ibid., 9. — ⁵ Jerem., XIX, 9. — ⁶ Luc., XXIV, 39. — ⁷ Leo, in Nativ. Dom., serm. I, n. 2. — ⁸ I Petr., IV, 1. — ⁹ Hebr., X, 20. — ¹⁰ Greg., Moral., lib. XXI, c. v, al. VI, n. 11. — ¹¹ Aug., de

Diversis, serm. IX, al. LVII, n. 7, quoad sensum. — ¹² Gen., II, 21. — ¹³ I Reg., XVII, 44. — ¹⁴ III Reg., XVII, 6. — ¹⁵ IV Reg., V, 10. — ¹⁶ Gen., II, 22.

(a) Leg. resurrectionem. — (b) Carl. edit. deest excitaret.

de carne ejus es producta. Si vero vis diligere eum, de cujus carne es, vel enim qui de tua carne est, dilige Christum. Filius enim Dei de tua carne factus est filius hominis corporaliter, ut tu de carne ejus fieres spiritualiter. Joannes Chrysostomus ¹ : « Homo appellatus est, ut te Deum vocaret; filius hominis dictus, ut te in filium adoptaret. »

Passibilis etiam est caro Christi ad redemptionem, ut carnis passione de diabolo triumpharet, cum diabolus infirmitatem carnis ejus contemneret, sicut significatum est ², ubi ait Goliath ad David : « Veni ad me, et dabo carnes tuas volatilibus cœli et bestiis terræ : » et ecce caro, quam contempsit, vicit ipsum. Goliath diabolum, David Christum, volatilia Judæos persequentes, bestię Gentes crucifigentes significare possunt. Ad litteram autem, libenter vidisset diabolus quod caro Christi ab avibus in cruce, vel a bestiis, deposita in terra, devorata fuisset; sed caro a diabolo contempta diabolum stravit, invadens eum baculo crucis, item quinque lapidibus in peram collectis, id est duris quinque vulneribus in corpore suo susceptis.

Esibilis est caro ad refectionem, et præfigurata est in carne, qua passus est Elias in torrente Carith, de quo ³ : « Corvi deferebant ei carnes et panem mane, » etc. Sacramentum corporis Christi dicitur panis propter speciem, caro propter rem. Mane et vespere ministratur hæc caro, quoniam a principio Ecclesię usque ad finem non deerit hoc sacramentum ⁴ : « Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. » Per torrentem Carith contritio significatur ⁵ : « Deduc quasi torrentem lacrymas. » Carith enim *divisio* interpretatur. In contritione enim homo separatur a peccatis et a diabolo. Unde ⁶ : « Lapidem caliginis et umbram mortis, » id est peccatum, « dividit torrens, » id est, contritio,

¹ Imo auctor sermonis in *Vener. Crucem*, inter Opera Chrysost., Append. tom. II, pag. 822, al. 988. — ² I Reg., XVII, 44. — ³ III Reg., XVII, 6. — ⁴ Matth., XXVIII, 20. — ⁵ Thren., II, 18. — ⁶ Job, XXVIII, 4. —

« a populo peregrinante, » id est a justis. Carnem ergo Christi in torrente comedit, qui hoc sacramentum in contritione comedit. Sensibilis quoque fuit ad imitationem, ut exemplo ejus in via per sanctificationem, in patria per glorificationem reformemur. Unde bene figurata est, ubi de Naaman septies loto in Jordane dicitur ⁷ : « Restituta est caro ejus sicut caro parvuli pueri. » Puer parvulus est Christus ⁸ : « Parvulus natus est nobis. » Hujus pueri caro mundissima fuit. Fœtidior est anima peccatrix corpore leproso. Bene Naaman leprosus peccatorem significat. Leprosus ergo ad modum parvuli restituitur, quando peccator in munditia et sanctitate carnem Christi mundissimam imitatur, et sic exemplo puritatis parvuli sanatur. Non solum autem exemplo puritatis, sed etiam humilitatis : arctum est enim ostium ad vitam ⁹, et non potest intrare nisi parvulus ¹⁰ : « Quisquis non recipit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. » Ecce quanta beneficia nobis exhibuit Deus in carne sua. Bernardus ¹¹ : « Videns Deus homines omnino carnales effectos, tantam eis dulcedinem in carne exhibuit, ut durissimi cordis sit quisquis eum ex toto affectu non diligit. »

DOMINICA INF. OCT. NATIVIT. DOMINI.

SERMO PRIMUS ¹².

Positus est hic in ruinam, et resurrectionem multorum in Hierusalem, et in signum cui contradicetur ¹³. Quoniam in aspectu solis materialis, secundum varias dispositiones intuentium, oportet alios constrictari, alios vero delectari; hinc est quod sanctus Simeon dono prophetiæ illustratus, videns exterius sermonibus honestis, exemplis et operibus lucidis, procedentibus a sole justitię Christo, propter cæcitatem malitię multos perturbandos, ac per hoc in præcipitium culpę ruere, alios vero rectificandos, et ad lumen gratiæ

⁷ IV Reg., V, 10. — ⁸ Isa., IX, 6. — ⁹ Matth., VII, 14. — ¹⁰ Marc., X, 16. — ¹¹ Bern., in *Cant.*, serm. XX, n. 6, quoad sensum. — ¹² Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ¹³ Luc., I, 34.

resurgere, propositum verbum de Christo protulit dicens : *Positus est hic in ruinam*. In quo quidem verbo primo notatur perversitas acceptæ occasionis ex boni operis exhibitione, cum dicit : *Positus est hic in ruinam*; secundo benignitas piæ subventionis in prostrati hominis sublevatione, cum addit : *Et in resurrectionem multorum*; tertio notatur exemplaritas imitandæ directionis in bonæ actionis regulatione, cum dicit : *In signum*; quarto notatur malignitas prævæ impugnationis in benigni Conditoris contradictione, cum subinfert : *Cui contradicitur*.

Dicit ergo : *Positus est hic in ruinam*, ubi notatur perversitas acceptæ occasionis ex boni operis exhibitione. Vere magna perversitas, de bono alieno facere malum, nihil malignius, nihil stolidius sub cælo. Sed ratio quare isti perversi ex bonis operibus accipiebant occasionem ruinæ et mortis, est ista. Naturaliter enim quidquid projicitur in modulum, induit formam et figuram moduli, eo quod est ibi per modum recipientis, et non recepti : quia ergo corda illorum erant perversa et iniqua, ideo quidquid boni de Christo in cordibus eorum capiebatur, solita perversitate iudicii perversum fiebat. Et ob hanc rationem suæ perversæ malignitatis ipsi fuerunt sibi causa ruinæ et mortis : licet etiam (a) occasionem acceperint ex bonis operibus Christi. Nam Christus primo, in quantum virtus, propter benignam humilitatem assumptæ infirmitatis, positus est hic in ruinam superbiorum; secundo, in quantum veritas, propter justam argutionem humanæ iniquitatis, positus est hic in ruinam malignorum; tertio, in quantum salus, propter voluntariam susceptionem illatæ mortis, positus est hic in ruinam impiorum.

Primo Christus, in quantum virtus, propter assumptæ infirmitatis humiliationem, fuit medicinalis potio ad expellendum vitium superbæ. Hac autem superbæ medicina abutentes, solo (b) vitio, quod erat causa sa-

lutis, commutant in ruinam mortis. Unde superbus Herodes volens cum humilibus Magis subdi Omnipotenti, sub infirmitate nostræ carnis jacenti humiliter, imo accepta occasione a benigna humilitate assumptæ infirmitatis, sola malignitate voluntatis fuit sibi causa maximæ ruinæ, quærens interficere Christum : et quod fuit superbo Herodi, ratione humilitatis abutenti, occasio ruinæ et mortis, hoc fuit humilibus Magis bene utentibus causa salutis. De hoc dicitur : « Erit vobis Dominus in sanctificationem; in lapidem autem offensionis et petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum et ruinam habitantibus Hierusalem. » Fuit Dominus in sanctificationem humilibus Magis, eo quod abstulit ab eis errorem insipientiæ, tumorem superbæ, et fæctorem immunditiæ, tribuendo splendorem veritatis in corde, ut cognoscerent mysterium incarnationis; firmitatem sermonis in ore, ut confiterentur coram Herode rege superiorem; et timorem filialis reverentiæ, ut adorarent Dominum creatorem. Et sic quamvis in humanitate viderent humilem, adorabant tamen, et crediderunt Dei virtutem, et Dei sapientiam cognoverunt. ¹ « Et erit Deus in lapidem offensionis et petram scandali duabus domibus Israel. » Israel interpretatur *directio Domini*, sive *vir videns Deum*, et significat hominem, qui aptus natus est dirigi in divinam visionem, sive in creatura, sive in propria essentia. Duæ domus Israel, scilicet cor et os. Nam cor est habitaculum Dei in credendo, os vero est expressivum sermonis in confitendo, eo quod ² « corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem. » Sed domui cordis est Deus in lapidem offensionis, propter cæcitatem infidelitatis; et domui oris est petra scandali, propter negationem divinitatis. Tertio est Dominus in laqueum et in ruinam habitantibus Hierusalem, id est Herodi et complicitibus suis, propter mortis ejus malignam conspirationem : qui quidem Herodes et sui collaterales nunc ad litteram

¹ Isa., vii, 14. — ² Rom., x, 10.

(a) *Cat. edit.* enim. — (b) *Leg. suo.*

habitabant sive morabantur in Hierusalem. Et de hoc dicitur in *Proverbiis* ¹: « Qui exaltat cor suum (a), quærit ruinam. »

Secundo Christus, in quantum veritas, propter argutionem justam humanæ iniquitatis, positus est hic in ruinam malignorum. Et hoc est quod dicitur ²: « Ros lucis, ros tuus, et terram gigantium detrahes in ruinam. » Efficacissima doctrina Christi nomine lucis et roris appellatur, eo quod erat manifestativa et denudativa turpium ad modum lucis, et moderativa sceleris ad modum roris. Nam secundum Isidorum ³: « Ros arceat venena de nocte, ne noceant. » Sed iniqui dilexerunt videri magis tenebras, ut liberius possent vacare sceleribus, ut jam non sustinerent increpationes et puncturas justæ argutionis, machinati sunt in maleficium arguentis, ut dicit Dominus ⁴: « Quid me quæritis interficere, hominem qui vera locutus sum vobis? » Vere miserabilis insania! irascimur sananti, et non irascimur vulneranti. Et certe incenrabilis est iste morbus, non ex defectu medici, sed ex vitio ægroti; et certam gigantium alios in malitiam extendentes ⁵ per rigorem divinæ justitiæ detrahens in ruinam damnationis æternæ.

Tertio Christus, in quantum salus, propter voluntariam susceptionem illatæ mortis, est positus in ruinam impiorum. Christus enim in cruce, tanquam botrus in toreulari, compressus, per vulnera sui floridi corporis odoriferum liquorem expressit omnium morborum sanativum, et saluti sufficientissimum. Hoc autem medicinali liquore impii Judæi offensi sunt, adeo ut ruinam mortis incurrerint, et ruinam multiplicarent, spernendo medicamentum saluberrimum et antidotum, quo genus humanum salvabatur: similes buffonibus, qui adeo offenduntur de bono odore fragrante de arbore vinearum, quod in rugam convertantur. Et de hoc

dicitur ⁶: « In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera, et ruinas eorum justî videbunt. » Vere in multiplicatione impiorum Pharisæorum multiplicata sunt scelera, cum ⁷ collegere pontifices et pharisæi consilium, ut Jesum dolo tenerent et occiderent. Sed justî, id est apostoli, viderunt eorum ruinas, quando filii regni, scilicet Herodes et Judæi, fuerunt ejecti foras per divinam reprobationem, et gentes in sinu Abrahamæ recubuerunt per benignam adoptionem.

Sequitur: *In resurrectione multorum*; ubi notatur benignitas piæ subventionis in prostrati hominis sublevatione. Ista benignitas piæ subventionis apparet in sublevatione trium generum hominum veritati obtemperantium, quibus Christus est causa vitæ et salutis, secundum triplicem proprietatem, per quam fuit occasio passiva et accepta ruinæ et mortis obstinatis et veritati contradicentibus. Nam primo, propter benignitatem piæ subventionis, in quantum virtus, impotentes resurgunt a crudelitate potestatis diabolicæ irascibilem deprimentis. Secundo, propter benignitatem piæ subventionis, in quantum veritas, insipientes resurgunt a tenebrositate ignorantiae rationalem obcæcantis. Tertio, propter benignitatem piæ subventionis Christi, in quantum salus, lascivientes resurgunt a fœditate carnis lasciviæ concupiscibilem deformantis. Primo propter benignitatem piæ subventionis, in quantum virtus, resurgunt impotentes a crudelitate diabolicæ potestatis. Unde dicitur ⁸: « Surge velociter, quia ceciderunt catenæ de manibus tuis. » Petrus positus in vinculis ferreis diabolica suggestionem, et sub custodia militum, ut interficiatur, signat peccatorem ligatum vinculis diabolicæ fraudis, et positum sub custodia dæmonum ad perdendum morte damnationis æternæ. Hic autem excitatur ad surgendum angelica admonitione, quia per auxilium Christi, confringentis æreas portas

a) *Vulg.* ostium.

¹ *Prov.*, XVI, 19. — ² *Isa.*, XXVI, 19. — ³ *Isid.* — ⁴ *Joan.*, VII, 19. — ⁵ *Locus corruptus.* — ⁶ *Prov.*, XXIX, 16. — ⁷ *Joan.*, XI, 17. — ⁸ *Act.*, XII, 7.

diabolicæ custodiæ, ceciderunt catenæ diabolicæ fraudis de manibus malorum operum ejus. De hoc similiter dicitur de David ¹ : « Surrexit David in die illa, et fugit a facie Saul. » Saul interpretatur *abutens*, et significat diabolum, qui abutitur creaturis Dei : de cujus potestate bonus David surgit per auxilium virtutis Christi, fugiens ab ejus notitia (*a*). Secundo, propter benignitatem piæ subventionis Christi, in quantum veritas, insipientes resurgunt (*b* a tenebrositate ignorantiae rationalem obæcantis. Et de hoc dicitur ² : « Surge, illuminare, Hierusalem, quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est. » *Surge, illuminare, Hierusalem* : ecce tenebrositas cæcitatatis : non enim illuminatur nisi carens luce. *Quia venit lumen tuum* : ecce benignitas venientis, eo quod lumen angelorum factum est lumen hominum, lumen supernorum factum est terrenorum. *Et gloria Domini super te orta est* : ecce jucunditas cordis : Si enim magna est gloria carenti visu in videndo iterum lucem, multo magis debet esse generi humano obæcato per peccatum, quod per adventum veri luminis de tenebris ad lucem revocatur. Tertio propter benignitatem piæ subventionis Christi, in quantum salus, lascivientes resurgunt a fœditate carnis lasciviæ, concupiscibilem deformantis. Et de hoc dicitur Josue ³ : « Surge, et transi Jordanem, tu et omnis populus tecum, in terram quam ego dabo filiis Israel, » qui interpretatur *videns Deum*. Sic boni Christiani reprehensione carnis Deum vident in propria conscientia : istis, pro obtinenda cœlestis patriæ inhabitatione, præcipitur transire per fluxum carnalis concupiscentiæ, quæ nomine fluvii defluentis designatur.

Sequitur tertio exemplaritas imitandæ directionis in bonæ actionis regulatione, cum dicit : *In signum*. Licet fuerit Dominus

Christus

sua actione, tamen, quantum ad præsens, tripliciter fuit signum : primo virtuosissimæ reconciliationis in incarnatione ; secundo fuit signum veracissimæ revocationis in prædicatione ; tertio fuit signum saluberrimæ curationis in passione. Primo positus est in signum virtuosissimæ reconciliationis in incarnatione. Unde dicitur ⁴ : « Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis. » Arcus iste, qui generatur ex radio solis in nube concava et rorida, est Christus, qui constat ex radio solari divinitatis, et nube humanitatis ratione humilitatis. Et dicitur concava et rorida ratione plenitudinis gratiæ. Dicitur poni in nubibus, id est, defectibus carnalibus tenebræ humanitatis impediens ab hominibus salutem, non ut obscuraret (*c*), sed ut contemperet : ejus extrema contingunt cœlum divinitatis, et terram humanitatis : et iste arcus est signum fœderis inter Deum et creaturam. Secundo fuit signum veracissimæ revocationis in prædicatione ; unde ⁵ : « Levabit signum Dominus in nationibus, et congregabit profugos Israel, et dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ. » *Levabit Dominus signum* revocationis in prædicatione ad vocationem. *Congregabit profugos Israel*, id est, aptos dirigi in via bona : nam Israel *directio Domini* interpretatur. *Et colliget dispersos Juda ad confitendum nomini Domini* : Juda enim *confessio* interpretatur. Istos etiam *congregabit et colliget a quatuor plagis terræ*, id est, a quatuor inordinatis affectionibus, scilicet a timore vanitatis et superbiæ, ad timorem humilitatis et reverentiæ ; et a fœtore carnalitatis et immunditiæ, ad nitorem castitatis et sanctimoniam ; ab ardore terrenitatis et avaritiæ, ad amorem paupertatis et inopiæ ; a furore impietatis et invidiæ, ad dulcorem charitatis benignæ. Tertio fuit signum salutiferæ curationis in passione ; unde dicitur ⁶ : « Fecit Moyses serpentem æneum pro signo, quem percussi intuentes, sanabantur. » Serpens ille, qui

tripliciter signum.

Quatuor affectiones inordinate.

¹ 1 Reg., XXI, 10. — ² Isa., LX, 1. — ³ Jos., I, 2. — ⁴ Gen., IX, 13. — ⁵ Isa., XI, 12. — ⁶ Num., XXI, 8.

(a) Leg. malitia. — (b) resurgunt. — (c) obscurat.

habet similitudinem et effigiem serpentis, tamen carens veneno, signat Dominum nostrum Jesum Christum, qui habet naturam et effigiem hominis, tamen carens veneno peccati: ut quemcumque momorderit astutia satanæ, intneatur Christum in ligno pendentem, per passionem (a) et imitationem, et plenam inveniet curationem. Nam si tentetur de honoribus, invenit mortem vilissimam; si de deliciis, mortem invenit dolorosissimam; si de divitiis, nuditatem pauperrimam. Et sic virtute passionis Christi a morsibus antiqui serpentis medebitur.

Quarto et ultimo notatur malignitas vel perversitas pravæ impugnationis in benigni Conditoris contradictione, ibi: *Cui contradicetur*. Vere magna malignitas, contradicere tanto ac tali doctore! Nam primo ejus insuperabili virtuti contradixerunt superbi, per temerariam attributionem infirmitatis et impotentiae; secundo infallibili veritati contradixerunt falsiloqui, per falsam impositionem falsitatis et blasphemiae; tertio indeclinabili bonitati contradixerunt maligni, per calumniationem malignam seductionis et malitiae. Primo ergo fuit contradictum ejus infallibili veritati per temerariam attributionem infirmitatis et impotentiae. Superbi enim Judæi, qui videbant Christum secundum humanitatem pati et infirmari, habentes obscuratum intellectum propter tumorem superbiae, non crediderunt ipsum esse Dei virtutem secundum divinitatem: per temerariam attributionem infirmitatis et impotentiae, contradixerunt ejus virtuti divinitatis, quam antea monstraverat in factis miraculosis, cum exprobrando dicebant ¹: « Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. » O superbi Judæi, cæciores ipsa cæcitate, ruinam non attendentes! quoniam majoris virtutis est patienter in tormentis usque in finem perseverare, et de infirmitate corporis multipliciter triumphare, quam de cruce descendere, et ab infirmitate carnis

miserabiliter superari. Si enim nullus salvabitur, nisi *qui perseveraverit usque in finem* ², quomodo Christus Jesus nomine et re salus diceretur, si in cruce patienter usque in finem non perseverasset? Unde in Psalmo ³: « Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium, » inquit Filius Dei ad Patrem. *Eripies me de contradictionibus populi* Judaici exprobrantis et temerarie attribuentis virtuti divinitatis infirmitatem et improprium: *constitues me in caput gentium*, id est, credentium me non tantum esse hominem, sed etiam Deum omnipotentem. Tertio infallibili ejus veritati fuit contradictum a falsiloquis per impositionem falsitatis et blasphemiae. Falsiloqui Pharisei ejus infallibili veritati imponebant falsitatem et blasphemiam, cum dicebant ⁴: « Tu de teipso testimonium perhibes, et testimonium tuum non est verum, » et alibi ⁵: « Ille blasphemat. » Et hoc est, quod dicitur ⁶: « Suscitatur adversus faciem meam falsiloquus contradicens mihi. » Contra quem similiter dicitur ⁷: « Hæc est consolatio mea, ut affligens me dolore non pareas, nec contradicam sermonibus Sancti. » Job interpretatur *dolor*, sive *ululans*, et signat pœnitentem dolentem, et plorantem de peccatis suis. Hic notatur non solum non contradicere sermonibus Sancti sanctorum Christi; sed et magna consolatio est sibi, ut Christus (b) bonus medicus non parcat, patefaciendo vulnera scelerum cum gladio prædicationis, ut affligatur multiplex dolore contritionis propter recuperationem sanitatis. Tertio, ejus indeclinabili bonitati fuit contradictum per calumniationem malignam seductionis et malitiae. Maligni Judæi, qui calumniabantur ipsam bonitatem Christi, dicentes Christum esse malitiosum, sive *seductorem* ⁸ in sermone, et *devorantem* ⁹ atque *peccantem* ¹⁰ in opere; imo, quod pejus est, *ponebant*

¹ *Matth.*, xxvii, 42. — ² *Ibid.*, x, 22. — ³ *Psal.* xvii, 44. — ⁴ *Joan.*, viii, 13. — ⁵ *Matth.*, ix, 3. —

⁶ *Job*, xvi, 9. — ⁷ *Job*, vi, 10. — ⁸ *Matth.*, xxvii, 63. — ⁹ *Luc*, vii, 34. — ¹⁰ *Joan.*, ix, 24.

(a) *Forte leg.* compassionem. — (b) *Cæt. edit.* Christi.

bonum malum et lucem tenebras ¹, dicentes miraculosa opera Christi filii Dei fieri in *Beelzebub principe dæmoniorum* ². Et quia *malos male perdet* ³, ideo dicitur de eis ⁴: « Confundantur et erubescant (a) omnes qui pugnant adversus te : erunt quasi non sint, et peribunt qui contradicunt tibi, » etc.

SERMO II ⁵.

Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur ⁶. In ruinam non credentium, et in resurrectionem credentium. Vel in ruinam per offensam, et in resurrectionem per gratiam. Vel in ruinam per pœnam, et in resurrectionem per gloriam. Vel in ruinam per ignorantiam, in resurrectionem per victoriam. Item, in signum cui contradicetur. Considerandum autem quod Dominus positus est in signum castitatis in conceptione, humilitatis in conversatione, charitatis in passione, immortalitatis in resurrectione. Contradicetur autem in his signis per signa diaboli, scilicet luxuriæ, superbiam, invidiæ, vanæ lætitiæ.

De primo ⁷: « Dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce virgo concipiet, » etc. Sicut Jesus corporaliter non concipitur, neque clauditur nisi virginali utero, ita neque spiritaliter nisi in casta mente. Et sicut virginitas Mariæ non fuisset signum sine fructu proli, sic neque castitas sine fructu boni operis. Unde et signum virgæ Aaron fuit in flore et fructu ⁸, in castitate et opere. Vere flos decorus, flos angelicus est castitas. Quid castitate decorius, quæ mundum *de immundo conceptum semine* ⁹, domesticum de hoste, angelum de homine facit? Unde Dominus præcepit ¹⁰ non solum præcingere lumbos, sed etiam lucernas habere. Sed, heu! signo continentiam contradicetur signo luxuriæ ¹¹: « Ad omne caput viæ ædificasti si-

gnum prostitutionis tuæ, et abominabilem fecisti decorem tuum. » Signum prostitutionis luxuria vocatur principaliter. Infelix enim luxuria principium est malarum viarum, sicut patet in pueris colludentibus. Bene autem dicit: *Ædificasti* : sicut enim ædificantes lapidem lapidi apponunt, ita luxuriosi nunc verbis, nunc tactu, nunc factis, nunc habitu, nunc nutu, signa prostitutionis multiplicant.

De secundo, quia signum humilitatis ab ipsa nativitate sua ostendit, dicitur ¹²: « Hoc vobis signum : Invenietis infantem, » etc. Hoc autem signum non solum in nativitate, sed etiam in omni conversatione ejus invenitur ¹³: « Discite a me, » etc. Beatus qui hoc signo Filii Dei signatus est. Sed, heu! huic signo contradicetur per signum superbiam, quod tamen boni detestantur ¹⁴: « Tu scis infirmitatem et necessitatem meam, quia abominer signum superbiam et gloriæ meæ, quod est super caput meum, » etc. Habent hic mulieres exemplum, qualiter se habeant ad ornatum. Signum superbiam est, sicut hic, in ornatu; item in actu ¹⁵: « Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam. » Item in verbo ¹⁶: « Os eorum locutum est superbiam. » Item in loco ¹⁷: « Superbia eorum, qui te oderunt, » etc. Superbi enim semper ad digniorem locum tendunt, sicut Lucifer ¹⁸, contra illud ¹⁹: « Recumbe in novissimo loco. » Attende ergo, contra signa superbiam, signa humilitatis Christi, cum dicitur: *Hoc vobis signum : Invenietis infantem*, etc. Infans fuit, contra superbiam in verbo; pannosus, contra superbiam in ornatu; involutus, contra superbiam in actu manuum vel incessu pedum; positus in præsepio, contra superbiam in loco.

De tertio ²⁰: « Posuit me quasi signum

4. — ¹⁰ *Luc.*, XII, 35. — ¹¹ *Ezech.*, XVI, 25. — ¹² *Luc.*, II, 10. — ¹³ *Matth.*, XI, 29. — ¹⁴ *Esth.*, XIV, 16. — ¹⁵ *Psal.* C, 7. — ¹⁶ *Psal.* XVI, 10. — ¹⁷ *Psal.* LXVIII, 23. — ¹⁸ *Isa.*, XIV, 13. — ¹⁹ *Luc.*, XIV, 10. — ²⁰ *Thren.*, III, 12.

(a) *Vulg.* Confundentur et erubescant.

¹ *Isa.*, V, 20. — ² *Matth.*, XI, 24. — ³ *Matth.*, XXI, 41. — ⁴ *Isa.*, XLI, 11. — ⁵ Hunc et sequentes usque ad serm. I, exclusive, Dom. infra Octav. Epiph., habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁶ *Luc.*, II, 34. — ⁷ *Isa.*, VII, 14. — ⁸ *Num.*, XVII, 8. — ⁹ *Job*, XIV,

ad sagittam. » Maximum enim charitatis signum fuit, quod Christus sagittas opprobriorum, irrisionum, sputorum, colaphorum, clavorum et lanceæ sustinere voluit. Sic et nos per charitatem esse debemus tanquam immobile signum contra sagittas castigationum divinarum, de quibus ¹ : « Sagittæ Domini in me sunt. » Item contra sagittas irritationum humanarum, de quibus Psalmista ² : « Filii hominum, dentes, » etc. Item contra sagittas tentationum diabolicarum ³ : « In omnibus sumentes scutum fidei (contra) tela nequissimi. » Item contra tam multiplices sagittas adversitatum stat charitas, quasi signum (a) immobile. Augustinus ⁴ : « Charitas inter opprobria secunda est : inter odia, benefica ; inter rixas (b), placida ; inter insidias, innocens : iniquitatem (c) gemens, in veritate respirans. » Sed, heu ! huic signo contradicitur per signum odii et fraudulentæ, sicut Judas qui tradidit eis (d) signum, » etc.

De quarto ⁵ : « Fac mecum signum in bonum, » etc. Glossa ⁶ : « Resurrectionis signum, scilicet signum Jonæ Prophetæ. » Sicut enim ⁷ Jonas tertia die in aridam evomitur, ita Christus tertia die in soliditatem immortalitatis suscitatur, relicto mari mortalitatis vitæ et fluctuantis sæculi, de ventre inferni exiens. Ut ergo in resurrectione generali in aridam evomaris, dic Domino : *Fac mecum signum in bonum* (e). O signum ! O gaudium, quando naufragus venit ad aridam salutis ! Huic autem signo contradicitur per signum transitorie lætitiæ, propter quam lætitiæ immortalis vita sæpe destruitur. ⁸ « Venite ergo, et fruamur bonis, » et cætera usque : « Ubique relinquamus signa lætitiæ nostræ : » ubi stultorum lætitiæ specificatur in juventute, in vino, in unguentis, in coronis rosarum, in luxuria, in societate mala.

SERMO III.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius ⁹. Glossa : « Dolor dominicæ passionis : » quia non poterat videre crucifixum sine affectu materni doloris, tametsi speraret resurrectionem et mortem devicturum. Gladius autem pertransiens animam quadruplex est, scilicet diabolicæ tentationis, evangelicæ prædicationis, tyrannicæ persecutionis, extremæ animadversionis. Primus transit animam in consentiendo ; secundus, in compungendo ; tertius, in compatiendo ; quartus, in condemnando.

Gladius pertransiens animam quadruplex.

De primo *Job* ¹⁰ : « Qui fecit eum, applicabit in eum gladium. » Contra gladium tentationis armari debemus virtutibus ¹¹ : « Induite vos armatura (f) Dei, » etc. Sicut autem latro transfigitur (g), ut cor gladio vulneretur, ita diabolus facit. Unde Holofernes de Achior ait ¹² : « Gladius militiae meæ transeat per latera tua, et confixus cades inter vulneratos Israel, et non respirabis ultra, donec exterminaberis cum illis. » Holofernes diabolum significat : interpretatur enim *infirmitas vitulum saginatum*, id est Christum : de quo in *Luca* ¹³ : Adducite vitulum saginatum, et occidite. » Vel significat quemlibet justum ; Psalmista ¹⁴ : « Imponent (h) super altare tuum vitulos, » etc. Latera sunt uxor, quæ de latere viri facta est ; vel consilarii, aut familiares. Bernardus *ad Eugenium Papam* ¹⁵ : « Non te sanum putaveris, dolentem latera (i), neque te bonum crederis malos invocantem (j). » Istos diabolus per malitiam vulnerat, ut per eos latus tuum vulneretur. Sicut fraudulentus amicitiam simulat, ut interim feriat ; ita diabolus per temporalem felicitatem et voluptatem homini arridet et occidit. Hoc significatum est ¹⁶, ubi

23. — ¹⁴ *Psal.* L, 21. — ¹⁵ Bern., *de Consid.*, lib. IV, c. IV, n. 9. — ¹⁶ *II Reg.*, XX, 9.

(a) *Cæt. edit.* lignum. — (b) *Al.* iras. — (c) *Al.* inter iniquitates. — (d) *Vulg.* dedit illis. — (e) *Cæt. edit.* bono. — (f) *Vulg.* Accipite armaturam. — (g) *Leg.* transfigit. — (h) *Cæt. edit.* imponet. — (i) *Cæt. edit.* omis. latera. — (j) *Edit. Mabill.* 1690. *Oper. Bern.* hoc est, ne te dixeris bonum, malis inimicentem.

¹ *Job*, VI, 4. — ² *Psal.* LVI, 5. — ³ *Ephes.*, VI, 16. — ⁴ *Aug.*, *de Laude Charit.*, al. *Serm.* CCCL, n. 3. — ⁵ *Psal.* LXXXV, 17. — ⁶ *Gloss.* interl. — ⁷ *Matth.*, XII, 40. — ⁸ *Sop.*, II, 6-9. — ⁹ *Luc.*, II, 35. — ¹⁰ *Job*, XL, 14. — ¹¹ *Ephes.*, VI, 13. — ¹² *Judith.*, VI, 4. — ¹³ *Luc.*, XV,

Joab tenuit mentum Amasæ, quasi deosculans eum, et percussit eum in latere, et mortuus est. Gregorius¹: Quos viventes blandiens decipit, hos morientes sæviens rapit. » Contra hoc, Christus per latus crucifixus (a) est.

De secundo²: « Vivus est sermo Christi, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ et corporis. » Gladio isto homo accingitur, dum per verbum Dei animus luxuriæ coaretatur. Psalmista³: Accingere gladio tuo super femur. » Item manu tenetur, dum per verbum Dei opere bono impletur. Psalmista⁴: « Gladii ancipites in manibus eorum. » Item cor penetratur, dum per verbum Dei compungitur, et carnalis vita trucidatur. Unde hic: « Penetrabilior omni gladio ancipiti. » Et⁵: « Accipe gladium sanctum munus a Deo, in quo ejicies hostes populi mei Israel, » id est, mala opera et voluntates. Sed, heu! contra istum gladium astutus (b) obstinatione, deceptione, falsa societate armatur homo designatus per armatum illum de quo⁶: « Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet; » unde neque ictum gladii sentit. O si uni homini caput suum, id est, diabolus hoc gladio amputare possem!⁷ « Percussisti caput de domo impii, denudasti fundamentum usque ad collum. » O si unam aurem (c) inobedienciæ cum Petro⁸ amputarem!

De tertio⁹: « Exivit alius equus rufus, et qui sedebat super illum, datum est illi ut numeret pacem de terra, et ut invicem se interficerent (c): et datus est ei gladius magnus. » Iste gladius datus est Neroni, Diocletiano, Decio, et aliis persecutoribus fidelium, et datus est regi Tartarorum, et datus est sæpe multis tyrannis affligentibus Christianos.

¹ Greg., *Moral.* lib. XIV, c. XVII, al. IX, n. 20. — ² *Hebr.*, IV, 12. — ³ *Psal.* XLIV, 4. — ⁴ *Psal.* CXLIX, 6. — ⁵ II *Mach.*, XV, 16. — ⁶ *Luc.*, XI, 21. — ⁷ *Habac.*, III, 13. — ⁸ *Matth.*, XXVI, 51. — ⁹ *Apoc.*, VI, 4. — ¹⁰ *Thron.*, III, 65. — ¹¹ Greg. aliquid simile habet,

Quando ex corde afflictis compateris, quasi vulnus doloris in anima recipis, et gladio isto transverberaris. Unde bene de Maria dicitur: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Sed contra gladium tribulationis, scutum duplex opponere debemus: primo, exemplum passionis et laborum Christi, ut ex hoc pretium habeamus¹⁰: « Dabis ei scutum cordis laborem tuum. » Gregorius¹¹: « Quis laborem supervacuum vel onerosum reputabit, qui Filium Dei pro se Christum crucifixum recolit? » Item scutum orationis, quo ictum gladii repellamus.¹² « Non diu permansit ira tua: properans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis snæ scutum, orationem, » etc.

De quarto¹³: « Si acvero ut fulgur gladium meum, et arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis. » Iste gladius est sententia iudicis, qua dicitur¹⁴: « Discedite a me, maledicti, » etc.¹⁵ « Ex ore ejus gladius acutus ex utraque parte exibat. » Iste gladius non sicut gladius acutus erit, sed omni fulgure acutior. Nonne mallem gladio, sive fulmine ferri, quibus dicitur in fine¹⁶: « Ite, maledicti, in ignem æternum. » De hoc gladio require in sermone primo Doctorum¹⁷.

SERMO IV.

*Puer autem crescebat*¹⁸, etc. Bene puer dicitur Christus: sicut enim pueri cum matre, puer cum pueris, puer cum floribus, puer cum brachiis libenter esse solent, sic utique puer Jesus Christus delectatur in matris Ecclesiæ felicitate, in puerorum per innocentiam societate, in florum virtutum venustate, in brachiorum operum charitate.

Primum patet, quoniam angelus semper cum puero tolli jubet matrem¹⁹, quasi sine matre puer esse nollet. Item²⁰: « Invenerunt *Moral.*, lib. XXII, c. XVII, n. 42. — ¹² *Sap.*, XVIII, 20-21. — ¹³ *Deut.*, XXXII, 41. — ¹⁴ *Matth.*, XXV, 41. — ¹⁵ *Apoc.*, I, 16. — ¹⁶ *Matth.*, XXV, 41. — ¹⁷ Sermo ille deesse videtur. — ¹⁸ *Luc.*, II, 40. — ¹⁹ *Matth.*, II, 13, 20. — ²⁰ *Matth.*, II, 14.

(a) *Leg.* confusus. — (b) *Leg.* astutia. — (c) *Vulg.* auriculam. — (d) *Item* interficiant.

puerum cum Maria matre ejus. » Si ergo hunc puerum vis invenire, ad Mariam accede. Tamen spiritualiter mater pueri est Ecclesia, sine qua Christus non invenitur vivus. Unde bene de duabus matribus meretricibus pro puero uno coram Salomone litigantibus, quem Salomon gladio dividi jussit, dicitur ¹, quod falsa mater ipsum dividi voluit, sed vera mater doluit (a). Duæ meretrices istæ Synagogam significant et Ecclesiam, quæ meretrices esse dicuntur: Ecclesia quidem, propter statum pristinum gentilitatis; Synagoga, propter statum præsentis infidelitatis. Puer vero est Christus: hunc Synagoga vult dividi, dum corporis ejus partem Joseph, et partem Mariæ attribuit, dum ex Mariæ et Joseph semine Christum natum dicit. Sed mater Ecclesia puerum integrum vult manere, quia totam ejus naturam corporalem integraliter ex sola Virgine credit esse. Hoc autem factum est gladio inscrutabilis judicii Dei.

De secundo ²: « Futurum est, ut Herodes quærat puerum, » etc., et infra: « Mittens occidit omnes pueros, » etc. Ecce Herodes quæsivit puerum inter pueros: puer enim cum pueris libenter est. Pueri autem sunt, qui puri sunt a peccatis: pueri enim neque rapinas, neque usuras, neque adulteria, neque homicidia, neque alia scelera committunt. Qui ergo a talibus puri sunt, vere pueri Christi sunt ³: « Deponentes igitur omnem malitiam et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, » etc. Nihil Deo dignius, nihil charius esse potest, quam ut innocentia tota observatione teneatur. Cum talibus pueris libenter est Christus, non solum in mundo, sed etiam in cælo ⁴: « Sinite parvulos, » etc. Unde legitur, quod socialis sit Christus pueris et innocentibus in mente Sion, id est, in cælo ⁵: « Hi sequuntur agnum, quocumque ierit. »

De tertio ⁶: « Qui consurgens accepit puerum, » etc., et infra: « Veniens habitavit in civitate sua Nazareth, » quæ interpretatur *flos*. Quælibet autem virtus flos est animæ: flos est humilitas, flos est patientia, flos lili castitas: sic numeræ alias virtutes. Sicut autem in eunibus vel in lecto pueris nutrix facit, dum eas floribus spargit; sic nos eunas, vel lectum cordis floribus virtutum respergamus, ut puer Christus requiescere velit ibi. Unde anima sancta, puerum alludere cupiens, ait ⁷: « Lectulus noster floridus. » Sed certe in hyeme flores non inveniuntur: ita neque virtutes in hyeme, id est, corporis torpore, cum Christus a corde recesserit. Unde, postquam imber transit, dicitur ⁸: « Flores apparuerunt in terra nostra. » Hanc hyemem in corpore generat ventus aquilonis diabolicæ tentationis ⁹: « Frigidus ventus aquilonis, » etc. Signum transitus hyemis est, quando guttæ glacierum distillant, id est, lachrymæ compunctionis per oculos exeunt ¹⁰: « Flabit spiritus ejus, et fluent aquæ. » Flat spiritus, et solvit cordis glaciem. Augustinus ¹¹: « Gratia tuæ deuto et misericordiae tuæ, Domine, quod peccata mea tanquam glaciem solvisti; gratia tuæ deuto etiam quæcumque non feci mala. »

De quarto ¹²: *Cum inducerent puerum Jesum, etc., et ipse accepit eum in ulnas suas.* Hunc puerum in ulnas accipit, qui operibus charitatis Christum amplectitur. Quasi enim duo brachia sunt amor Dei, et proximi. Sed nota, quod primo in templum cordis inducitur, ut postea brachiis operam amplectatur. ¹³ « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio. » Signaculum dicit se Christus: sculptus enim fuit in passione manus et pedes clavis, latus lancea, caput spinis. Hoc ergo sigillum cordi imprimere debes per amorem. Sed attende, quod non bene imprimitur sigillum, nisi cera

¹ III Reg., III, 26. — ² Matth., II, 13, 16. — ³ I Petr., II, 1-2. — ⁴ Marc., X, 14. — ⁵ Apoc., XIV, 4. — ⁶ Matth., II, 20, 23. — ⁷ Cant., I, 15. — ⁸ Cant.,

II, 12. — ⁹ Eccli., XLIII, 22. — ¹⁰ Psal. CXLVII, 18. — ¹¹ Aug., Conf., lib. II, c. VII, n. 15. — ¹² Luc., II, 27, 28. — ¹³ Cant., VIII, 6. — (v) Log. voluit.

affectus liquefiat per ignem Spiritus sancti¹: « Factum est cor meum sicut cera liquescens. » Quia vero non tantum in affectu, sed etiam in effectu imprimi debet nobis Christus, ideo adjungit²: « Ut signaculum super brachium tuum. » Sigillum imprimitur, ut imago ejus præsentetur: ita in conversatione nostra imago Christi præsentari debet³: « Sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus et imaginem cœlestis. »

DE CIRCUMCISIONE DOMINI.

SERMO PRIMUS.

*Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri*⁴.

Considera quadruplicem apparitionem. Apparet in mundo gratia Salvatoris; in anima, misericordia justificatoris; in judicio, justitia ultoris; in cœlo, gloria remuneratoris.

De primo dicitur hic: *Apparuit gratia Dei Salvatoris*. Et ad eundem⁵: « Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ nostræ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit. » Hæc apparitio significata est⁶, ubi legitur, quod Dominus apparuit Moysi in deserto in flamma ignis in medio rubi: et videbat quod rubus ardebat, et non comburebatur: cui cum appropinquare vellet, dicit Dominus: « Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est. » Per desertum significatur mundus. Rubus autem ardens est beata Virgo, in qua Dominus per carnem apparuit: sicut enim rubus arsit sine combustione, ita Virgo peperit sine corruptione. Vel rubus est Christi humanitas, in qua apparuit divinitas. Sicut enim rubus ardebat sine combustione, ita Christus passus est sine incineratione et corruptione⁷: « Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. » Quod enim comburitur, incineratur: Christus ergo non comburebatur, quia non incinerabatur.

Rubus
ardens.

Si ergo ad hunc appropinquare volueris per fidem et amorem, solve calceamentum mundani et carnalis amoris, solve amorem visibilibus de pedibus animæ, id est, affectionibus tuis. Gregorius⁸: « Mens subtracta a visibilibus, visibilia perfecte contemnit. » Nunquam enim Dominus pedes tuos lavabit, nisi prius calceamenta ista deposueris.⁹ « Apparet autem eis, qui fidem habent in illum, » fidem utique illam de qua¹⁰: « Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dice-tis monti huic: Transi hinc, et transibit. » Mons est congeries peccatorum, qui tot lapidibus constat, quot homo peccata habet. Unus autem lapis quandoque mergit hominem, cui alligatur, in profundum; quanto magis totus mons deprimit hominem in profundum inferni? Granum sinapis parvum est, sed virtute, et herba, et fructu immensum. Sic fides christiana humilis videtur et contemptibilis Paganis et Judæis; miræ tamen est virtutis, et fructum affert plurimum. Quot autem sunt articuli fidei, tot possunt dici grana sinapis. Hæc grana cum in ore conteruntur, oculos faciunt lacrymari. Sic articuli fidei, si diligenti consideratione et devota affectione teruntur, lacrymas produciunt contritionis. Exemplifica de quibusdam articulis. Per talem fidem montem peccatorum a te transferre potes. Hæc est fides, per quam Dominus tanquam per ostium apparet etiam in trinitate personarum. Unde Abrahæ sedenti in ostio apparuerunt tres viri stantes prope eum, ut dicitur¹¹.

De tertio¹²: « Apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia. » Pharan enim *ferus* interpretatur. In magna enim feritate apparebit contra reprobos, et contra eosdem sanctorum millia prophetarum, et apostolorum, martyrum, etc., item angelorum millia millium¹³: « Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei. » Gregorius¹⁴. « Ecce mora non

¹ *Psal.* xxi, 15. — ² *Cant.*, viii, 6. — ³ *I Cor.*, xv, 49. — ⁴ *Tit.*, ii, 11. — ⁵ *Tit.*, iii, 4-5. — ⁶ *Exod.*, iii, 3-5. — ⁷ *Psal.* xv, 10. — ⁸ *Greg.* — ⁹ *Sap.*, i, 3. —

¹⁰ *Matth.*, xvii, 49. — ¹¹ *Gen.*, xviii, 2. — ¹² *Deut.*, xxxiii, 2. — ¹³ *Dan.*, vii, 10. — ¹⁴ *Greg.*, *ad Mauric. Aug.*, iud. vi, epist. lxxii, al. cl.

erit, et ardente cœlo, ardente terra, coruscantibus electis cum Angelis, Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cum Principibus et Potestatibus, tremebundus Judex apparebit. » Item dæmonum millia erunt a sinistris. O quam angustæ erunt tunc viæ reproborum ! ¹ « Superius erit judex iratus ; inferius horrendum chæos inferni. A dextris peccata accusantia ; a sinistris erunt infinita dæmonia ad supplicia trahentia. » Si enim ad obsessionem unius hominis convenit legio, id est, sex millia sex centum sexaginta sex ; quanta millia putas ventura, ubi non unum hominem tantum, sed innumerabilem exercitum impiorum in perpetuam accipient possessionem ? Quanta autem sit celeritas apparitionis, dicitur ² : « Sicut enim fulgur exit ab oriente usque in occidentem, ita erit adventus Filii hominis. »

De quarto ³ : « Cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. » Item ⁴ : « Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. » ⁵ Satiabor, cum apparuerit gloria tua. » In his tribus auctoritatibus, promittitur nobis in illa æterna apparitione similitudo, vita et satietas. Promittit nobis Joannes similitudinem, Paulus vitam, David satietatem. Ibi erit enim similitudo in cognitione, vita in dilectione, satietas in fruitione. Augustinus ⁶ : « O quando videbo gaudium meum magnum, quod desidero ! O si satiabor, cum apparuerit gloria ejus, quam esurio ! O si inebriabor ab ubertate domus tuæ ad quam suspiro ! »

SERMO II.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer ⁷, etc. Cum omnis Christi actio nostra sit instructio, ejus corporalis circumcisio nostram spirituales significat. Considerandum autem a quo, et quo, quando, pro quo fit circumcisio spiritualis. Fit

¹ Greg., *Moral.*, lib. VII, c. XIV, al. XXXII, n. 141. — ² *Matth.*, XXIV, 27. — ³ *Coloss.*, III, 4. — ⁴ *Joan.*, III, 2. — ⁵ *Psal.* XVI, 15. — ⁶ Aug., — ⁷ *Luc.*, II, 21. — ⁸ *Deut.*, X, 16. — ⁹ *Isa.*, I, 16. — ¹⁰ *Exod.*, VI, 30.

autem a præputio nequitiae, instrumento pœnitentiae, tempore pueritiae, pacto amicitiae.

De primo ⁸ : « Circumcidite præputium cordis vestri, et aurem vestram ne induretis amplius. » Nota quod circumcidi debemus ab iniqua cogitatione et voluntate, hoc enim est præputium cordis ⁹ : « Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. » Oculi enim Dei vident omnes cogitationes nostras malas et bonas. Item ab incauta locutione, contra quod Moyses conqueritur ¹⁰ : « En incircumcisis labiis sum. » Hanc circumcisionem docet Apostolus ¹¹ : « Omnis sermo malus de ore vestro non procedat. » Item a surda obduratione, quando quidam nolunt audire neque obedire, de quibus ¹² : « Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis. » Auris ergo talis si non circumcitur, tunc juste gladio Petri percutitur. Item a sordida pollutione ¹³ : « Masculus cujus præputii caro non fuerit circumcisa, » etc. Augustinus ¹⁴ : « Circumcisio Christi quid est, nisi castitas nostra, qua Deus delectatur in novissimis temporibus ? » Prima ergo circumcisio in corde, secunda in ore, tertia in aure, quarta in opere fit.

De secundo ¹⁵ : « Occurrit ei Dominus, et voluit occidere eum, » scilicet Moysen, vel filium ejus, ut dicit Glossa interlinearis. « Tulit ergo Sephora acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui. » Sephora fidem significat : interpretatur enim *placens adhæsit*. Per fidem autem adhærentes Deo placent ¹⁶ : « Sine fide impossibile est Deo placere. » Filius incircumcisis est malus christianus. Petra gravem et duram pœnitentiam significat : hæc acuta est per contritionem. Vere acutum debet esse ferrum compunctionis, quo non octo tantum dierum, sed multorum annorum abscindi debet animæ præputium. Bernardus ¹⁷ : « Abjicite

— ¹¹ *Ephes.*, IV, 29. — ¹² *Act.*, VII, 51. — ¹³ *Gen.*, XVII, 14. — ¹⁴ Aug., in *Joan.*, tract. XXX, n. 5, quoad sensum. — ¹⁵ *Exod.*, IV, 24, 25. — ¹⁶ *Hebr.*, XI, 5. — ¹⁷ Bern., de *Div. rs.*, serm. XIV, n. 4, quoad sensum.

ferro dominicæ compunctionis vulnus inventatæ consuetudinis. » Acutior autem est, si addas confessionem ¹ : « Circumcidimini Domino, et auferte præputium cordium vestrorum, viri Juda : » quod nomen *confitens* interpretatur. Acutissima est, si adjungas satisfactionem. Si pœnitentia acuta non circumcideris, sententia acuta circumcideris ² : « De ore ejus gladius acutus, » etc. Quod hic ³ in Angelo occidere volenti significatum est.

De tertio ⁴ : « Infans octo dierum circumcidetur in vobis. » Ecce, miser senex, talis infans, qui adhuc peccare non potest, tam gravissimam pœnam sustinet pro peccato per alium contracto ; et tu pœnam sustinere non vis pro innumerabilibus peccatis propriis ? » Bernardus ⁵ : « Imo inspicere ipsum Christum tam tenera ætate pro te vulneratum. » Vere pro te. Bernardus ⁶ : « Quid mirum, si pro nobis dignatus est circumcidi, qui pro nobis dignatus mori ? Totus si quidem datus est mihi, et totus in meos usus expensus. » Ostenditur ergo tibi illo facto illud ⁷ : « Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua, » etc. Circumcisio tamen, vel ab originali, vel ab actuali, fieri potest et in puerili et juvenili ætate, et in virili. Hoc significatum est in circumcissione domus Abrahæ ⁸ : Isaac octavo die circumcisisus fuit, in ætate infantili ; ⁹ Ismael tredecim annorum, in juvenili ; servi adulti, in virili ; Abraham nonaginta novem annorum.

De quarto ¹⁰ : « Circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me et vos. » Glossa : « In testamentum, quod ego vester Deus, et vos populus meus. » Pro fœdere ergo tantæ amicitie, libenter debemus circumcidi. Sicut autem ex circumcissione amicitiam Dei, ita inimicitiam diaboli habemus, sicut significatum est ¹¹ : « Duæ enim

mulieres delatæ sunt pueros suos circumcidisse, quas ad ubera infantibus suspensis cum publice per civitatem circumduxissent, per muros præcipitaverunt. » Duæ mulieres sunt anima pœnitens, et innocens, quarum nati circumcisi sunt affectus castitatis. Duo ubera sunt spes veniæ, et gloriæ. Ad ubera infantes suspenduntur, quando affectus de spe divinæ misericordiæ liberius peccatis illaqueantur ; et unde deberent lactari, inde incipiunt jugulari. Isidorus ¹² : « Qui male agere non desistunt, vana spe indulgentiam de Dei pietate sibi promittunt : quam recte acquirerent, si ab actione mala cessarent. » Item publice circumducuntur, dum publice pro peccatis arguuntur. Item per muros (a), in quibus congeries est lapidum, præcipitantur, dum de congerie et multitudine peccatorum damnantur.

SERMO III.

Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus ¹³. Augustinus ¹⁴ : « Sicut mortem pro nobis suscepit, ita circumcissionem non respuit, ut nos spiritu circumcideremur. » Debemus autem circumcidi pro quatuor causis : pro mortis æternæ evasione, pro Christi et animæ conjunctione, pro digna Eucharistiæ perceptione, pro vitæ æternæ adeptione.

De primo ¹⁵ : « Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, » id est de cœtu fidelium, quia in morte et in judicio Deus diligenter visitabit tales ¹⁶ : « Visitabo super omnem, qui incircumcisum habet præputium, super Ægyptum, » quod interpretatur *tenebræ*, id est, super traditores et impudicos, super alios in enormibus vitiis et tenebris latentes ; « et super Judam (b), » quod interpretatur *glorificans*, id est superbos et glorificantes seipsos ; « et super filios Edom, »

¹ Jerem., IV, 4. — ² Apoc., I, 16. — ³ Exod., IV, 24. — ⁴ Gen., XVII, 12. — ⁵ Bern. — ⁶ Id., in *Circumc. Dom.*, serm. III, n. 4. — ⁷ Thren., III, 27. — ⁸ Gen., XXIII, 4. — ⁹ Ibid., XVII, 23-27. — ¹⁰ Ibid., II. — ¹¹ II Mach., VI, 10. — ¹² Isid. *Sent.*, lib. II, c. IV. — ¹³ Luc., II, 21.

— ¹⁴ Aug., serm. CCXXXI, al. *de Tempore*, CXLI, n. 2. — ¹⁵ Gen., XVII, 14. — ¹⁶ Jerem., IX, 23, 26.

(a) *Cat. edit. murum.* — (b) *Vulg. Juda.*

quod interpretatur *sanguineus*, et significat occisores, sanguinem indebite effundentes; « et super filios Ammon, » quod interpretatur *populus murmurationis*, et significat seminatores discordiæ et detractores; « et super Moab, » quod interpretatur *ex patre*, et significat qui patrizant, et malas patrum vias neque paterna bona injuste acquisita relinquunt; « et (a) super omnes, qui attonsi sunt in coma (b), » id est, super omnes clericos et claustrales, « habitantes in deserto » religionis, etc. In visitatione incircumcisorum istorum injunget pœnitentiam non panis neque aquæ, sed ignis æterni. ¹ « Circumcidimini Domino, et auferite præputia cordium vestrorum, viri Juda et habitatores Hierusalem, ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et (c) non sit qui extinguat propter malitiam cogitationum vestrarum. »

De secundo dicitur ², quod si « mulierem pulchram » post bellum victis inimicis captam voluerit, qui eam cœperit habere uxorem, introducet in domum suam, quæ radet cæsariem, et circumcidet ungues, et deponet vestem, in qua capta est, et flebit patrem et matrem uno mense. » Mulier ista anima est, pulchra quidem per imaginem pulcherrimæ Trinitatis, quam, victis dæmonibus in bello passionis, cepit Christus. Si ergo sponsa Christi vult esse, debet in domum Ecclesiæ per fidem introduci ³: « Pauperes, ac debiles, cæcos, et claudos introduce huc. » Item radet crines superfluarum cogitationum de capite mentis, ne ibi increpant vermes, scilicet remorsiones conscientiæ ⁴: « Sume tibi gladium acutum radentem pilos. » Item circumcidat ungues, id est operum sordes. Illud enim in unguibus circumciditur, ubi sordes colliguntur. Vel ungues præciduntur de manibus, cum cupiditates colligentes sordes injustorum operum, vel

temporalium injustorum bonorum amputantur, quæ vere sordidæ sunt ⁵: « Omnia arbitror ut stercora, » etc. Sicut enim ungues non semel, sed sæpius circumcidimus, sic et spiritualis circumcisio sæpius fiat. Bernardus ⁶: « Medium vitiorum virtus tenet, ac proinde sedula eget non putatione modo, sed etiam circumcisioe. » Item vestem deponit, dum vetustam consuetudinem relinquit ⁷: « Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, » etc. Item matrem et patrem flebit, id est, diabolum et concupiscentiam, quibus decepta est ⁸: « Pater tuus Amorrhæus, » etc.

De tertio ⁹: « Hæc est religio Phase: Omnis alienigena non comedet ex eo. Omnis autem servus circumcidetur, et sic comedet: advena et mercenarius non comedet ex eo. » De corpore Christi *non comedet alienigena*; Glossa: « Gentilis, Judæus et (d) excommunicatus non debent (e) communicare sacramentum dominici corporis. » Item *neque advena*; Glossa: « Qui nuper venit ad fidem, neque adhuc firmus est: » quod est contra illos, qui de enormibus peccatis tarde venientes ad confessionem et pœnitentiam, statim volunt communicare. Item *neque mercenarius*, qui pro lucris temporalibus Domino servit. *Servus autem emptitiis*, Glossa: « qui redemptus est sanguine Christi: » ¹⁰ « Empti estis, » etc. Hic circumcisus ab omni vitio comedet; non tamen impius ¹¹: « Illicitum est Ægyptiis comedere » carnes immaculati Agni. ¹² « Qui enim manducat et bibit, » etc. Augustinus ¹³: « Non malum est quod datur, sed bonum malis in iudicium datur. »

De quarto ¹⁴: « Circumcidet Dominus Deus cor tuum et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et tota anima tua, ut possis vivere, » utique spiritualiter et æternaliter. Vivere enim in

¹ Jerem., IV, 4. — ² Deut., XXI, 11-13. — ³ Luc., XIV, 21. — ⁴ Ezech., V, 1. — ⁵ Philip., III, 8. — ⁶ Bern., in Cant., serm. LVIII, n. 40. — ⁷ Ephes., IV, 22. — ⁸ Ezech., XVI, 3. — ⁹ Exod., XII, 43-45. — ¹⁰ I Cor., VI, 20. — ¹¹ Gen., XLIII, 32. — ¹² I Cor., XI,

29. — ¹³ Aug., in Psal. CXLII, Enarr., n. 16. — ¹⁴ Deut., XXX, 6.

(a) Cæt. edit. id est. — (b) Vulg. comam. — (c) Cæt. edit. quod. — (d) Id est. — (e) Non debet.

terra viventium consequeris per circumcisionis beneficium. Quibus ante Dominus juraverat ut ostenderet eis terram lacte et melle manantem, horum filii in locum successerunt patrum, et circumcisi sunt a Josue. Terra *manans lacte humanitatis et melle* ¹ divinitatis, patria est. ² « Suscepit de manu Domini duplicia. » Et ³ : « In terra sua duplicia possidebunt. »

SERMO IV.

Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur ⁴. In hoc verbo ostenditur hujus nominis utilitas et auctoritas. Primum nota ibi : *Vocatum est nomen ejus Jesus*; secundum ibi : *Vocatum est ab Angelo*. Vere utilissimum est hoc nomen ad salutem nostram : Jesus enim *Salvator* interpretatur, vel *salutare*. In hoc nomine consequimur veniam, gratiam, victoriam, et gloriam : veniam, in conversione; gratiam, in conversatione; victoriam, in tentatione; gloriam, in remuneratione.

De primo ⁵ : « Huic omnes prophetæ testimonium perhibent remissionem accipere per nomen ejus. » Omnibus ergo prophetis crede, neque de omnibus peccatis despera, licet tam multa sint, ut numerum capillorum capitis, vel etiam arenam maris excedant ⁶ : « Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei. » In oratione Manassæ ⁷ : « Peccavi super numerum arenæ maris, et multiplicatæ sunt iniquitates meæ. » Si ergo multum peccasti, dic cum Propheta ⁸ : « Domine, fac propter nomen tuum, quoniam multæ sunt aversiones nostræ. » Et illud ⁹ : « Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim. » Augustinus ¹⁰ : « Quid est Jesus, nisi Salvator? Ergo propter temetipsum, » sis mihi Jesus. Noli, Domine, sic attendere malum nostrum, ut obliviscaris bonum tuum. Sed attende quod

hoc nomen *Jesus* in circumcisione imponitur : in quo tibi ostenditur quod per hoc nomen salvaberis, si tamen per pœnitentiam circumcidaris; et alias non. ¹¹ « Masenius, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, debilitur anima illa de populo suo. »

De secundo ¹² : « Paraclitus Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. » O quam devote mendici in nomine S. Nicolai, et S. Petri petunt, dum frustra panis per hoc consequi sperant! Quare nos miseri nomine dulcissimi Jesu non petimus, non frustum panis, sed ut Spiritum sanctum obtineamus, quo bene vivamus?

De gratia hujus nominis ¹³ : « Oleum effusum nomen tuum. » Et certe mel effusum nomen tuum. Bernardus ¹⁴ : « Jesus mel in ore, melos in aure, júbilus in corde. »

De tertio ¹⁵ : « Domine, in nomine tuo dæmonia subjiciuntur nobis. » *In nomine tuo* : sed quia dæmones non subjiciuntur, nisi vincantur; non vincuntur nisi in nomine Jesu; ideo David ad Goliath ait ¹⁶ : « Tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum Israel. » Goliath diabolus significat. Hujus gladius est tentatio carnalis; hasta, tentatio spiritualis; clypeus vero, sub quo se abscondit, est simulatio boni, sub cujus specie decipit. David autem quemlibet fidelem significat, qui in vocatione nominis Domini in oratione et in baculo crucis, et quinque lapidibus, id est, quinque vulnerum Christi et continua recordatione, et devota Christi imitatione diabolus vincit. Psalmista ¹⁷ : « In nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. »

De quarto ¹⁸ : « Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. » In manna divina, in calculo humana Christi natura si-

¹ Jos., v, 6. — ² Isa., xl, 2. — ³ Ibid., lxi, 7. — ⁴ Luc., ii, 21. — ⁵ Act., x, 43. — ⁶ Psal. xxxix, 13. — ⁷ Inter apocrypha Bibl. — ⁸ Jerem., xiv, 7. — ⁹ Psal. xxiv, 13. — ¹⁰ Imo auctor libri *Meditat.*,

n. 39, inter Opera S. August., Append. tom. VI. — ¹¹ Gen., xvii, 13. — ¹² Joan., xiv, 26. — ¹³ Cant., i, 1. — ¹⁴ Bern., in Cant., serm. xv, n. 6. — ¹⁵ Luc., x, 17. — ¹⁶ I Reg., xvii, 45. — ¹⁷ Psal. xliii, 6. — ¹⁸ Apoc., ii, 17.

gnificatur, candida per innovationem. Utraque enim natura merces est vincetium diabolus, carnem et mundum. Quia vero per nomen Jesu hanc mercedem consequimur, ideo in calculo, qui erit merces nostra, scriptum dicitur. Psalmista ¹ : « In nomine Domini nostri magnificabimur : » ibi nomen Domini in calculo, ibi nomen tuum, Jesu, habetur. Sed attende quod ait ² : « Qui vice-rit sic, vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ. » Si autem tu negligis nomen ejus, et ipse delebit nomen tuum.

Secundum has quatuor virtutes hujus nominis, invenimus hoc nomen *Jesús* quod vocatum est ab Angelo, personis (a) quatuor ab angelis in Evangelio pronuntiatum : scilicet Mariæ, Joseph, mulieribus, et apostolis. Consequimur autem in hoc nomine veniam peccatorum; et secundum hoc nominatum est hoc nomen ipsi Joseph ³ : « Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » Psalmista ⁴ : « Populum (b) humilem salvum faciet. » Consequimur in hoc nomine gratiam donorum; secundum hoc vocatum est ab Angelo Mariæ ⁵ : « Invenisti gratiam apud Deum. Ecce concipies, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum, » etc. Qui hunc in utero non portat Jesum, vermem conscientiæ in utero portabit in æternum ⁶ : « Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non (c) extinguetur, » scilicet in æternum. Item consequimur in hoc nomine victoriam inimicorum; secundum hoc nuntiatum est ab Angelo mulieribus in resurrectione ⁷ : « Jesum quæritis Nazarenum crucifixum; non est hic. » Victor ergo mortis existit, quia surrexit; victor diaboli, quia crucifixus est; victor autem mundi, quia Nazarenus, quod interpretatur *separans* a mundo. Qui ergo carnem mortalem, diabolus, mundum vincere vult, invocet hoc no-

men *Jesús*. Item consequimur gloriam præmiorum in hoc nomine; secundum hoc nuntiatum est ab Angelo apostolis in ascensione ⁸ : « Ille *Jesús* qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum, » etc. Qui enim in cælum ascendere desiderat, hoc nomen *Jesús* invocet. ⁹ « Domine *Jesús*, suscipe spiritum meum. »

IN EPIPHANIA DOMINI.

SERMO PRIMUS.

Cum natus esset Jesús ¹⁰, etc. In hoc evangelio *Salvator noster* diversis nominibus describitur. Dicitur enim *Jesús*, *Puer*, *Dux*, *Christus*, *Rex*. Exhibet enim se nobis puerum in remissione peccatorum; et se nobis fortem præstat ducem in tentatione inimicorum; Christum in unctione dominorum; Regem in coronatione præmiorum; Jesum in salute omnium horum.

Salvator
noster
diversis
nominibus
describitur

De primo dicitur ibi ¹¹ : « Et intrantes invenerunt puerum. » Si offendisti puerum, cito, et modico, et pomo vel ovo, ei reconciliaris : sic et pœnitens Christo. Bernardus ¹² : « Parvulus est, et leviter placari potest. Quis enim nesciat quia puer facile donat ? » ¹³ « Si dixerio impio : Morte morieris; et egerit pœnitentiam a peccato suo feceritque justitiam et judicium, et pignus restituerit, rapinamque reddiderit, et in mandatis vitæ ambulaverit, neque quidquam fecerit injustum, vita vivet, et non morietur. Omnia peccata ejus non imputabuntur ei. » Exemplum de latrone ¹⁴, etc. ¹⁵ « Hodie mecum eris in paradiso. »

De secundo ibi ¹⁶ : « Ex te enim exiet dux qui regat populum meum. » *Jesús* enim est dux animarum nostrarum in pugna contra hostes animæ ¹⁷ : « Ergo in exercitu nostro dux Deus est, et sacerdotes ejus qui clan-

Epiph., serm. 1, n. 4. — ¹³ *Ezech.*, xxxiii, 14-15. — ¹⁴ *Luc.*, xxiii, 40. — ¹⁵ *Ibid.*, 43. — ¹⁶ *Matth.*, ii, 6. — ¹⁷ *II Paral.*, xiii, 12.

(a) *Cæt. edit.* per. — (b) Pauperem et. — (c) *Cæt. edit. omis.* morietur, et ignis eorum non.

¹ *Psal.* xix, 6. — ² *Apoc.*, iii, 5. — ³ *Matth.*, i, 21. — ⁴ *Psal.* xvii, 28. — ⁵ *Luc.*, i, 30-31. — ⁶ *Isa.*, lxxvi, 24. — ⁷ *Marc.*, xvi, 6. — ⁸ *Act.*, i, 11. — ⁹ *Act.*, vii, 58. — ¹⁰ *Matth.*, ii, 1. — ¹¹ *Ibid.*, 11. — ¹² *Bern.*, in

gunt tubis. » Dux universalis et misericors est Christus¹ : « Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti. » Qualiter autem dux iste ducat populum suum per desertum hujus mundi, dicitur² : « *dux* enim fuit (a) in columna nubis per diem, in columna ignis per noctem : » ut nubes ab æstu protegeret, et ignis in tenebris luceret. Sic dux noster Christus, quos ducit, protegit ab æstu vitiorum, illuminat contra tenebras errorum.³ « Expandit nubem in protectionem eorum. » Unde etiam, sicut lumen columnæ Judæos, sic lumen veritatis duxit Magos. Noli deserere ducem justum. Augustinus⁴ : « Væ qui derelinquunt ducem te, et oberrant in vestigiis tuis, qui nutus tuos pro te amant, et obliviscuntur, » etc. Duces autem particulares sunt sacerdotes et ecclesiæ rectores. Sed jam dici potest de eis illud⁵ : « Cæci sunt et duces cæcorum. » Hi tubis clangunt, dum aperte prædicant.

De tertio ibi⁶ : Sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. » Christus interpretatur *unctus*⁷ : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus. » Sicut enim Christus habuit Spiritum non ad mensuram, sed sine mensura unctus fuit unctione Spiritus sancti; ita sine mensura effusus est Christus, ut ejus unctio infusa sit per totam Ecclesiam⁸ : « Sicut unguentum in capite, quod descendit, » etc. Caput Christus est⁹ : « Omnis viri caput est Christus. » Barba ori vicina apostolos significat, qui ex ore Christi susceperunt quod aliis ministraverunt. Vestimentum est Ecclesia¹⁰ : « His omnibus velut ornamento vestieris. » In hoc vestimento tot sunt fila, quot fideles in Ecclesia. Væ eis, qui hanc vestem per discordiam scindunt ! per hoc enim peiores gentilibus sunt, qui dixerunt¹¹ : « Non scindamus eam, » etc. Graves adversarii Christi sunt, qui vestem Christi scindunt.

¹ *Exod.*, xv, 13. — ² *Ibid.*, xiii, 21. — ³ *Psal.* civ, 39. — ⁴ *Aug., de Lib. Arb.*, lib. II, n. 43. — ⁵ *Matth.*, xv, 14. — ⁶ *Matth.*, II, 4. — ⁷ *Isa.*, lxi, 1. — ⁸ *Psal.* cxxxii, 2. — ⁹ *I Cor.*, xi, 3. — ¹⁰ *Isa.*, xlix, 18. — ¹¹ *Joan.*, xix, 24. — ¹² *Aug.*, serm. lxxi, al. *de verb.*

Augustinus¹² : « Non poterit habere concordiam cum Christo, qui discors voluerit esse Christiano. » De capite ergo in barbam et vestimentum, id est, de Christo in apostolos et totam Ecclesiam unctio Spiritus sancti descendit¹³ : « De plenitudine ejus accepimus omnes, » etc.

De quarto ibi¹⁴ : « Ubi est qui natus est Rex Judæorum ? » Rex autem Jesus in gloria coronatus¹⁵ : « Regem in decore suo videntur. » O vere beata anima, cui datum est vel dabitur videre Christum in decore regali æternæ claritatis ! Ipsa utique potest dicere quod Esther, cum videret regem Assuerum ornatu regio fulgentem, dixit¹⁶ : « Valde enim mirabilis es, Domine, et facies tua plena gratiarum. » Augustinus¹⁷ : « Facies Dei tam dulcis est, fratres mei (b), et tam pulchra, ut illa visa nihil aliud valeat delectari. Satietas erit insatiabilis, nullum fastidium ; semper esuriemus, semper saturati erimus. » Ille rex omnes servos suos reges facit, et coronat¹⁸ : « Accipient regnum decoris, » etc. Aurum autem est dilectio, de quo diadema tuum in cælo fiet : quod nunc cum tribus regibus offerre debes in mundo ; et quanto plus auri obtuleris, tanto gloriosius diadema habebis.

O anima Christiana, sequaris dulcem Christum per stellam cognitionis ; Puero offeras myrrham contritionis ; Christo, thus orationis ; Regi, aurum dilectionis : et per hæc quatuor Jesu salutem consequeris.

SERMO II.

*Ubi est qui natus est Rex Judæorum*¹⁹. In hoc verbo tria proponuntur animæ fidelis maxime viri religiosi : scilicet exemplum quærendi, ibi : *Ubi est?* materia gaudendi, ibi : *Qui natus est* ; causa reverendi, ibi : *Rex Judæorum*. Et ideo hoc verbum respi-

Dom., xi, n. 1, quoad sensum. — ¹³ *Joan.*, I, 16. — ¹⁴ *Matth.*, II, 2. — ¹⁵ *Isa.*, xxxiii, 17. — ¹⁶ *Esth.*, xv, 17. — ¹⁷ *Aug., in Psal.* lxxxiv, Enarr. n. 9, quoad sensum. — ¹⁸ *Sap.*, v, 17. — ¹⁹ *Matth.*, I, 2.

(a) *Cat. edit.* In columna nubis dux enim fuisti. — (b) Mihi.

cit tres animæ vires : quia docetur rationalis quærere Dominum, exemplo regum dicentium : *Ubi est?* Psalmista ¹ : Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, » etc. Item docetur concupiscibilis gaudere, cui proponitur natiuitas Christi dicendo : *Qui natus est.* ² « Evangelizo vobis gaudium magnum : quia natus est, » etc. Item docetur irascibilis reuereri Regem, cum dicitur : *Rex Judæorum.* ³ « Deum timete, regem honorificate, » etc. Dicamus ergo exemplo Regum : *Ubi est qui natus Rex Judæorum?* Ecce Reges, homines sæculares, regni negotia intermittunt, et Deum quærunt; quem tamen multi litterati, et aliquando religiosi negligunt. ⁴ « Sacerdotes non dixerunt : Ubi est Dominus? et tenentes legem nescierunt me. » Unde Gregorius ⁵ : « Plerumque actione sæcularium confunditur vita continentium, dum illi extra habitum assumunt opera, et isti juxta ordinem proprium non excitant corda. » Verecundum igitur est quod sæcularis possit claustralem reprehendere ⁶ : « Erubescere, Sidon, ait mare. » Sidon, claustralis; mare, sæcularis. Cogit tamen homines multipliciter necessitas, ut quærant Deum. Est enim homo impotens in agendo digna; insipiens, in noscendo mirabilia; miser, in patiando diversa pericula; indigens, in habendo cibaria necessaria, vel nutrimenta. Adverte huc (a), o homo, require Deum, et dic hoc : *Ubi est?* inquit (b) potens adiutor, contra primum. Hoc dicitur exemplo Elisæi, qui cum non posset aquas dividere percussus pallio, dicit ⁷ : « Ubi est Deus Eliæ? Et iterum percussit, et divisæ sunt aquæ. ⁸ « Sine me nihil potestis facere. » Item : *Ubi est?* (c) sapiens doctor, contra secundum. Sic quæsit Andreas Jesum ⁹ : « Dixit Andreas ad Jesum : Rabbi (quod dicitur Magister), ubi habitas? » ¹⁰ « Sapiencia ubi inuenitur, et quis est locus intelligentiæ? » Item :

Ubi est? (c) misericors liberator, contra tertium. Sic (d) quæsit David ¹¹ : « Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, sicut jurasti David in veritate tua? » Illud pluraliter quærit : *Ubi misericordiæ tuæ*, quoniam multas sustinet homo miserias. Item : *Ubi est?* (c) liberalis pastor, contra quartum. ¹² « Iudica mihi, quem diligit anim mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, » etc. De his omnibus ¹³ : « Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul ubi longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum et pax. » Adapta : *Disce ubi sit prudentia*, contra insipientiam, ut possis opera digna virtutis ostendere. *Ubi sit intellectus*, ut possis imitabilia in sapientia intelligere. *Ubi sit longiturnitas vitæ et victus*, ut possis pati pericula, et miseriam evadere. *Ubi lumen oculorum et pax*, ut possis cœlestia contemplari et acquirere. Nunc igitur, o homo, quære diligenter ubi sit, quoniam non ubique inuenitur ¹⁴ : « Si ad orientem iero, non apparet; si ad occidentem, non intelligam eum : si ad sinistram, quid agam? non apprehendam eum. Si me vertam ad dextram, non videbo illum, » etc. ¹⁵ « Quæretis me, et non inuenietis; et ubi sum ego, vos non poteritis venire. » Orat ergo Augustinus, in libro *de videndo Deo* ¹⁶ : « Domine Deus, ecce cor quomodo est, ut te requirat, ubi et quando te inueniat. » Nota ergo quomodo Dominus, secundum diversos status, diversa habet *ubi*. Unde nota quatuor ^{Quatuor ubi nota.} *ubi* : ubi natus, ubi passus, ubi resurgens, ubi ascendens. Ubi natus fuit? in stabulo ¹⁷ : « Stella quam viderant magi, etc., usque dum staret supra ubi puer erat. » Ubi passus? in patibulo, de quo Psalmista ¹⁸ : « Inuenimus eum in campis silvæ : » quia, ut dicitur *ad Hebræos* ¹⁹ : « Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum (e), extra

¹ *Psal.* XIII, 2. — ² *Luc.*, II, 10. — ³ *I Petr.*, II, 17. — ⁴ *Jerem.*, II, 8. — ⁵ *Greg.*, *Moral.*, Præfat., c. II, n. 5. — ⁶ *Isa.*, XXIII, 4. — ⁷ *IV Reg.*, II, 14. — ⁸ *Joan.*, XV, 5. — ⁹ *Joan.*, I, 38. — ¹⁰ *Job*, XXVIII, 12. — ¹¹ *Psal.* LXXXVIII, 50. — ¹² *Cant.*, I, 6. — ¹³ *Bar*,

III, 14. — ¹⁴ *Job*, XXIII, 8-9. — ¹⁵ *Joan.*, VII, 34. — ¹⁶ *August.*, *de vid. Deo* liber, al. epist. CXLVII. — ¹⁷ *Matth.*, II, 9. — ¹⁸ *Psal.* CXXXI, 6. — ¹⁹ *Hebr.*, XIII, 12.

(a) *Leg.* hoc. — (b) *Leg.* Scilicet. — (c) *Suppl.* scilicet. — (d) *Cal. cant.* hic. — (e) Proprium.

portam passus est. » *Invenimus eum in campis*, et sequitur ¹ : « Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus, » scilicet in cruce. Psalmista ² : « Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. » Ubi ipse passus fuit? In patibulo. Sed ubi positus fuit? In sepulcro, de quo ³ : « Videte locum, ubi positus erat Dominus. » Item ubi resurgens? In domo ⁴ : « Cum sero factum esset die illa, una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, » etc. Ubi ascendens? In cælo ⁵ : « Si videritis Filium hominis ascendentem, ubi prius erat? » Nunc ergo vide et quære diligenter ubi natus est, ut ames paupertatem : ibi enim, in diversorio, Dominus pauper fuit, omnino pauper in omnibus, ut patet in Evangelio. Unde Hieronymus ⁶ : « O homo, quid sollicitus es de regali ædificio? Ecce Salvator tuus non habet locum in diversorio. Quid sollicitaris de alieno collegio? Ecce Rex tuus dormit cum bove et asino. Item ubi passus, ut studeas ad quietem? In sepulcro, ubi Dominus requievit et quietem mentis docuit. » Istud *ubi* non invenitur de facili. Unde legitur ⁷ de columba : « Quæ non inveniebat (a), ubi requiesceret pes ejus, » et sequitur : « Et rediit (b) ad arcam. » Sic debet anima, non inveniens requiem mentis foris, redire ad conscientiam interius. Augustinus ⁸ : « Quærite quod quæritis ; sed quæritis requiem, ubi non est requies, » scilicet in temporalibus. Item vide ut refugias ad eum, et custodias unitatem : hanc enim Rex Christus habuit. Unde et Thomas, cum ab aliis divisus esset ⁹, Dominum tunc non vidit. Unde Dominus in Evangelio ¹⁰ : « Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. » De hoc Augustinus ¹¹ : « Antiquus hostis continentiam in nobis non timet, quia neque premitur carne, neque etiam lascivia

dissolvitur ; abstinentiam non timet, quia neque cibo utitur : concordia autem nostræ nimis insidiatur, quia quod ipse amisit in cælo, facit, ut non servemus in deserto. » Augustinus, *de Trinitate* ¹² : « Sic familiaris est Domino charitas, quod ipse mansionem habere noluit, ubi charitas non fuerit. » Isidorus ex Sallustio ¹³ : « Concordia parvæ res crescunt ; discordia maximæ res dilabuntur. » Item vide ascendens beatitudinem, ut assequaris ¹⁴ : « Si quis mihi ministrat, me sequatur ; et ubi ego sum, illic et minister meus erit. » Nota, quando oravit pro se, oravit sub conditione ¹⁵ : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste ; verumtamen non sicut ego volo*, etc. Sed orans pro nobis, dicit absolute ¹⁶ : *Volo ut, ubi sum ego, et illi sint mecum*, etc. Hoc argumentum est magni amoris.

Sequitur magna materia gaudendi : *Qui natus est*. Nota quod nativitas Christi multiplex fuit, et est gaudium magnum. Est enim materia desiderandi expectantibus, materia gaudendi cernentibus, materia loquendi prædicantibus, materia admirandi cogitantibus. Fuit, inquam, materia desiderandi patribus expectantibus, ut patet in orationibus eorum. Alius enim dicit ¹⁷ : « Salutare tuum expectabo. » Alius orabat ¹⁸ : « Domine, inclina cælos tuos, et descende. » Alius ¹⁹ : « Utinam dirumperes (c) cælos et descenderes ! » Bernardus ²⁰ : « Confundor et compungor in memetipso, et vix contineo lacrymas, quia tædet me miserabilium temporum. Cui enim nostrum tantum generat gaudium hujus gratiæ exhibitio, quantum antiquis patribus generabat desiderium sola repromissio? » Item materia gaudendi cernentibus, quia, ut dicit Joannes Chrysostomus ²¹ : « Expectatio boni concupiscentiam parit ; præsentia vero, lætitiâ. » ²² « Evan-

Nativitas
Christi
magnum
gaudium

¹ *Psal.* cxxxix, 7. — ² *Psal.* xcvi, 5. — ³ *Matth.*, xxviii, 6. — ⁴ *Joan.*, xx, 19. — ⁵ *Ibid.*, vi, 63. — ⁶ Hieron. — ⁷ *Gen.*, viii, 9. — ⁸ *Aug.*, in *Psal.* iv, n. 3, quoad sensum. — ⁹ *Joan.*, xx, 24. — ¹⁰ *Matth.*, xviii, 20. — ¹¹ *Aug.*, in *Psal.* cxliii, Enarr., n. 7, quoad sensum. — ¹² *Id.*, de *Trinit.*, lib. viii, n. 12, quoad sensum. — ¹³ *Sallust.*, de *Bell. Jugurth.* —

¹⁴ *Joan.*, xii, 26. — ¹⁵ *Matth.*, xxvi, 39. — ¹⁶ *Joan.*, xvii, 24. — ¹⁷ *Gen.*, xlix, 18. — ¹⁸ *Psal.* cxliii, 5. — ¹⁹ *Isa.*, lxiv, 1. — ²⁰ *Bern.*, in *Cant.*, serm. ii, d. 1. — ²¹ *Chrysost.* — ²² *Luc.*, ii, 10.

(a) *Fulj.* cum non invenisset. — (b) *Reversa est.* — (c) *Dirumperes.*

geizō vobis gaudium magnum. » Et hic ¹ : « Videntes stellam Magi, » et cætera usque *puerum*.

Item materia admirandi cogitantibus. Multa enim miranda occurrunt; unde de hoc Bernardus, in homilia *Missus est* ² : « Quia longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo plana, Verbum infans factus, sitiens (a), panis esuriens, » etc. ³ « Omnes, qui audierunt, mirati sunt de iis, quæ dicta sunt a pastoribus. ⁴ Parvulus natus est nobis, etc., et vocabitur nomen ejus admirabilis. » Unde erant Joseph et Maria ⁵ admirantes (b) super iis, quæ dicebantur de illo, » etc.

Item materia loquendi prædicantibus. Psalmista ⁶ : « Dicit : Homo et homo natus est in ea. » Augustinus ⁷ : « Multa diximus de ejus nativitate; sed de ea quæ de matre ejus. Prima enim nativitas Christi, scilicet (c) Patre, non fuit materia loquendi, sed potius tacendi. ⁸ « Generationem ejus quis enarrabit? » Christus in hac, id est, terrena nativitate, *Verbum caro factum est* ⁹ : de ipsa carnea lingua loqui potest et prædicare. Unde audita hac nativitate, statim pastores loquebantur ad invicem ¹⁰ : « Transeamus, » etc.

Sequitur causa reverendi : *Rex Judæorum*. Si advertamus quantus sit iste Rex, reverebimur eum. Psalmista ¹¹ : « Quoniam excelsus Dominus, » etc. Nota quod quatuor hodie sunt ostensa, magnitudinem hujus Regis declarantia : excellentia dignitatis; mirificentia potestatis; præeminentia nobilitatis; affluentia liberalitatis. Excellentia dignitatis hodie patuit, cum a regibus quæsitus, adoratus fuit. Quia enim Reges adorant et muneribus reverentur, ipsum in dignitate excellentem protestantur. Psalmista ¹² : « Ego primogenitum ponam illum excelsum præ-

regibus terræ. » ¹³ « Adorabunt eum omnes reges terræ, » etc. ¹⁴ « Habebat in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium. » Quid mirum, si reges præcellit, qui non solum corporibus corruptibilibus hominum, sed etiam perpetuis corporibus dominatur stellarum; qui non solum rationalibus, sed etiam irrationalibus imperare potest? ¹⁵ « Stellæ vocatæ sunt, et dixerunt : Adsumus. » Jerle ¹⁶ : « Stella, quam viderant Magi in oriente, antecibat eos, » etc. Item mirificentia majestatis hodie claruit, quia hodie Dominus aquam in vinum convertit, ostendens se habere eandem potestatem, quam cum aquam in sanguinem converterat in Ægypto ¹⁷, et aquam amaram in dulcedinem in deserto, ut dicitur ^{18, 19} : « Domine, in ditione tua cuncta sunt posita, » etc. Item præeminentia nobilitatis patuit, cum hodie in Jordane baptizato Domino, vox Patris intonuit ²⁰ : « Hic est Filius meus dilectus; » quasi diceret : Non, ut putatur, filius fabri, sed Filius meus dilectus. ²¹ « Beata terra (id est Ecclesia), cujus rex est nobilis. » Item affluentia liberalitatis, quia hodie, secundum Bedam ²², Dominus de quinque panibus, quinque millia hominum satiavit : ut ipsi congrue dici possit ²³ : « Aperis tu manum tuam, » etc. Psalmista ²⁴ : « Dominus regit me, et nihil mihi deerit. »

SERMO III.

Apertis thesauris suis ²⁵, etc. Reges isti, Domino offerentes, perfectos significant, qui seipos regere noverunt. Perfectus est autem homo tripliciter : videlicet, professione, conversatione, contemplatione. Tales igitur perfecti per tres reges hic significantur : de quibus etiam accipi potest, quod dicitur ⁶ :

Perfectus.

¹ *Matth.*, II, 10-11. — ² Bern., super *Missus est*, hom. I, n. 9. — ³ *Luc.*, II, 18. — ⁴ *Isa.*, IX, 6. — ⁵ *Luc.*, II, 33. — ⁶ *Psal.* LXXXVI, 5. — ⁷ August., *de Civit. Dei*, lib. XVII, c. XVI; *Serm. ad Catechum.*, n. 11; *Enarr. in Psal.* LXXXVI, n. 7; *in Psal.* CXLII, n. 3. — ⁸ *Isa.*, LIII, 8. — ⁹ *Joan.*, I, 14. — ¹⁰ *Luc.*, II, 15. — ¹¹ *Psal.* CXXXVII, 6. — ¹² *Psal.* LXXXVIII, 28. — ¹³ *Psal.* LXXI, 11. — ¹⁴ *Apoc.*, XIX, 16. — ¹⁵ *Bar.*,

III, 34. — ¹⁶ *Matth.*, II, 9. — ¹⁷ *Exod.*, VII, 17. — ¹⁸ *Ibid.*, XV, 25. — ¹⁹ *Esth.*, XIII, 9. — ²⁰ *Matth.*, III, 17. — ²¹ *Eccle.*, X, 17. — ²² Bed. — ²³ *Psal.* CXLIV, 16. — ²⁴ *Psal.* XXII, 1. — ²⁵ *Matth.*, II, 11. — ²⁶ *Eccli.*, XLIX, 5.

(a) *Edit. Mabillon*, an. 1690, Verbum infans, aqua sitiens. — (b) *Vulg.* mirantes. — (c) *Suppl.* de.

« Præter David et Ezechiam, et Josiam, omnes reges commiserunt peccatum. David perfectam contemplationem significat : interpretatur enim *Vultu desiderabilis*. Ezechias perfectam conversationem per divinum auxilium significat : interpretatur *Auxilium Domini*. Josias perfectam professionem seipsam sacrificantem in religione significat : interpretatur enim *In quo est sacrificium*.

Primus ergo perfectus de thesauro religionis debet offerre tria : Aurum continentiae, imo continentiam quæ pretiosior est auro ¹ : « Omnis ponderatio non est digna continentis animæ. » De hoc auro ² : « Ecce vir vestitus lineis, et renes ejus accincti auro obriri. » Vestis linea, conversatio est munda. Renes auro accinguntur, dum carnis luxuria per continentiam coarctatur ³ : « Sint lumbi vestri præcincti, » etc. Sed quia non sufficit continentia in corpore, nisi sit et in corde, sive in pectore; ideo bene apostolus Joannes vidit ⁴ « præcinctum ad mammillas zona aurea. » Sed, heu! aurum pretiosissimum sæpe mutatur in sterces vilissimum ⁵ : « Sternet sibi aurum quasi lutum. » ⁶ « Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi sterces » abominabilis « in via » ab omnibus prætereuntibus « conculcabitur. » Item thus obedientiæ; unde dicitur ⁷ : « Oblatit Abidan (a) mortariolum plenum incenso. » Abidan interpretatur *patris mei iudicium*. Non ergo habeas scrupulosam pœnitentiam de præcepto, nec dicas esse contra animam tuam : patris enim prælati est iudicare, non tuum. Hieronymus ⁸ : « Præpositum monasterii timeas ut dominum, diligas ut parentem; credas tibi salutare quicquid ille præceperit; neque de majorum sententia iudices, cuius officium est obedire. » Mortariolum est cor obediens, in quo propria voluntas confunditur. In mortariolo ergo thus offertur, dum ex corde obeditur, et propria

voluntas frangitur. Mortariolum autem aureum offertur, dum obedientia ex charitate impletur. Gregorius ⁹ : « Obedientia non servili metu, sed charitatis affectu servanda est, non timore pœnæ, sed amore justitiæ. » Item myrrham paupertatis ¹⁰ : « Vadam ad montem myrrhæ. » Mons altus est; sicut paupertas ¹¹ : « Altissima eorum paupertas, » etc. Hanc myrrham Nicodemus portat ad sepulturam Domini.

Secundus rex et perfectus de thesauro conversationis suæ debet offerre aurum dilectionis : de quo require supra in proximo sermone. Item thus : de quo require supra. Item myrrham bonæ opinionis ¹² : « Quasi myrrha electa, dedi suavitatem odoris. » Bonus odor bona fama est ¹³ : « Christi bonus odor sumus, » etc. E contrario quidam (b) fœtent per infamiam malæ consuetudinis, » etc. ¹⁴ « Domine, jam fœtet, » etc. Gregorius ¹⁵ : « Sicut odor bonus ex virtute est, sic fœtor ex vitio. »

Tertius rex sive perfectus de thesauro contemplationis offert tria, secundum illa tria circa quæ versatur contemplatio. Versatur enim circa divinæ potentiæ magnitudinem, in cuius reverentiam offertur aurum. Unde dicitur ¹⁶, quod « vigintiquatuor seniores mittentes coronas aureas ante thronum Dei, adorabant viventem in sæcula sæculorum. » Coronas aureas Domino mittunt, qui omnem dignitatem et honorem, quem habent in cælo et in terra, Deo subiciunt et attribuunt. Item circa divinæ elementariæ multitudinem, quam cum multis beneficiis nobis ostendit, in quorum gratitudinem offertur thus ¹⁷ : « Quasi thus redolens in diebus ætatis. » Sicut per hyemem rigor et tempestas divinæ justitiæ ¹⁸ : « Jam enim hyems transit, » etc.; ita per æstatem serenitas misericordiæ significatur : dies ergo ætatis

Contem-
platio
circa tria
versatur.

¹ *Eccli.*, xxvi, 20. — ² *Dan.*, x, 3. — ³ *Luc.*, xi, 35. — ⁴ *Apoc.*, i, 13. — ⁵ *Job*, xli, 21. — ⁶ *Eccli.*, ix, 10. — ⁷ *Num.*, vii, 11. — ⁸ Hieron., *ad Rustic. Monach.*, epist. iv. post med. — ⁹ Gregor., *Moral.*, lib. xxxv, c. x, al. xiii, n. 32. — ¹⁰ *Cant.*, iv, 6. —

¹¹ *II Cor.*, viii, 2. — ¹² *Eccli.*, xxiv, 20. — ¹³ *II Cor.*, ii, 15. — ¹⁴ *Joh.*, xi, 39. — ¹⁵ Greg., *Moral.*, lib. xiv, c. xxvi, al. lxx, n. 65. — ¹⁶ *Apoc.*, iv, 10. — ¹⁷ *Eccli.*, l, 8. — ¹⁸ *Cant.*, ii, 11.

(a) *Vulg.* Naasson filius Abinadab. — (b) *Cat. edit.* quidem.

sunt beneficia divinæ pietatis. Item circa miseriam amaritudinem, quam sustinuit Christus in passione, offertur myrrha ¹: « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. » Bernardus ²: « Fasciculum hunc colligare, et inter ubera nostra collocare, est sertum collectum (a) ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini nostri (b). » Aurum ergo in adoratione, thus in gratiarum actione, myrrham in passione offert perfectus.

SERMO IV.

Apertis thesauris ³, etc. Triplex est thesaurus, videlicet cordis, oris, et operis.

De primo ⁴: « Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona. » De isto proferre debemus tria: Aurum dilectionis, hoc est aurum de quo ⁵: « Vestivitque eam, » scilicet arcem, « auro purissimo intus et foris. » Arca est cor vel anima, quæ intus in affectu, foris in effectu auro charitatis vestitur. Psalmista ⁶: « Astitit regina a dextris, » etc. Purum est aurum, si in operatione; purius, si in locutione; purissimum, si in intentione non sit falsificata dilectio. ⁷: « Filii, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate. » Item thus (c) devotionis; unde in laude justi dicitur ⁸: « Quasi ignis effulgens, et quasi thus ardens in igne. » Thus in igne est devotio in fervore; ignis effulgens est exemplum lucens ⁹: « Luceat lux vestra. » Item myrrham contritionis. Myrrha enim amara est; sic et cor pœnitens contra peccatum. Unde sancta anima non solum *sicut fumus thuris* per devotionem, sed etiam *sicut fumus myrrhæ* per contritionem *ascendit per desertum* mundi vel religionis ¹⁰: « Quæ est ista quæ ascendit, » et cætera usque « myrrhæ et thuris: » myrrhæ per contritionem, thuris per devotio-

nem. Sed, heu! quidam simul Domino myrrham offerunt, et crucifigunt, qui timore gehennæ etiam quandoque usque ad lacryman compunguntur, sed tamen Deum offendere non desistant ¹¹: « Dederunt ei myrrhatum vinum bibere. » Vinum myrrhatum sunt lacrymæ attritorum. Gregorius ¹²: « Qui fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas etiam lacrymas ipsas (d) facit.

Deseundo etiam dicitur, secundum aliam translationem ¹³: « Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis (e). » De isto offerre debemus tria: aurum laudationis ¹⁴: « Ab aquilone aurum veniet, et a Deo (f) formidolosa laudatio. » In aquilone tentatio diaboli significatur, qui quandoque flatu Spiritus sancti fugatur ¹⁵: « Surge, Aquilo, et veni, Auster, » etc. Ab aquilone ergo aurum laudis divinæ, quia Deum laudare multum debemus, quod in tentationibus et periculis non perimus. Item thus orationis. Psalmista ¹⁶: « Dirigatur oratio mea. » Sed quia thus orationis per angelos offertur Christo; ideo dicitur de Angelo ¹⁷, qui « stetit ante altare habens thuribulum aureum in manu sua, et data illi sunt incensa multa, » ut daret de *orationibus sanctorum* omnium super altare aureum, id est super Christum. Joannes Chrysostomus ¹⁸: « Sicut thymiamata bene confecta delectant hominem odorantem, sic oratio justi suavis est ante Deum. Vis autem scire dignitatem ejus? Mox ut de ore ejus processerit, suscipiunt eam angeli in manibus suis, et offerunt ante Deum. » Cave ne angelus tuus inter angelos alios vacuo thuribulo appareat. Item myrrham confessionis; unde de ipsa Judith dicitur ¹⁹: « Unxit se myrrho (g) optimo. » Judith *confitens* interpretatur ²⁰: hæc Holofernem, id est diabo-

Oper. imperf. in *Matth.*, inter Opera Chrys., tom. VI, pag. m. 808. — ¹⁹ *Judith.*, x, 3. — ²⁰ Idem affirmat Hieronymus de *Judi* nomine, ad *Paulant.*, epist. xxv.

(a) *Oper. Bern. edit. Mabill.*, an. 1690, mea collocare curavi, collectum. — (b) *Mei.* — (c) *Cat. edit. deest* thus. — (d) *Edit. Bened.* ipsas etiam lacrymas — (e) *Vulg.* et oleum in habitaculo justi. — (f) *Vulg.* venit, et ad Deum. — (g) *Vulg.* myro.

¹ *Cant.*, I, 12. — ² Bernard., in *Cant.*, serm. XLIII, n. 3. — ³ *Matth.*, II, 11. — ⁴ *Luc.*, VI, 45. — ⁵ *Exod.*, XXXVII, 1. — ⁶ *Psal.* XLIV, 14. — ⁷ *I Joan.*, I, 18. — ⁸ *Ecclesi.*, L, 9. — ⁹ *Matth.*, v, 16. — ¹⁰ *Cant.*, III, 6. — ¹¹ *Marc.*, xv, 23. — ¹² Greg., *Pastor. cur.* part. III, c. xxx, al. LIV, adm. 31. — ¹³ *Prov.*, XXI, 20, juxta LXX. — ¹⁴ *Job*, XXXVII, 22. — ¹⁵ *Cant.*, IV, 16. — ¹⁶ *Psal.* CXL, 2. — ¹⁷ *Apoc.*, VIII, 3. — ¹⁸ Imo aucto:

lum confundit. Acriores enim dolores diabolos non infligimus, quam cum plagas peccatorum nostrorum confitendo et poenitendo sanamus.

De tertio ¹: «Thesaurizate vobis,» etc. De isto offerre debemus tria: aurum misericordiæ ²: «Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, et proderit tibi magis quam aurum.» Et additur: «Conclude ergo elemosynam in sinu pauperis.» Præceptum Altissimi, in quo thesaurum temporalem ponere debemus, est illud de quo ³: «Date elemosynam.» Hoc figuratum est ⁴, ubi dicitur, quod «fecit Salomon ducenta scuta de auro purissimo. Sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti unius, et trecentas peltas ex auro probato.» Per scuta aurea, misericordiæ opera figurantur ⁵: «Elemosyna viri quasi sacculus eum ipso, et gratiam hominis quasi puellam conservabit,» et cætera usque ⁶: «Super scutum potentis et super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit.» Ducenta erant scuta: poenitiæ perfectio debet esse in corde, ore, et in opere. Per sexcentos siclos, sex misericordiæ opera significantur, de quibus ⁷: «Esurivi,» etc. Item thus bonæ famæ ⁸: «Odor vestimentorum tuorum odor thuris.» Vestimentum est bona conversatio, per cujus odorem, id est, bonam famam, benedictionem a Deo consequimur ⁹: «Statim ut sensit vestimentorum suorum fragrantiam.» Item myrrham abstinentiæ et mortificationis carnis ¹⁰: «Manns meæ stillaverunt myrrham.» Martyres simul myrrham totam effuderunt; nos vero myrrham stillamus paulatim carnem mortificando. Per digitos, discretio quinque sensuum accipitur, quos similiter castigare debemus, ut sic myrrham in eis habeamus.

¹ *Matth.*, vi, 20. — ² *Eccli.*, xxix, 14, 15. — ³ *Luc.*, xi, 41. — ⁴ *III Reg.*, x, 16. — ⁵ *Eccli.*, xvii, 18. — ⁶ *Ibid.*, xxix, 16-17. Scilicet ea quæ præcedunt ex cap. xvii, 18, habuit Bonaventura nosler pro versiculo 16, cap. xxix. Vid. Corn. a Lap. in *Ecclesiastic.*, c. xxix, 16-17. — ⁷ *Matth.*, xxv, 35. — ⁸ *Cant.*, iv, 11. — ⁹ *Gen.*, xxvii, 27. — ¹⁰ *Cant.*, v, 5. — ¹¹ Hunc non habet edit. Paris, an. 1521. — ¹² *Luc.*, ii, 48.

DOMINICA INF. OCTAV. EPIPHANIÆ.

SERMO PRIMUS ¹¹.

Fili, quid fecisti nobis sic? ego et pater tuus dolentes querebamus te ¹². Quoniam non sine magno dolore amittitur quod cum magno amore possidetur, hinc est quod beata Virgo de amissione corporalis præsentiae dilecti ac unici filii sui, quem tenerrime ac super omnia diligebat, multiplicis doloris in animo colaphizabatur. Vix autem dabat somnum oculis, et requiem pedibus, donec inveniret eum in medio doctorum in Jerusalem. Ut autem vidit ejus faciem gratiosissimam, gaudens gaudio magno, et lætitia ineffabili, licet breviter locuta fuerit sicut et virgo, verecundum tamen verbum protulit magnæ providentiæ et magnæ sapientiæ, dicens: *Fili, quid fecisti nobis*, etc. In quo quidem verbo, tanquam virgo prudentissima, primo præmittit dulcedinem benignæ allocutionis in ore, cum dicit: *Fili, quid fecisti nobis?* secundo exprimit amaritudinem magnæ tribulationis in corde, cum subdit: *Ego et pater tuus dolentes*; tertio adjungit sollicitudinem discretæ inquisitionis in opere, cum subinfertur: *Querebamus te*. Sic in ipso verbo beata Virgo, tanquam prudentissima, insinuatur dedisse Deo cogitationem cordis, locutionem oris, et operationem totius corporis.

Primo ergo in verbo proposito notatur dulcedo benignæ locutionis in ore, cum dicit: *Fili mi*. Merito Jesus bonus filius erat dulciter alloquendus. Nam sicut quilibet bonus filius est gaudium et lætitia matris suæ; sic Jesus fuit gaudium et lætitia matris suæ Virginis: quia in ipso erant tria, quæ omnem animam in ejus concupiscentiam alliciunt et ad amorem alliciunt: primo, pulchritudo venustatis et pudicitiae in mente et corpore; secundo, dulcedo pietatis et sapientiæ in ore; tertio, mansuetudo tractabilitatis et patientiæ in opere. Cum enim hæc tria sint in Christo, sequitur quod talis puer est

Tria in Christo quæ ad ipsius amorem alliciunt.

gaudium et lætitia matris suæ. Primo in Filio Virginis gloriosæ erat pulchritudo venustatis et pudicitiae in mente et corpore; unde Psalmista ¹: « Speciosus forma præ filiis hominum: » nec immerito, quia nullus fuit sine peccato actuali vel originali, nisi solus puer Jesus, qui est ² *candor lucis æternæ, et speculum sine macula Dei (a) majestatis*. Illic est ille puer gloriosus Salomon, de quo ³: « Ego filius fui patris mei tenellus et unigenitus coram matre mea. » Vere puer Jesus erat tenellus Dei Patris, eo quod delicate nutritus in veris deliciis divinitatis, et unigenitus coram Virgine matre sua per assumptionem humanitatis, ut sic oculis depuratis ab omni lippilitate peccati sit jucundum et delectabile intueri ipsum, secundum duplicem visum hominis, scilicet interiorem, quantum ad divinitatem, et exteriorem, quantum ad humanitatem. Secundo in Filio Virginis gloriosæ erat dulcedo pietatis et sapientiæ in ore. Unde ⁴: « Filius sapiens lætificat patrem; filius autem stultus mœstitia est matris suæ. » Licet sapiens puer Jesus sit lætitia Patris et gloria secundum æternam generationem, eo quod est ⁵ *splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus*, tamen est non tantum lætitia Patris, sed etiam Matris in natura assumpta per gloriosam in mundo conversationem: eo quod sapienter docuit, sapientius vixit, sapientissime mala pœnæ toleravit. Et sic veritate doctrinæ, rationalem illuminat; sanctitate vitæ, concupiscibilem informavit; exemplaritate patientiæ, irascibilem quietavit (b) et perfectibilitate concordantiæ. Quidquid enim verbo docebat, facto concordabat: non enim habebat multiloquas concordantias, sed reales. Nam quidquid verbo dicebat, concordantiis realibus, actualibus et manualibus, concordabat. Nam primo *cæpit facere, et postea docere* ⁶. Tertio, in Filio Virginis gloriosæ erat mansuetudo tractabilitatis et patientiæ in opere; unde ⁷: « Parvulus natus est nobis,

et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus. » *Parvulus*, inquit Propheta, *natus est nobis*: ecce humilitas Dei in resiliendo: nam cum esset magnus Dominus, Rex excelsus, resiliivit in figuram pueri parvuli, formam servi accipiens. Et ob hoc quod in descendendo fuit cæteris humilior, ideo secundum regulam infallibilem divinæ justitiæ, quæ est ⁸: *Qui se humiliat, exaltabitur*, fuit in ascendendo omnibus aliis sublimior. *Et filius datus est nobis*: ecce tractabilitas obedientiæ, etiam non resistendo. Cum enim Deus Pater ⁹ *sic diligeret mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, non fuit in resistendo pertinax, sed tractabilis in acquiescendo voluntati Patris. *Et factus est principatus super humerum ejus*: ecce mansuetudo patientiæ in sustinendo: non est sibi gratis datus cælestis principatus; imò multo labore et dolore eum acquisivit, supponendo humerum suum omnibus laboribus et doloribus mortis: et quanto ejus apparuit caro deformis et pallida in moriendo, tanto summa pulchritudine et decentia fuit circumdata in resurgendo. Unde qui videbatur projici velut semen in terram cum verecundia, resurrexit et crevit in summam gloriam. Nullus ergo metuat atteri doloribus in corde, jejuniis affligi in corpore, quia tanto ejus caro resurget gloriosior, quanto pro Christo fuerit humilior, ¹⁰ *qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*.

Sequitur secundo: *Ego et pater tuus dolentes*; ubi notatur amaritudo profundæ tribulationis in corde. Certe non miror, Virgo gloriosa, si tribularis in corde, si habes amaritudinem, si habes dolorem: mirarer autem, si non doleres, eo quod amisisti dilecti tui Filii præsentiam corporalem, quæ multis consolationibus replebat animam tuam. Et licet Virgo gloriosa multos dolores, multas

¹ Psal. XLIV, 3. — ² Sap., VII, 16. — ³ Prov., IV, 3. — ⁴ Prov., X, 1. — ⁵ Hebr., I, 3. — ⁶ Act., I, 1. —

⁷ Isa., IX, 6. — ⁸ Luc., XIV, 11. — ⁹ Joan., III, 16. — ¹⁰ Philip., III, 21. — (a) Cæst. edit. *Deus*. — (b) *Leg.* vel illuminavit, vel informat et quietat.

tribulationes et amaritudines habuit in hoc mundo de Filio; possumus tamen dicere ad præsens quod triplicem habuit dolorem. Doluit enim primo in amissione filialis præsentiæ; secundo, in visione passionis dominicæ; tertio, in compassione obcæcationis judaicæ. Primo habuit dolorem in amissione filialis præsentiæ. Unde in Psalmo ¹: « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. » Potest esse verbum Matris Virginis alloquentis dilectum Filium suum, postquam eum invenit, quasi dicat: *Secundum multitudinem dolorum meorum quos habui de amissione tuæ corporalis præsentiæ, consolationes tuæ lætificaverunt animam* in visione tuæ faciei divinis splendoribus irradiatæ. Quid jucundius, quam videre hominem hominis conditorem? Delectabilis ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad perfruendum, ipse per se placet, per se sufficit ad præmium. Secundo doluit in visione passionis dominicæ; unde dicitur ²: « Attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus. » Audiamus Virginis Matris Mariæ lamentabilem vocem, et attendamus ejus vehementem dolorem; et videbimus, quia non est dolor sicut dolor suus, excepto dolore Filii, ad cujus exemplar dolor suus assimilatur. Mira enim et incredibili compassione tenebatur, atque inexplicabili sermone. Dolores namque, plagas et opprobria Filii in se retorquens, in suam propriam personam recipiebat, *sentiens hoc, quod et in Christo Jesu*. In animo enim illi martyri commartyr astabat, vulnerato convulnerata, erucifixo conerucifixæ, gladiato congeladiata. Nam *suam ipsius animam pertransivit gladius* ³ passionis Christi. Pallescebat enim decor munditiæ, et naturali pulchritudine tabescebat; et ipse tabescebat, quia talis in ipsa relucebat effigies, qualis ab objecto corpore, scilicet filii

resultabat. Sordebat sputis facies gloriosa; sordebat et ipsa luctu mœstitiæ. Non enim alium habitum prætendebat amans, nisi qualem (a) virtus amoris expresserat ab amato. O gens ingrata! nigrescimus a gloria solari: nunquam pallescimus cum Christo, nunquam deponimus ornatus, memores Christi nudi. Quis mihi dabit nigrescere cum Christo, et pallescere cum Maria matre ejus, et erubescere et deficere a memetipso, ut partem habeam in passione Domini mei? Non erubescat sponsa aggredi quæ novit præcessisse et in Christo sponso, quia profecto nihil gloriosius sibi putet, quam Christi portare opprobrium. Unde vox illa exultationis et salutis ⁴: « Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. » Tertio doluit in compassione obcæcationis Judaicæ; unde in Psalmo ⁵: « Super dolorem vulnerum meorum addiderunt. » Tantum enim compassione Regina misericordiæ dolebat de obcæcationis malitia Judæorum, eo quod apponebant iniquitatem super iniquitatem, spernendo illud magnum sacramentum, et vilipendendo illud saluberrimum medicamentum passionis Christi, antidotum, quo salvabatur infirmus populus humanus, ut videretur ei addere dolorem super dolorem vulnerum mentalium, quem gladius passionis Christi filii sui in sua anima expresserat. Non enim iræ stimulo furens, nec odii facibus (c) exardens; sed mansuetum animum per compassionem exasperantibus præbebat, non vicem rependere cogitans, sed tantas injurias ultro indulgens. Singulari enim compositione Maria omnem malignitatem eorum superans, injuriam obliviscens, potius eorum compatiebatur insaniam, totaliter cohærens supernæ dulcedini, quæ se totam illo tempore diffundebat super peccatores.

Tertio introducit sollicitudinem discretæ inquisitionis in opere, cum dicit: *Quærebamus te*. Valde enim fuit sollicita beata Virgo in inquirendo, licet non fuerit negligens in

(a) *Cæt. vdt.* qualis. — (b) *Indulget.* — (c) *fastibus.*

¹ *Psal.* XCIII, 19. — ² *Thren.*, 1, 12. — ³ *Philip.*, 11, 5. — ⁴ *Luc.*, 11, 35. — ⁵ *Gal.*, VI, 14. — ⁶ *Psal.* LXVIII, 27

Judæo-
rum con-
suetudo.

amittendo. Nam consuetudo apud Judæos secundum expositores hæc erat, quod in processionibus et itineribus, dum ascendebant in templum, et etiam dum morarentur in templo, quod et viri et mulieres non simul, sed pergebant seorsum. Pueri autem non tenebantur hac lege; sed quandoque cum patribus pergebant, quandoque cum mulieribus. Unde virgo Maria et mater putavit ipsum esse cum Joseph in comitatu virorum; et Joseph putavit puerum Jesum esse cum Maria in comitatu feminarum. Et hæc consuetudo introducta erat causa honestatis, ad custodiam castitatis. Et sic patet quod non fuit negligens in amittendo; sed valde fuit sollicita et diligens in inquirendo, eo quod quæsit eum primo cum rectitudine conscientie in credendo; secundo, cum latitudine benevolentie in diligendo; tertio, cum certitudine confidentie, in expectando: ut sic, tanquam forma et speculum Christianorum, daret exemplum recte acquirendi Christum. Primo quæsit eum rectitudine conscientie in credendo; unde dicitur ¹: « In simplicitate cordis quærite illum: quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis qui fidem habent in illum. *Quærite illum* per continuationem devotæ orationis; *in simplicitate* cordis, per puritatem intentionis et innocentiam operis: ut nulla sit duplicitas interius, nulla falsitas exterius, sed totaliter convertatur in Deum; nec reflectatur in suum commodum, nec elevetur per favorem humanum: *quoniam invenitur ab his qui non tentant illum* per præsumptionem temerariæ inquisitionis. Unde Augustinus ²: « Præsumptio arrogantie oculum cordis claudit, ut omnino non videat, vel distortet, ut perverse videat, et aliud pro alio probet aut improbet (a). » *Apparet autem eis qui fidem habent in illum* per mentalis intuitus elevationem. Secundo quæsit eum cum

latitudine benevolentie, in diligendo. Unde dicitur ³: « Jesum quæritis Nazarenum. » Istæ sanctæ mulieres, quas alloquitur Angelus, cum tanto desiderio amoris quærebant Christum, ut etiam in nocte non quiescerent. Nonne cum magno fervore amoris quærebat Christum Maria Magdalena, quæ sola in sepulchro moras contrahere non timebat, cum sexus muliebris sit timidus ex natura. Non enim erat contenta visione angelorum, nec consortio apostolorum; imo erat tædium sibi videre omnem creaturam, nec destitit quærere, donec inveniret Jesum Nazarenum crucifixum, quia eo habito, habetur omne bonum. Nam Christus, in quantum Crucifixus, confert beneficium veniæ in absoluteione culpæ. In quantum Nazarenus, id est, floridus, confert stillicidium gratiæ, in promotione justitiæ. Sed in quantum Jesus (qui interpretatur *salus*) confert complementum gloriæ in glorificatione corporis et animæ. Et de hoc dicitur ⁴: « Cum quæsieritis me in toto corde vestro, inveniar a vobis, dicit Dominus. » Unde beata Virgo quæsit in toto corde, non dimidiando eum ad terrena. Tertio quæsit eum cum certitudine confidentie, in expectando; unde ⁵: « Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram, ubi Christus est in dextera Dei sedens. » Virgo Maria per appetitum cælestium quærebat *quæ sursum sunt*, expectando cum certitudine spei potiora bona Dei Patris, ubi Christus in quantum homo, perpetue fruitur; *non quæ super terram*, per depressionem affectus ad terrena, quia istæ terrenæ consolationes, quas carnales experiuntur, comparatæ delectationibus quæ sursum sunt in dextera Dei Patris, potius dicendæ sunt desolationes. Ubi enim homo credit invenire delectamentum, invenit cruciamentum, quia omnis delectatio in præsententi aspera est amaritudine. Sed delectationes, quæ sunt in dextera Dei, delectant, eo quod delectatio est conjunctio conve-

D. lec-
tatio.

¹ Sap., 1, 1. — ² Aug., cont. Faust., lib. XVI, c. XIV. — ³ Marc., XVI, 6. — ⁴ Jerem., XXIX, 13. — ⁵ Coloss., III, 1.

(a) Cæd. edit. deest aut improbet, quæ tamen leguntur apud Aug., tom. VIII, edit. Gaume.

nientis cum convenienti : sed anima nulli melius convenit quam illi, ad cujus imaginem vel similitudinem formata est. Rogemus, etc.

SERMO II ¹.

Post triduum invenerunt eum in templo ². Quoniam diversi sunt status et generationes *quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob* ³ (quærent enim incipientes, proficientes, perfecti), hic istud triduum distinguendum est. Est igitur triduum incipientium, proficientium, perfectorum.

De primo ⁴ : « Solvite templum hoc ⁵ manu factum, et post triduum aliud non manu factum ædificabo. » Templum Dei est anima virtutibus quam maxime ornata. Hoc templum per peccatum destruitur, et manu fit templum diaboli : per (*b*) manus enim opera designant. Sed hoc templum a nobis manu factum per triduum pœnitentiæ reædificatur, et fit templum divinæ gratiæ : quod bene dicitur non manu factum, quia dicit Apostolus ⁶ : « Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, » etc. Tridui autem incipientium, primus dies est contritionis; secundus, confessionis; tertius, satisfactionis. Primus ergo dies contritionis ⁷ : « Dies expiationis erit celeberrimus, et vocabitur sanctus. » Dies contritionis bene vocatur sanctus et benedictus, sanctificat enim hominem : contritio enim est flumen tabernaculum animæ sanctificans et mundans. Psalmista ⁸ : « Fluminis impetus lætificat, » etc. Ibidem in Levitico ex textu colligitur, quod dies iste dicitur expiationis, propitiationis, dies afflictionis : quod convenit contritioni. Contritio enim expellit peccatum de anima : in peccato autem tria sunt mala, macula, offensa, reatus. Per peccatum enim

anima sordidatur, Deus irritatur, debitum æternæ mortis meretur. In contritione autem contra maculam est expiatio; contra offensam, propitiatio; contra reatum, afflictio. Isidorus ⁹ : « Ille pœnitentiam digne agit, qui reatum suum satisfactione legitima plangit. » Hæc est ergo dies, de qua dicitur ¹⁰ : « Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. » Exemplum de Magdalena pedes Domini lacrymis rigante ¹¹; de Petro amare flente ¹², et de latrone in cruce pœnitente ¹³.

Secundus dies est confessionis. Psalmista ¹⁴ : « Tota die verecundia mea contra me est. » Confessio enim dies verecundiæ est medicinalissima : debet in confessione esse verecundia summa, non occultando peccata, sed detestando et plangendo. Unde Augustinus ¹⁵ : « Qui per vos peccatis, per vos erubescatis. » Erubescencia enim (ut ait quidam) magnam partem habet remissionis. Debet autem confessio esse integra, nuda, propria. Integra, et hoc notatur ibi : *Tota* : non enim tota die confessionis, sed in parte diei verecundiam habet, qui non totaliter, sed particulariter confitetur. Item nuda, et hoc notatur ibi : *Verecundia*; palliata enim confessio minus verecunda est. Item propria, et hoc notatur : *contra me*; et non dicitur contra alium : quod dicitur contra multos, qui aliorum verecundias in confessione recitant, et peccata sua aliis imponunt, sicut Adam Evæ, et Eva serpenti. Hæc est ergo dies salvans confitentem ¹⁶ : « In diebus illis salvabitur Juda, » qui confitens interpretatur. Vere salvabitur, unde Ambrosius ¹⁷. « Confessio a morte liberat; confessio aperit paradysum; confessio spem salutis tribuit : quoniam non meretur justificari, qui in vita sua non vult confiteri. »

Tertius est dies satisfactionis ¹⁸ : « Portavi

mala
in peccato.

Confessio
quæ
debet
esse.

Fria

¹ Hunc et sequentes usque ad Dom. II post Epiph., serm. 1, exclusive, habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ² *Luc.*, II, 46. — ³ *Psal.* XXIII, 6. — ⁴ *Jonn.*, II, 19. — ⁵ *Marc.*, XIV, 58. — ⁶ *Tit.*, III, 5. — ⁷ *Levit.*, XXIII, 27. — ⁸ *Psal.* XLV, 5. — ⁹ *Isid.*, de *Sum. Bon.*, lib. II, c. XIII, secul. 6. — ¹⁰ *Ezech.*, XXXIII, 12. — ¹¹ *Luc.*, VII, 38. — ¹² *Matth.*, XXVI, 75. — ¹³ *Luc.*, XXIII,

42. — ¹⁴ *Psal.* XLIII, 16. — ¹⁵ August. — ¹⁶ *Jerem.*, XXXIII, 6. — ¹⁷ Vel auctor *Sermonum* sub nomine Ambrosii, post *Domin.* I. *quadrag.*, serm. III. — ¹⁸ *Matth.*, XX, 12.

(a) Dele per.

mus pondus diei et æstus. » Et dicitur ¹, quod in die tertio suspensus est magister pistorum in cruce. Per crucem, mortificatio carnis accipitur ² : « Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, » etc. Notantur autem tria in ista historia : magister pistorum in cruce suspenditur ; magister pincernarum in gradum pristinum restituitur ; videlicet, de carcere extrahitur. In quibus tria circa satisfactionem significantur : qui enim vult satisfacere, debet vitam malam relinquere, et veterem hominem cum actibus suis exuere, et sic de carcere extrahi ; debet corpus suum mortificare, et sicut magister pistorum in cruce suspendi : Augustinus ³ : « Qui autem Crucifixi passionem celebramus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis faciamus. » Tunc quoque spiritus per Christi revertitur gratiam : et sic magister pincernarum, qui spiritum significat, in gratiam Domini pristinam restituuntur.

SERMO III.

Post triduum invenerunt ⁴, etc. Hic dicendum est de triduo proficiscentium sive religiosorum, post quod Jesus etiam invenitur. De hoc ergo triduo dicitur ⁵ : « Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum : » hoc est triduum regularis observantiæ per quod in deserto religionis septem panibus septiformis gratiæ Spiritus sancti reficiuntur.

Primus ergo dies hujus tridui est paupertas voluntaria. ⁶ « Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum parvi et mali. » Dies peregrinationis est votum voluntariæ paupertatis : paupertas enim facit homines esse peregrinos. Significantur autem hic tres conditiones paupertatis viri religiosi. Debet enim esse pauper libenter, perseveranter, humiliter. Libenter et voluntarie : et ideo dicit *peregrinationis*, non dicit proseriptionis vel exilii, quæ homo invite patitur. Tales enim non sponte dimittunt propria li-

bera voluntate ; sed qui dimittit propria mera voluntate, ut pauper peregrinus Christus est. Unde potest dicere illud ⁷ : « Quoniam advena, » etc. Item perseveranter, et hoc significatur in numerositate annorum centum triginta, contra quosdam, qui in peregrinatione paupertatis non veri sunt peregrini, quia peregrinorum defectus habere nolunt. Bernardus ⁸ : « Sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit ; et sunt diligentes paupertatem, ut nullam tamen inopiam patiantur. » Item humiliter, ne extollantur : *Pauperem enim* ⁹ *superbum* odit Sapiens ; et ideo hic dicit : *parvi (a) et mali*. Ecce mira humilitas, postquam centenarius tricenarius fuit, et dies suos parvos reputavit, juxta illud ¹⁰ : « Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus, » etc. Nullus ergo Christi pauper, relictis his divitiis vel divitiis parentibus, superbiat. Augustinus ¹¹ : « Utilius terrena opulentia humiliter tenetur, quam superbe relinquatur.

Secundus dies continentiae. Psalmista ¹² : « Obumbrasti super caput meum in die belli. » Continentibus enim maximum imminet bellum. Est autem triplex continentia : corporalis, mentalis, sensualis. In corporali obumbratur homo, sed non *super caput*, dum ab æstu concupiscentiæ continet corporaliter, sed non mentaliter. In mentali *obumbratur* homo et *super caput*, qui non solum corpore, sed mente et voluntate continet : caput enim animæ mens est. In sensu vero *obumbratur* homo non solum *super caput*, sed etiam *in die belli*, qui non solum in actu, neque in affectu, sed etiam in visu, et auditu, et aliis sensibus castus est. Maxime enim contra sensum imminet bellum. Unde pauci sunt qui sensus suos caste custodiant et vincant. Hoc potest esse bellum, de quo ¹³ : « Non concupiscatis spolia, quia bellum contra nos est. » Mirabile est quod Judas, qui toties vi-

Conti-
nentia
triplex.

¹ Gen., xli, 13. — ² Gal., v, 24. — ³ Aug., de Fide et Oper., c. x, n. 15, quoad sensum. — ⁴ Luc., ii, 46. — ⁵ Matth., xv, 32. — ⁶ Gen., xlvii, 9. — ⁷ Psal., xxxviii, 13. — ⁸ Bern. — ⁹ Eccli., xxv, 4. — ¹⁰ Luc.,

xvii, 10. — ¹¹ Aug. — ¹² Psal., cxxxix, 8. — ¹³ I Mach., iv, 17.

(a) Cæc. edit. *parvuli*.

etor extitit, adhuc bellum contra se esse dicit: quia revera, quantumcumque continentes sumus, securi esse non possumus, quantumdiu sensus nostros non vicerimus¹: «Oculus meus deprædatus est animam meam.» Certe non solum visus, imo etiam auditus animam deprædatur. Isidorus²: «Vanus sermo cito polluit mentem; et facile agitur, quod libenter auditur.»

Tertius dies est obedientiæ³: «Siluit terra Juda in diebus Simonis, et quæsit bona gentis suæ, et placuit illis potestas ejus.» Hic ostenditur lux (a) obedientiæ: Simon enim *obediens* interpretatur. Tres autem sunt conditiones obedientiæ. Debet esse grata, pura, sollicita. Grata, sine murmure in auditione, et hoc notatur ibi: *Siluit terra.* Item pura proprii, vel carnalis commodi intentione, et hoc notatur ibi: *Quæsit bona gentis suæ*: non sibi, sed aliis quæsit bonum. Sunt autem quidam, qui bene obediunt sine murmuratione, sed ubi commodum suum considerant, non aliorum. Item sollicita vel devota (b) adimpletur, et hoc notatur ibi: *Placuit illis potestas ejus.* Quidam enim ita negligenter et inordinate, et confuse, et indevotè implent obedientiam, quod nulli placet potestas eorum, id est, obedientia per quam verus obediens super se ipsum potestatem habet.⁴ «Vir obediens loquetur victoriam.» Vincit enim verus obediens omnia propria membra exterius, ut voluntatem interius. Bernardus⁵: «Verus obediens mandatum non procrastinat, sed præparat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri: et se totum intra se colligit, ut mandatum peragat imperantis.» Verus ergo obediens debet esse silens a murmuratione, purus intentione, placens executione, silens ore, parus corde, placens opere.

SERMO IV.

*Post triduum invenerunt*⁶, etc. Nunc dicendum est de tertio triduo, quod est per-

fectorum. De hoc dicitur⁷, quod ipsa exivit ad deprecandum, «ad adorandum Dominum suum per triduum. Exhibat noctibus in vallem Bethuliæ et baptizabat se in fonte.» Judith animam contemplativam Deum glorificantem significat. Interpretatur enim *glorificans*, quod perfectionis est. In nocte hujus sæculi ad orationem exiens, baptizatur in fonte lacrymarum. Gregorius⁸: «Quia post baptismum inquinamus vitam, baptizemus lacrymis conscientiam.»

Primus ergo dies hujus tridui est dies quietationis, quo anima quietatur et placatur ab incursu eorum, quæ turbare possunt salutem mentis. Quietatur autem per diligentem custodiam.⁹ «Custodite animas vestras, et nolite pondera portare in die sabbati, nec inferatis per portas Hierusalem.» Dies enim sabbati est dies quietis internæ, qui tantum est bonarum conscientiarum. Augustinus¹⁰: «Omnis malus sabbatum habere non potest: nunquam enim illi quiescit conscientia. Cui autem bona est, tranquillus est: et ipsa tranquillitas sabbatum est cordis.» Tres autem conditiones sunt hujus quietis. Debet enim anima contemplativa quietari a prava cogitatione; et hoc notatur ibi: *Custodite animas vestras.* Item a curarum oppressione; unde ait: *Nolite portare pondera.* Isidorus¹¹: «Semper in interna quiete eris, si te a strepitu terrenarum actionum subtraxeris.» Item a phantastica imaginatione: hoc notatur ibi: *Ne inferatis per portas.* Portæ enim sunt sensus nostri, per quos imagines corporales se ingerunt. Pravis cogitationibus non inquinari mundæ innocentia est; rerum cupiditatibus non teneri, humanæ virtutis est; corporum imaginibus non involvi, angelicæ puritatis est; sed non nisi divini muneris est etiam utrumque transcendere. Debet ergo sancta anima quiescere a cogitatione carnali, a sol-

⁷ Judith, XII, 6, 7. — ⁸ Greg. — ⁹ Jerem., XVII, 21. — ¹⁰ Aug., Enarr. in Psal. XCI, n. 2. — ¹¹ Isid.

(a) Leg. lex. — (b) Leg. sollicite vel devotè. — (c) Leg. placeat. — (d) Cor. edit. deest ipsa.

¹ Thren., III, 51. — ² Isid. — ³ I Mach., XIV, 3. — ⁴ Prov., XXI, 28. — ⁵ Bernard. — ⁶ Luc., II, 46. —

licitudine temporalī, ab imagine corporali.

Secundus est dies contemplationis, quæ lucida est. Dicitur ideo ¹: « Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem. » Triplex lumen hic tangitur: lux, splendor, perfectus dies; per (a) tres partes contemplationis, videlicet: cogitationem, meditationem, contemplationem. Quando enim anima versatur circa plura et vagatur, neque est fixa in uno, tunc est cogitatio. Item quando fixa est in uno, et uni tantum intendit, tunc est meditatio. Item quando uni tantum intendit, et hoc supra se, tunc est contemplatio. Augustinus ²: « Ubi te inveni, veritas Deus, nisi in te supra me? » Deus ergo lux est in cogitatione, splendor in meditatione, perfectus dies in contemplatione.

Tertius dies est perfectæ dilectionis, de quo ³: « Egredimini, filiæ Sion, et videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus. » *Filiæ Sion*, id est animæ contemplativæ, *egredimini* per quietationem, *et videte* per contemplationem *regem Salomonem*, cui debetis dilectionem. Tria autem sunt, quæ ad dilectionem accendunt, si bene recogitantur: scilicet, Sponsi humiliatio, quod significatur, cum dicitur: *In diademate, quo coronavit eum mater sua*. Bernardus ⁴: « Diademate carneo coronavit eum mater sua Maria: diademate spineo mater Synagoga, quæ potius dicitur noverca. » Humilitas ergo incarnationis et passionis animam accendunt. Item beneficiorum multiplicatio, maxime spiritualium, sicut est fides, dilectio, justitia, quibus desponsatur Christus: et hoc significatur *in die desponsationis illius*. Item gloriæ æternæ præparatio: et hoc significatur *in die lætitiæ cordis ejus*. Corde enim lætatur Christus de præparata prædestinationis gloria. Augustinus ⁵: « Gaudium jam ipse perfectum de nobis habebat, quando nos præ-

sciendo et prædestinando gaudebat. *Lætatur ergo cor quærentium Dominum*, ex quo cor Domini lætatur de gloria quærentium. » Accenditur ergo mirabiliter sancta anima, quando recolligit illata Sponso suo supplicia; quando recogitat sibi collata beneficia; quando rememoratur de præparata sibi æterna lætitia. Dies ergo desponsationis est virtus dilectionis: veraciter enim desponsata est anima, quæ veraciter diligit.

SERMO V.

Pater tuus et ego dolentes querebamus te ⁷.

Quærendus est Christus per fidem, per amorem, per justitiam, per bonam operationem. Vide autem in præsentī Evangelio, quando, ubi, et quibus, ad quid quæritur Christus. Quærendo enim quatuor consideranda sunt: videlicet temporis opportunitas, loci congruitas, quærentis humilitas, quæsitī utilitas.

De primo ⁸: « Quærite Dominum, dum inveniri potest. » Et quasi ostendens quomodo quærendus sit, adjungit: « Derelinquat impius viam suam, » etc. Bene autem dicit: *Dum inveniri potest*. Si tu quæreris in hieme calorem, vel in nocte solem, non invenires. Tempus autem quærendi hic determinatur per triduum. Invenitur autem post triduum contritionis, confessionis, et satisfactionis. De hoc triduo ⁹: « Misereor turbæ, quæ (b) jam triduo, » etc., ubi septem panibus, id est septem donorum Spiritus sancti, homo reficitur.

De secundo ¹⁰: « Quæretis me, et invenietis me, cum quæsieritis me in toto corde vestro. » Ecce locus ubi quærendus est Dominus, quia in corde, et non in uno angulo cordis, sicut illi, qui in una parte cordis diabolum, in alia Dominum quærunť; sed in toto corde quærendus est Dominus. Psalmista ¹¹: « In toto corde meo exquisivi te. » Locus ergo quærendi hic determinatur per

— ⁸ *Isa.*, LV, 6, 7. — ⁹ *Matth.*, XV, 32. — ¹⁰ *Jerem.*, XLIX, 13. — ¹¹ *Psal.* CXLIII, 10.

¹ *Prov.*, IV, 18. — ² August. — ³ *Cant.*, III, 11. — ⁴ Bern. — ⁵ August. — ⁶ *Psal.* CIV, 3. — ⁷ *Luc.*, II, 48.

(a) *Leg.* propter. — (b) *Vulg.* quia.

Christus
quomodo
quæritur

templum, quod significat cor fidele. Sed nota quod in Hierusalem et (a) in templo, et inter doctores quæsitus invenitur, id est, in contemplatione, in oratione, in prædicatione. Hierusalem visio pacis interpretatur : quod convenit animæ contemplativæ, quæ nescit habere pacem, nisi Deum videat¹ : « Nunc dimittis servum, » et cætera usque : « Quia viderunt oculi. » Templum locus orationis : templum ergo Dei est cor nostrum, in quo orando quærere debemus Dominum. Quis enim crucem in ara porcorum, quis sacerdotem in spelunca latronum quæreret, et non potius in templo? Qui autem sunt latrones, qui de cordis spelunca exeunt, nisi de quibus dicitur² : « De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, » etc? De his latronibus dicitur³ : « Scriptum est, quia domus, » et cætera usque : « latronum. » Inter doctores quoque Christus quærendus est, quia in doctrinis et scripturis invenitur, non inter cognatos. Bernardus⁴ : Quomodo te, bone Jesu, inter cognatos meos inveniam, qui inter tuos minime es inventus? quomodo invenero in gaudio, cum mater tua dolens vix te invenerit? »

De tertio, Psalmista⁵ : « Quis ascendet? » et cætera usque : « Hæc est generatio quærentium Dominum. » De tali generatione fuit Maria Magdalena, cui Dominus ait⁶ : « Mulier, quid ploras? quem quæris? » De tali quoque generatione fuit Joseph et Maria, de quibus hic dicitur : *Pater tuus et ego dolentes*, etc. In Magdalena pœnitentes, in Maria innocentes, in Joseph regentes seu prælati significantur : fuit enim nutritius et procurator Domini et matris ejus. Vel in Magdalena, incipientes; in Joseph, proficientes, interpretatur enim *augmentum*; in Maria perfecti. Vel in Magdalena, conversi; in Joseph, activi; in Maria, contemplativi. Joseph nutritius Domini bene significat activos, qui sicut

Dominum in membris suis nutriunt, ita in membris eum quærunt, in membris eum inveniunt. Unde⁷ : « Esurivi, » etc. Ecce qualis debeat esse generatio quærentium Dominum : non carnalis, sed spiritualis. Bernardus⁸ : « Non curant carnales quærere, quem tamen desiderant invenire : cupientes consequi, sed non insequi. »

De quarto⁹ : « Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo : si quæsieritis eum, invenietis; si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. » Ecce utilitas quærendi Dominum : ad hoc enim quærere debemus, ut inventus nobiscum sit per gratiam; et non derelinquamus, sed, ne nos derelinquat, fortiter teneamus. Gregorius¹⁰ : « Prius non inventus quæritur, ut post inventus strictius teneatur. » Hoc etiam in præsentis Evangelio significatur, ubi dicitur¹¹ : « Descendit cum illis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. » Spiritualiter descendit Christus in justificatione peccatorum¹² : « Cum descendisset Jesus de monte, » etc. : in quo descensu leprosum, id est peccatorem sanat. Item venit Nazareth in multiplicatione virtutum : interpretatur enim *flos* : flores autem sunt virtutes.¹³ « Flores apparuerunt in terra nostra. » Item est subditus in promptitudine faciendi voluntatem suorum; Psalmista¹⁴ : « Voluntatem timentium se faciet, » quibus ita promptus et obediens est, quasi subditus eorum. Unde ad præceptum Josue sol stetit¹⁵ : « Obediente Domino voci hominis. »

SERMO VI.

*Pater tuus et ego dolentes quærebamus te*¹⁶. Si esset nobis dolor de Christi absentia, tunc quæreremus eum cum diligentia, sicut et Magdalena. ¹⁷ « Mulier, quid ploras? quem quæris? » Dolendo ergo et flendo quærere debemus Christum, sicut quæreret fontem vel aquam ejus domus arderet; panem, quem

¹ *Luc.*, II, 29-30. — ² *Matth.*, XV, 19. — ³ *Matth.*, XXI, 13. — ⁴ Bern. — ⁵ *Psal.*, XLIII, 36. — ⁶ *Joan.*, XX, 13. — ⁷ *Matth.*, XXV, 35 et seq. — ⁸ Bern. — ⁹ II *Paral.*, XV, 2. — ¹⁰ Greg., in *Evang.*, hom. XXV, II, 2. — ¹¹ *Luc.*, II, 31. — ¹² *Matth.*, VIII, 6. —

¹³ *Cant.*, II, 12. — ¹⁴ *Psal.*, CXLIV, 19. — ¹⁵ *Jos.*, X, 14. — ¹⁶ *Luc.*, II, 48. — ¹⁷ *Joan.*, XX, 13.

(a) *Cat. edit.* id est.

fames urgeret; dilectum, qui amore langueret; vitam, qui suspendi deberet. Sic nos Christum dolentes quæramus tanquam fontem extinguentem ardorem vitiorum, tanquam panem confortantem in via mandatorum, tanquam dilectum amplexantem in oblectatione meritorum, tanquam vitam conservantem a morte damnatorum.

De primo ¹: « Quærite Dominum, dum tempus habetis, ne forte comburatur ut ignis domus Joseph, » id est cor vel conscientia cujuslibet fidelis. In hac domo cum auro dilectionis, thure orationis, myrrha contritionis quærendus est Dominus. Sed, heu! hæc domus ab incendiario diabolo quandoque igne vitiorum incenditur ²: « Adhuc ignis in domo impii, » etc. Horribilis incendiarius est diabolus per flatum tentationis ³: « Ilalitus ejus prunas ardere facit, et flamma de ore ejus egreditur. » Qui hunc ignem extinguere vult, quærat fontem misericordiæ Christum, de quo ⁴: « Sitivit anima, » etc. Augustinus ⁵: « Desideremus Christum vitæ fontem, ubi sobria ebrietate mundemur et irrigemur. » Qui modo ad extinguendum ignem culpæ non vult justum fontem quære, in inferno unam guttam non poterit exhaurire. Exemplum de divite damnato ⁶.

De secundo ⁷: « Omnis populus gemens et quærens panem. » Panis est Christus ⁸: « Ego sum panis vitæ, » etc. Iste in via mandatorum multum confortat, in cujus fortitudine ambulavit Helias quadraginta diebus et quadraginta noctibus, sicut dicitur ⁹. Sicut autem mendici et famelici in civitate per plateas ac vicos, de domo ad domum quærent panem; ita et nos civitatem cœlestem nunc per plateam apostolorum, nunc per plateas martyrum, nunc virginum, nunc confessorum, nunc per domos singulorum, nunc Mariæ, nunc

Petri, nunc Francisci. Item per vicos ordinum angelorum, nunc ad domum Michaelis, nunc Gabrielis circumire, meditando quære, et meditando mendicare et orare debemus ¹⁰: « Circuibō civitatem, » etc. Ad palatium regis quæritis panem ab ipso Domino ¹¹: « Domine, semper da nobis panem hunc. » Augustinus ¹²: « Famelici Dei esse debemus, quando (a) ante januam conspectus illius in orationibus mendicamus (b). » Sicut etiam mendici pro honore sanctæ Mariæ, vel alterius sancti, quærent panem, ita et nos.

De tertio ¹³: « In lectulo meo, » etc. Lectus est conscientia, in qua libenter quiescit Dominus, si lectus mundus est. Psalmista ¹⁴: « Lavabo per singulas noctes, » etc. Dilectus iste Jesus ab anima diligenter quæritur propter osculum reconciliationis ¹⁵: « Osculetur me, » etc. Sed quomodo te osculabitur, si os porcinum vel serpentium habes? Quod lingua tua bene ostendit; Psalmista ¹⁶: « Acuerunt linguas suas, » etc. Item quæritur propter amplexum confirmationis, qui brachiis virtutis suæ constringens animam non sinit a se separari ¹⁷: « Dexteræ illius amplexabitur me, » etc. Sed quomodo amplexabitur, si porcus es per luxuriam, lupus per avaritiam, leo per superbiam? Item quæritur propter aspectum contemplationis; Psalmista ¹⁸: « Quæsivi vultum tuum, » etc. De his tribus dicitur in Psalmis: « Lætetur cor quærentium Dominum ¹⁹, » propter osculum lætificationis, quo lætificantur pœnitentes: « Quærite Dominum et confirmamini ²⁰. » Propter amplexum confirmationis, quo constringuntur proficientes ²¹: « Quærite faciem ejus semper, » propter amplexum contemplationis, quo satiantur pervenientes. Facies autem ista non sine causa osculatur. Bernardus ²²: « Occultat se Dominus, ut ardentius quæretur; quæsitus, cum gaudio inveniat; inventus, cum sollicitudine tenea-

¹ Amos, v, 6. — ² Mich., vi, 10. — ³ Job, xli, 12. — ⁴ Psal. xli, 3. — ⁵ August. — ⁶ Luc., xvi, 22. — ⁷ Thren., i, 12. — ⁸ Joan., vi, 35. — ⁹ III Reg., xix, 8. — ¹⁰ Cant., iii, 2. — ¹¹ Joan., vi, 34. — ¹² Aug., Enarr. in Psal. cxlv, n. 17. — ¹³ Cant., iii, 1. —

¹⁴ Psal. vi, 7. — ¹⁵ Cant., i, 1. — ¹⁶ Psal. cxxxix, 4. — ¹⁷ Cant., ii, 6. — ¹⁸ Psal. xxvi, 8, juxta LXX. — ¹⁹ Psal. civ, 3. — ²⁰ Ibid., 4. — ²¹ Ibid. — ²² Bern., in Cant., serm. lxxv, n. 4, quoad sensum.

(a) Del. quando. — (b) Leg. mendicemus.

tur; tentus, non dimittatur, donec in amoris cubiculum mansurus introducatur. »

De quarto ¹: « Si quis non quæsierit Dominum Deum Israel, moriatur a minimo usque ad maximum, a viro usque ad mulierem. » Maximus et minimus secundum potestatem, vel sanctitatem, vel sapientiam accipi possunt. Etenim potentes vel impotentes, boni vel mali, litterati vel illiterati, nisi quærant Dominum, æternaliter moriuntur. Sicut ergo incarcerationatus occidendus eras, vitam quæras, quæras Jesum Christum. Psalmista ²: « Quærite Dominum, » etc. Quæras certe, ut vincula peccatorum rumpere ³, ut per fenestram (a) pœnitentiæ arcissimam exire possis, sicut exploratores ⁴; et David per fenestram evasit ⁵. Certe arcta fenestra est usurario et raptori, et cuilibet injusto injustorum bonorum restitutionem odienti: qui tamen per illam debet evadere. Quid nobis....

DOMINICA I POST OCT. EPIPHANIÆ,
SIVE SECUNDA POST EPIPHANIAM.

SERMO PRIMUS ⁶.

Nuptiæ
multiplices.

Nuptiæ factæ sunt ⁷, etc. Sunt nuptiæ officiosæ, perniciosæ, gratiosæ, gloriosæ. Primæ sunt viri et mulieris contrahentis; secundæ, diaboli et animæ peccantis; tertiæ, Christi et Ecclesiæ militantis; quartæ Christi et Ecclesiæ triumphantis.

Nuptiæ
a quo,
ubi et
quando
instituta
sunt.

De primis ⁸: « Cum timore Domini nuptias exercebant. » Expone eandem historiam: quomodo septem viros Saræ dæmoniarum occidit; et quomodo tribus noctibus orationi vacabant. Has nuptias honoravit Dominus quadrupliciter, videlicet institutione: institutæ enim sunt non a vili persona, imo non ab homine, non ab angelo, sed a Deo. Institutæ enim sunt non in vili loco, non in stabulo, non in angulis, sicut modo clandestina matrimonia, sed in paradiso institutæ sunt: in

statu non culpæ, sed innocentiae: non post lapsum hominis, sed ante lapsum. Sed, heu! modo post lapsum multos, et fornicationes multas, multi contrahunt. Item associatione, quia Jesus et mater, et discipuli in nuptiis erant, non histriones, non chorizantes, sicut modo. Item operatione, quia in nuptiis aquam in vinum convertit. Sed, heu! modo magicæ artes diabolicæ in nuptiis exercentur. Item significatione ⁹: « Sacramentum hoc magnum est, » etc. Quia ergo matrimonium de septem sacramentis est, sacra vita tenenda est. Augustinus ¹⁰: « Bonæ sunt nuptiæ, in quibus tanto (b) meliores sunt conjugati, quanto castiores ac fideliores Deum timent, maxime si filios, quos carnaliter desiderant, etiam (c) spiritualiter nutriant. »

De secundis ¹¹: « Conversæ sunt nuptiæ in luctum, et vox miserorum in lacrymas. » Nota historiam, quomodo Jambri filii cum tympanis et musicis instrumentis adduxerunt sponsam filiam unius de magnis principibus Chanaam, super quos irruit Jonthas, et interfecit eos. Jamber Luciferum significat: interpretatur enim *Dies amaricans*. Lucifer autem ante lapsum dies fuit; post lapsum, amaricans totum mundum ¹²: « Invidia diaboli, » etc. Hujus filii sunt alii dæmones, non natura, sed imitatione. Psalmista ¹³: « Erue me de manu, » etc. Chanaam mundum significat: interpretatur enim *commutatus*. Mutatio autem mundi est primo per aquam diluvii, in fine per ignem Mundi
mutatio. judicii; medio autem tempore, per aquam baptismi et ignem Spiritus sancti ¹⁴: « Hæc mutatio dextræ Excelsi. » Principes Chanaam dæmones sunt ¹⁵: « Non est nobis coluctatio, » etc. Anima ergo peccatrix, et filia et sponsa diaboli est, quæ nunc a diabolo cum mundanis gaudiis adducitur. Sed Jonthas, id est Christo in morte vel in judicio

¹ II *Pav.*, xv, 13. — ² *P. al.* lxxviii, 33. — ³ *Judic.*, xvi, 9. — ⁴ *Jos.*, ii, 15. — ⁵ I *Reg.*, xix, 12. — ⁶ Hunc et duos sequentes habet quoque edificatio Paris. an. 1521. — ⁷ *Jonn.*, ii, 1. — ⁸ *Tob.*, ix, 12. — ⁹ *Ephes.*, v, 32. — ¹⁰ *Aug.*, de *Bono conj.*, c. xix, n. 22. — ¹¹ I *Mach.*,

ix, 41. — ¹² *Sap.*, ii, 21. — ¹³ *Psal.* cxxlii, 11. — ¹⁴ *Psal.* lxxvi, 11. — ¹⁵ *Ephes.*, vi, 12.

(a) *Cæt. edit. add.* peccatorum. — (b) *Cæt. edit.* in quibusdam vero, *sine sensu*. — (c) *Cæt. edit. deest* etiam.

superveniente, mala societas damnatione perentitur ¹: « Tenent tympanum, » et cætera usque « ad infernum descendent. » In his nuptiis non aqua in vinum, sed vinum temporalis lasciviæ in aquam æterni fletus convertitur. Unde bene dicitur supra ² quod *conversæ sunt nuptiæ in luctum*. Bernardus ³: « Eia, lætare, lætare, juvenis, in adolescentia tua, ut deserente te pariter cum ætate temporali lætitia, succedant quæ te absorbeant æterna supplicia. »

De tertiis ⁴: « Simile factum est regnum cælorum homini regi qui, » etc., id est Jesu Christo, cujus est sponsa Ecclesia, vita æterna, et fidelis anima ⁵: « Qui habet sponsam, sponsus est. » Sicut autem convivium in nuptiis instruitur, vestes et dona largiuntur; sic et Christus fecit, sicut significatum est ⁶, ubi dicitur quod « jussit Assuerus convivium præparari permagnificum pro conjunctione et nuptiis Esther, ac dona largitus est. » Assuerus Christum, Esther Ecclesiam significat, quam pro Vasti, id est synagoga, sumpsit. Convivium permagnificum est, in quo corpus suum ad comedendum, et sanguinem ad bibendum dat. Largitus etiam est dona in cruce, ubi sponsam duxit. Dedit enim corpus tortori, spiritum Patri, matrem Joanni, paradysum latroni; sed postmodum dedit dona Spiritus sancti. Psalmista ⁷: « Dedit dona hominibus. » Vestes etiam dedit, et nudus in cruce permansit. In his nuptiis aqua in vinum convertitur, dum lacrymas doloris consolatio Spiritus sancti sequitur. Psalmista ⁸: « Vinum lætificat cor hominis. » Joannes Chrysostomus ⁹: « Dominus ipse est, qui consolatur flentes, dolentes curat, pœnitentes informat. »

De quartis nuptiis ¹⁰: « Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo, » etc. Omnem jucunditatem et delectationem, quam visus, et auditus et gustus, et omnes sensus omnium ho-

minum habuerunt, vel habent, vel habebunt in omnibus nuptiis mundi quæ fuerunt, et sunt, et erunt, incomparabiliter excedit gaudium nuptiale in cælo ¹¹: « Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni. » Item in his nuptiis aqua in vinum vertitur, dum miseria jucunditate in æternas læticias commutatur. Hieronymus ¹²: « Miseriæ quidem deliciis, et deliciæ miseriis commutantur. In nostro arbitrio est vel divitem sequi, vel Lazarum. »

SERMO II.

Deficiente vino ¹³, etc. Secundum quadruplices nuptias prædictas, quadruplex est vinum quod ibi bibitur. Est enim vinum naturale, mortale, spirituale, et æternale. Primum deficiens, secundum inficiens, tertium sitiens, quartum reficiens.

Vinum
quadru-
plex.

De primo ¹⁴: « Expergiscimini, ebrii, et flete, et ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, » etc. De pœnis autem vinolentorum dicitur ¹⁵: « Cui vœ? cujus patri vœ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? Nonne iis, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? » Hæc omnia de temporalibus et spiritualibus et æternalibus malis ebriosorum exponi possunt sic: *Cujus patri?* terrenali ipsum allicienti; vel, secundum Glossam ¹⁶, patri mortali, cujus exemplo ebriosus factus est, vel patri gehennali, cujus suggestionem hoc facit. Item *cui rixæ?* cum hominibus corporales, cum angelis et sanctis spirituales, cum damnatis et dæmonibus æternales. Item *cui foveæ?* quia cadunt quandoque in puteum: foveæ utique corporales secundum Glossam ¹⁷, foveæ vitiorum spirituales, vel foveæ, id est fossuræ gehennales. Item *cui sine causa vulnera?* corporalia, vel peccatorum spiritualia, vel pœnarum æternalia. Item *cui suffossio oculorum*, id est

¹ Job, xxi, 12-13. — ² 1 Mach., ix, 41. — ³ Bern., ad Fulcon, epist. II, n. 10. — ⁴ Matth., xxi, 2. — ⁵ Joan., iii, 29. — ⁶ Esth., ii, 18. — ⁷ E. Psal. lxxvi, 18; Ephes., iv, 8. — ⁸ Psal. ciii, 15. — ⁹ Chrysost., in Psal. cxlvi, n. 1, et alius passim. — ¹⁰ Matth., xxv,

10. — ¹¹ Apoc., xix, 7. — ¹² Hieron., ad Pammach., epist. L, in fine. — ¹³ Joan., ii, 3. — ¹⁴ Joel., i, 5. — ¹⁵ Prov., xxiii, 29. — ¹⁶ Gloss. in hunc loc. — ¹⁷ Ibid.

caligo vel cæcitas corporalis, vel spiritualis, vel æternalis. Glossa : « Vini immoderatus haustus, et exterioris et interioris visus ingerit cæcitatem.

De secundo ¹ : « Fel draconum vinum eorum : » hoc vinum est voluptas, et gaudium quod est contra Deum. Venenosum enim est vinum, non quidem sensualiter, sed spiritualiter ; vel vinum temporaliter, sed fel æternaliter. Gregorius ² : « Momentaneum est quod delectat, æternale erit quod cruciat. » Item (a) vinum fellitum : accepit Jesus felle mixtum, sicut dicitur ³. Vinum autem gaudii mundani quasi in somno bibitur ⁴ : « Sicut somniat sitiens et bibit, postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit. » Unde contingit amatoribus mundi sicut cuidam dormienti in turri, cui in somniis apparuit mulier ornata exhibens scyphum aureum cum vino ; at ille surgens in somno sitiens sequebatur potum, donec de turri cecidit, et est confractus. Mulierem istam dico vanitatem hujus mundi, quæ cum populo voluptatis transitorie illud nobis propinat ⁵ : « Mulier erat circumdata purpura, » etc., habens poculum aureum in manu sua, » etc. In purpura significatur excellentia, in auro opulentia, in poculo concupiscentia. Hoc poculum est carni mellitum, sed spiritui venenatum. Gregorius ⁶ : « Qui veneni poculum porrigit, ora poculi mellis dulcedine tangit. » Hæc sequitur stultus, donec de turre falsæ securitatis cadat in præcipitium damnationis ⁷ : « Cum dixerint : Pax et securitas, tunc repentinus superveniet interitus. »

De tertio ⁸ : « Bibite vinum quod miseui vobis. » Hoc est vinum consolationis et gratiæ Spiritus sancti ⁹ : « Musto pleni sunt isti. » Mixtum est pœnitentibus aqua contritionis ; Psalmista ¹⁰ : « Potasti nos vino compunctionis. » Sed prius hæc aqua mittitur in hydriam, quam vinum. Item proficientibus

mixtum lacte devotionis ¹¹ : « Bibi vinum cum lacte meo. » Item perfectis mixtum est pulvere et speciebus virtutum ¹² : « Dabo tibi poculum ex vino condito. » Quis unquam clauso ore vidit aliquem bibentem illud ? Si ergo vinum Spiritus sancti vis bibere, debes os aperire in oratione. Bernardus ¹³ : « Orando bibitur vinum Spiritus sancti lætificans cor hominis : vinum quod inebriat spiritum, et carnalium voluptatum infundit oblivionem. » Hoc vinum nuptiale est : ideo non datur non habentibus vestem nuptialem novæ conversationis, qui adhuc veteri malæ vitæ sacco induuntur ¹⁴ : « Neque mittunt vinum novum in utres veteres. »

De quarto ¹⁵ : « Vinum, ut magnificentia regia dignum erat, abundans et præcipuum ponebatur : » et dicitur ibi quod poculis aureis bibebant. Vasa sunt sancti aurea claritate, de quibus jucunditatis æternæ vina bibemus cum gratiarum actione. ¹⁶ « Gemmula carbunculi in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini. » Carbunculus in auro est deitas in humanitate, vel anima cujuslibet sancti in corpore glorificato. Musica in vino laus est et gratiarum actio in gaudio æterno. Tunc poterimus dicere ¹⁷ : « Servasti vinum bonum usque adhuc. » Aqua enim lacrymarum pœnitentiæ, vel baptismalis innocentie, in sex hydriis sex ætatum humanæ vitæ, fiet nobis vinum gloriæ. Quid mirum, si aqua lacrymarum contritionum fiet nobis vinum in præmio, cum jam sit angelis vinum in cælo ? Bernardus ¹⁸ : « Lacryma pœnitentium vinum est angelorum. » Quot autem ætatibus vixeris sine gratia baptismali, tot hydrias vacuas habes et sine aqua : unde neque vinum ibi recipies.

SERMO III.

Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam ¹⁹, etc. Mirabilis est ista con-

Quatuor

¹ Deut., XXXII, 33. — ² Greg. — ³ Matth., XXVII, 34. — ⁴ Isa., XXIX, 8. — ⁵ Apoc., XVII, 4. — ⁶ Greg. — ⁷ I Thess., V, 3. — ⁸ Prov., IX, 5. — ⁹ Act., II, 13. — ¹⁰ Psal., LIX, 5. — ¹¹ Cant., V, 1. — ¹² Cant., VIII, 2.

— ¹³ Bern. — ¹⁴ Matth., IX, 17. — ¹⁵ Esth., I, 7. — ¹⁶ Eccli., XXXII, 7. — ¹⁷ Joan., II, 10. — ¹⁸ Bern., in Cant., serm. XXX, n. 3. — ¹⁹ Joan., II, 9.

(a) Cat. edit. Idem.

conver-
siones
mirabi-
les.

versio aquæ in vinum. Considerandæ autem sunt hæ quatuor conversiones mirabiles ad se invicem ordinatæ. Conversa enim sunt, homo in lapidem, lapis in aquam, aqua in vinum, vinum in sanguinem. De primo, de uxore Loth¹. De secundo, Psalmista² : « Qui convertit petram in stagna. » De tertio, hic. De quarto³ : « Hic est sanguis meus. » Ista spiritualiter quotidie fiunt. Homo in lapidem vertitur, dum in peccatis induratur, vel enormi peccato gravatur. Lapis enim durus est et gravis. Utinam Deus duros lapides hodie mollificet!⁴ « Auferam cor lapideum de carne vestra. » Sicut autem lapis missus in mare, ita peccator profundum inferni petit in morte⁵ : « Descenderunt in profundum quasi lapis. » O quanto impetu mergitur in infernum anima peccatrix !⁶ « Sustulit unus angelus lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens : « Hoc impetu mittetur Babylon, » id est, congregatio impiorum, vel anima peccatrix confusa coram Deo et angelis. Babylon enim *confusio* interpretatur. Periculum autem submersionis cavetur, si lapis in aquam vertitur. Lapis autem in aquam vertitur, dum cor induratum in aquam lacrymarum per contritionem resolvitur⁷ : « Exitus aquarum, » etc. Sed nota historiam⁸, qualiter aqua de petra ejiciebatur bina percussione virgæ. Dominus enim cor lapideum bis percussit, primo corporaliter, secundo spiritualiter : primo exterius, infirmitate vel damno rerum, vel morte charorum ; secundo interiorius, timore gehennæ. Cujus enim cor non percuteretur, si cogitaret pœnas inferni non solum intolerabiles acerbitate, sed interminabiles æternitate ?⁹ « Discedite a me, maledicti, » etc. O quam sanativæ sunt istæ percussiones !¹⁰ « Percutiam, et ego sanabo. » Ecce bis percussa est ab homine petra durissima, et egressa est aqua largissima. Heu !

Domine Deus, quam durum est cor ! Non ab homine, sed a Deo non tantum bis, sed centies percussum est ; et non emisit unam guttam : unam scilicet compunctionis lacrymam. Augustinus¹¹ : « Satis durus est, ejus mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare. » Sed sciat se culpabiliter durum, qui flet damna temporis, vel amici mortem, et dolorem peccati non ostendit lacrymis. Aqua in vinum vertitur, dum contritio in dilectionem, lacrymæ timoris in lacrymas amoris mutantur. Servivisti quandoque Deo timore, servis nunc amore : servivisti in mœrore, servis nunc in jucunditate : ecce aqua in vinum mustum versa (a) est. Psalmista¹² : « Vinum lætificat cor hominis. » Bene autem charitas significatur per vinum, quia vini modo mentes inebriat amantium. Bernardus¹³ : « Quicumque gustu charitatis semel perfecte inebriatus fuerit, ad omnem laborem hilarescit : dolet, et non sentit : laborat, et non lassescit : deridetur, et non advertit. » Hoc est vinum, quod in tribus propaginibus crescens, in calicem exprimitur¹⁴ : « Videbam coram me vitem, in qua erant propagines, » etc. Vitis Christus¹⁵ : Christus
vitis. « Ego vitis vera. » Tres propagines, tres sunt substantiæ in Christo, corpus, anima, deitas. Collige ergo beneficia quæ in suo corpore Christus nobis exhibuit, scilicet in incarnatione, in passione et in communionem ; et miræ dilectionis vinum exprimere potes. Item collige beneficia, quæ in anima exhibuit, qui pro nobis hospitium sanctissimum corpus reliquit in mundo, animas eduxit de inferno, pro nobis interpellat in cœlo¹⁶ : « Qui est ad dexteram Dei, qui interpellat pro nobis ; » et (b) hoc vinum ferventis amoris exprimere potes (c). Item collige beneficia divinitatis, videlicet corporalia, spiritualia, æternalia : et vinum dulcissimæ dilectionis, quasi de tertia propagine, exprimere

¹ Gen., XIX, 26. — ² Psal. CXIII, 8. — ³ Matth., XXVI, 28. — ⁴ Ezech., XXXVI, 26. — ⁵ Exod., XV, 5. — ⁶ Apoc., XVIII, 21. — ⁷ Psal. CXLVIII, 136. — ⁸ Num., XX, 11. — ⁹ Matth., XXV, 41. — ¹⁰ Deut., XXXIII, 19. — ¹¹ Imo auctor libri *de ver. et fals. Pœnit.*, c. IX,

n. 24, inter Oper. Augustin., Append. tom. VI. — ¹² Psal. CIII, 15. — ¹³ Bern. — ¹⁴ Gen., XL, 9. — ¹⁵ Joan., XV, 1. — ¹⁶ Rom., VIII, 34.

(a) *Cæt. edit.* versum. — (b) *Suppl. ex.* — (c) *Cæt. edit.* potest.

potes in calicem corporis. Bernardus ¹ : « Vide quomodo, imo quam summe a nobis Deus amari meruit : qui prior ipse dilexit nos, tantus et talis gratis, tantillos et tales. » Vinum autem in sanguinem Christi vertitur, dum dilectio Dei veram animæ vitam in Christo operatur. Vita enim corporalis in sanguine Christi est : et sic vita spiritualis et æternalis in sanguine Jesu Christi ² : « Qui bibit meum sanguinem, in me manet. » Quid mirum si vita nostra in sanguine est Christi, cum simus membra Christi ? ³ « Membra sumus ejus, de carne ejus, etc. » Sed ecce quando unum membrorum abscinditur, sanguis effunditur. Sanguinem ergo Christi miserabiliter effundit, qui de corpore Christi mystico se, vel alium, per mortale peccatum abscindit. Bernardus ⁴ : « Non tibi videtur Dominus graviolem ab eo sustinere persecutionem, qui avertit ab eo animas, quas proprio sanguine redemit, quam ab illo, qui sanguinem suum fudit ? »

SERMO IV (a) ⁵.

Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana (b) Galileæ, et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus ⁶. Quoniam per cognitionem effectus devenitur in cognitionem causæ, ideo Joannes Evangelista in verbo proposito, quod est quasi conclusio et epilogatio totius Evangelii hodierni, insinuat quod Jesus Christus manifestavit eminentem potentiam suam per effectum miraculosum et super facultatem naturæ, in subita transmutatione aquæ in vinum, nulla dispositione præcedente, cum dicit : *Hoc fecit initium signorum*, etc. Unde in verbo proposito primo notatur miraculorum Christi apparens inceptio, cum dicit : *Hoc initium signorum fecit Jesus*; secundo, suæ potentiae per signum evidens manifestatio, cum subdit : *Et manifestavit gloriam suam*; tertio discipulorum ejus manuducens illu-

minatio, cum subjungit : *Et crediderunt in eum discipuli ejus*, scilicet propter infusionem supernæ gratiæ interioris, et manuductionem miraculi exterioris.

Primo ergo notatur miraculorum Christi apparens inceptio, cum dicit : *Hoc initium signorum fecit Jesus*. Non enim illud signum subitæ transmutationis aquæ in vinum fuit initium signorum Christi quantum ad existentiam, sed solum quantum ad apparentiam. Et præterea, si volumus bene et artificiose procedere, possumus dicere secundum veritatem, quod eadem die, licet diversis temporibus, triplex fecit signum, per quod excellentiam suæ triplicis proprietatis manifestavit; fecit, inquam, eadem die Epiphaniæ: primo, signum spectabile in insolita apparitione stellæ fulgentis; secundo, signum mirabile in subita transmutatione naturæ obedientis; tertio, signum admirabile in gratuita sanctificatione aquæ regenerantis. Et hoc est quod cantat sancta mater Ecclesia ⁷ : « Tribus miraculis sanctum diem colimus ornatum, » etc. Propter quod erat institutum, videlicet ad manifestationem veri luminis, festum Epiphaniæ non incongrue dicitur illo die factum, et ejus memoria celebrata est, cum unumquodque a suo fine digne et laudabiliter commendatur.

Primo ergo notatur signum spectabile in insolita apparitione stellæ fulgentis. Unde dicitur ⁸ : « Levabit Dominus signum in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ. » Dominus *levabit signum stellæ fulgentis in nationes*, id est gentes, ut per hoc manifestaret eis, quod ipse est vera lux omnium mentium illuminatrix. Unde stella novæ claritatis, quæ Magis apparuit, declaravit verum lumen natum in mundum. *Et congregabit profugos Israel*, id est, dispersos dirigit in viam bonam. Nam Israel an. 1521. — ⁶ Joan., II, 11. — ⁷ Antiph. ad Magnificat in die Epiph. — ⁸ Isa., XI, 12.

(a) *Cæt. edit.* Dominica secunda post Epiphaniam sermo 1. — (b) *Cæt. edit.* *Chana*, et sic deinceps.

¹ Bern., *de dilig. Deo*, ante med. — ² Joan., VI, 55. — ³ Ephes., V, 30. — ⁴ Bern., in *Conv. S. Paul.*, serm. 1, n. 2. — ⁵ Hunc non habet edit. Paris.

directio Domini interpretatur. *Et dispersos Juda colliget* ad confitendum nomini Domini: *Juda enim confessio* interpretatur. *A quatuor plagis terre*, id est, a quatuor inordinatis et terrenis affectionibus secundum quas gentes ambulabant in vanitate sensuum: videlicet a timore vanitatis et superbie ad timorem humilitatis reverentiae; a foetore carnalitatis et immunditiae, ad nitorem sanctitatis et pudicitiae; ab ardore terrenitatis et avaritiae, ad amorem paupertatis et inopie; a furore impietatis et invidiae, ad dulcorem charitatis et benevolentiae.

Fecit secundo signum admirabile in subita transmutatione naturae obedientis. Et de hoc potest dici illud¹: « In nova signa, immuta mirabilia tua: glorifica manum tuam et brachium dexterum. » *In nova signa*, scilicet tu qui Jordanem fluentem retrorsum convertisti mirabiliter, *immuta mirabilia tua*, scilicet aquae (a) litteralis intelligentiae mandata Dei parum vel nihil exequentis, in usum spiritualis intelligentiae, ut Creatori obedatur secundum intentionem praecipientis. *Glorifica manum et brachium dextrum* per ostensionem praeminentis potentiae in subita transmutatione naturae obedientis: ut² « timeant qui habitant terminos terrae a signis tuis, » ut cognoscant quoniam³ « tu solus altissimus super omnem terram, » cujus voluntati nihil potest resistere.

Fecit tertio signum amabile in gratuita sanctificatione aquae regenerantis. Unde in Psalmo dicitur⁴: « Fac mecum signum in bonum, ut videant qui te oderunt, et confundantur: quoniam tu, Domine, adjuvisti me et consolatus es me. » *Fac mecum signum*, id est, baptismi sacramentum, *in bonum salutis meae, ut videant qui te oderunt*, scilicet daemones, propter rectitudinem et severitatem justitiae; *et confundantur* per ejectionem de mundo tabernaculo paradisi. *Quoniam tu, Domine, adjuvisti*

me, scilicet liberando a percussione mortis aeternae sanguinea consignificatione crucis in baptismo. *Et consolatus es me*, scilicet per infusionem dulcorantis gratiae. Et hoc est quod expresse et secundum litteram dicitur⁵: « Signa thau super frontes virorum gementium et dolentium » de morte Christi per compassionem: et sequitur⁶ quod transierunt percussores per medium civitatis, et percusserunt omnes, qui non habebant signum thau, id est, crucis in frontibus suis. Quod thau amabile signum in baptismo imprimit Deus animae spiritualiter in bonum salutis.

Sequitur: *Manifestavit gloriam suam*: ubi notatur suae potentiae per signum evidens manifestatio. Per illud enim signum, aut per alia quae fecit Jesus, manifestavit suae proprietatis triplicem excellentiam. Nam primo, per signum aquae originem immutantis, manifestavit sublimitatem potentiae creantis; secundo, per signum stellae fulgentis, manifestavit claritatem sapientiae gubernantis; tertio, per signum undae regenerantis, manifestavit benignitatem clementiae redimentis: ut sic ratione primi sit humiliter timendus, sive admirandus; ratione secundi, reverenter honorandus; sed ratione tertii, ardentem diligendus.

Primo per signum aquae originem immutantis, manifestavit sublimitatem potentiae creantis. Et de hoc dicitur in praedicto themate: *Hoc initium fecit Jesus signorum, et manifestavit gloriam suam*. Deus enim miraculosa opera sua manifestavit simplicibus et idiotis: ut qui non possunt considerare per lumen creaturae claritatem divinae lucis, considerarent per aspectum miraculorum immensitatem suae potentiae. Et hoc est quod dicit Dominus de caeco⁷: « Neque hic, neque parentes ejus, peccavit, sed ut manifestentur opera Dei in illo. » Opera Dei dicuntur, quae servat sibi Deus: et talia sunt opera miraculosa, quae sunt supra naturam. Haec autem opera manifestantur in caeco, id

(a) Leg. aquam.

¹ *Eccli.*, xxxvi, 6. — ² *Psal.* lxiv, 9. — ³ *Psal.* lxxxii, 19. — ⁴ *Psal.* lxxxv, 17. — ⁵ *Ezech.*, ix, 4. — ⁶ *Ibid.*, 7. — ⁷ *Joan.*, ix, 3.

est, idiotis et simplicibus, ut qui non possunt elevari per contemplationem, eleventur per admirationem.

Secundo per signum stellæ fulgentis manifestavit claritatem sapientiæ gubernantis. Et de hoc dicitur ¹: « Investiga sapientiam, et manifestabitur tibi, et continens factus, non derelinques eam. » Ista sapientia Christus est, quam Magi primitiæ fidei gentilis populi, investigaverunt per signum stellæ fulgentis, quousque manifestaretur eis. Etiam sic per infusionem supernæ gratiæ et manuductionem creaturæ manifestatur Christus, qui est lux sapientiæ. Et hoc est quod dicitur ²: « Quod notum est Dei (a) manifestum est in illis: Deus autem manifestavit illis: invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. »

Tertio, per signum undæ regenerantis, manifestavit benignitatem clementiæ redimentis. Et de hoc dicitur ³: « Hoc autem jam tertio manifestavit se Jesus discipulis suis. » Et bene verbum illud contigit in proposito: nam primo Christus manifestavit claritatem sapientiæ in apparitione stellæ; secundo, virtuositatem potentiæ in transmutatione aquæ; et tertio jam manifestavit se Christus manifestatione suæ dignitatis triplicis in benigna sanctificatione aquæ regenerantis, et hoc propter perfectionem testimonii. Nam primo manifestavit se per testimonium baptizantis; secundo, per testimonium Spiritus sancti descendentis in specie columbæ; tertio, per testimonium Patris in voce, et sic tertio se manifestavit, id est perfecte, quia in numero perfecto, tum propter manifestationem suæ triplicis proprietatis, tum propter perfectionem testimonii, tum propter commendationem mysterii Trinitatis. De hoc potest dici illud ⁴: « In mortem traduntur per Jesum, ut et vita manifestetur Jesu in carne mortali. » In bap-

tismo Christi, consecrato merito passionis Christi, ita tradimur in morte originalis peccati et actualis iniquitatis, ut novitas (b) vitæ Jesu per gratiam baptismalem, et aliquando pœnitentialem manifestetur in carne nostra mortali.

Tertio subinfert: *Et crediderunt in eum discipuli ejus*: ubi notatur discipulorum Christi manuductis illuminatio. Apostoli namque et alii Christiani, pro quibus patribus nati sunt filii per infusionem supernæ gratiæ et manuductionem illius signi et aliorum signorum Christi; et maxime per manuductionem trium signorum superius dictorum, ita perfecte fuerunt illuminati ut crederent: primo per ejus potentiam durissimum Pharaonis imperium exterminari; secundo per ejus sapientiam obcæcatum rationis oculum illustrari; tertio per ejus clementiam antiquum Dei et hominis bellum reconciliari.

Primo ergo crediderunt discipuli per ejus potentiam durissimi Pharaonis imperium exterminari. Et de hoc dicit ⁵: « Jesus populum suum salvavit de terra Ægypti, eos qui non crediderunt, perdidit. » Ægyptus enim interpretatur *coangustatio*, et *tenebræ*, sive *tribulatio*. Unde hic *Jesus salvavit populum suum* credentem sibi *de terra Ægypti*, quando eos salvavit a coangustatione propriæ iniquitatis, ab obcæcatione ignorantiæ damnantis, ab oppressionem sive tribulationem adversæ potestatis, per impetrationem generalis veniæ, per infusionem illuminantis gratiæ, et per evasionem opprimentis potentiæ. Et *eos, qui non crediderunt, perdidit* per damnationem mortis æternæ.

Secundo crediderunt discipuli per ejus sapientiam obcæcatum oculum rationis illustrari. Unde in *Joanne* (c) ⁶: « Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. » Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quoniam Jesus Christus candor lucis æternæ, lumen angelorum, venit in mundum nube humanitatis

(a) *Cxt. edit.* Deo. — (b) novitatis. — (c) Joannes.

¹ *Eccli.*, vi, 28. — ² *Rom.*, i, 19-20. — ³ *Joan.*, xxi, 14. — ⁴ *11 Cor.*, iv, 10. — ⁵ *Jud.*, 5. — ⁶ *Joan.*, xii, 46.

contemperatum, non obscuratum, ut fieret lumen terrenorum, ut omnis, qui credit in eum humiliter et cum reverentia, non maneat in tenebris damnosæ ignorantiae, sed habeat lumen vitæ. Et hoc fuit figuratum in illuminatione cæci in Jesum Christum humiliter credentis, cum reverentia humiliter adorantis. ¹ « Tu credis in Filium Dei? » Sequitur: « Credo, Domine. Et procidens adoravit eum. »

Tertio crediderunt discipuli, per ejus elementiam antiquum Dei et hominis bellum reconciliari ²: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus. » O donum ineffabile! o virtus amabilis, quæ ceteræ virtutes evanescent! Nam etsi omnium virtutum gratuitarum incrementum procedat ex dilectione, tamen a fide habet primum fundamentum, quoniam « sine fide ³ impossibile est Deo placere. » Hæc est illa virtus, scilicet fides de Crucifixo, quæ discordes fœderat, antiqua bella Dei et hominis pacificando reconciliat, et de inimico non tantum facit amicum, sed verum atque dilectum filium adoptivum. Hæc est quæ nostra (a) placat rigorem justitiæ mitigando et etiam evacuando. Hæc est quæ vincit invincibilem, omnia prospera pro voto impetrando. Unde in *Joanne* (b) ⁴: « Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Et ego rogabo Patrem meum pro vobis: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis quia a Deo exivi, » etc.

DOMINICA III POST EPIPHANIAM.

• SERMO PRIMUS (c) ⁵.

Domine, si vis, potes me mundare. ⁶ Leprosus iste peccatorem significat, qui coram Deo et angelis, et omnibus sanctis, fœtidior et abominabilior est omni leproso, et ideo tanquam leprosus de consortio sancto-

rum ejicietur in die novissimo. ⁷ « Præcipe filiis Israel, ut ejiciant de castris omnem leprosum, » etc. Filii Israel angeli sunt, qui, sicut dicitur ⁸, « separabunt malos de medio justorum. » Quicumque hanc ejectionem evadere vult, nunc petat mundari a lepra peccatorum. Mundatur autem homo quadrupliciter: videlicet regeneratione baptismi, contritione pœnitentia, oratione virtuali, tribulatione temporali.

De primo ⁹: « Effundam super vos aquam mundam. » O gratia Salvatoris! puella quædam leprosa pauper erat, quæ curari non poterat, nisi balnearetur in sanguine regali: quam rex quidam tantum dilexit, quod sanguinem suum usque ad mortem effudit, ut illa mundaretur. Rex iste Christus est, qui Ecclesiam, imo animam tuam leprosam dilexit, et balneum baptismi tibi de sanguine suo fecit. Per sanguinem Christi baptismus habet virtutem animas mundandi ¹⁰: « Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ et verbo vitæ. »

De secundo ¹¹: « Amplius lava me, » etc. Attendenda autem hic est confessio, ut munderis ¹²: « Si confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. » Iniquitas autem est lepra anima, a qua pœnitentia mundat. Augustinus ¹³: « Pœnitentia languores sanat, leprosos curat, mortuos suscitatur, sanitatem auget, eandem conservat. » O gratia pœnitentiæ, quæ serpentem mundat sicut anguillam, lupum sicut ovem! Unde de immundis animalibus in linteo ostensis dictum est Petro ¹⁴: « Quæ Deus mundavit, tu ne communia dixeris. » In linteo, quod de lino multo labore paratur, pœnitentia significatur digna, quæ multis afflictionibus et laboribus agitur: et sicut animalia mundata in linteo recipiuntur

¹ *Joan.*, IX, 35, 38. — ² *Ibid.*, I, 12. — ³ *Hebr.*, XI, 5. — ⁴ *Joan.*, XVI, 23, 26, 27. — ⁵ Hunc habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁶ *Matth.*, VIII, 2. — ⁷ *Num.*, V, 2. — ⁸ *Matth.*, XIII, 49. — ⁹ *Ezech.*, XXXVI, 25. — ¹⁰ *Ephes.*, V, 26. — ¹¹ *Psal.*, L, 4. — ¹² *Joan.*, I, 9. —

¹³ Imo auctor lib. *de ver. et fals. Pœnit.*, n. 1, inter Oper. August., Append. tom. VI. — ¹⁴ *Act.*, XI, 9.

(a) *Forte leg. monstra.* — (b) *Cat. edit.* Unde Joannes. — (c) *Cat. edit.* Domin. secund. post Epiph. sermo II.

in cœlum, ita animæ per pœnitentiam mundatæ assumuntur ad regnum.

De tertio (a) ¹: «Orabit pro ea (b) sacerdos, et sic mundabitur:» hoc dicitur de muliere purificanda, quæ etiam offerre debebat (c) agnum, aut columbam, sive turtur-em. In agno significatur innocentia; in columba, pœnitentia: columba enim habet gemitum pro cantu. Augustinus sic dicit ²: «Geme ut columba, et tunde pectus, et tundendo esto correctus.» In turture significatur continen-

Turtur.

tia. Avis enim est solitaria, et dum compar-em amittit, alium non quærit. Ecce cum talibus oblationibus (d) oratio virtuosa fit (e) ad mundandum.

De quarto ³: «Sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi,» etc. Non solum in purgatorio, sed etiam in mundo mundantur animæ per pœnas et tribulationes ⁴: «In tempore tribulationis peccata dimittis,» etc. Gregorius ⁵: «Flagella bonorum aut vitia perpetrata purgant (f), aut quæ poterant perpetrari futura devitant (g).» Secundum istas quatuor emundationes legimus quatuor modis lepram mundatam, videlicet per fluvium, per sinum, per interventum, per tactum. Mundatur enim anima per fluvium regenerationis, sicut significatum est in Naaman leproso ⁶, qui septies lotus in Jordane, mundatur. Genus humanum septies lavatur, quia spiritu septiformis gratiæ, vel quia a septem vitiis in baptismo mundatur. Item per sinum pœnitentiæ et reconciliationis: unde de manu Moysi leprosa ⁷: «Retrahe, ait (h), manum tuam in sinum tuum. Retrahit et protulit iterum, et erat similis carni reliquæ,» id est munda. Sinus est pœnitentia: «Quem (i) visurus,» et cætera usque: «Reposita hæc spes mea in sinu meo,» etc. Væ eis, qui in sinu pœnitentiæ non fiunt, vel de sinu ceciderunt, quoniam in sinum Abrahamæ non venient, de quo ⁸: «Factum est

Lepra
quatuor
modis
mundata

autem ut moreretur,» etc. Item per interventum orationis: unde Maria, soror Aaron, murmurans contra Moysen, lepra percussur ⁹; sed orante Moysen pro ipsa, mundatur per tactum correctionis suæ sive castigationis. Unde in præsentī Evangelio dicitur ¹⁰: «Extendens manum tetigit eum,» etc. Homo enim a Deo tangitur, dum ab eo corripitur. Unde diabolus dicit de Job ¹¹: «Mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem: et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.»

SERMO II (j) ¹².

Ecce leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare ¹³. Quia quælibet Christi actio nostra est instructio, ideo hodierna die curatio exterioris lepræ corporalem pulchritudinem deformantis, est instructio, et significatio lepræ interioris spiritualem pulchritudinem deturpantis. Unde, ad nostram instructionem, in verbo proposito, sub leprosi metaphora a Deo curati describitur conditio peccatoris, quantum ad statum propriæ transgressionis, animam deformantis; quantum ad actum subjectionis, animam disponentis; et quantum ad effectum orationis, animam elevantis.

Primo ergo in verbo proposito notatur propriæ transgressionis deformatio, cum subdit: *Ecce leprosus veniens*; secundo, debite subjectionis exhibitio, cum subdit: *adorabat eum, dicens*; tertio, discretæ supplicationis petitio, cum subinfert: *Domine, si vis, potes me mundare*. Valde enim fuit discretus in petendo: non enim dixit: *Descende, vel veni, quasi sua præsentia abesset ab aliquo loco*; nec verbo, quasi in prolatione verbi esset alligata sua potentia: sed dixit: *Si vis, sciens illud Psalmi* ¹⁴: «Omnia quæcumque Dominus voluit, fecit.» Primo ergo

¹ Levit., III, 8. — ² Aug. — ³ Malac., III, 3. — ⁴ Tob., III, 13. — ⁵ Greg., Moral., lib. XVI, c. XLII, n. 32. — ⁶ IV Reg., V, 14. — ⁷ Exod., IV, 7. — ⁸ Luc., XVI, 22. — ⁹ Num., XIII, 10 et seq. — ¹⁰ Matth., VIII, 3. — ¹¹ Job, II, 5. — ¹² Hunc non habet edit.

Paris. an. 1521. — ¹³ Matth., VIII, 2. — ¹⁴ Psal., CXIII, 3. — (a) Cat. edit. tertia. — (b) eo. — (c) debeat. — (d) Oblivionibus. — (e) Sit. — (f) Cat. edit. deest purgant. — (g) Cat. edit. tentant. — (h) Subaudi Deus. — (i) Cat. edit. Quoniam. — (j) Domina tertia post Epiphaniam sermo I.

Compara-
ratio le-
præ cum
peccato.

in verbo proposito notatur conditio peccatoris, quantum ad statum propriæ transgressionis animam deformantis, cum dicit: *Ecce leprosus*; et nomine leprosi bene peccator intelligitur. Nam sicut morbus lepræ est generanti assimilativus, corporalis pulchritudinis deformativus, et communis habitationis separativus; sic peccatum, maxime multiplicatum, habet tria mala in anima facere. Nam primo peccatum superbiæ et ambitionis animam assimilât paternæ malignitatis; secundo peccatum luxuriæ et fornicationis animam deformat in pulchritudine naturali; tertio peccatum avaritiæ et cumulationis animam separat a communi habitatione paradisi. Unde peccatum superbiæ, ratione malignitatis, quia assimilât, est odiendum; peccatum luxuriæ, ratione fœditatis, quoniam inquinat, est abhorrendum; peccatum avaritiæ, ratione separationis a Deo, quam facit, est fugiendum. Primo peccatum superbiæ et ambitionis ad modum lepræ animam assimilât paternæ malignitatis. Unde dicitur¹: « Cum elevatum est cor ejus in interitu suo, et neglexit Dominum Deum suum; » et sequitur: « Statimque (a) orta est lepra in fronte coram sacerdotibus in domo Domini. » Osias ille superbus et elatus in corde, datus est in interitu mortis æternæ, quia neglexit Deum omnipotentem, et imitatur per opera diabolicam pravitatem: et ideo sicut in spirituali fronte diaboli apparuerunt signa superbiæ coram angelis bonis sibi resistentibus in cœlo empyreo, sic in fronte Osias paternam malignitatem imitantis, orta est lepra in signum superbiæ: quia elevatus est (b), factus leprosus in facie, id est in anima, coram residentibus in domo Domini. Secundo peccatum luxuriæ et fornicationis ad modum lepræ animam deformat in pulchritudine naturali: unde dicitur²: « Contaminatum ac sordidum se clamabit omni tempore, quo leprosus est. » Et bene infectus vitio luxuriæ debet se

proclamare contaminatum ac sordidum, eo quod ex immundis affectionibus, et inordinatis motibus, et illicitis operibus adeo sordet et contaminatur, ut multo abominabilius (c) sit angelicis spiritibus eum intueri, quam sanis hominibus leprosum aspicere. Nec unquam Spiritus sanctus habitabit in corpore subdito peccato luxuriæ. Certe super omnia debemus niti ad acquirendam istam munditiæ et castitatis pulchritudinem, quia (d) per istam provocemus Spiritum sanctum in amorem et concupiscentiam nostri. Unde deberemus toto conatu amovere a nobis inordinata desideria, immundas cogitationes: quia sicut, quando abundant multi humores corrupti in corpore, generant quamdam scabiem et impetiginem, et aliquando lepram, tollentes munditiam corporis; sic inordinatæ affectiones, immundæ cogitationes, et corrupti motus carnales generant scabiem incontinentiæ, lepram luxuriæ, et tollunt munditiam castitatis et pudicitiae, ac per hoc corpus fit fœtidum habitaculum diaboli, non Spiritus sancti. Tertio peccatum avaritiæ et cumulationis, ad modum lepræ animam separat a communi habitatione paradisi: unde³: « Lepra Naaman adhærebit tibi et semini tuo in sempiternum. Et egressus est ab eo, » etc. Quia istum Giezei et quemlibet avarum avaritia (e) commovet et incitat (f) accipere bona temporalia: ideo dicitur *lepra Naaman*, qui *incontinens* vel *commotio* interpretatur: et *adhærebit tibi*. et etiam cuilibet imitanti eum: et quemadmodum leprosus expellitur a communi habitatione sanorum hominum, ita avarus eligens terrenam habitationem cum talpa, et statuens oculos declinare in terram, privat se communi habitatione sanctorum. Unde leprosus ab Eliseo egressus dicitur, id est, a consortio cuiuslibet viri sancti, cujus habitatio et conversatio in cœlis cum angelis per appetitum semper est.

¹ II Paral., xxvi, 16, 19. — ² Levit., xiii, 45. — ³ IV Reg., v, 27.

(a) Cœt. edit. Statim quasi. — (b) el. — (c) abominabilior. — (d) qua. — (e) avaritiæ. — (f) incitatur.

Sequitur : *Orabat eum dicens*. Ubi notatur debitæ subjectionis exhibitio, eo quod sic adorando exhibet sibi divinæ patriæ cultum : exhibebat enim Christo divinæ patriæ cultum, cum adorabat eum, primo, cum humiliatione timoris et reverentiæ in corde, ratione creantis potentiæ ; secundo, cum expressione honoris et magnificentiæ in ore, ratione gubernantis sapientiæ ; tertio, cum ostensione amoris et benevolentiae in opere, ratione redimentis et glorificantis clementiæ. Et sic ratione istarum trium proprietatum, soli Deo, et non alii, debetur cultus patriæ. Primo ergo adorabat eum cum humiliatione timoris et reverentiæ in corde, ratione creantis potentiæ : unde in Psalmo ¹ : « Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. » Nullus, inquam, perfecte potest Deum adorare, nisi habeat maximam reverentiam ad majestatem divinam. Quis enim potest mentali intuitu latueri summum bonum in majestate eam severitate judicii, quando resiliat in propriam parvilitatem ? Discamus ergo Christi admirari et formidare virtuositatem potentiæ. Nam ² « principium sapientiæ timor Domini, » quod disponit et purificat os cordis et oris ad cultum divinæ sapientiæ. Secundo, adorabat eum expressione honoris et magnificentiae in ore, ratione gubernantis sapientiæ ; unde in Psalmo ³ : « In conspectu angelorum psallam tibi : adorabo ad templum sanctum tuum. » Tunc homo psallit Deo in conspectu angelorum et in conspectu hominum terrenorum, qui non psallit ad vanam gloriam, nec propter temporalia lucra, sed solum ad laudem et gloriam Creatoris, cum puritate et rectitudine intentionis. *Adorabo ad templum sanctum tuum*. Templum Dei sanctum est corpus mundum et immaculatum, in quo anima Deum adorat, et ejus nomini (a) confitetur. Portæ enim sunt quinque sensus, qui sunt omni diligentia conservandi, ne mors fœditatis peccati intret per

Cultus
patriæ.

eos : quia sicut non placet regi vinum quod hauritur de vase immundo mediante foramine superficialiter pulchrificato (b), sic non placet Christo laudatio, quæ egreditur de corde immundo, ore superficialiter devoto. Tertio adorabat eum cum ostensione amoris, et benevolentiae opere, ratione redimentis et glorificantis clementiæ ; unde dicitur de Magis ⁴ : « Videntes stellam, gavisus sunt gaudio magno valde, et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum : et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum, thus, et myrrham. » Ecce quod Magi in exhibitione cultus patriæ habebant fervorem amoris et benevolentiae : quia non vendiderunt ex cupiditate ; sed obtulerunt spontanea voluntate puero parvulo, in signum amoris et benevolentiae, non timoris et pœnæ. Hoc est enim, scilicet charitatis, sive amoris donum, sine quo nullum bonum acceptatur. Ipsa enim charitas reddit voluntatem hilarem respectu sui ; unde dicitur ⁵ : « Gavisus sunt gaudio magno. » Concordat denique (c) respectu Christi ; unde sequitur : « Intrantes domum. » Liberalem, respectu dati ; unde subditur : « Apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham, » in signum expressionis fidei interioris.

Tertio subditur discrete supplicationis petitio, cum dicit : *Domine, si vis, potes me mundare*. Ita enim fuit discretus ille leprosus in petendo medicinam sui corporis, ut quemlibet alium infectum lepra spirituali informet ad petendum suo exemplo sanctificationem animæ suæ. Unde quicumque est infectus vitio alicujus lepræ, debet discrete secundum morbum petere discretum medicamentum. Nam primo superbus debet petere mundari a tumore superbiæ, per amorem filialis reverentiæ ; secundo luxuriosus, a fœtore luxuriæ, per decorem, sive odorem castitatis et munditiæ ; tertio avarus, ab ardore avaritiæ, per dulcorem spiritualis lætitiæ :

¹ Psal. v, 8. — ² Psal. cx, 10. — ³ Psal. cxxxvii, 2. — ⁴ Matth., ii, 11. — ⁵ Ibid., 10.

(a) *Cat. edit.* nomine. — (b) Forte legendum purificato. — (c) concordem quoque.

ut sic anima deordinata et aversa a Patre per tumorem superbiæ, a Filio per foetorem luxuriæ, a Spiritu sancto per ardorem avaritiæ, ordinetur ad Patrem per timorem filialis reverentiæ, ad filium per candorem sive odorem castitatis et innocentiae, ad Spiritum sanctum per dulcorem spiritualis lætitiæ. Primo ergo emundamur a tumore superbiæ per timorem filialis reverentiæ; unde ¹: « Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Domini. » Sicut foetor luxuriæ est inquinamentum corporis, sic tumor superbiæ est inquinamentum spiritus. Unde primum dicitur peccatum corporale, secundum peccatum spirituale: et quia non placet Deo qui emundet corpus ab inquinamento luxuriæ per amorem castitatis et munditiæ, nisi mundet spiritum ab inquinamento superbiæ per timorem filialis reverentiæ; ideo dicit Apostolus: *Emundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus*. Sed quia nisi timor Domini præcedat, comitetur et subsequatur nostram emendationem, nequaquam possumus sanctificationem perficere, quoniam ² « qui sine timore est, non justificabitur; » ideo sequitur: *perficientes sanctificationem in timore Domini*. Secundo a foetore luxuriæ emundamur per decorem castitatis et pudicitiae. ³ « Si quis ergo emundaverit se ab his, erit vas in honore sanctificatum, et utile Domino, et ad omne opus bonum paratum. Juvenilia desideria fuge. » *Si quis ergo emundaverit se ab his inquinamentis luxuriæ per amaritudinem contritionis et pœnitentiæ, erit vas in honore, sanctificatum per pulchritudinem cœlestis gratiæ, sive castitatis et munditiæ, et utile Domino ad omne opus per complacentiam divinæ voluntatis*. Non enim placet nobilissimo Regi Christo, neque acceptatur in opere ministerii sui vas sordidum et imundum. *Juvenilia desideria fuge*. Non

enim dixit: Resiste, sed: *Fuge*, quia melius superatur vitium luxuriæ per fugam quam per resistantiam. Tertio ab ardore avaritiæ mundamur per dulcorem spiritualis lætitiæ. Unde ⁴: « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. » Quia vero mens avari aestuat variis deliciis, ardet terrenis affectionibus: non enim cessat per diem inutilibus distractionibus, nec per noctem variis cogitationibus; ideo dicit Dominus: *Effundam super vos, depressos ad terrena, aquam mundam*, id est, gratiam Spiritus sancti ad refugationem ardoris avaritiæ, cujus gustatio tanto dulcore refrigeret ardentem animam terrenis affectionibus, ut dissipet omnes appetitus ardoris et terrenitatis, *et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris et ab universis idolis vestris*. Dicitur peccatum avaritiæ omne inquinamentum, eo quod « cupiditas est radix omnium malorum ⁵. » Appellatur nihilominus nomine idolorum, quia, secundum Apostolum ⁶, « avaritia est idolorum servitus. » Et propter hoc valde bonum consilium dabat Dominus ⁷: « Verumtamen quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis, » etc.

SERMO III (a) ⁸.

Tantum dic verbo, et sanabitur puer ⁹. Puer tuus est spiritus tuus, quem a languoribus peccatorum sanari petis, dicens: *Tantum dic verbo*, etc. ¹⁰ « Sana me, Domine, et sanabor. » Sanat autem Dominus totaliter, velociter, faciliter, multipliciter.

De primo ¹¹: « Totum hominem sanum fecit (b) in sabbato. » Totalis hujus salvatio in septenario significatur: Sabbatum enim septima dies: ¹² « Lavare septies in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua. » Septies, id est, ab omnibus quæ septem diebus commisi: omne enim peccatum tuum commi-

¹ II Cor., VII, 1. — ² Eccli., I, 28. — ³ II Tim., II, 21-22. — ⁴ Ezech., XXXVI, 25. — ⁵ I Tim., VI, 10. — ⁶ Ephes., V, 5. — ⁷ Luc., XI, 41. — ⁸ Hunc habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁹ Matth., VIII, 8. —

¹⁰ Jerem., XVII, 14. — ¹¹ Joan., VII, 23. — ¹² IV Reg., V, 10.

(a) Al. III, de Dominic. secunda. — (b) Vulg. feci.

sisti in aliquo septem dierum. Septem enim diebus omne tempus volvitur. Jordanis autem significat baptismum, quia in eo baptizatus est Dominus per pœnitentiam: quod interpretatur *rivus iudicii*¹. Si enim homo iudicium divinum futurum attenderet, rivus contritionis et lacrymarum in eo proflueret.
² « Levabit manum suam super fluvium in fortitudine spiritus sui, et percutiet eum in septem rivis. » Flumen contritionis in septem rivos lacrymarum dividitur, dum pro septem vitiis lacrymæ funduntur: et sic septem rivis, et septem lotionibus, et septimo die, id est in sabbato, totus homo sanatur. Non est autem totus homo sanatus, si adhuc habet oculos leprosos per concupiscentiam oculorum; vel linguam, per mendacia et detractiones; et manus, per mala opera. Simul enim sanat Dominus omnia. Psalmista³: « Qui sanat omnes infirmitates tuas. » Augustinus⁴: « Numquid Dominus aliquid sanavit, quod (a) omnino non liberavit? Totum enim hominem sanavit in sabbato, quia corpus ab infirmitate, et animam ab omni contagione: indicans pœnitentem oportere simul dolere ab (b) omni crimine. »

De secundo⁵: « Frange esurienti panem tuum, et egenos, vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum; et carnem tuam, ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius oriatur. » Ecce per opera misericordiæ citius obtinetur sanitas animæ. Vere citius; Ambrosius⁶: « Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. » Mystice autem esuriens et egenus, et vagus et nudus, est Christus. Esuriens utique est, qui ait⁷: « Esurivi, et dedisti (c) mihi manducare. » Item egeni fuerunt apostoli, et sanctus Franciscus, et alii sancti⁸: « Egentes, angustiati, » etc., quos in domum mentis nostræ inducimus, dum

eorum vitam intra nos consideramus et imitamur. Super omnes autem iudicamus egenum et vagum, illum qui conqueritur⁹: « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. » Item nudus fuit Christus in cruce, qui veste charitatis operendus est. Sed quomodo eum (d) veste operies, si vestem non habes?¹⁰ « Non habens vestem nuptialem. » Si hoc feceris, erumpet tibi lumen gratiæ, et celeriter oriatur sanitas animæ. Hoc utique dicitur¹¹: « Orietur vobis timentibus nomen meum, sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus. » In sole lumen veritatis, in pennis celeritas sanitatis invenitur. Quid mirum, si sanat celeriter, qui sanat tam libenter? Augustinus¹²: « Tardius videtur ei veniam dare, quam peccatori accipere. Sic enim festinat a tormento conscientiæ rerum absolvere, quasi ipsum plus cruciet compassio miseri, quam ipsum miserum compassio sui. »

De tertio dicitur hic: *Tantum dic verbo, et sanabitur*. Non oportet te, Domine, ad Montem Pessulanum mittere pro medicina.¹³ « Neque herba, neque malagma sanavit eos; sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. » Et ideo *dic verbo*, etc. Psalmista¹⁴: « Misit verbum suum, » etc. Verbum ergo Dei medicina est animæ, quam stulti infirmi abhorrent, hominum sustinentes linguam, qui potius cum Lazaro¹⁵ deberent sustinere linguam canum, id est, doctorum. Psalmista¹⁶: « Lingua canum tuorum, » etc. Ideo sanari non potest¹⁷: « Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus, et eum sanitas non sequetur. Sicut Deus facilliter sanat per linguam canum, id est doctorum; ita diabolus vulnerat per linguam serpentinam, sive perversorum. Psalmista¹⁸: « Acuerunt linguas, » etc.¹⁹ « Ut sagitta lingua eorum. »

¹ Ab hebr. רִיב, ior, Rivus, et יוֹד, din, iudicium. — ² Isa., XI, 15. — ³ Psal. CII, 3. — ⁴ Imo auctor libri de ver. et fals. Pœnit., c. IX, n. 24. — ⁵ Isa., LVIII, 7-8. — ⁶ Ambros., in Luc., lib. II, n. 19. — ⁷ Matth., XXV, 35. — ⁸ Hebr., XI, 37. — ⁹ Matth., VIII, 20. — ¹⁰ Matth., XXII, 12. — ¹¹ Malac., IV, 2. — ¹² Imo auctor libri de Spir. et Anim., c. VI. — ¹³ Sap.,

XVI, 12. — ¹⁴ Psal. CVI, 20. — ¹⁵ Luc., XVI, 21. — ¹⁶ Psal. LXVII, 24. — ¹⁷ Prov., XXIX, 1. — ¹⁸ Psal. CXXXIX, 4. — ¹⁹ Jerem., IX, 8.

(a) Al. Numquam aliquem... quem. — (b) Al. de. — (c) Vuly. dedistis. — (d) Cœt. edit. cum.

De quarto, nota quod multis medicinis nititur Dominus ad sanandum. Sanat enim per contritionem; Psalmista ¹: « Qui sanat contritos, » etc. Item per confessionem; Psalmista ²: « Domine, clamavi ad te, » etc. De confessione quoque et oratione intelligi potest quod dicitur ³: « Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei qui longe est, et qui prope, dixit Dominus, et sanavi eum. » Item per operationem ⁴: « Extende manum tuam, » scilicet ad opus bonum: « et extendit, et restituta est sanitati. » Item per castigationem ⁵: « Ipse vulnerat et medetur, » etc. Ecce quam multiplicia sunt ad sanandum Dei remedia, quia multiplicia sunt animarum vulnera. Augustinus ⁶: « Magni sunt, Domine, languores nostri, multi et magni; sed amplior est medicina tua. »

SERMO IV (a) ⁷.

Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores ⁸. Ejicientur miseri in iudicio extra consortium salvandorum, propter septem vitia capitalia: quod significatum est in septem ejectionibus hominum de quibus legimus.

Ejicientur ergo damnandi propter superbiam: quod significatum est in Nabuchodonosor ⁹: « Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi: ejicient te ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua. » *Cum bestiis*, id est, dæmonibus. Psalmista ¹⁰: « Ne tradas bestiis animam meam. » Hæc ejectio facta est propter superbiam Nabuchodonosor, sicut et Luciferi ¹¹: « Ejeci te de monte Dei, et perdi te, o Cherub. » *De monte*, id est, de cælo empyreo, de quo ¹²: « Quis ascendet in montem Domini? » etc.

Item propter invidiam ¹³: « Ecce ejicies me hodie a facie tua, et a facie tua abscondar. » Bene dicit: *abscondar*, quia tolletur impius,

¹ Psal. CXLVI, 3. — ² Psal. XXIX, 3. — ³ Isa., LVII, 19. — ⁴ Matth., XII, 13. — ⁵ Job., V, 18. — ⁶ Aug., Enarr. in Psal. CII, n. 5, quoad sensum. — ⁷ Hunc habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁸ Matth., VIII, 12. — ⁹ Dan., IV, 22. — ¹⁰ Psal. LXXIII, 19. — ¹¹ Ezech., XXVIII, 16. — ¹² Psal. LXXIII, 3. — ¹³ Gen., IV, 14. — ¹⁴ 1 Joan., III, 15. — ¹⁵ Chrysost., in

ne videat gloriam Dei. Cain autem adhuc hodie est, quicumque fratris sui persecutor est ¹⁴: « Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, » etc. Imo et incendiarius diaboli est; Joannes Chrysostomus ¹⁵: « O invidia, omni malitia cumulata! Invidia ignis inextinguibilis. »

Item propter iracundiam ¹⁶: « Ejice ancillam et filium ejus, » scilicet Ismaelem, qui bene iracundiam significat. De ipso enim dicitur ¹⁷: « Hic erit ferus homo, manus ejus contra omnes, et manus omnium, » etc. Item persequabatur fratrem suum ¹⁸: « Quomodo tunc qui secundum carnem natus fuerat (b), persequabatur, » etc. Et ideo ejectus est de possessione hæreditatis suæ. Sic iracundi propter feritatem, et fraternam persecutionem exercentes, ejiciuntur de hæreditate æterna. Contra quod de mansuetis dicitur ¹⁹: « Mansueti autem hæreditabunt terram. » ²⁰ « Beati mites, » etc. Mites ergo cum gaudio persecutores suos tolerare debent, sicut Isaac, quem Ismael persequabatur, qui hæreditatem obtinere voluit. Unde Isaac interpretatur *risus* vel *gaudium*. ²¹ « Omne gaudium existimate, fratres, » etc.

Item propter avaritiam ²²: « Ejiciebat omnes vendentes et ementes de templo, et mensas nummulariorum, » etc. Difficile est inter ementis et vendentis consortium non intervenire peccatum. Fugite ergo venditiones et emptiones iniquas, sed non illam de qua dicitur ²³: « Si vis esse perfectus, vade et vende omnia, » etc., « et habebis thesaurum in cælo, » etc. Unde Petrus ²⁴: « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? » Cui ergo in iudicio sedere, et centuplum accipere, et vitam æternam possidere promittitur. Centuplum enim est Spiritus sancti consolatio vel gratia. Quicumque ergo hoc centuplum non recipit,

Centuplum.

Matth., hom. XL, al. XLI, et alias passim. — ¹⁶ Gen., XXI, 10. — ¹⁷ Ibid., XVI, 12. — ¹⁸ Gal., IV, 29. — ¹⁹ Psal. XXXVI, 12. — ²⁰ Matth., V, 4. — ²¹ Jac., I, 2. — ²² Matth., XXI, 12. — ²³ Ibid., XIX, 21. — ²⁴ Ibid., 27.

(a) Al. IV. Domin. secund. — (b) Cæt. edit. est qui.

argumentum est, quod adhuc hæc omnia non reliquit.

Item per acediam ¹: « Cum ejecta esset turba, » etc. Turba hæc plangens mortuum acediosos significat, qui lugubres et tristes incedunt, qui demisso capite et manibus vadunt, quasi semper plangent mortuum, quibus omne bonum in tædium vertitur. Isti sunt, de quibus ²: « Ecce ibi mulieres plangentes Adonidem. »

Item propter gulam ³: « Ejecitque Adam, et collocavit ante paradisum Cherubim et flammeum gladium. » Sed istum gladium cum in passione sua Dominus tollere vellet, præmonuit discipulos, dicens ⁴: « Attendite vobis, ne forte graventur corpora vestra in crapula et ebrietate, » etc. Isidorus ⁵: « Cui abstinentia non est epularum, ardentis divitis attendat supplicium: ejus tanta in inferno inter ignes erat inopia, quanta hic epularum fuerat copia. »

Item propter luxuriam ⁶: « Præcipe filiis Israel, ut ejiciant de castris omnem leprosum, et qui semine fluit (a), » ut luxuriosi et incontinentes, qui ejicientur de castris, id est, de consortio angelorum: de quibus castris dicitur ⁷: « Castra Dei sunt. » Quæ bene dicuntur castra a castitate. Unde ⁸: « Neque nubent neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cælo. » Unde casti viri sunt quasi angeli Dei non solum in cælo, sed etiam in mundo. Joannes Chrysostomus ⁹: « Castitas res est angelica: per hanc enim solum singulariter homines angelis simulantur, et vincitur natura virtutibus. » Sic ergo ejicientur mali de societate honorum. Tu ergo si ejici non vis, veni ad Christum ¹⁰: « Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras. » Superbus veniat per humilitatem: iracundus, per mititatem: invidus per charitatem: per pietatem, avarus: luxuriosus per castitatem, etc. (b)

¹ *Matth.*, IX, 25. — ² *Ezech.*, VIII, 14. — ³ *Gen.*, III, 24. — ⁴ *Luc.*, XXI, 34. — ⁵ *Isid.*, de *Sum. Bon.*, lib. II, c. XLII, sent. 8. — ⁶ *Nun.*, v, 2. — ⁷ *Gen.*, XXXII, 2. — ⁸ *Matth.*, XXII, 30. — ⁹ *Chrysost.*, de *Virginit.*, n. 78, et alias passim. — ¹⁰ *Jonn.*, VI, 37.

DOMINICA IV POST EPIPHANIAM.

SERMO I (c) ¹¹.

Ascendente Jesu in naviculam ¹², etc. Navicula est Ecclesia, quæ tempestatibus et fluctibus tribulationum frequenter quassatur. Considerandum, quod quatuor genera hominum navibus utuntur: videlicet piscatores, bellatores, negotiatores, viatores. Sic est Ecclesia navis piscatorum in prædicatione, navis bellatorum in tentatione, negotiatorum in operatione, viatorum in peregrinatione. Ideo Christus merito ascendit naviculam.

De primo ¹³: « Sedens in navicula docebat (d) turbas; et ut cessavit loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, et laxate retia vestra in captionem. » In hac navicula tot sunt piscatores, quot sunt in Ecclesia doctores. Pisces sunt homines ¹⁴: « Faciam vos fieri piscatores hominum. » Mare autem in quo capiuntur pisces, est mundus. Psalmista ¹⁵: « Hoc mare magnum, » etc. Flumina, in quibus capiuntur, sunt concupiscentiæ mundi. Psalmista ¹⁶: « Super flumina Babylonis, » etc. Tria autem sunt flumina ¹⁷: « Omne quod est in mundo, » etc. De his fluminibus extrahi debent per pœnitentiam, qui vasa mansionum cœlestium eligi velent (e). ¹⁸ « Elegerunt bonos in vasis suis (f). » O quantæ gratiæ est, quod ait Dominus: *Duc in altum!* id est in profundum, ut etiam de profundo peccatorum homines eruantur. Psalmista ¹⁹: « Convertam in profundum maris. » O si ego rudis piscator unicum piscem Domino meo Jesu Christo capere possem!

De secundo ²⁰: « Feci naves bellicas: volo autem procedere per regionem, ut ulciscar in eos qui corruerunt regionem nos-

— ¹¹ Hanc et dnos sequentes habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ¹² *Matth.*, VIII, 23. — ¹³ *Luc.*, v, 3-4. — ¹⁴ *Matth.*, v, 49. — ¹⁵ *Psal.*, CIII, 25. — ¹⁶ *Psal.*, CXXXVI, 1. — ¹⁷ *Jonn.*, II, 16. — ¹⁸ *Matth.*, XIII, 48. — ¹⁹ *Psal.*, LXXII, 23. — ²⁰ *1 Mach.*, XV, 3-4.

(a) *Cat. edit.* de semine sunt. — (b) *Cat. edit.* deest. etc. — (c) *Al. II.* — (d) *Fulg.* docebat de navicula. — (e) *Leg.* velint. — (f) *Vulg.* vasa.

tram, » etc. Verba ista potest Christus dicere. Quot autem sunt status honorum in Ecclesia militantium, tot sunt naves bellicæ Christi. Status ergo conjugalis, vidualis, virginalis, naves sunt. Item ordo Francisci, Benedicti, Dominici, et alii, in quibus contra diabolum, mundum, et carnem et vitia bellandum est. ¹ « In citharis, et in tympanis, et bellis præcipuis, expugnabit eos. » In sono citharæ, suavis oratio; in percussione tympani, carnis maceratio; in bellis præcipuis, spiritualis colluctatio significatur. Regio igitur mens est nostra, vel Ecclesia, vel fides: corrumpitur autem iniquitatibus. Psalmista ²: « Corrupti sunt, » etc. Corruptor est diabolus ³: « Timeo ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri. » Item mundus ⁴: « Fugientes ejus quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. » Item caro ⁵: « Omnis quippe caro, » etc. In istos corruptores Christus ulciscetur (a), dum per fideles Christi ejiciuntur. Licet autem bona sit manus tua, bona vita, tamen non es securus de victoria: ideo contra corruptores istos perseverandum est in pugna. Augustinus ⁶: « Ecce baptizati sunt omnes, justificati sunt omnes a peccatis, restat tamen luctari cum carne et diabolo. »

De tertio ⁷: « Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum. » Panis est corpus Christi, quod de longe venit, quia de cælo ⁸: « Ego sum panis verus, » etc. Institor est Christus. Institor est quilibet justus, cujus merces sunt virtutes et bona opera ⁹: « Juda et terra Israel, ipsi institores tui in frumento primo balsamum, mel, et oleum et resinam, proposuerunt in mundiis tuis. » Per Tyrum, cui proponuntur (b) hæc, mundus significatur, cui de navi Ecclesiæ proponitur frumentum doctrinæ. ¹⁰ « Qui abscondit frumenta, maledicetur in popu-

lis, » etc. Item balsamum bonæ famæ ¹¹: « Quasi balsamum non mixtum odor meus. » *Non mixtum* dicit contra hypocrisim: hypocrita enim miscet malum et bonum. Item mel gratiæ ¹²: « Spiritus meus super mel dulcis. » Item oleum misericordiæ ¹³: « Computrescet jugum a facie olei. » Per opera enim misericordiæ, jugum diaboli destruitur, et tanquam putridum abjicitur. Item resinam penitentiae ¹⁴: « Tollite resinam ad curandum dolorem ejus, si forte sanetur. »

De quarto ¹⁵: « Ascendens Jesus in naviculam transfretavit et venit in civitatem suam. » Civitas ista est cælestis, in quam transfretare debemus, ut de peregrinatione exeamus ¹⁶: « Non habemus hic manentem civitatem, » etc. Augustinus ¹⁷: « Erit illius civitatis (c) et una in omnibus, et inseparabilis (d) in singulis, voluntas libera, ab omni malo liberata, et impleta omni (e) bono, fruens indeficiente (f) æternorum jucunditate gaudiorum. » Quia ergo viatores sumus, ideo congrua virtutum hospitia quæramus, in quibus lassique quiescamus. Viatores enim valde solliciti sunt de bonis hospitibus. Bona hospitia ad quiescendum sunt charitas, misericordia, patientia, castitas, et cæteræ virtutes. Hæc hospitia tibi Deus non negat, si quæris, si petis, si pulsas. ¹⁸ « Foris non mansit peregrinus, et hospitium meum viatori patuit. »

SERMO II (g).

Ecce motus factus est magnus in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus ¹⁹. Navicula est Ecclesia ²⁰: « Facta est quasi navicula (h), » etc. Mare est sæculum: Psalmista ²¹: « Hoc mare magnum, » etc. Motus et fluctus sunt tribulationes et persecutiones ²²: « Fluctus tui super me transierunt. » Invenimus autem

lib. XXII, c. xxx, n. 3. — ¹⁸ Job, xxxi, 32. — ¹⁹ Matth., viii, 24. — ²⁰ Prov., xxxi, 14. Eadem jam dixerat sermone præcedente. — ²¹ Psal. ciii, 25. — ²² Jon., ii, 4.

(a) Leg. ulciscitur. — (b) Cæt. edit. præponuntur. — (c) civitas. — (d) separabilis. — (e) liberata: cum. — (f) indeficiente. — (g) Al. iii. — (h) Vulg. navis.

¹ Isa., xxx, 32. — ² Psal. xiii, 2. — ³ II Cor., xi, 3. — ⁴ II Petr., i, 4. — ⁵ Gen., vi, 12. — ⁶ August., serm. clviii, al. de verb. Dom., xvi, n. 4. — ⁷ Prov., xxxi, 14. — ⁸ Joan., vi, 51. — ⁹ Ezech., xxvii, 1, 7. — ¹⁰ Prov., xi, 26. — ¹¹ Eccli., xxiv, 21. — ¹² Ibid., 27. — ¹³ Isa., x, 27. — ¹⁴ Jerem., li, 8. — ¹⁵ Matth., ix, 1. — ¹⁶ Hebr., xiii, 14. — ¹⁷ Aug., de Civit. Dei,

in Scriptura septem vicibus periclitari naves : juxta quod accipere possumus septem causas, propter quas navicula Ecclesiæ tribulationibus quassatur, videlicet : propter temporalium avaritiam et opulentiam ; propter malæ societatis adhærentiam ; propter subditorum inobedientiam ; propter prælatorum negligentiam ; propter spiritualem Christi absentiam ; propter curæ pastoralis, seu subditorum excrescentiam ; propter iniquam innocentum oppressionem et violentiam.

De primo dicitur ¹, quod « Josaphat fecit naves quæ navigaverunt in Ophir propter aurum, quæ contractæ sunt in Asiongaber. » Josaphat judicem significat, interpretatur enim *Ipsejudicans*. ² « Diligite justitiam, » etc. Ophir mundum infirmum significat ; interpretatur enim *Infirmans*. Per aurum amor temporalium significatur, scilicet avaritia. Isidorus ³ : « Avarus dictus ab eo, quod sit avidus auri. » Navis Josaphat in Ophir propter aurum vadit, quando judex temporalia in Ecclesia quærit. Periculosum est hoc autem : legimus enim, quod propter aurum idololatria committitur. Unde dicitur ⁴, quod « Hieroboam fecit vitulos aureos, ut adoraret eos populus. » Vitulus aureus adoratur, quando amor auri amor Dei præponitur. Unde avaritia *servitus idolorum* dicitur ⁵ : « Hoc autem scitote intelligentes, » etc. Item propter aurum navis frangitur, quando per amorem temporalium Ecclesia vel congregatio per discordiam scinditur. Joannes Chrysostomus ⁶ : « Non amabit proximum, qui aurum amat. » Item propter aurum Achan lapidatur. Furatus enim fuit regulam auream, sicut dicitur ⁷. Per duritiam lapidum, duritia pœnarum æternarum significatur. Achan ergo propter aurum lapidatur, quando avarus pœnarum cumulo æternarum obruitur. Bernardus ⁸ : « Utinam

saperes, miser, et intelligeres, quod cum thesauro pecuniæ thesaurum iræ pariter cumulas ! » Sic ergo avaritia avaro nociva est : ad Dominum, propter idololatriam ; ad proximum, propter discordiam ; ad seipsum, propter pœnam æternalem.

De secundo dicitur ⁹, quod « Joppitæ rogaverunt Judæos ascendere secum scaphas » sive naves, et sic « submerserunt » eos. Joppe mundum significat propter deceptivam ejus pulchritudinem, interpretatur enim *pulchritudo* ¹⁰. In Joppe ergo sunt mundi amatores. Judæi *confitentes* interpretantur, et significant justos et religiosos, Dominum laudando, et seipsos accusando, confitentes. Qui ergo magis mundi amatoribus, quam Deo adhærent, cito in navibus submerguntur et pereunt ¹¹ : « Projecisti populum tuum domum Jacob, quia repleti sunt ut olim, et augures habuerunt ut Philistiim, et pueris alienis adhæserunt. » Unde bene ait Isidorus ¹² : « Melius est habere malorum odium, quam consortium. » Vere periculosa est malorum societas ubique. Periculosa est in cœlo, unde socii Luciferi cum eo corruerunt ¹³ : « Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli. » Item in mundo, sicut hic dicitur, quia spiritualiter submerguntur. Psalmista ¹⁴ : « Cum perverso perversus, » etc. Item in inferno ¹⁵ : « Unusquisque ad proximum suum stupebit : facies combustæ vultus eorum. » Mala ergo societas in cœlo perdit gloriam ; in mundo addit culpam ; in inferno cumulat pœnam. Ut ergo hæc periculosa evadas, bonos socios semper habeas. Bernardus ¹⁶ : « Bonos in consilio, bonos in obsequio, et bonos habeas contubernales, qui vitæ et honestatis tuæ custodes sint et testes. »

De tertio dicitur ¹⁷, quod præcepit Dominus Jonæ prædicare in Ninive. Jonas a facie Domini fugit in navim, quæ tantum periculi-

¹ III Reg., xxii, 49. — ² Sap., ii, 1. — ³ Isid., *Ety-mol.*, lib. X, verbo *Avidus*. — ⁴ III Reg., xv, 28. — ⁵ *Ephes.*, v, 5. — ⁶ Chrysost., in *Matth.*, hom. lxxx, al. lxxxii, n. 4, quoad sensum. — ⁷ *Jos.*, vii, 20-24. — ⁸ Imo auctor *Declamationum*, inter spuria *Oper.*

Bernardi, c. xiv. — ⁹ II Mach., xii, 3-4. — ¹⁰ Ab hebr. יָפֶה, *iephi*. — ¹¹ *Isa.*, ii, 6. — ¹² Isid., *Synon.*, c. xix, post med. — ¹³ *Apoc.*, xii, 4. — ¹⁴ *Psal.* xvii, 27. — ¹⁵ *Isa.*, xiii, 8. — ¹⁶ Bernard. — ¹⁷ *Jon.*, i, 1 et seq.

tata est, quoad Jonas eiectus est. Vere periculosa est inobedientia : legimus enim¹ inobedientia eiectum Adam de paradiso. Paradisus est autem Spiritus sancti gratia, vel sancta vita : « Gratia quasi (a) paradisi in benedictionibus ». » Item Jonam de navi, sicut hic dicitur. Item Saul de regno, sicut legitur³. Per regnum autem gloria aeterna significatur⁴ : « Ideo accipient regnum decoris, » etc. Propter inobedientiam ergo eiecitur homo de paradiso gratiae, de navi Ecclesiae, de regno gloriae Dei. Ad idem regnum non sinit hominem pervenire. Prima eiectio est a fidelium merito ; secunda, a fidelium numero ; tertia, a fidelium praemio. Augustinus : « O quam detestabile est vitium obedientiae contrarium, per quam Angelus de caelo, homo de paradiso cecidit, Saul regnum amisit, populus Israel populum et gentem amisit ! »

SERMO III (b) ⁵.

*Ecce motus factus est in mari, ita ut navis*⁶, etc. Post praedictas tres causas, quatuor adhuc causae restant, per (c) quas navicula Ecclesiae tribulationum fluctibus premitur. Quarum prima est praelatorum negligentia ; unde hic dicitur, quod Jesu dormiente in navicula, motus magnus factus est. Jesus in navi dormit, ubi iudex et rector torpent, et negligenter agunt. Vere periculosus est somnus negligentiae rectorum et principum ; legimus enim⁷ quod Noe dormiens denudatur. Hoc autem spiritualiter fit, quando quod negligens et tepidus est quis (d), bona vita vel fama privatur. Item⁸, quod Tobias dormiens excæcatur per calida stercora hirundinum, per quae fervens cupiditas temporalium significatur.⁹ « Omnia arbitror ut stercora. » Sed, heu ! hodie plus diligitur illud stercus, quam Christus. Item¹⁰ Isboeth ju-

gulatur dormiens a duobus principibus latronum. Latrones sunt peccata¹¹ : « Vos autem fecistis illam speluncam latronum, » etc. Duo principes sunt praesumptio, et desperatio. Dormiens ergo per negligentiam denudatur a bona conversatione, excæcatur a bona cognitione, jugulatur aeterna damnatione. Et vere multa jugulatione dignus est malus rector¹² : « Praelati tot mortibus mori digni sunt, quot in subditos suos perditionis exempla transmittunt. »

Secunda est spiritualis Christi absentia ; unde dicitur¹³, quod Jesus erat solus in monte, et navicula in mari jactabatur fluctibus. Ibi autem Christus absens est, ubi Christi amor non est ; sicut e contrario Christus est, ubi castitas (e) est. Augustinus¹⁴ : « Tanto Deum habebimus praesentior, quanto amorem quo in Deum tendimus poterimus habere purior. » Vere periculosa est Christi absentia : legimus enim quod, Christo absente, Lazarus moritur¹⁵ : « Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. » Mors Lazari spiritualementem mortem significat. Item, Christo absente, navis agitatur, sicut hic dicitur, perturbatur periclitatione. Psalmista¹⁶ : « Avertente te faciem (f) turbabuntur, » etc. Item Christo absente Thomas dubitat¹⁷, etc. Propter hoc bene dicit Dominus¹⁸ : « Ego sum via, veritas, et vita. » Christus est vita ; et ideo, ipso absente, anima moritur. Ipse est via : ideo, ipso absente, viator periclitatur. Ipse est veritas ; et ideo, ipso absente, dubitatur in fide.

Tertia est curae pastoralis excrescentia ; unde¹⁹ : « Impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur. » Per multitudinem piscium significatur multitudo subditorum : quando enim tantum excrescit cura pastoralis per talem multitudinem, quod periculosum est. Notandum autem, quod triplex est

Multitudo

¹ Gen., III, 24. — ² Eccli., XL, 27. — ³ I Reg., XV, 23. — ⁴ Sap., V, 17. — ⁵ Sermonem istum potius dixeris partem alteram praecedentis. — ⁶ Matth., VIII, 24. — ⁷ Gen., IX, 21. — ⁸ Tob., II, 11. — ⁹ Philip., II, 8. — ¹⁰ II Reg., IV, 5. — ¹¹ Matth., XXI, 13. — ¹² Gregor., Pastor. cur. part. III, c. IV, al. XXVIII, adm. 5. — ¹³ Matth., XIV, 23, 24. — ¹⁴ August., ad

Maced., epist. LII, al. CLV, n. 13. — ¹⁵ Joan., XI, 21. — ¹⁶ Psal. CIII, 29. — ¹⁷ Joan., XX, 25. — ¹⁸ Ibid., XIV, 6. — ¹⁹ Luc., V, 7.

(a) Vulg. sicut. — (b) Al. IV. — (c) Leg. propter. — (d) Cæd. edit. quod negligens et tepidus est quis, quando. — (e) Leg. charitas. — (f) Cæd. edit. omis. te faciem.

tudo tri-
plex.

multitudo, per quam homines incipiunt mergi. Prima est temporalium ¹: « Qui volunt divites fieri, » etc., « incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum, et perditionem. » Secunda, tribulationum ²: « Videns ventum validum, » id est persecutiones, « timuit, et cum cœpisset mergi, » etc. Semper enim in tribulatione clamandum est ad Dominum. Tertia, subditorum, de qua hic dicitur ³, quod « concluderunt multitudinem piscium, et innumerant sociis, » etc. Si pene merguntur qui alios in adiutorium vocant, quid fiet de illis, qui adjuvantes repellunt? De alia navi, scilicet religionis (a), nullum admittunt; sed certe in iudicio videbunt quot per eos animæ perierunt. Bernardus ⁴: « Venient ante tribunal Christi, audietur peccatorum querela gravis, accusatio dura, quorum vixere (b) stipendiis, neque diluere peccata, quibus facti sunt duces cæci, mediatores fraudulenti. »

Quarta (c), propter oppressionis innocentum violentiam: unde legitur ⁵, quod navis, in qua captivus ducebatur Paulus, valde periclitata est. Sed jam non solum Paulus, imo jam periclitati sunt multi alii innocentes, violentias et injurias sustinentes, non solum a sæcularibus iudicibus, sed etiam ab ecclesiasticis. Bernardus ⁶: « O Prælati, jugum vestrum aggravatis super eos (d), quorum onera potius portare debetis. » Vere periculosa est hujusmodi oppressio: omnis enim creatura insanit contra violentum, specialiter autem terra. In passione innocentis Christi, terræ motus factus est, ut dicitur ⁷. Item aqua; unde oppressores filiorum Israel, sicut dicitur ⁸, « submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. » Et hic dicitur ⁹, quod Paulo violentiam patiente, mare concitatur. Item ignis; unde dicitur ⁹, quod

viros illos, qui innocentes miserunt in ignem, incendit flamma ignis. Potest autem in his triplex violentorum pœna significari, scilicet: temporalis, in aqua; unde ¹⁰: « Inundaverunt aquæ, » etc. Judicialis, in terræ motu: terra enim movetur, dum in corde iudicium timetur. Psalmista ¹¹: « Terra mota est, » etc. Æternalis, in igne ¹²: « Ignis ejus (e) non extinguetur. »

SERMO IV (f) ¹³.

Domine, salva nos, perimus ¹⁴. Quia securum est discipulis audire veros magistros, commendabile filiis imitari bonos patres, atque gloriosum subditis sequi strenuos dominos: ideo in verbo proposito, exemplo apostolorum, verorum magistrorum, bonorum patrum, atque strenuorum dominorum, principum (g) fidei christianæ, propter imminens periculum corporale, divinum auxilium reverenter postulantium, et etiam efficaciter optantium, admonemur nos ejus discipuli, filii subditi, in omni necessitate recurrere ad auxilium divinæ misericordiæ omnibus subvenientis. Unde ad hoc melius faciendum eorum exemplo informamur nos in verbo proposito ordinate procedere: eo quod in verbo præmisso, primo præmittitur affectuosa invocatio excellentis magnificentiæ; secundo additur discreta insinuatio imminenti indigentiam; tertio subjungitur devota petitio auxiliantis misericordiæ. Primo ergo confitentur potentiam, cum dicitur: *Domine*; secundo demonstrant indigentiam, cum dicitur: *Perimus*; tertio implorant clementiam, cum subjungitur: *Salva nos*.

Primo ergo, in verbo proposito commendant virtutis excellentiam, cum dicitur: *Domine*. Ista autem excellens virtus et magnificentia quæ in hoc vocabulo, *Domine*, intelligitur, potest tamen tripliciter accipi:

¹ 1 Tim., vi, 9. — ² Matth., xiv, 30. — ³ Luc., v, 6, 7. — ⁴ Imo auctor *Declamati.*, c. 211, inter spuria Oper. Bernard. — ⁵ Act., xxvii, 20. — ⁶ Bernard. — ⁷ Matth., xxvii, 51. — ⁸ Exod., xv, 10. — ⁹ Dan., iii, 22. — ¹⁰ Psal. lxxvii, 20. — ¹¹ Psal. lxxvii, 9. —

¹² Isa., lxxvi, 24. — ¹³ Hunc non habet editio Paris. an. 1521. — ¹⁴ Matth., viii, 25.

(a) *Leg.* Religione. — (b) *Cæt. edit.* maxime. — (c) *Cæt. edit.* add. cum. — (d) *Cæt. edit.* vos. — (e) *Vulg.* eorum. — (f) *Al.* 1. — (g) *Cæt. edit.* principium.

primo ratione inseparabilis potentiae, in prevalendo; secundo, ratione infallibilis sapientiae, in cognoscendo; tertio, ratione inenarrabilis misericordiae, in parcendo. Sic propter potentiae magnificentiam redditur terribilis inimicis; propter sapientiae luculentiam, honorabilis in domesticis, sed propter misericordiae affluentiam amabilis et considerabilis miseris et egenis. Primo habet Dominus virtuositatem potentiae in prevalendo. Unde in Psalmo ¹: « Quoniam excelsus Dominus, terribilis, Rex magnus super omnem terram: subiecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris. » Jesus Christus est *excelsus Dominus* propter majestatem domini; *terribilis*, propter severitatem iudicii; et *rex magnus super omnem terram*, propter dignitatem imperialis praesidentiae. *Subiecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris*, propter virtuositatem inexpugnabilis prevalentiae. Propter hoc dicitur ²: « Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuae resistere voluntati. » Secundo habet Dominus infallibilem sapientiae notitiam in cognoscendo; unde dicitur ³: « Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi praeparantur cogitationes. » *Vetera* sophisticæ rationis, et philosophicæ argumentationis, quasi nullius valoris, *recedant de ore vestro*: non quod non debeatis de philosophia loqui, sed quod non debeatis ei inniti, quia Dominus Jesus Christus, « in quo ⁴ sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae, » est *Deus scientiarum*, cognoscens omnia novissima et antiqua. *Et ipsi praeparantur cogitationes*, ut dirigantur in via veritatis et iustitiae, secundum dictamen rectae rationis, non sophisticæ. Tertio habet Dominus pietatem misericordiae in parcendo; unde ⁵: « Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur

ejus, quoniam multus est ad ignoscendum. » *Derelinquat impius viam suam*, id est, peccatum operis; *et vir iniquus cogitationes suas*, id est, peccatum cordis, *et revertatur ad Deum cum amore, et miserebitur ejus* per condonationem omnium delictorum. *Quia multus est ad ignoscendum*, quia tanta est offensa, quantus est ille qui offenditur. Certe exemplo grosso, experimento approbato possumus videre, quod multus est ad cognoscendum. Nam vulgo dicitur quod mulier adultera et repudiata, et a consortio viri ejecta, nequaquam a viro suscipitur, ut ei reconcilietur, propter horrorem foeditatum praeteritarum. Anima tamen, si per aversionem a Deo fuerit fornicata in peccatis multis, si converti voluerit, clementer suscipitur a Christo: non propter horrorem praeteritarum foeditatum devitat ejus consortium. Et propter hoc dicit Hieronymus, doctor fidelissimus, super illud Hieremiae ⁶: « Dixi (a): Revertere, revertere; et non est (b) reversa. » O clementia de nostra duritia, dum post tanta scelera nos provocat ad salutem, nec siquidem volumus ad meliora converti!

Sequitur: *Perimus*, ubi ostendunt necessitatis indigentiam. Exemplo enim istorum apostolorum, quilibet alius debet ostendere Christo suam indigentiam et necessitatem, cum videt se perire: primo, propter debilitatem impotentiae succumbentis; secundo, propter caecitatem ignorantiae deviantis; tertio, propter poenalitatem miseriae opprimentis. Primo perit aliquis propter debilitatem impotentiae succumbentis; unde dicitur ⁷: « Nonne videtis, quod perierit Aegyptus? » Aegyptus contradicens divinae voluntati, cognoscens experimentaliter se perisse ratione debilitatis impotentiae in resistendo poenis illatis sibi, signat quemlibet imbecillum positum in tribulatione et angustia, qui diffidens de divino auxilio, et rebellis effectus, intuitu fragilitatis suae perit periculo interioris indignationis. Secundo perit aliquis

¹ Psal. XLVI, 2-3. — ² Esth., XIII, 9. — ³ I Reg., II, 3. — ⁴ Coloss., II, 3. — ⁵ Isa., LV, 7. — ⁶ Jerem., III, 7. — ⁷ Exod., X, 7.

(a) Cæt. edit. dixit. — (b) Cæt. edit. omis. est.

propter cæcitatem ignorantiae deviantis; unde Baruch ¹: « Quoniam non sapientiam habuerunt, perierunt propter suam insipientiam. » Nullus potest devenire ad statum salutis, nisi habeat Jesum Dei sapientiam: quoniam ipsa est ad Creatorem omnium deductiva, virtutis potentiae ostensiva, et divini cultus exhibitiva. Unde philosophi, imo aliqui superbi, volentes potius inniti stoliditati, sive vanitati phantasticæ rationis, quam soliditati potentiae veritatis, *perierunt propter suam insipientiam*. Et nota quod dicit *suam*, eo quod defectus fuerit ex parte ipsorum, non ex parte divinæ sapientiae. O superbia intellectus, quæ dum inflaris, ventositate vanæ elationis, evacuaris soliditate sapientiae salutaris, et inflammaris stoliditate aversionis. Tertio perit aliquis propter pœnalitatem miseriae opprimantis; unde in Psalmo ²: « Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, et perierunt propter iniquitates suas? » Peccatores homines, cum implentur multis miseriis, opprimuntur magnis pœnalitatibus, et affliguntur diversis doloribus, nolunt patienter converti ad lacrymas et ploratus, et clamare ad Deum cum humilitate, donec confringantur spinæ tribulationis et pœnalitatis: scilicet tanto furore impatientiæ permittunt se superari, imo absorberi, ut subito deficiant in sustinendo: et hoc est quod dicit: *Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt*, etc. Et quia quod erat eis materia exercendæ virtutis, et occasio salutis et gratiæ, scilicet pœnalitates, convertunt in augmentum culpæ; ideo sequitur: *Perierunt propter iniquitatem suam*. Certe summa sapientia est de necessitate facere virtutem; et summa stultitia est de virtute facere peccatum et vitium.

Tertio subditur: *Salva nos*: ubi notatur devota imploratio auxiliantis misericordiæ. Debemus autem, exemplo apostolorum, implorare divinam misericordiam, ut primo

¹ Bar., III, 27. — ² Psal. LXXII, 49. — ³ Psal. XLIII, 7-8. — ⁴ Isa., XLIX, 6. — ⁵ Ibid., IX, 2.

Deus insuperabilis potentiae in prævalendo salvet nos a debilitate impotentiae succumbentis, per influentiam virtutis fortificantis operativam; secundo, Dominus infallibilis sapientiae in cognoscendo salvet nos a cæcitate ignorantiae deviantis, per supersplendentiam lucis illuminantis intellectivam; tertio, Dominus inenarrabilis clementiae in parcendo salvet nos a pœnalitate miseriae opprimantis, per concomitantiam salutis dulcorantis affectivam. Primo Dominus insuperabilis potentiae in prævalendo salvat nos a debilitate impotentiae succumbentis, per influentiam virtutis fortificantis operativam; unde in Psalmo ³: « Non enim (a) in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me (b). Salvasti enim nos de affligentibus nos, et odientes nos confundisti. In Deo laudabimur tota die, et in nomine ejus confitebimur in sæcula. » Illi sperant salvari in gladio et arcu suo, qui præsumentes de sua fortitudine, elatis cogitationibus se extollunt: quibus divinum auxilium merito denegatur. Scilicet recognoscentes suam impotentiam, recurrentes ad divinum auxilium, salvat Dominus, influendo interiori virtutem, ne turbentur, et amovendo exterius omne nocivum impedimentum, ne lædantur propter hoc. Exemp'o David, de omni beneficio debemus non in nobis, sed in Deo laudari, et solum nomini ejus confiteri, omne bonum sibi attribuendo. Secundo Dominus infallibilis sapientiae in cognoscendo salvat nos a cæcitate ignorantiae deviantis, per supersplendentiam lucis illuminantis intellectivam; unde ⁴: « Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. » Filius Dei, lux vera et purissima, carens omni tenebra ignorantiae omnique macula culpæ, datus est gratis a Deo Patre populo Gentium, ⁵ « qui ambulabat in tenebris, » ad demonstrandum devia erroris, ne in via erremus præcipitio falsitatis aut deceptionis. *Ut sis salus mea*, divina scilicet, non humana, omnium fidelium ab extremis terræ,

(a) *Cæt. edit.* Nonne. — (b) *Cæt. edit.* deest me.

videlicet ab oriente fideliter incipientium, et ab occidente finaliter morientium, a meridie ferventer amantium, ab aquilone mala pœnæ viriliter sustinentium : ut sic nulli existenti in aliqua extremitate terræ illa vera salus ratione suæ sufficientiæ deficiat. Tertio, Dominus inenarrabilis clementiæ in parendo salvat nos a pœnalitate miseriæ opprimentis, per concomitantiam salutis dulcorantis affectivam ; unde, *ad Philippenses*¹ : « Salvatorem expectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. » Si configurari volumus corpus nostrum in adventu iudicii corpori claritatis Christi, debemus ad exempla corporis ejus, quod fuit attritum jejuniis et abstinentiis in tormentis, et projectum in terra cum verecundia ad modum frumenti : sic corpus nostrum debet deprimi jejuniis, et humiliari afflictionibus, quia tanto corpus cujuslibet erit corpori claritatis Christi configuratius, quanto pro ejus nomine fuerit humilior. Rogamus, etc.

DOMINICA V POST EPIPHANIAM.

SERMO PRIMUS².

*Simile est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo*³. Quoniam, secundum beatum Dionysium⁴, impossibile est nobis aliter lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum ; hinc est quod Dominus noster Jesus Christus sciens, quod magis esset expediens cæcutienti generi humano mirificum opus creationis, explicat illud in verbo proposito sub convenientissima metaphora hominis seminantis bonum semen in agro suo, dicens : *Simile est regnum cælorum*, etc. Tunc enim Dominus bonum semen seminavit in agro suo, quando in agro machinæ mundialis⁵ « fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam. » Sub hac metaphora nobilissima exprimitur creatio

hominis, quantum ad principium effectivum, in metaphora hominis ; quantum ad subjectum receptivum, in agri nominis significatione ; et quantum ad actum intermedium, in boni seminis jactatione. Primo ergo exprimitur creatio hominis quantum ad principium effectivum, cum dicit : *Simile est regnum cælorum homini (a)* : homo ille, metaphorice loquendo, Deus est. Secundo exprimitur creatio hominis quantum ad subjectum receptivum, cum subdit : *in agro suo*. Ager enim est machina mundialis. Tertio exprimitur creatio hominis quantum ad actum intermedium, cum subinfertur : *Seminavit bonum semen*, quoniam hominem creavit ad imaginem et similitudinem suam. Dicit ergo : *Simile est regnum cælorum* : ubi exprimitur creatio hominis, quantum ad principium effectivum, in metaphora hominis et similitudine. Sed quia tunc bene et perfecte cognoscitur, quando cognoscitur quantum ad ejus principium, medium, et ultimum ; ideo si volumus perfectam cognitionem habere de creatione hominis juxta possibilitatem intelligentiæ nostræ, necesse est ut eam agnoscamus, quantum ad ejus principium, medium, et ultimum, in quibus perfecta cognitio rei consistit⁶ : principium namque creationis non solum hominis, sed totius universi, est productio potentiæ supernaturaliter operantis ; medium autem est gubernatio sapientiæ suaviter disponentis ; sed ultimum est consummatio misericordiæ et justitiæ, juxta merita omnibus retribuendis. Primo ergo in creatione hominis, productio potentiæ tenentis rationem principii effectivi, assimilatur homini bonum semen in agro suo seminanti ; secundo gubernatio sapientiæ inducentis rationem medii directivi, assimilatur patrifamilias operarios in vineam conducenti ; tertio consummatio misericordiæ et justitiæ habentis rationem ultimi complementi, assimilatur homini regi

Areop., *de Cæl. Hierarch.*, c. 1, § 3. — ⁵ *Gen.*, 1, 26. — ⁶ *Arist.*, *Physic.*, lib. 11, text. 1.

(a) Cæt. edit. omis. *homini*.

¹ *Philip.*, III, 20-21. — ² Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ³ *Matth.*, XIII, 24. — ⁴ *Dion.*

cum servis suis rationem ponenti. Primo in creatione hominis, productio (a) potentiae tenentis rationem principii effectivi, assimilatur homini seminanti bonum semen in agro suo. Unde dicitur: *Simile est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo: cum autem dormirent homines, venit inimicus homo, et superseminavit zizaniam* (b). Dominus seminavit semen bonum, scilicet machinae mundialis, quando hominem fecit ad imaginem et similitudinem suam; sed *inimicus homo*, id est diabolus, *cum dormirent homines*, scilicet Adam et Eva negligenter agerent in custodia mandatorum Dei, *superseminavit zizaniam* (b), id est, vitia et peccata, ex quibus nascuntur filii irae: et ista expositio est ex verbis Domini. Unde ibidem sequitur¹: *Ad eum accesserunt discipuli ejus dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui respondens, ait: Qui seminavit bonum semen, Filius hominis est. Ager ille est mundus. Bonum vero semen sunt filii regni. Zizania sunt filii nequam: inimicus autem qui seminat ea* (c), *est diabolus.*

Secundo gubernatio regentis sapientiae inducentis rationem medii directivi, assimilatur patrifamilias operarios in vineam conducenti. Unde dicitur²: *Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* Haec parabola comprehendit regnum Dei a principio usque ad finem. Unde dicitur quinque vicibus operarios in vineam suam conduxisse, scilicet mane, hora tertia, sexta, nona, et undecima. Primo ergo misit operarios, quando dedit legem naturae; hora tertia, quando dedit legem scriptam; hora sexta, quando misit prophetas ad docendum populum; hora nona, quando dedit legem novam, mittens apostolos praedicare omni creaturae; hora undecima, quando post apostolos misit praedicatores et doctores, et non cessabit mittere usque in finem.

¹ *Matth.*, XIII, 36. — ² *Ibid.*, XX, 1. — ³ *Ibid.*, XVIII, 23. — ⁴ *Psal.* LXI, 13. — ⁵ *Job*, XL, 15.

Tertio, consummatio misericordiae et justitiae, habentis rationem ultimi complementi, assimilatur homini regi cum servis suis rationem ponenti. Unde dicitur³: *Assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.* In illa enim parabola commendatur divinae misericordiae in dimissione debiti, et opus divinae justitiae in damnatione servi nequam. Unde licet universae viae Domini misericordia et veritas, potissime tamen in consummatione relucebit misericordia in retributione honorum, et justitia in punitione malorum. Et propter hoc propheta David dicit⁴: «Duo haec audivi,» scilicet misericordiam, et justitiam, «quia tu reddes unicuique juxta opera sua.» Nam bonis habentibus meritum gratiae, divina misericordia reddit praemium gloriae; et malis habentibus demeritum culpae, divina justitia reddet supplicium gehennae.

Sequitur: *In agro suo.* Hic exprimitur creatio hominis quantum ad subjectum receptivum in agri designatione. Unde, secundum verbum Domini, per agrum in hoc loco intelligitur mundus, in quo fuit formatus quantum ad corpus de limo, et creatus quantum ad animam de nihilo. Invenimus in sacra Scriptura quod tria agri nomine censentur: videlicet machina mundialis, conscientia mentalis, et patria caelestis. Unde est primo ager mundialis machinae; secundo, mentalis conscientiae; et tertio, caelestis patriae. Ager mundialis machinae est contemnendus propter occasionem erroris et devii; ager mentalis conscientiae est excolendus propter susceptionem seminis Dei; sed ager caelestis patriae est desiderandus propter odorem sive pulchritudinem floris divini.

Primo ager mundialis machinae est contemnendus propter occasionem erroris et devii. Unde dicitur⁵: «Huic (scilicet Behe-

(a) *Cœl. edit.* Primo creatio hominis producentis. — (b) *Vulg.* zizania. — (c) *Cœl. edit. et qui seminat.*

moth) (a) montes herbas ferunt : omnes bestiae ludent ei. » Quia peccatores, propter nimium amorem ad illum agrum mundialem, contemnunt Deum; ideo ex cordibus eorum gignuntur spinosae herbae vitiorum, quibus pascitur et delectatur Behemoth (a), scilicet diabolus : *Omnes bestiae agri*, id est, daemones latitantes in hoc mundo, *ludent ei*, et applaudunt : mentes humanas ad Dei imaginem factas devio erroris ad terrenas affectiones pertrahendo, vanis cogitationibus errore principii ab amore poenitentiae retrahendo, et ad dulcedinem mundani gaudii alliciendo. Unde de Joseph dicitur ¹ : « Invenit eum vir errantem in agro. » Joseph errans in agro, qui interpretatur *appositio* ², potest signare in hoc loco hominem apponentem cor suum ad defluendas delicias mundialis agri, quarum amore alienatur, ut erret a via inquirendi regnum Dei, cum sit gratuitum, liberum, et communissimum. Cor avari adeo errat, quod id, quod est gratuitum, velit facere servile, et quod est liberum, venale, et quod est communissimum, sibi appropriare, et ratione istius erroris et devii, iste ager mundialis machinae est contemnendus, licet propter sustentationem nostrae necessitatis sit eo utendum.

Secundo, ager mentalis conscientiae est excolendus propter susceptionem seminis divini; unde dicitur ³ : « Diligenter exerce agrum tuum, » ne scilicet sterileseat spinis vitiorum. Unde Sapiens dicit ibidem ⁴ : « Per agrum pigri hominis transivi, et per vineam stulti hominis, et ecce totum repleverant urticae; superficiem ejus cooperuerant spinae, maceria lapidum destructa erat : quod cum vidissem, exemplo didici disciplinam. » Per agrum corpus, per vineam anima designatur, quae nisi excolatur per sanctam disciplinam et bonum exercitium, impletur spinis vitiorum et urticis prurientium desi-

deriorum. Sed maceria lapidum destruitur, quando munimenta virtutum deseruntur : quod cum videat sapiens, exemplo didicit, ut expurget ab agro mentalis conscientiae, et totius corporis, vitiorum spinas, per exercitium virtuosae operationis, et urticas prurientium desideriorum per disciplinam continuae commotionis, et impleatur illud ⁵ : « Dabit Deus singulis annis herbas in agro. »

Tertio, ager caelestis patriae est desiderandus propter odorem sive pulchritudinem floris divini; unde in Psalmo ⁶ : « Cognovi omnia volatilia caeli, et pulchritudo agri mecum est. » Ista enim pulchritudo caelestis patriae, quae est in Deo Patre, nihil aliud est quam sensibilem et insensibilem, rationalem et irrationalem humanitatis Christi, Dei unius trinique pulchritudo, quoniam exponit glorificantibus spiritibus contemplanda, quae nomine volatilium caeli designantur, eo quod pennis contemplationis elevantur usque ad continuam Trinitatis existentiam : ex illa agri pulchritudine tantus odor fragrat penetrans usque ad interiora medullarum, ut totam caelestem curiam inebriet. Hunc odorem sentiens sanctus Isaac (b), spiritu prophetico dixit ⁷ : « Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni. » Vere Christus fuit ager plenus floribus virtutum, scilicet rosis donorum, et liliis charismatum Spiritus sancti, suavium consolationum. Cujus odorem sentiens aliquantulum anima contemplativa, dicit ⁸ : « Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum. »

Tertio, exprimitur creatio hominis quantum ad actum intermedium in boni seminis jactatione, cum dicit : *Seminavit bonum semen*, appropriative loquendo. Primo potentia creans in agro mundialis machinae seminavit spirituales actus, corporales substantias, dando substratum (c) esse naturae. Secundo sapientia gubernans in agro mentalis conscientiae, seminavit caelestes influentias,

¹ Gen., xxxv, 15. — ² Ab hebr. יסוף, *iasaph*, Adjunxit. — ³ Prov., xxiv, 27. — ⁴ Ibid., 30-32. — ⁵ Zach., x, 1. — ⁶ Psal. xlix, 11. — ⁷ Gen., xxvii, 27. — ⁸ Cant., vii, 11.

(a) Cat. edit. vehemoth, et sic deinceps. — (b) Jacob. — (c) Substratum.

dando perfectum esse gratiæ. Tertio bonitas consummans in agro cœlestis patriæ seminavit sempiternas refulgentias, dando completum esse gloriæ.

Primo ergo potentia creans in agro mundialis machinæ seminavit spirituales actus, corporales substantias, dando esse substratum (a) naturæ; unde dicitur¹: «Ego te plantavi, vinea mea electa, et omne verum semen,» etc. *Vinea* ista plantata a Deo omnipotenti est mundus, et *semen* ejus *verum* est homo, qui ratione imaginis et similitudinis dispositus est ad modum seminis, mediante stillicidio cœlestis influentiæ, in vigorem gratiæ pullulare, et crescere in messem gloriæ. Scilicet (b) inimicus homo, id est, diabolus aliquando supplantat falsum semen, id est, vitia et peccata, ad suffocandum verum semen, ne prorumpat in germen gratiæ. Et hoc est quod dicitur infra in Evangelio²: *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizaniam? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit.*

Secundo, sapientia gubernans in agro mentalis conscientiæ seminavit cœlestes influentias, dando perfectum esse gratiæ; unde dicitur³: «Seminabo eam in terram, et miserebor ejus quæ (c) fuit sine misericordia.» Tunc Deus miseretur animæ peccanti, quando exstirpat ex ea omnes spinas vitiorum, ut seminet in ea, velut in terra electa, semen verbum (d) Dei pullulantis in germen gratiæ, atque crescentis in messem gloriæ. Et propter hoc dicit Dominus⁴, quod scilicet «semen seminatum in terram bonam, hic qui audit verbum Dei, et intelligit, et fructum affert.» Verbum Dei seminatur in terram bonam, quod auditur cum reverentia, et intelligitur cum executione effectus, quia tunc devota anima, ad modum terræ bonæ seminatæ, affert fructum gra-

tiæ, quando quod intelligit, opere implet.

Tertio bonitas consummans in agro cœlestis patriæ seminavit sempiternas refulgentias, dando completum esse gloriæ; unde dicitur⁵: «Isti sunt semen, cui benedixit Dominus. Gaudens gaudebo in Domino, et exultavit anima mea in Deo meo, quia induit me Dominus vestimento salutis.» Isti sunt semen sempiternalis refulgentiæ, exultantes a facie claritatis Dei, cui benedixit Dominus benedictione gloriæ. Ex illa enim immediata visione faciei Dei, tanto desiderio amoris rapitur anima glorificata, ut dum gaudens gaudeat gaudio magno exterius, quantum ad aspectum humanitatis Christi, exultet in Deo interiorius quantum ad aspectum divinitatis, (e) ex qua quidem visione induitur vestimento salutis. Quod nobis, etc.

SERMO II (f) ⁶.

*Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminat bonum semen*⁷. In præsentis Evangelio declaratur nobis divinum beneficium, diabolicum maleficium, humanum exercitium, angelicum officium. Primum ostenditur non solum in seminando semen bonum, scilicet filios regni; sed in tollendo semen malum, id est filios nequam, inter bonos. Unde noluit Deus evelli zizaniam propter maximam bonitatem suam. Malos enim Dominus in hoc mundo tolerat propter quatuor causas, videlicet: propter eorum correctionem⁸: «Domine, dimitte illam et hoc anno,» etc. Et hic zizania non tolluntur, quia, ut ait Glossa, forsitan triticum futurum sunt. O quot mali jam hic sunt, qui si modo tollerentur, damnarentur, qui forsitan cito boni erunt, et salvabuntur! Item propter bonorum exercitationem⁹: «Non delebo gentes quas dimisit Josue, ut in ipsis experiar Israel.» Gregorius¹⁰: «Abel esse renuit, quem Cain malitia non exer-

Malos
cur Do-
minus
toleret in
hoc
mundo.

¹ *Jerem.*, II, 21. — ² *Matth.*, XIII, 27-28. — ³ *Ose.*, II, 23. — ⁴ *Matth.*, XIII, 23. — ⁵ *Isa.*, LXI, 9, 10. — ⁶ Hunc et duos sequentes habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁷ *Matth.*, XIII, 24. — ⁸ *Luc.*, XIII, 8. — ⁹ *Judic.*, II, 21. — ¹⁰ Greg.

(a) *Cæt. edit.* substratum. — (b) *Leg. Sed.* — (c) *Cæt. edit.* qui. — (d) *Leg. verbi.* — (e) *Cæt. edit. add. et.* — (f) *Cæt. edit.* Dominica quarta post Epiph. sermo II.

cet. » Augustinus ¹ : « Omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur, aut ut per eum bonus exerceatur. » Item propter bonorum associationem; unde Sodomitis pepercisset Dominus propter paucos bonos eis associatos ² : « Non delebo propter decem. » Item propter malorum punitionem, ut mali per malos affligantur ³ : « Si volueritis harum gentium erroribus adherere, jam tunc scitote quod Dominus Deus vester non eas debeat ante faciem vestram, sed vobis erunt in foveam ac laqueum, et offendiculum. »

Secundum ostenditur ibi ⁴ : *Cum dormirent homines, venit inimicus ejus, et seminavit zizaniam (a) in medio tritici. Inimicus (Dei) est diabolus.* Sed attende quid, quando, ubi seminat. Quid certe, nisi zizaniam? Quod Dominus exponens ait ⁵ : « Zizania hi sunt filii nequam. » Hi sunt adulteri, raptores, usurarii, et alii perversi, semen diaboli. ⁶ « Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, » etc. Item quando? certe *cum dormirent homines*, id est, praelati vel alii homines, qui dormiunt per torporem, et negligentiam, et otium. Unde ei, cujus agrum urticæ et spinæ repleverant, dicitur ⁷ : « Usquequo, piger, dormis? » etc. Et quid tibi posset facere diabolus, si non dormires? Item ubi? certe in medio tritici. Diabolus enim semper querit malos intermiscere bonis, ut scandalo sint eis, ut suffocetur triticum, id est, boni, sicut hic ostenditur. Unde ⁸ : « Mixtum erat semen sanctum alienigenis gentibus terræ. » Vel ut triticum destruat, creverunt; unde dicitur ⁹, quod per vulpes cremantur Philistinorum segetes. Vulpes significant fraudulentos et perversos homines. Vere segetes beati homines, qui licet in igne malitiae perversorum tanguntur, tamen non læduntur. Bernardus ¹⁰ : « Bonum esse inter malos, tantæ virtutis

est, quantæ et difficultatis : » quale enim est illud, tangere picem, et non inquinari, in igne sine læsione versari!

Tertium ostenditur ibi ¹¹ : *Simile utraque crescere, etc.* Hoc enim exercitium humanum, ut mali in malo, boni in bono crescant ¹² : « Qui in sordibus est, sordescat adhuc; et qui justus est, justificetur adhuc. » Utraque ergo crescunt : luxuriosi, superbi, casti, humiles; et sic de aliis justis et injustis : utraque in una domo, in mensa, in via, in Ecclesia simul sunt usque ad messem consummationis : sicut bonis ad gloriam, sic malis ad pœnam proficit. Gregorius ¹³ : « Sicut gravioris est culpæ inter bonos bonum non esse; ita immensi est præconii, et inter malos bonum extitisse. » Utraque ergo sinuntur simul esse tripliciter, videlicet : sicut semina bona, et mala in agro; sicut vasa munda, et immunda in domo ¹⁴ : « In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea; sed et lignea, et fictilia, et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam, » etc. Boni enim sunt pro vino gratiæ Dei; mali autem vasa, pro sterquilinio diaboli. Item sicut pisces boni, et mali in sagena ¹⁵ : « Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti, quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos, » etc. Boni pisces reficiunt, mali vero inficiunt.

Quartum ostenditur ibi ¹⁶ : *Colligite primum zizaniam (a), etc.* Angelicum officium ostenditur in tribus : in colligendo, in alligando, in congregando. Colliguntur enim perversi per separationem a bonis; alligantur per conjunctionem in pœnis; congregantur autem boni per unionem in gaudiis. O quam lætanter totam messem congregabunt, qui tam lætanter unum granum, unam animam colligunt! Unde de Lazaro Joan-

¹ Aug., Enarr. in Psal. LIV, n. 4. — ² Gen., XVIII, 31. — ³ Jos., XXIII, 13. — ⁴ Matth., XIII, 25, 39. — ⁵ Ibid., 38. — ⁶ Isa., I, 4. — ⁷ Prov., VI, 9. — ⁸ III Esdr., VIII, 71, inter apocrypha Bibl. — ⁹ Judic., XV, 5. — ¹⁰ Bern., in Cont., serm. XLVIII, n. 2. —

¹¹ Matth., XIII, 30. — ¹² Apoc., XXII, 11. — ¹³ Greg., Moral., lib. I, c. 1. — ¹⁴ II Tim., II, 20. — ¹⁵ Matth., XIII, 47-48. — ¹⁶ Ibid., 30.

(a) Vulg. *zizania*.

nes Chrysostomus ¹ : « Suffecerat ad portandum pauperem unus angelus; sed propterea plures venerunt, ut chorum lætitiæ faciant. »

SERMO III (a).

Triticum autem congregare in horreum meum ². Considerare debemus quadruplicem congregationem, videlicet: credentium in mundo, gementium in inferno, frementium in cœlo, resurgentium in iudicio.

De primo ³ : « Levabit Dominus signum, et congregabit profugos Israel, et dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ. » *Signum* illud vexillum est, sub quo dux noster Jesus Christus milites suos congregat contra hostes malignos, qui nos armis vitiorum impugnant, præcipue sagittis igneis malorum cogitationum ⁴ : « In omnibus sumentibus scutum fidei, » etc. *Profugi* sunt peccatores, dum avertuntur a Deo, dum fugiunt bonum; *dispersi*, dum convertuntur a malis. Per tot autem loca sunt dispersi, per quod vitia sunt distracti ⁵ : « Dispersus est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas, » id est, vanitates. Augustinus ⁶ : « Dulcedo felix et secunda colligere me a dispersione, in qua frustatim discerpsum : ab uno enim divisus, in multa evanui. » *Quatuor plagæ* sunt quatuor ætates terrenorum. De plaga orientali veniunt, qui in pueritia convertuntur; de australi seu meridionali, quæ fervida est, qui in fervore juventutis Domino servire incipiunt, et ad Dominum se convertunt; de occidentali vero, qui in senectute, per quam ad occasum tendunt; de aquilonari vero, qui semper frigidi, in extrema tamen hora convertuntur, sicut latro in cruce. Propter hoc bene dicitur ⁷ : « Congregabo vos de universis terris. »

De secundo ⁸ : « Congregabuntur in con-

¹ Chrysost., de Lazaro, conc. II, n. 2. — ² Matth., XIII, 30. — ³ Isa., XI, 12. — ⁴ Ephes., VI, 16. — ⁵ Exod., V, 12. — ⁶ Aug., Conf., lib. X, c. XL, n. 65, quoad sensum. — ⁷ Ezech., XXXVI, 24. — ⁸ Isa., XXIV, 22. — ⁹ Matth., XIII, 30. — ¹⁰ Greg., Moral., lib. IX,

gregatione unius fascis in lacum, et clauduntur ibi in carcere. » Væ eis, qui in carcerem inferni veniunt. Unius autem fascis erit malorum congregatio, quia unius damnationis vinculo, a quo impossibile est fugere, omnes ligabuntur. In inferno enim per speciales fasciculos ligabuntur pariter in pœnis, qui pares fuerint in culpis. Unde in Evangelio dicitur ⁹ : *Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum*. Gregorius ¹⁰ : « Sicut in domo Patris (b) mansiones multæ sunt pro diversitate meriti, sic damnatos pro diverso supplicio gehennæ ignibus subjicit disparilitas criminis. »

De tertio ¹¹ : « Ubi cumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ. » Sancti sunt in cœlo, quia sicut aquila irreverberatis oculis solem videt in rota, ita sancti faciem Dei in cœlo, quæ eis abscondita est in hoc exilio ¹² : « Scient quia ego Dominus Deus eorum, quia congregavi eos ad terram suam, et non abscondam ultra faciem meam ab eis. » Alæ autem istarum aquilarum, sine quibus ad cœlum volare non possunt, sunt amor Dei et proximi : has alas qui habuerit, neque Deum, neque proximum indebite offendit. In uno (c) diabolus evadit ¹³ : « Datae sunt mulieri duæ alæ, » etc. In secundo (d), in Deum volabit pennis pulchritudinis et integritudinis, quibus ad Dei amplexus amor castus innitatur.

De quarto ¹⁴ : « Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, » etc. Cuncti describuntur hic iudicandi, cum dicitur : *Omnes gentes*. Si omnes, ergo usurarius, et raptor, et fornicator, etc. Item locus, dum dicitur : *In valle Josaphat*. Ibi enim in valle erunt, qui vallem vitiorum amaverunt. Item iudex, cum Dominus dicit : *Disceptabo*, non populus, non angelus, sed

c. XXXIX, al. LXV, n. 98. — ¹¹ Matth., XXIV, 28. — ¹² Ezech., XXXIX, 29. — ¹³ Apoc., XII, 14. — ¹⁴ Joel., III, 2.

(a) Cat. edit. Dominica quarta post Epiph., sermo III. — (b) Cat. edit. add. mei. — (c) Forte legendum una. — (d) Item altera.

ego *disceptabo*. Item causa, cum dicitur, quod hæreditatem Domini *disperserunt*, id est, animas. Horrendum est, quod in tanta congregatione turpitudine peccatorum tuorum omnibus denudabitur. ¹ « Congregabo eos super te undique, et nudabo turpitudinem tuam in iudiciis. » Adulteri primi congregabuntur, sicut pisces a piscatore ² : « Ex omni genere piscium congreganti, » etc. Secundi, sicut metallum a conflatore ³ : « Ecce ego congregabo vos congregatione argenti, et æris, et ferri, et stanni, et plumbi in fornace, » etc. Tertii, sicut triticum ab agricullore ; unde hoc dicitur : *Triticum autem congregate in horreum meum*. Quando enim Dominus flagellat, tunc triticum suum triturat. Quarti, sicut pecora a pastore ⁴ : « Congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem sicut pastor, » etc. Cum mane pastor inflat cornu, pecora de domibus congregantur : sic et in tuba novissima mortui de quolibet cœneterio, vel de quolibet hominum statu congregabuntur.

SERMO IV.

Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo ⁵? Bonum semen boni homines sunt : hi sunt filii regis (a). Seminatur autem Dominus hic semen quadrupliciter : videlicet in natura, in gratia, in gloria, in miseria. Seminatur, inquam, in generatione, in justificatione, in resurrectione duplici, altera ad gloriam, altera ad miseriam.

De primo ⁶ : « Tres isti sunt filii Noe, et ab eis disseminatum est omne genus hominum super universam terram. » Hoc semen est mane florens in juventute ⁷ : « Mane semen tuum florebit ; sed vespere perit in morte. Psalmista ⁸ : « Mane floreat et transeat ; vespere decidat, induret et arescat, » etc. Sicut autem a tribus disseminata sunt corpora, sic etiam a tribus, scilicet a Patre,

¹ *Ezech.*, XVI, 37. — ² *Matth.*, XIII, 47. — ³ *Ezech.*, XXIII, 22. — ⁴ *Matth.*, XXV, 32. — ⁵ *Ibid.*, XIII, 27. — ⁶ *Gen.*, IX, 19. — ⁷ *Isa.*, XLV, 11. — ⁸ *Psal.*, LXXXIX, 6. — ⁹ *IV Reg.*, XI, 1. — ¹⁰ *Isa.*, LXI, 9. — ¹¹ *Matth.*,

et Filio, et Spiritu sancto, disseminatæ sunt singulæ animæ in singulis corporibus. Sicut autem seminatur non uno jactu totum semen effundit, sed sæpe de mane usque ad vesperam spargit ; sic Creator non omnes animas simul creavit, sed a principio mundi usque ad finem creando, seminatur in corporibus. Sed, heu ! frequenter hoc semen vitii suffocatur. Unde dicitur ⁹, quod « Athalia interfecit omne semen regium, » id est animas a summo Rege creatas, et regali imagine nobilitatas. Athalia, propter fastum dominandi, significat superbiam ; propter interfectionem prolis regalis, superbiam (b) ; propter lasciviam suam, gulam (c).

De secundo ¹⁰ : « Isti sunt semen, cui benedixit Deus. » De hoc semine expone præsens Evangelium, sicut exponit Dominus ¹¹ : *Qui seminatur bonum semen, Filius Dei (d) est*. Ager (e) mundus est ; bonum semen, filii regni ; zizania, filii nequam ; qui seminatur zizania, diabolus ; messis, consummatio sæculi ; messorum, angeli. Multum premit diabolus bonum semen semine suo pessimo. Unde illud ¹² : « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius. » Moraliter ista mulier est Ecclesia, de latere Adæ dormientis, id est Christi morientis formata. Hujus semen sunt omnes justii. Semen autem diaboli sunt perversi, qui justis inimicantur, dum eis ad culpam sive pœnam insidiantur : sed ex his inimicitii justorum præmia augmentantur, dum culpam odiunt, et pœnam inferentem diligunt. Joannes Chrysostomus ¹³ : « Hic est pugna periculosa, et hic est victoria gloriosa : qui poterit odire quod amat, et amare quod odit. »

De tertio ¹⁴ : « Seminabo domum Israel et domum Juda semine hominum et semine jumentorum. » *Domus Israel est domus cœlestis, in qua Deus videtur* : Israel enim in-

XIII, 37. — ¹² *Gen.*, III, 15. — ¹³ Chrysost. — ¹⁴ *Jerem.*, XXXI, 27.

(a) Forte legendum regni. — (b) Leg. invidiam vel iracundiam. — (c) Item luxuriam. — (d) Vulg. hominis. — (e) Cæt. edit. Aser.

terpretatur *videns Deum*. ¹ « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » Ista domus seminatur semine animarum evolutum ²: « Anima ejus in bonis demorabitur, et semen ejus hæreditabit terram, » scilicet viventium. *Domus Juda* est Ecclesia militans propter confessionem: Judas enim *confessio* interpretatur. ³ « Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. » *Homines* autem sunt contemplativi, viri perfecti, vel illuminati, seu litterati. *Jumenta* vero sunt activi, vel imperfecti, vel subditi, vel laici. Talium enim semine utraque domus seminatur, quia utraque ad Ecclesiam pertinet. Psalmista ⁴: « Homines et jumenta salvabis, Domine. » Vel forte *semen hominum* ad domum Israel, *semen jumentorum* ad domum Juda pertinet, quia in cælo omnes homines, in terra autem et mundo sumus quasi jumenta ⁵: « Ut jumentum factus sum apud te. » Seminamur hic in valle miseriæ; seminabimur ibi in monte gloriæ ⁶: « Educam de Jacob semen, et de Juda possidentem montes meos. » *Montes* sunt ordines angelorum.

De quarto ⁷: « Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria, » etc. Illustratum enim quatuor dotibus surget triticum in gloria. *Zizania* in ignominia manebit æterna. ⁸ « Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, » quoad beatos; « et sicut arenam maris, » quoad damnatos, vel malos, qui in mari inferni mergentur. Tunc ergo flore- bunt semina corporum æternaliter eorum, qui nunc florere nolunt temporaliter; qui autem nunc quærunt florere in mundo, non flore- bunt æternaliter in cælo. Beda ⁹: « Ne indignemini, si mali in mundo florent, si vos patimini: quia non est christianæ digni- tatis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali nihil habent in cælo, vos ni-

hil in mundo; sed spe illius boni, ad quod tenditis, quidquid in via contingat, gaudere debetis. »

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

SERMO PRIMUS ¹⁰.

Voca operarios, et redde illis mercedem suam ¹¹. Quia de beneplacito divinæ voluntatis Dominus Jesus, immunis ab omni peccato, voluit tanquam reus a peccatoribus judicari, ideo constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. Ad cujus officium exequendum dicitur sibi a Deo Patre bene propositum verbum, scilicet: *Voca operarios*: et quoniam ¹² « nullus coronabitur, nisi qui legitime certaverit, » et nullus potest meritorie certare, nisi divina misericordia vocetur ad bellum spirituale; ideo in verbo proposito valde eleganter et ordinate proceditur. Nam in verbo proposito, primo notatur divina dignatio sollicitæ vocationis; secundo, humana fatigatio meritoriæ operationis; tertio, perfecta remuneratio divinæ visionis. Primo notatur divina dignatio sollicitæ vocationis, cum dicit: *Voca*; secundo, humana fatigatio meritoriæ operationis, cum subdit: *Operarios*; tertio, perfecta remuneratio divinæ visionis, cum subinfert: *Redde illis mercedem suam*. Ista merces nihil aliud est quam visio divina, quæ operariis redditur, non donatur, quia, secundum Apostolum ¹³, ejus, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, » licet ista remuneratio sit citra condignum. Scilicet in sero, et non in mane, redditur ista merces, quia in fine operis, non in principio, operarios consequitur remuneratio.

Primo ergo in verbo proposito notatur divina dignatio in sollicita vocatione, cum dicit: *Voca*. Vocat enim Dominus tria genera hominum, ad quæ omnia alia habent re-

¹ *Matth.*, v, 8. — ² *Psal.* xxiv, 13. — ³ *1 Joan.*, 1, 9. — ⁴ *Psal.* xxxv, 7. — ⁵ *Psal.* lxxii, 23. — ⁶ *Isa.*, lxxv, 9. — ⁷ *1 Cor.*, xv, 42-43. — ⁸ *Gen.*, xvii, 17. —

⁹ Bed., in *Psal.* xxxvi, quoad sensum, et alias passim. — ¹⁰ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ¹¹ *Matth.*, xx, 8. — ¹² *1 Tim.*, ii, 5. — ¹³ *Rom.*, iv, 4.

duci. Nam primo vocat aversos ad amaritudinem pœnitentiæ, in necessaria detestatione vitiorum; secundo vocat conversos ad rectitudinem justitiæ, in obligatoria impletione mandatorum; tertio vocat perfectos ad perfectionem vitæ, in voluntaria supererogatione consiliorum.

Primo enim vocat aversos ad amaritudinem pœnitentiæ in necessaria detestatione vitiorum; unde Isaias ¹: « Vocabit Dominus in die illa ad fletum et planctum, ad calveium et ad cingulum sacci. » Vocat enim Dominus peccatores ad fletum et planctum lacrymosæ contritionis, et calveium mundantis confessionis, et cingulum luxuriæ aretationis: ut sic ruinam peccatorum deploremus per contritionem, sorditatem vitiorum lavemus per confessionem, et carnalem luxuriam per cingulum continentiae coarctemus. Sed quia de interioribus ad exteriora egressi sumus, de superioribus ad inferiora descendimus, et pro Creatore creaturam dileximus: ideo noluit nos tantum vocare per sanctos prophetas, imo venit personaliter ad nos vocandum de interioribus ad exteriora, ut nos ad interiora revocaret; descendit de superioribus ad inferiora, ut nos ad superiora traheret, sive elevaret; ulterius ipse Creator assumpsit creaturam, ut nos ab amore creaturæ retraheret, et ad amorem Dei provocaret. Unde ipse Dominus dicit ²: « Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. » Unde, charissimi, nos sumus incuriales et ingrati, si non volumus ejus justitiam formidare, saltem ejus charitati vicem rependamus, et eum usque ad palatium cœlestis patriæ, a quo pro nobis descendit, associemus.

Secundo vocat conversos ad rectitudinem justitiæ in obligatoria impletione præceptorum, unde dicitur ³: « Ego Dominus vocavi te in justitia, et apprehendi manum tuam, et servavi te. » Deus enim vocat homines in

justitia, quando imponit præcepta observanda: sed quia tanta est humana miseria, quod nisi (a) omnia opera humanæ justitiæ divina misericordia aspirando præveniat et adjuvando prosequatur, sunt (b) velut pannus mulieris menstruata; ideo sequitur: « Apprehendi manum tuam et servavi te, » quasi dicat: Ego Dominus vocavi te imponendo præcepta ad servandum, et apprehendi manum tuam, id est tua incœpta opera justitiæ, quæ nomine manus intelliguntur, præveni aspirando, et servavi te, adimplendo mea præcepta. Et propter hoc bene dicebat beatus Job ⁴: « Vocabis me, et ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram. » Quasi dicat: Vocabis me, præceptum obedientiæ mihi imponendo, et ego respondebo tibi, ea opere adimplendo. Operi manuum tuarum porriges dexteram, me adjuvando in perseverando. Unde Augustinus ⁵: « Da quod præcipis, jube quod vis. »

Tertio vocat perfectos ad perfectionem vitæ in voluntaria supererogatione consiliorum; unde dicitur ⁶: « Vidit duos fratres, Jacobum Zebedæi et Joannem fratrem, in navi cum Zebedæo patre eorum reficientes retia sua, et vocavit eos: at illi continuo, relictis retibus et patre, secuti sunt eum. » Dominus noster Jesus Christus vocavit eos ut terrena contemnerent, et etiam affectum carnalem postponerent, quia volenti sequi Christum, id est, apicem perfectionis evangelicæ, necesse est deponere exitialem concupiscentiam terrenorum, et deponere carnalem demulcentiam consanguineorum: et hoc est quod dicitur in prædicto verbo: *Relictis retibus et patre, secuti sunt eum.* Quomodo autem totaliter debemus ire post Christum, dicit Chrysostomus super illud *Matthæi* ⁷. Tria sunt quæ generaliter relinquere debet qui vult ire ad Christum, scilicet actus corporales, qui per retia; substantiam mundialem, quæ per navem; parentes et consanguineos, qui per patrem intelliguntur.

(a) *Cæt. edit. non.* — (b) *Item tunc.*

¹ *Isa.*, xxii, 12. — ² *Luc.*, v, 32. — ³ *Isa.*, xlii, 6. — ⁴ *Job*, xiv, 15. — ⁵ *Aug.*, *Conf.*, lib. X, c. xxix, n. 40. — ⁶ *Matth.*, iv, 18. — ⁷ *Chrysost.*, in *Matth.*, hom. xi, n. 2.

Sequitur : *Operarios* : ubi notatur humana fatigatio in meritoria operatione. Illa operatio humana est meritoria, quæ est, primo in acquisitione cœlestis gratiæ, decorantis proprium subjectum; secundo in multiplicatione ferventis (a) justitiæ, (b) acquirentis summum bonum; tertio in promulgatione legis divinæ, docentis ignarum proximum.

Primo, illa est meritoria operatio, quæ est in acquisitione cœlestis gratiæ, decorantis proprium subjectum. ¹ « Qui operatur terram suam, satiabitur panibus; qui autem sectatur otium, stultissimus est. » *Qui operatur terram suam*, id est propriæ conscientiæ, evellendo ex ea spinas peccatorum, per exterminium confessionis, *satiabitur panibus* septiformis gratiæ Dei habentis ² « omne delectamentum et omnis saporis suavitatem. » *Qui autem sectatur otium* dimittendo terram conscientiæ sterilescere malis radicibus vitiolorum, *stultissimus est*. Multum enim deberet quisque excolere et operari terram propriæ conscientiæ, ut saltem gustaret quam dulces fructus sunt isti panes septiformis gratiæ Dei.

Secundo, illa est meritoria operatio, quæ est in multiplicatione ferventis (a) justitiæ, acquirentis summum bonum. Unde dicitur ³: « Potens autem est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis (c), ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. » Quia incrementa justitiæ, et ejus inchoatio spectat (d) ad divinam misericordiam, sed ejus cooperatio justitiæ humanæ: ex parte divinæ gratiæ habet inchoari et augeri, sed ex parte liberi arbitrii industriæ habet coadjuvari, eo quod ⁴ « coadjutores (e) Dei sumus. » Ideo Apostolus, hortans omnem Christianum ad perficiendum in via justitiæ, dicit: *Potens est autem Deus gratiam abundare facere in vobis (c)*, ut notificet quod incrementum gra-

tiæ et justitiæ est ex parte Dei. *In omnibus enim sufficientiam*, quæ ad salutem pertinet, *habentes, abundetis in opus bonum*, cooperante divina gratia. Et propter hoc dicitur ⁵: « Omne opus electum justificabitur; et qui operatur illud, honorabitur in illo. » Eligitur opus quantum ad liberi arbitrii industriam; sed *justificabitur* per acceptionem divinæ familiaritatis.

Tertio, est illa operatio meritoria, quæ est in promulgatione legis divinæ, docentis ignarum proximum; unde dicitur ⁶: « Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ; » quia melius persuadet vita quam lingua, exemplo quam dicto. Ideo cuilibet volenti alium docere, opus refellere diaboli, astutiam suppeditare, carnis concupiscentiam et mundi avaritiam, sed (f) quod dicit Apostolus: *Tu vero vigila*, contra fraudulentiam diaboli; *In omnibus labora*, contra carnis lasciviam; *Opus fac evangelistæ*, contra mundi avaritiam, ut quod ore prædicas, opere compleas. Evangelium enim prædicat omnia relinquenda esse: insistamus ergo isti labori promulgandæ legis, exemplo beati Pauli ⁷: « Annuntiabam, ut pœnitentiam agerent et converterentur ad Deum, digna opera facientes. » Non solum debemus insistere labori promulgandæ legis veritatis, sed etiam cognoscendæ: eo quod pluris meriti est exercitatio spiritualis, quam corporalis, maxime si ad hoc studet, ut alios illuminet. Unde Ambrosius ⁸: « Otiosus non est, qui verbo Dei studet; nec pluris meriti est qui laborem extra, quam qui laborem divinæ veritatis cognoscendæ exercet intra. »

Tertio notatur in verbo proposito perfecta remuneratio in divina visione, cum dicit: *Redde illis*. Et hoc nihil aliud est, quam visio divina, quæ reddetur unicuique juxta bona opera sua. Nam primo vocatis ad amaritudinem pœnitentiæ, cum operatio fuerit in acquisitione cœlestis gratiæ, reddetur

¹ Prov., XII, 11. — ² Sap., XVI, 20. — ³ II Cor., IX, 8. — ⁴ I Cor., III, 9. — ⁵ Eccli., XIV, 21. — ⁶ II Tim., IV, 5. — ⁷ Act., XXVI, 20. — ⁸ Ambros., in Luc., lib. VII, n. 55, quoad sensum.

(a) *Cæt. edit.* divinitatis. — (b) *Cæt. edit. add.* et. — (c) *Cæt. edit.* nobis. — (d) *Leg. spectant.* — (e) *Vulg.* adjuvatores. — (f) *Leg.* faciendum.

merces deliciosa ad fruendum, propter affluentiam dulcedinis. Secundo vocatis ad recitandam justitiæ, cum operatio fuerit in multiplicatione ferventis justitiæ, reddetur merces copiosa ad ditandum et honorandum, propter excellentiam magnitudinis. Tertio vocatis ad perfectionem vitæ, cum operatio fuerit in promulgatione legis divinæ, reddetur merces speciosa ad intuendum, propter refulgentiam pulchritudinis. Et sic ista merces est perfecta, et nulla alia, eo quod perfecte dulcorat gustum, perfecte ditat et honorat proprium subjectum, et perfecte delectat visum.

Primo illa merces erit deliciosa ad fruendum propter affluentiam dulcedinis; unde dicitur in Psalmo ¹: « Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris. » Christus est fructus uteri virginalis, datus in perpetuam hæreditatem et mercedem deliciosam dilectis filiis Dei post istam vitam. Ista merces satiat appetitum animæ, quia intime et per existentiam (a) ei illabitur; delectat etiam ratione convenientiæ, quia delectatio est convenientis cum convenienti conjunctio, et anima nulli melius convenit quam illi, ad ejus imaginem et similitudinem formata est.

Secundo ista merces erit copiosa ad ditandum propter excellentiam magnitudinis; unde dicitur ²: « Gaudete et exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis. » *Gaudete*, inquit, interius in anima, et *exultate* exterius in verbo et facto: nullus sit locus ingratiitudinis vel timoris, quia merces vestra copiosa est in cælis. Dicitur ista merces copiosa, quia replet totam animam ratione suæ sufficientiæ, et quia excedit suam capacitatem ratione infinitatis et abundantiam, et adeptus ipsius mercedis evacuat omnem timorem. Ideo dicitur Abraham ³: « Noli timere, Abraham, quia ego merces tua magna nimis. »

Tertio ista merces speciosa est ad intuendum, propter refulgentiam pulchritudinis; unde dicitur ⁴: « Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio eorum apud Altissimum; ideo accipient regnum decoris et diadema de manu Domini. » Sapientia enim æterna justis (b) in perpetuum regnantibus proponet illas rationes æternas omnium ad contemplandum in regno suo tanquam in speculo pulcherrime. In hac contemplatione, sive visione, est tota merces, quæ tanto desiderio sui rapit animas bonas, ut *cogitatio eorum* semper sit *apud Altissimum*, quia etiam in continua laude (c) sunt et glorificatione, resolvendo (d) in primum principium quæcumque bona habent. Unde omne illud quod continue accipiunt, in eum resolvunt (e), qui solus potest glorificare, quia tanto anima justis mercedi est propinquior, quanto illa quæ accipit, suo principio tribuit, etc.

SERMO II ⁵.

Ite et vos in vineam meam ⁶. Charissimi, laboremus in vinea, et mereamur denarium gloriæ. Quadruplex autem est vinea in qua laborandum est, videlicet Ecclesiæ, conscientiæ, sapientiæ, pœnitentiæ.

De prima (f) ⁷: « Vineam enim Domini exercituum domus Israel est. » Et dicitur ⁸, quod « Noe plantavit vineam, » id est, Christus Ecclesiam. De cujus vinea, id est ferventi amore, inebriatus, nudatus est in cruce. Ad hanc vineam si non venisti hora prima, venias saltem tertia. Si non venisti tertia, venias sexta; si non sexta, venias nona; venias, miser senex, undecima. Gregorius ⁹: « Ad (g) bonam vitam alius in pueritia, alius in adolescentia, alius in juventute, alius in senectute, alius in decrepita ætate perducitur, quia (h) diversis horis operarii ad vineam

v, 7. — ⁸ Gen., ix, 20. — ⁹ Greg., in *Evang.*, hom. xiv, n. 2.

¹ Psal. cxxvi, 3. — ² Matth., v, 12. — ³ Gen., xv, 1. — ⁴ Sap., v, 1. — ⁵ Hunc et duos sequentes habet edit. Paris. an. 1521. — ⁶ Matth., xx, 7. — ⁷ Isa.,

(a) Forte legendum substantiam. — (b) Cæt. edit. justitia. — (c) Item incontinuae laudes. — (d) Forte leg. revolvendi. — (e) Item revolvunt. — (f) Cæt. edit. primo. (g) Apud Greg. edit. Bened. Quia ad. — (h) Item quasi.

vocantur. » De hac vinea fructum fidei, et amoris, et justitiæ reddere debet homo; alioqui per damnationem ejicietur, et alius assumetur. ¹ « Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddat ei fructum temporibus suis. » Sed alius habebit fructum, alius habebit denarium, imo coronam. ² « Tene quod habes, » etc.

De secunda (a) ³: « Vineam coram me est, » id est conscientia, quæ intra me est. In hac multi pro vino compunctionis, et amoris Dei et proximi, habent urticam ardentium et carnalium desideriorum, et spinas pungentium amaritudinum et odiorum. ⁴ « Per agrum pigri hominis transivi, et per vineam stulti viri, et ecce totum repleverant urticæ et spinæ. » Ager est cor nostrum, dum profert fructum bonæ operationis exterioris; vinea vero, dum profert vinum devotionis et compunctionis. Psalmista ⁵: « Potasti nos vino compunctionis. » Quicumque ergo vult habere denarium vitæ æternæ, videat diligenter, an sit operarius dominicæ vineæ. Gregorius ⁶: « Penset unusquisque quid agat, et consideret an in Dei vinea laboret. »

De tertia, (b) vinea pœnitentiæ vel religionis, Psalmista ⁷: « Vineam de Ægypto transtulisti, » id est, religionem de sæculo. « Ejecisti gentes, » id est spiritualiter incircumcisos: nam qui a vitibus circumcidi non vult, in vinea religionis esse non debet. ⁸ « Si quis peregrinorum in vestram transire voluerit coloniam, » id est religionem, « et facere phase Domini, circumcidetur prius. » Sed, heu! Achab, id est diabolus, dicit tibi ⁹: « Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum. » Olera pro vitibus, carnales pro spiritualibus quærit diabolus. Sed brevis est eorum voluptas et vita. Psalmista ¹⁰: « Quemadmodum olera herbarum, cito decident. » Gregorius ¹¹: « Unde ad tem-

pus caro suaviter vivit, inde spiritus in æternum dolebit (c). »

De quarta vinea, scilicet sapientiæ, quæ est sancta Scriptura ¹²: « Erunt ubera tua sicut botrus vineæ. » Christus commendat suam sponsam Ecclesiam, cujus sunt duo ubera: duo botri, duo sunt Testamenta. In uberibus lac simplicis doctrinæ quoad imperfectos continetur ¹³: « Tamquam parvulis in Christo lac potum dedi vobis, » etc. In botris vinum sublimioris doctrinæ quoad perfectos ¹⁴: « Sapientiam autem loquimur inter perfectos, » etc. Vel ubera dicuntur duo Testamenta propter lac doctrinæ de Christi humanitate; botrus vero, quia continet vinum doctrinæ de Christi divinitate. Dum floret vinea, fugiunt serpentes et venenosa. Floret autem vinea, dum veraciter exponitur Scriptura ¹⁵: « Vineæ florentes odorem dederunt, » etc., et tunc fugiunt, et audire nolunt perversi, qui utique sunt serpentes ¹⁶, *genimina viperarum*. In his vineis quatuor genera animalium timenda sunt. In vinea Ecclesiæ, timendus est leo persecutionis, vel ambitionis ¹⁷: « Cumque venisset ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sævus, » etc. Expone historiam. In vinea conscientie vermis remorsionis, qui rodit conscientiam ¹⁸: « Vineam plantabis, et vinum non bibes, quoniam vastabitur vermibus. » ¹⁹ « Vermis eorum non morietur. » In vinea pœnitentiæ et religionis aper dyscolæ conversationis; Psalmista ²⁰: « Exterminavit eam aper de sylva, et singularis ferus, » etc. In *apro* manifesta perversitas; in *singulari fera* superstitiosa singularitas significatur, quæ duo vineam religionis maxime destruit. In vinea Scripturæ, timenda est vulpes hæreticæ deceptionis corruptentis Scripturas ²¹: « Capite nobis vulpes, quæ demoliantur vineas. » Vulpes in ore foetidum anhelitum habent; ita hæretici foetidam doctrinam.

Hæretici vulpes.

¹ *Matth.*, XXI, 41. — ² *Apoc.*, III, 11. — ³ *Cant.*, VIII, 12. — ⁴ *Prov.*, XXIV, 30. — ⁵ *Psal.*, LIX, 5. — ⁶ *Greg.*, in *Evang.*, hom. XIX, II, 2. — ⁷ *Psal.*, LXXIX, 9, 10. — ⁸ *Exod.*, XII, 48. — ⁹ *III Reg.*, XXI, 2. — ¹⁰ *Psal.*, XXXVI, 2. — ¹¹ *Greg.*, *Moral.*, lib. X, c. XXIII, ad. XIII, n. 42. — ¹² *Cant.*, VII, 8. — ¹³ *I Cor.*, III, 1-2.

— ¹⁴ *Ibid.*, II, 6. — ¹⁵ *Cant.*, II, 13. — ¹⁶ *Luc.*, III, 7. — ¹⁷ *Judic.*, XIV, 5. — ¹⁸ *Deut.*, XXVIII, 39. — ¹⁹ *Isa.*, LXVI, 24. — ²⁰ *Psal.*, LXXIX, 14. — ²¹ *Cant.*, II, 15.

(a) *Cant. edit. secundo.* — (b) *Suppl. scilicet.* — (c) *Al. interit.*

SERMO III.

*Voca operarios, et redde illis mercedem suam*¹, etc. Non otiosis, sed operantibus redditur merces aeterna. «Reddet Deus mercedem laborum suorum²» justis; sed merces ista recipitur celeriter, solvitur liberaliter, deservitur, hoc est, ipsam meretur quis faciliter, possidetur perenniter.

De primo³: «Ecce venio cito, et merces mea mecum est.» Cito venit in morte⁴: «Qua hora non putatis, Filius hominis veniet.» Quare cito venis, Domine Jesu? Certe ut cito remuneret bonos. Sed quando potest hoc cito fieri? Quando hodie mendicus, cras rex fieri posset; quando hodie non habens denarium, cras haberet mille marchas. Certe attende latronem, qui non crastina, sed eadem die in patibulo, et in paradiso⁵ fuit. Unde ne (a) de ista subitatione tantae mercedis diffidas, audi quod dicitur⁶: «Facile est in oculis Dei subito honestare pauperem. Benedictio Dei in mercedem justis festinat.» Illa, inquam, benedictio, de qua⁷: «Venite, benedicti patris mei,» etc. Sicut autem festinatur merces justorum in caelo, ita et perversorum in inferno⁸: «Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad infernum descendunt.»

De secundo⁹: «Merces vestra,» etc. Liberaliter enim solvitur, quod copiose datur¹⁰: «Ego protector tuus sum, et merces,» etc. Protector est in praesenti; protegit enim nos Deus, sicut gallina pulliculos suos sub alis. Psalmista¹¹: «Protegar in velamento alarum suarum.» Una ala est innocentia, altera poenitentia. Quicumque extra has alas venerit per culpam, a milvo saevissimo, scilicet diabolo, rapietur ad poenam. Augustinus¹²: «Sic sunt diabolus et angeli ejus, quasi milvi. Sub gallinae alis simus, et non poterit nos contingere.» Merces autem nostra

Christus est in futuro, magna per humilitatem, et magna nimis per divinitatem. Vere magna nimis. Augustinus¹³: «Quod Deus paravit diligentibus se, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non comprehenditur, desideria et vota transgreditur, acquiri potest, aestimari non potest.»

De tertio¹⁴: «Quicumque potum dederit,» etc., «non perdet mercedem suam.» Non ait calicem vini, non aquae calidae, sed *frigidae*, quam omnes possunt habere, praeter eos qui sunt in inferno: nam dives ille¹⁵ guttam aquae frigidae habere non poterat, qui calicem aquae frigidae Lazaro contigerat. Si quis crederet aliquam esse terram vel regnum, ubi calix aquae frigidae valeret sibi mille marchas, libenter portaret illuc; sed certe in regno caelorum quantitas mercedis multo plus excedit parvitatem meriti nostri. Noli ergo flere pro adversis: nihil est quod pateris, nihil est quod operaris, si mercedem operis attendis.¹⁶ «Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo.» Bernardus¹⁷: «Si labor terret, merces invitet: unusquisque secundum suum laborem mercedem accipiet.» Ne autem de tanta mercede propter parvitatem nimium diffidas, ecce fidejussores habemus apostolos et prophetas.¹⁸ «Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut prophetae tui fideles inveniantur;» quasi diceret: Ut fidejussores tui non perdant fidem.

De quarto¹⁹: «Non verearis usque ad mortem justificari, quia merces Domini manet in aeternum.» Justificari debent non solum mali poenitendo, sed etiam justis in justitia proficiendo²⁰: «Qui justus est, justificetur adhuc.» Bene dicit quod *merces Domini manet in aeternum*: non enim deficit, quantumcumque ipsa dividatur. O quantum diligeretis pyxidem plenam thesauro, quae

¹ *Matth.*, xx, 8. — ² *Sap.*, x, 17. — ³ *Apoc.*, xxii, 12. — ⁴ *Luc.*, xii, 40. — ⁵ *Ibid.*, xxiii, 43. — ⁶ *Eccli.*, xi, 23, 24. — ⁷ *Matth.*, xxv, 31. — ⁸ *Job*, xxi, 13. — ⁹ *Matth.*, v, 12. — ¹⁰ *Gen.*, xv, 4. — ¹¹ *Psal.* lx, 5. — ¹² *Aug.*, in *Psal.* lxxi, n. 16, quoad sensum. —

¹³ *August.* — ¹⁴ *Matth.*, x, 42. — ¹⁵ *Luc.*, xvi, 21. — ¹⁶ *Jerem.*, xxxi, 16. — ¹⁷ *Bern.*, de *Consid.*, lib. 11, c. vi, n. 12. — ¹⁸ *Eccli.*, xxxvi, 18. — ¹⁹ *Eccli.*, xviii, 22. — ²⁰ *Apoc.*, xxii, 11.

(a) *Cæt. edit.* neque.

nunquam evacuari posset, quantumcumque inde acciperetur. Talis pyxis est Christus tenens mercedem nostram in evacuabilem.

¹ « Qui timetis Dominum, credite illi, et non evacuabitur merces vestra. » Vides ergo quod merces illa non est transitoria, sed æterna. Augustinus ²: « O regnum! o gloriam semper veracem, et veraciter sempiternam, cujus lux veritas, cujus lex (a) charitas, cujus modus æternitas. » Hæ quatuor æternæ mercedis conditiones significatæ sunt in præsentī Evangelio. Considera quando, a quo, cui, quid datur. Quando? quia sero. A quo? quia a procuratore. Cui? quia novissimo. Quid? quia denarius. Recipitur merces æterna celeriter; unde statim sero, id est morte, datur, finito diurno hujus vitæ labore. Secundum enim legem eodem die merces laboris reddenda est, sicut dicitur ³. Persolvitur etiam largiter; unde non ab angelo, non ab aliquo sancto, sed a procuratore, id est a Christo, qui liberalissimus est dator. Deservitur faciliter; unde novissimis tantum una hora laborantibus datur, sicut latroni in cruce. Possidetur perenniter; unde denarius datur, qui sua rotunditate æternitatem significat.

SERMO IV.

Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi ⁴. Verbum istud plenum est consolatione, et trepidatione. Videre autem possumus in Deo, in angelis, in hominibus, et dæmonibus, quod primi novissimi facti sunt. Consideremus primatum divinum, angelicum, humanum, diabolicum. Primus enim Deus est æternitate ⁵: « Primus dicet ad Sion: Ecce adsum. » Sion Ecclesiam, vel animam sanctam, quæ speculum Dei est, significat. Interpretatur enim *speculum*. Speculum autem hominum et Dei, homo sanctus. Speculum Dei est interius per munditiam conscientiae; speculum autem hominum exte-

Homo
sanctus
specu-
lum Dei
et homi-
num.

rius per disciplinam vitæ. Bernardus ⁶: « Quos præ oculis habes, ita (b) ordinati sint (c), ita informati sint (c), quatenus (d) totius honestatis et ordinis ipsi sint (c) speculum, ipsi sint (c) forma. » Sed primus factus est novissimus in passione, quia ad eum humanam naturam, quæ novissimo creata est, assumendo ⁷: « Ego Dominus primus et novissimus. » Sed notandum quod etiam secundum humanitatem Christus in aliquo tamen est primus, et non novissimus; in aliquo novissimus, et non primus; in aliquo primus, et novissimus; in aliquo neque primus, neque novissimus. Primus, et non novissimus est in resurrectione ad vitam immortalem: nullus enim ante eum resurrexit immortaliter ⁸: « Primogenitus mortuorum, » etc. Item novissimus, et non primus in judicio extremo: ipse enim non est primus qui fecit judicium; sed erit ultimus. Item primus, et novissimus in nascendo ex Virgine, quia neque ante eum factum est, neque post eum fiet. Item neque primus, neque novissimus in passione, quia ante eum et post eum multi passi. Primus quoque est angelus dignitate: angelus enim angelo dignior est. Unde angelus Danieli dixit ⁹: « Michael unus de principibus primus venit ad adjutorium mihi. » De his primus fuit Lucifer, et quidam alii de corruentibus: superbiendo factus est novissimus et profundissimus in inferno ¹⁰: « Ibi Assur, et omnis multitudo ejus, quorum data sunt sepulchra in novissimis lacu, scilicet (e) inferni. » Sepulchra sunt profunditates pœnarum, in quibus sunt speciales amici Luciferi ¹¹: « Mortuus est dives, et sepultus est in inferno. » Unde invidet homini novissimo ascendenti ad primatum suum in cœlo. Gregorius ¹²: Immundi spiritus tanto magis ascendere corda hominum invident, quanto a cœlestibus se per elationis suæ immunditiam projectos vident. » Primus etiam est ho-

Notan-
dum.

¹ *Eccli.*, II, 8. — ² *Aug.* — ³ *Deut.*, XXIV, 14. — ⁴ *Matth.*, XX, 16. — ⁵ *Isa.*, XLI, 27. — ⁶ Bernard., *de Consid.*, lib. IV, n. 2. — ⁷ *Isa.*, XLI, 4. — ⁸ *Apoc.*, I,

5. — ⁹ *Dan.*, X, 13. — ¹⁰ *Ezech.*, XXXII, 22. — ¹¹ *Luc.*, XVI, 22. — ¹² *Greg.*

(a) *Cat. edit. lux.* — (b) *Item infra.* — (c) *Item sunt.* — (d) *Item quod.* — (e) *Item locis.*

mo vocatione, vel conversationis opere, de quo hic dicitur: *Sic erunt novissimi*, etc. Sæpe enim primus conversione erit novissimus in retributione. Unde Gregorius ¹: « A novissimis inceptit, dum prius latronem quam Petrum in paradysum introduxit. » Item primus est homo quandoque alia aestimatione, quia (a) ipsum meliorem, vel digniorem reputat, et tamen novissimus est divino iudicio quam appareat in primo. Glossa: « Qui majores videntur, multo sunt minores in iudicio. » Item primus est homo propria presumptione, meliorem et digniorem se aliis reputans, et hic erit novissimus in meritorum manifestatione. ² « Non disceumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo, et veniens qui te et illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum, et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. » In initio cæteris excellentior exhibetur: unde clarior cæteris ad tempus ostenditur. Item primus est homo transgressione ³: « Manus principum, et magistratum fuit in transgressione hac prima: » et talis erit novissimus in pœna: non novissimus intrando, sed novissimus in reddendo ⁴: « Non exiet inde, donec reddiderit novissimum quadrantem. » Primus est diabolus iniquitate: unde dicitur ⁵, quod « omnes habitantes in terra, » id est, terreni peccatores, « adorabunt bestiam primam. » Primus autem est diabolus, et novissimus iniquitate, quia ante eum, et post eum nullus peccabit. Primus est hominum comestor, et novissimus exossator. ⁶ « Primus comedit eum rex Assur; iste novissimus exossavit eum Nabuchodonosor rex Babylonis. » Assur et Nabuchodonosor diabolum significant, qui comedet hominem in culpa æterna, quando omnes vires animæ enervabuntur, quia facit diabolus hominem (b) angustias æternas non timere in culpa, in quibus ipse cum suis membris jam sedet in gehenna. Ideo in comedendo dicitur

Assur, quod interpretatur *tollens angustias*; in exossando *Nabuchodonosor*, quod interpretatur *sedens in angustia ignita*.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

SERMO PRIMUS ⁷.

Quod autem in terram bonam, hi sunt qui in corde bono et optimo verbum retinent, et fructum afferunt in patientia ⁸. Quoniam, secundum beatum Gregorium ⁹, « lumen intelligentiæ humilitas aperit (c), superbia vero abscondit; » hinc est quod Dominus noster Jesus Christus, sciens sic esse placitum ante Deum Patrem, superbis et elatis hominibus (ad reprimendum superbiam intellectus in audiendo et intelligendo) regnum Dei nuntiat in parabolis; sed humilibus ejus discipulis, quibus datum est nosse mysterium (d) regni Dei, sensum Dei in parabola hodierni evangelii aperuit, cum dicit in verbo proposito, quod est finis expositionis prædictæ parabolæ: *Quod autem in terram bonam, hi sunt qui corde*, etc. In quo quidem verbo valde ordinate proceditur: nam, sicut videmus quod terra, ad hoc quod fructificet, primo debet præparari, deinde seminari, postea fructus ex ea tolli, sic, in verbo proposito, primo notatur nostri cordis debita præparatio; secundo, divini seminis firma susceptio; tertio, recepti seminis temporanea fructificatio. Primo ergo notatur nostri cordis debita præparatio, cum dicit: *Quod autem in terram bonam*. Ista bonitas terræ nihil aliud est, quam bona præparatio nostri cordis. Secundo notatur divini seminis firma susceptio, cum dicit: *Hi sunt qui corde bono et optimo*. Sed tertio notatur recepta seminis temporanea fructificatio, cum subinfert: *Et fructum afferunt in patientia*, eo quod persecutiones patienter sustinent propter verbum Dei, et omnia mala pœnæ sive illata, sive innata.

Paris. an. 1521. — ⁸ *Luc.*, VIII, 15. — ⁹ *Greg.*, *Moral.*, lib. XXV, c. XIII, al. XII, n. 30.

(a) *Leg.* quæ. — (b) *Cæt. edit.* hominum. — (c) *Item* aperuit. — (d) *Item* ministerium.

¹ *Greg.*, in *Evang.*, hom. XIX, n. 3. — ² *Luc.*, XIV, 8-9. — ³ *Esdr.*, IX, 2. — ⁴ *Matth.*, V, 26. — ⁵ *Apoc.*, XIII, 8. — ⁶ *Jerem.*, L, 17. — ⁷ Hunc non habet edit.

Primo ergo in verbo proposito notatur nostri cordis debita præparatio, cum dicit: *Quod autem in terram bonam*. Debemus autem nostrum cor, quod sub metaphora bonæ terræ Christus describit, ad modum terræ materialis præparare. Est autem terra materialis bene præparata et ad fructum disposita, quando est primo a malis radicibus extirpata, secundo aquis pluvialibus irrigata, tertio caloribus solis opposita: ut sic calore solis vivifico incalescat, ut possit jactata semina vegetare. Per hunc modum si volumus quod cor nostrum sit bene præparatum, et ad fructum bonæ operationis dispositum, primo debet extirpari a spinis peccatorum omnium; secundo, irrigari aquis pluvialibus lacrymabilium compunctionum; sed tertio debet inflammari incendiis divinorum desideriorum, quorum calore vivifico possit vegetare receptum verbum Dei et retentum, ut possit pullulare in germen bonæ operationis.

Primo debet terra nostri cordis extirpari malis radicibus peccatorum; unde dicitur¹: «Qui operatur terram suam, satiabitur panibus; qui autem sectatur otium, stultissimus est.» *Qui operatur terram* propriæ conscientiæ, evellendo ex ea vepres vitiorum gladio acuti compunctionis, extirpando spinas peccatorum exercitio confessionis, et amovendo urticas malorum desideriorum exercitio disciplinæ et mortificationis, *satiabitur panibus* bonorum operum. *Qui autem sectatur otium*, et dimittit ea sterile scire spinis vitiorum, vepribus peccatorum, et urticis malorum desideriorum, *stultissimus est*. Ergo bonum est operari terram tuam, «ut educas panem de terra, et vinum lætificet cor hominis,» secundum quod dicitur in Psalmo²: *Ut educas panem* bonæ operationis ad reficiendum, *de terra* propriæ conscientiæ; *et vinum in terra* devotionis ad lætificandum.

Secundo debet terra nostri cordis irrigari

aquis pluvialibus lacrymabilium compunctionum. Unde *Judicum*³: «Da mihi benedictionem, quia terram arentem dedisti mihi; da et irriguam aquis.» Fidelis anima, cognoscens experimentaliter lacrymarum abundantem effusionem et cordis affluentem compunctionem non esse a seipsa, sed a Deo, ideo ab ipso petit benedictionem suæ curationis. *Da mihi benedictionem, quia terram arentem dedisti mihi*, scilicet terram conscientiæ: *da et irriguam* lacrymabilium compunctionum. Huic convenit, quod dicitur in Psalmo⁴: «Anima mea sicut terra sine aqua tibi: velociter exaudi me, Domine; defecit spiritus meus.» Cognoscens David fidelis animam suam ad modum terræ aridæ non posse producere germen bonæ operationis sine aqua lacrymabilium compunctionis, et irrigua (a) mentalis devotionis, petit hoc a Domino cum instantia devotæ orationis dicens: *Velociter exaudi me*, dando irriguum interioris devotionis, et exterioris lacrymationis: *quia defecit spiritus meus* præ ariditate internæ devotionis et ardore terrenæ affectionis.

Tertio, debet terra nostri cordis inflammari incendiis divinorum desideriorum; unde dicitur⁵: «Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile, opus Excelsi, in meridiano exurit terram.» Sol justitiæ Christus Deus noster, habens speciositatem *in aspectu* interiori quantum ad divinitatem, et *in aspectu* (b) exteriori quantum ad humanitatem, est *vas admirabile*, quia contentivum incomprehensibilis divinitatis: «In ipso enim⁶ inhabitat corporaliter (c) plenitudo divinitatis.» Dicitur *opus Excelsi*; nam etsi Excelsus formet omnes adjuvando naturam, tamen specialiter Christum formavit operando super naturam. Illic *in meridiano exurit terram*, scilicet terrenum cor, quando est in ardentissimo desiderio sui.

Sequitur: *Illi sunt qui corde bono et optimo verbum retinent*: ubi notatur secundo

¹ *Prov.*, XII, 11. — ² *Psal.*, CIII, 15. — ³ *Judic.*, 1, 15. — ⁴ *Psal.*, CXLII, 6, 7. — ⁵ *Ecl.*, XLIII, 2-3. — ⁶ *Coloss.*, II, 9.

(a) Leg. irriguo. — (b) exitu. — (c) *Cæt. edit.* habitat totaliter.

divini seminis firma susceptio. Ad hoc ut verbum Dei in audiente afferat fructum, debet, secundum instructionem hodierni Evangelii, primo recipi, sive audiri reverenter cum mentis quietatione; secundo debet retineri firmiter, sive credi, cum unionis adhæsiōne; sed tertio debet intelligi diligenter cum operis executione.

Primo verbum Dei debet reverenter recipi sive audiri cum mentis quietatione, eo quod in hodierno Evangelio dicit Dominus: *Quod autem in spinas (a) cecidit, hi sunt qui verbum audiunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vite euntes suffocantur, et non referunt fructum.* Unde Gregorius¹: «Perturbatæ mentes sæcularium eo ipso clamant, quod inquietæ sunt, quia a vera sapientia divisæ (b) sunt,» scilicet fide et moribus. Dei secreta non cognoscimus, nisi virtutum desiderijs jungamur, quia vivacius verba Dei mens penetrat, cum admittere curarum sæcularium tumultum recusat, siquidem² «verba sapientis audiuntur cum (c) silentio.» Hoc attendens Maria Magdalena, secundum quod dicitur³: «Sedens secus pedes Domini audiebat (d) verbum illius:» sedens per mentis tranquillitatem; non discurrens per cordis distractionem. Quia, sicut dicit Gregorius⁴, «oportet desiderantem sapientiam dissolvi a curis et distractionibus:» siquidem⁵ «qui minoratur actu, percipiet sapientiam.» *Secus pedes Domini* per cordis humiliationem, quia obstaculum veritatis est tumor superbiæ, qui dum flat, obnubilat. *Audiebat verbum illius* per auditus inclinationem, et obliviscens populum Judæicum, et domum patris sui diaboli per imitationem.

Secundo debet retineri sive credi firmiter, cum unionis adhæsiōne. Unde de illis, qui non bene retinent, dicit Dominus⁶: *Nam quod supra petram, hi sunt, qui cum audierint, (e) cum gaudio suscipiunt verbum; et*

¹ Gregor., *Moral.*, lib. XVIII, c. XLIII, n. 70. — ² *Eccle.*, IX, 17. — ³ *Luc.*, X, 39. — ⁴ Gregor., *Moral.*, lib. XXIII, c. XX, n. 37. — ⁵ *Eccle.*, XXXVIII, 25. — ⁶ *Luc.*, VIII, 13. — ⁷ *Matth.*, XIII, 19. — ⁸ *Ibid.*, 23.

hi radices (f) non habent, qui (g) ut tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Sed de his qui firmiter credunt, sive retinuerunt, adjungit dicens: *Quod autem in terram bonam, hi sunt qui corde bono et optimo audientes verbum retinent (h), et fructum afferunt in patientia,* eo quod persecutiones et quælibet mala pænæ patienter sustinent propter verbum Dei.

Tertio debet intelligi diligenter (i) cum operis executione, quia de illis, qui audierunt et operi mancipare neglexerunt, dicit *Matthæus*⁷: «Omnes qui audit (j) verbum regni et non intelligit (k), venit diabolus et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.» Sed de his qui intellexerunt cum operis executione, addit dicens⁸: «Quod autem (l) in terram bonam seminatum (m) est, hic est, qui audit verbum et intelligit, et fructum affert, et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero tricesimum.» *In terram bonam* verbum seminatur, quod intelligitur et opere completur: et tunc verbum facit *fructum tricesimum* in conjugatis, *sexagesimum* in continentibus, sed *centesimum* in virginibus. Meritum ergo conjugatorum per tricesimum, qui consurgit ex ternario et denario, intelligitur, quia conjugati habent fidem Trinitatis, et adhærent decem præceptis legis; per numerum autem sexagesimum, qui consurgit ex senario et denario, intelligitur meritum continentium, quia continentibus debent adhære decem præceptis legis, et insuper sex operibus misericordiæ, quæ in hoc versu continentur:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, cundo.

Debet enim continens visitare infirmos, cibare et potare jejunos, redimere captivos, tegere nudos, colligere peregrinos, et condere sive sepelire mortuos. Meritum namque

(a) Cæt. edit. *spinis*. — (b) Item diversæ. — (c) *Fuly.* in. — (d) Cæt. edit. *audiens*. — (e) Cæt. edit. *add. et.* — (f) Cæt. edit. *radicem*. — (g) *Quia*. — (h) *Audiunt verbum*. — (i) *Patienter*. — (j) *Omnes qui audiunt*. — (k) *Intelligit* — (l) *Fuly.* Qui vero. — (m) *Seminatus*.

virginum ratione suæ perfectionis per centesimum numerum designatur. Unde a centesimo et deinceps, ratione suæ perfectionis et nobilitatis, in dexteram computatur. Tamen ad dilucidandum melius verbum propositum, quare in isto numero, et non in alio, voluit Deus exprimere merita illorum trium statuum: non est prætermittendum quod dicunt in arte computationis periti, eo quod per hoc velut artificialis et propria videbitur appropriatio meritorum ad merita. Numerus enim digitorum habet fieri per quinque digitos manus, quos periti in arte sic appellant, videlicet pollicem, indicem, medium, medicum, auricularem. Rationem vero quare sic per ordinem nominantur, ratione brevitatis omitto. Auricularis, sive digitus parvus, in palma positus sive reflexus, signat unitatem. Sed medicus, qui juxta digitum parvum, in palma positus signat dualitatem cum auriculari. Medius vero, qui est in medio digitorum, eodem modo positus cum prædictis duobus, signat trinitatem. Deinde secundum istum modum non est ultra procedere: sed auricularis erectus, medio et medico jacente signat, quaternitatem. Jacente vero medio in palma, et auricularis et medius erectus, signat quinque. Medico autem jacente cum auriculari, et medius erectus, signat sex. Item auricularis signat extensus octo; sed medius similiter extensus signat novem; index vero positus in medio pollice, decem; sed per conjunctionem rectam indicis ad pollicem, numerus centesimus signatur. Per amplexum vero mollem et conjunctionem pollicis et indicis, tricenarius numerus signatur: per quem numerum saue congrue Dominus meritum conjugatorum expressit, propter illorum mollem amplexum et unionem carnalem. Index siquidem firmiter constrictus super pollicem in modum crucis, numerum sexagesimum signat. Per quem numerum convenienter intelligitur meritum continentium, quorum vita est restricta a voluptuosa de-

lectatione carnis per superpositionem rationis ad sensualitatem, propter voluntariam assumptionem crucis. Sed per centesimum, cujus computatio, ratione suæ perfectionis, fit per rectam indicis conjunctionem ad pollicem, valde eleganter exprimitur meritum virginitatis ratione suæ perfectionis, quia virgines vitam angelicam et cœlestem, in quantum possunt, ducunt.

Tertio in verbo proposito notatur recepti seminis temporanea fructificatio, cum dicit: *Fructum afferunt in patientia*. Nam illi, qui primo purgaverunt cor a spinis omnium peccatorum, et receperunt verbum reverenter cum mentis quietatione, afferunt spectabilem fructum puritatis et (a) munditiæ pulchrificantis. Secundo qui cor compleverunt aquis lacrymabilium compunctionum, et retinuerunt sive crediderunt verbum firmiter, afferunt fructum utilem claritatis intelligentiæ, gratiæ illuminantis. Tertio illi, qui inflammaverunt cor incendiis divinatorum desideriorum, et intellexerunt verbum diligenter cum operis executione, afferunt fructum oblectabilem familiaritatis divini dulcorantis. Et sic talis fructus est optimus, eo quod habet speciositatem in aspectu, utilitatem in affectu, et deliciositatem in gustu.

Primo ergo, qui expurgaverunt cor a spinis omnium peccatorum et vitiorum, et receperunt verbum reverenter cum mentis quietatione, afferunt spectabilem fructum puritatis et (a) munditiæ pulchrificantis; unde dicitur¹: « Melior est acquisitio ejus acquisitione auri et argenti primi, et purissimi fructus ejus. » In avida enim acquisitione auri et argenti, cupidi et avari homines fiunt deteriores, Deo et angelis abominabiles, et etiam dæmonibus in fœditate culpæ similes; sed in acquisitione pulchritudinis munditiæ, quæ consistit in unitate gratiæ, et trinitate virtutum theologiarum, scilicet fidei, spei et charitatis, anima redditur Deo amabilis, angelis desiderabilis, et etiam dæmonibus terribilis: propter hoc

¹ Prov., III, 14.

a) Cæt. edit. omis. et.

melior est acquisitio puritatis et munditiæ acquisitione auri et argenti. Sed quoniam per cordis munditiam anima incipit producere mundos fructus, et Deo acceptabiles; ideo dicitur : *primi et purissimi fructus ejus*. In tantum enim divina sapientia diligit animas habentes istam puritatem munditiæ, ut omnia opera ejus (a) sibi appropriet, et divinos fructus eos vocet, secundum quod dicitur ¹ : « Obaudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata secus decursus aquarum fructificate. » Unde qui habent istam puritatem munditiæ in cogitatione, affectione et locutione, adeo in Dei formam et pulchritudinem gratiæ transformantur totaliter, ut deificentur sperando, cogitando, sapiendo et loquendo, et ita divini fructus appellantur. Et quemadmodum rosarum decorem natura producit inter spinas, ita anima decorem pulchritudinis munditiæ non producit, neque servat odoriferum fructum castitatis interioris in corde, et exterioris in corpore, nisi inter spinas acutarum disciplinarum pœnitentiæ : ideo dicuntur rosæ plantatæ secus decursus aquarum, id est, divinarum influentiarum, fructificare fructus lucis et honestatis in omni justitia et veritate.

Secundo, qui cor compleverunt aquis lacrymabilium compunctionum, et relinuerunt sive crediderunt firmiter, afferent fructum claritatis et intelligentiæ illuminantis. Unde dicitur in Psalmo ² : « In lege Domini fuit voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte : et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. » Primo enim prædicator debet applicare voluntatem ad legem divinam, ut quod intelligit, opere compleat; et deinde meditari in lege ejus die ac nocte, qualiter debeat alios instruere, quia tunc erit *tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aqua-*

rum, id est, divinarum influentiarum, *quod fructum suum dabit in tempore suo*. Sed multi dant fructum non suum, eo quod volunt ³ « humeris aliorum onera gravia et importabilia imponere, ipsi autem nolunt digito ea movere. » Alii autem proferunt fructum non in tempore suo, sed ante tempus suum, eo quod sua auctoritate volunt prius docere quam discere : et ideo verbum eorum, sæpe, ratione scandali et ignorantie, et malæ vitæ, defluit in vanum per contemptum audientium, quia ⁴ « ejus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. »

Tertio, qui inflammaverunt cor incendiis divinatorum desideriorum et intelligunt verbum diligenter cum operis executione, afferunt oblectabilem fructum familiaritatis dulcorantis. Unde dicitur ⁵ : « Sub umbra illius, quem desideraveram (b), sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo. » *Sub umbra* refrigerantis gratiæ ab æstu (c) carnalis concupiscentiæ, et ab ardore exitialis avaritiæ : *illius*, scilicet Christi, cum vehementi affectione *sedi* per mentis quietationem, non discurri per mentis distractionem, quia ⁶ « qui minoratur actu, percipiet sapientiam; » et tunc *fructus ejus dulcis gutturi meo* propter sapientialem oblectationem. Rogemus ergo, etc.

SERMO II ⁷.

Exiit qui seminat ⁸, etc. Seminat doctor verba Dei; seminat justus bona opera. Considerandum autem quid, quantum, ubi, quando sit seminandum. Sicut enim in materiali, ita etiam in spirituali seminatione requiritur seminis bonitas, seminantis liberalitas, telluris fœcunditas, temporis congruitas.

De primo ⁹ : « Seminate vobis in justitia, et meite in ore misericordiæ, innovate vobis novale, » etc. *Seminate*, inquam, docendo duos sequentes habet quoque edit. Paris. an. 1521.

— ⁸ *Luc.*, v, 5. — ⁹ *Ose.*, x, 12.

¹ *Eccli.*, xxxix, 17. — ² *Psal.*, 1, 2-3. — ³ *Matth.*, xviii, 4. — ⁴ *Gregor.*, in *Evang.*, hom. xii, n. 1. — ⁵ *Cant.*, 11, 3. — ⁶ *Eccli.*, xxxviii, 25. — ⁷ Hunc et

(a) *Leg.* earum. — (b) *Cat. edit.* desiderabam. — (c) *Item* actu.

vel operando. Si enim bonum seminas, bonum et metes. Quid ergo est quod perversi sæpe dicunt: Ad regnum cælorum utique veniemus? Si urticam vel zizaniam seminares, stulte, triticum expectares? « Quæ enim ¹ seminaverit homo, hæc et metet. » Si bonum, bonum; si malum, malum. ² « Fili, non semines mala in sulcis injustitiæ, et non metes eam in septuplum, » videlicet in gehenna, ubi septem pænæ sunt, ignis, vermis, fœtor, fumus, tenebra, vincula, frigus. Auctoritas patet.

Pænæ
gehennæ
septem.

De secundo ³: « Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet: unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus. » Si ergo vis multum fructum colligere in futuro, multa debes bonorum operum semina spargere in præsentia. Bernardus ⁴: « Modica seminis (a) detractio non modicum est messis detrimentum. » Licet multa opera sint gravia et sensualitati lacrymosa, tamen tempore messis tristitia seminantis vertetur in gaudium metentis. Psalmista ⁵: « Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. » ⁶ « Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. » Gregorius ⁷: « Nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius prævia tribulatione seminatur. » Certe libenter multos denarios dares ei, qui tibi sine peccato pro unoquoque, post annum, centum redderet. Et certe Deus centuplum redderet tibi pro singulis bonis ⁸: *Ortum fecit fructum centuplum.*

De tertio ⁹: « Seminavit Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum. » Terra ista bona est cor bonum, vel bona voluntas. ¹⁰ *Quod autem in terram bonam cecidit, ortum fecit fructum centuplum.* Secundum

autem Matthæum ¹¹, *aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.* Secundum Glossam ¹²: « Centesimum in virginibus; sexagesimum in viduis; trigesimum in conjugatis. » Semina ergo hujus fructus facienda (b) non solum sunt Dei verba, sed bona opera. Semina enim sunt orationes, elemosynæ, jejunia, peregrinationes, et his similia. Sed hæc seminantur juxta viam, quando fiunt pro apparentia, ut videantur a trans-euntibus, facientes contra illud ¹³: « Absconde (c) elemosynam in sinum pauperis: » et ideo pereunt. Gregorius ¹⁴: « O miseri, qui affectantes laudes hominum, in semetipsis dissipant fructus laborum: dum, quia se alienis oculis ostendere appetunt, damnatur quod agunt. » Seminatur (d) supra petram, quando fiunt corde duro, quod nolunt indulgere in se peccantibus: et ideo ista semina pereunt. Joannes Chrysostomus ¹⁵: « Frustra offert munus ad altare, qui conscius est sibi, quod frater suus habet aliquid adversum se. » Seminatur in spinis, quando non vis restitutiones facere de injustis possessionibus: et ideo pereunt. Augustinus ¹⁶: « Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. » Quia ergo in terram bonam semina bonorum operum non veniunt, nullum æternæ vitæ fructum afferunt. De talibus potest dici illud ¹⁷: « Seminastis multum, et intulistis parum. »

De quarto ¹⁸: « Mane semina semen tuum, et vespere non cesset manus tua: quia necis quid magis oriatur, hoc aut illud, » id est in pueritia et senectute, secundum Glossam. ¹⁹ « Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. » Utroque autem tempore instanter est seminandum, quia utroque tempore, quamdiu seminare

¹ Gal., vi, 8. — ² Eccli., vii, 3. — ³ II Cor., ix, 6-7. — ⁴ Bern., in Psal. *Qui habitat*, præf. — ⁵ Psal. cxxv, 5. — ⁶ Isa., ix, 3. — ⁷ Greg., *Moral.*, lib. X, c. xix, al. xii, n. 36, quoad sensum. — ⁸ Luc., v, 8. — ⁹ Gen., xxvi, 12. — ¹⁰ Luc., v, 8. — ¹¹ Matth., xiii, 8. — ¹² Gloss. ex Aug., *de senct. Virginit.*, n. 46. — ¹³ Eccli.,

xxix, 45. — ¹⁴ Greg. — ¹⁵ Chrysost., *de prodit. Jude*, hom. ii, n. 6, et alias passim. — ¹⁶ Aug., *ad Maced.*, epist. lrv, al. cliii, n. 20. — ¹⁷ Agg., i, 6. — ¹⁸ Eccli., xi, 6. — ¹⁹ Thren., iii, 27.

(a) Al. sementis. — (b) Leg. faciendi. — (c) Vulg. Conclude. — (d) Forte legendum seminantur.

possumus, est incertum. Bernardus ¹: « Mors non parcit ætati, ubique senibus est in januis, juvenibus autem in insidiis. » Certe si aliquis rex haberet bonam terram, et concederet tibi quicquid velles, et quantum velles, et ubi velles, et quando velles, seminares infra septem annos, puto quod non libenter pro tritico zizaniam, pro coro, id est magna quantitate, solum gramum, pro bona terra in petrosis, pro septem annis septem diebus, vel septem horis seminares. Quare ergo stultus et miser homo mala opera pro bonis, paucissima bona pro multis, in malo corde pro bono, brevi tempore pro longo seminat, cum tamen modo seminare deberet, unde in perpetuum quiescendo viveret? ² « Sex annis seminabis terram tuam, et congregabis fruges ejus; anno autem septimo dimittes eam, » etc. Per sex annos significatur vita præsens, quæ sex ætatibus constat. Unus autem annus quo quiescendum erat, vitam æternæ quietis significat. Si ergo aliquos annos seminando neglexisti, semina plus in aliis.

SERMO III.

Exiit qui seminat ³, etc. Est semen scientiæ, pœnitentiæ, misericordiæ, justitiæ.

De primo ⁴: *Semen est verbum Dei*. Hoc semen Dei doctos requirit seminatores ⁵: « Labia sapientum disseminabunt scientiam. » Sed, heu! hoc semen, sicut seminator Christus ostendit, quandoque ab avibus rapitur, quandoque æstu exuritur, quandoque spinis opprimitur. Aves autem sunt dæmones; æstus, persecutores; spinæ, temporalium sollicitudines. E contrario perversi seminant semen erroris et falsitatis ⁶: « Venit inimicus ejus, et superseminavit zizaniam (a), » id est erroneas et falsas doctrinas, sicut quidam modo seminant simplicem fornicationem non esse mortale peccatum, et hujusmodi, cum tamen dicat

Apostolus ⁷: « Fornicatores et adulteri regnum Dei non possidebunt. »

De secundo ⁸: « Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. » Quot modo tribulationes habueris, quot lacrymas pro peccatis effuderis, quot peccatorum confessiones feceris, quot cibis abstinneris, quot mortificationes assumpseris, tot pœnitentiæ semina jactis. Semina ergo lacrymando in contritione, et metes exultando in retributione: imo certe angeli metunt exultando, quod nos seminamus suspirando. Bernardus ⁹: « Quoniam spectaculum facti sumus, et angelis, et hominibus, si seminemus exemplum bonum per bona opera, seminamus angelis gaudia per occulta suspiria. » E contrario carnales seminant semen carnalitatis omni loco et tempore, quo possunt. Sed vae eis! ¹⁰ « Qui seminant in carne, de carne et metent corruptionem. »

De tertio ¹¹: « Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus, » etc. Augustinus ¹²: « Opera misericordiæ semina nostra sunt. » Si ergo seminas in agro pauperum Domini pecuniam, panem, vestem, hospitium, non solum centuplum, imo fructum millesimum recipies. ¹³ « Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ. » Joannes Chrysostomus ¹⁴: « O quanta beatitudo pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris semper viventia, et habere Dominum debitorem! » E contrario avari seminant semen cupiditatis ¹⁵: « In arenarum telas (b) erit vitulus Samariæ: quia ventum seminabunt, et turbinem metent. » Vitulus aureus amorem pecuniæ significat, quod est idolum avarorum. ¹⁶ « Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non ha-

¹ Bernard., *de Convers. ad Cleric.*, c. VIII, n. 16. — ² *Eccl.*, XXII, 10. — ³ *Luc.*, V, 5. — ⁴ *Ibid.*, II. — ⁵ *Prov.*, XV, 7. — ⁶ *Matth.*, XIII, 25. — ⁷ *I Cor.*, VI, 9, 10. — ⁸ *Psal.*, CXXV, 5. — ⁹ Bern., *in Vig. Nativ.*

Dom., serm. II, n. 6. — ¹⁰ *Gal.*, VI, 8. — ¹¹ *I Cor.*, IX, 6-7. — ¹² August., *Enarr. in Psal.*, CXXV, n. 11. — ¹³ *I Tim.*, IV, 8. — ¹⁴ Chrysost., — ¹⁵ *Ose.*, VIII, 6-7. — ¹⁶ *Ephes.*, V, 5.

(a) *Vulg.* zizania. — (b) *Cat. oht.* telis.

bet hæreditatem in regno Dei. » Tela araneæ instabilitatem temporalium significat : multo enim labore textitur, facile destruitur, sicut temporalia. Unde avari sunt araneæ diaboli. Ad modum enim aranearum, quando telam temporalium componunt exterius, se eviscerant interius. Sic avari quando telas temporalium componunt, ventum quidem cupiditatis per usuras, per rapinas, per illicita lucra seminant; sed turbinem damnationis metent.

De quarto ¹ : « Seminanti justitiam merces fidelis, » docendo, operando, judicando. Seminanda est justitia, ut justa sit doctrina, justa vita, bona temporalia justa (a) sunt pro justitia. Quo modo autem seminaret, nisi prius arares ? ² « Arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob. Seminate vobis in veritate justitiam (b), et metite in ore misericordiæ, innovate vobis novale. Tempus autem requirendi Dominum, qui cum venerit, docebit vos justitiam. Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii. » Judas *confitens* interpretatur. Confitens ergo arat, dum vomere confessionis aperit terram cordis. Unde Augustinus quibusdam ait ³ : « Semen seritis devotis cordibus, tanquam sulcata invenientes pectora nostra aratro confessionis. » Confringere autem contritionis est : frangit enim contritio duritiam cordis. Deinde seminanda est justitia. Legitur enim in præsentî Evangelio semen aruisse, quod humorem non habuit : ideo humore gratiæ et lacrymarum riganda sunt semina bonorum operum. » ⁴ Effundam aquas (c) super sitientem, et fluentia super aridam. Effundam spiritum meum super semen tuum. » E contrario injusti seminant semen iniquitatis et injuriæ ⁵ : « Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus : oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessi-

mas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia testem fallacem, et cum qui seminat inter fratres discordias, » hoc est, pessimum semen detractorum. Ecce in prædictis verbis Salomon describit vitia oculorum, manuum, pedum, cordis, linguæ : cujuslibet unum vitium, solius vero linguæ infelicissimæ tria vitia describens, videlicet, mendacium, falsum testimonium, discordiæ seminatore.

SERMO IV.

Aliud cecidit in terram bonam ⁶. Quadruplex est terra bona : materialis, virginalis, spiritualis, æternalis.

Terra
bona
quadru-
plex.

De materiali ⁷ : « In sudore vultus tui, » etc. Hoc est contra otiositatem. Gregorius ⁸ : « Nunquam est amor Dei otiosus, » etc. Libenter sudorem laborum pro illo sustineamus, qui pro nobis sudavit sanguinem ⁹ : « Factus est sudor ejus, » etc. Sequitur ⁷ : « Donec revertaris ad terram, de qua sumptus es. » Hic reprehendit superbiam ¹⁰ : « Quid superbis, terra et cinis ? » Merito enim debet esse subjectus, qui de terra, quæ omnium pedibus conculcatur, est assumptus.

De virginali, quæ est beata Virgo Maria, dicitur ¹¹ : « Fons ascendebat de terra. » Fons Christus est. Psalmus ¹² : « Sitivit anima ad Deum fontem (d) vivum. » Gregorius ¹³ : « Bone Jesu, fons indeficiens et humana corda reficiens, ad te curro, te solum sitiens, tu solus mihi es sufficiens. » *Fons ascendebat de terra*, quando Christus nascebatur de Maria. De qua terra ? ¹⁴ « Terra illa inculta facta est velut hortus voluptatis. » Terra inculta est Maria Virgo intacta, et tamen fecunda. In hoc horto herbas virtutum, floresque exemplorum colligamus. ¹⁵ « Flores mei fructus honoris. »

De spirituali, quæ est cor humanum, vel anima, dicitur in hoc Evangelio ¹⁶ : *Quod au-*

II, 6. — ¹² *Psalm.* XLI, 3. — ¹³ Greg. — ¹⁴ *Ezech.*, XXXVI, 35. — ¹⁵ *Eccli.*, XXIV, 23. — ¹⁶ *Luc.*, VIII, 8.

¹ *Prov.*, XI, 18. — ² *Ose.*, X, 11-13. — ³ August. — ⁴ *Isa.*, XLIV, 3. — ⁵ *Prov.*, VI, 17. — ⁶ *Luc.*, VIII, 8. — ⁷ *Gen.*, III, 19. — ⁸ Greg., in *Evang.*, hom. XXX, u. 2. — ⁹ *Luc.*, XXII, 44. — ¹⁰ *Eccli.*, X, 9. — ¹¹ *Gen.*,

(a) *Leg.* sint. — (b) *Vulg.* in justitia. — (c) *Cat. edit.* aquam. — (d) *Vulg.* fortem.

tem in terram bonam, hi sunt qui in corde bono, etc. Hæc terra arida est, quando humore gratiæ caret. Psalmista ¹: « Anima mea sicut terrasiue aqua tibi. » Joannes Chrysostomus ²: « Neque gratia sine voluntate aliquid operatur, neque voluntas sine gratia: nam terra non germinat, nisi pluviam susceperit, neque pluvia fructificat sine terra. » Et ideo a patre nostro, scilicet Deo, debemus petere irriguum significatum ³, ubi Axa sedens et suspirans dixit patri suo: « Terram arenentem dedisti mihi, » etc. Expone historiam diligenter.

De æternali ⁴: « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram: » hanc terram utique, de qua Psalmista ⁵: « Portio mea, Domine, in terra viventium. » ⁶ « Terra, quam circumimus, est valde bona; et si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, et tradet humum lacte et melle manantem: » *lacte* humanitatis, et *melle* divinitatis.

Secundum hanc quadruplicem terram quadruplex est semen, videlicet generationis, redemptionis, eruditionis, boni operis.

Primum est corpus nostrum, quod seminatur in terra materiali ⁷: « Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. » In hoc loco tangit Apostolus quatuor dotes corporis glorificati: in incorruptione, impassibilitatis; in gloria, claritatis; in virtute, agilitatis; in spirituali, subtilitatis (a) notatur.

Secundum semen est Christus seminatus in terra virginali ⁸: « Benedicentur in semine tuo omnes gentes: » ⁹ « In semine tuo, qui est Christus. » Tanta in terris caritas, seu caristia erat, quod nisi Dominus hoc semen

seminasset, totus mundus periisset ¹⁰: « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisset, » etc. Væ in Sodoma, hoc est in sæculo, remanentibus, sed non væ sæculum, tanquam Sodomam, relinquentibus.

Tertium semen est verbum Dei, et seminatur in terra spirituali: hoc autem facit fructum tricesimum in incipientibus. Tringenta enim sunt ter decem: incipientes ergo quasi denarium multiplicant, dum decem mandata misericordiæ servata per ternarium contritionis, confessionis, satisfactionis recuperant. Sexaginta autem facit in proficientibus per sex opera misericordiæ, qui denarium per senarium ducunt, dum decem mandata cum sex operibus misericordiæ offerunt. Centesimum autem facit in perfectis omnia relinquentibus ¹¹: « Centuplum accipient. » *Nunc in tempore hoc* (b) addidit Marcus ¹²: quod etiam significatum est ¹³, ubi dicitur: « Seminavit Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno, » id est, in hac vita, « centuplum. »

Quartum semen est opus meritorium, quod seminatur in terra æternali ¹⁴: « Qui seminatur in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus. » In cælo utique seminamus, ex quo in cælo metemus. O! si aliquis potens quandoque nobis vellet dare de bona terra, quam una die seminare possemus, unam horam unius diei nollemus negligere; et ecce de regno cælorum tantum nunc habemus! Tantum metemus, quantum nunc seminamus ¹⁵: « Qui seminatur in benedictionibus (c), de benedictionibus et metet. » Quare ergo, stulti, tempus perdimus, et seminare bona opera negligimus?

¹ *Psal.* CXLII, 6. — ² Chrysost. in *Matth.*, hom. LXXXII, al. LXXXIII, d. 4, et alias passim. — ³ *Judic.*, I, 13. — ⁴ *Matth.*, v, 8. — ⁵ *Psal.* CCLI, 6. — ⁶ *Num.*, XIV, 7 8. — ⁷ *I Cor.*, XV, 42-44. — ⁸ *Gen.*, XII, 3. — ⁹ *Gal.*, III, 16. — ¹⁰ *Isa.*, I, 9. — ¹¹ *Matth.*, XIX, 29. —

¹² *Marc.*, X, 30. — ¹³ *Gen.*, XXVI, 12. — ¹⁴ *Gal.*, VI, 8-9. — ¹⁵ *II Cor.*, IX, 6.

(a) *Leg.* impassibilitas... claritas... agilitas... subtilitas, vel subaud. dos. — (b) *Cæt. edit. isto.* — (c) *Item benedictione.*

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

SERMO PRIMUS ¹.

Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur; et postquam flagellaverint, occident eum ². Quoniam solent oves gregis, percusso pastore, dispergi; hinc est quod Dominus noster Jesus Christus, præsciens suos discipulos in corporalis suæ mortis percussione in modum ovium dispergi per devia erroris, ad fortificandum eos in via fidei et in eis cæteros alios, ne possent credere hoc sibi accidere ab eventu, sive ignorantia, dignatus est prædicere in verbo proposito illud infinitum beneficium suæ passionis, et cœleste mysterium nostræ redemptionis, et quod ipse Deus æternus se inclinans humiliter mortis crucem (a) pro salute generis humani cum desiderio suscepisset. Exprimitur autem in his verbis Christi passio quantum ad ejus principium, medium et ultimum, in quibus Dei perfecta cognitio consistit. Principium namque passionis fuit malignitas proprii discipuli, proveniens ex diaboli suggestionem; medium vero fuit contemptibilitas ultimi opprobrii in flagellatione, et faciei conspuitione; sed ultimum fuit acerbitas dolorosi supplicii in corporis et animæ separatione. Primo ergo malignitas proprii discipuli notatur, cum dicitur: *Tradetur enim gentibus*, id est Filius Dei a Juda, diabolo suggerente. Unde dicitur ³: « Cum jam diabolus in cor misisset Judæ, ut traderet eum, » etc. Secundo contemptibilitas ultimi opprobrii, cum subdit: *Et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur*. Illusiones et sputa atque flagellationes sunt signa extremæ vilificationis. Tertio notatur acerbitas dolorosi supplicii, cum subinfert: *Postquam flagellaverint, occident eum*. Valde enim fuit acerbum illud tormentum Christi, quod tam celeriter eum occidit: aut enim obiit, quam alii, qui cum eo erant crucifixi.

¹ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ² *Luc.*, xviii, 32-33. — ³ *Juan.*, xiii, 2. — ⁴ *Psal.* xl, 10. —

Dicit ergo: *Tradetur*; ubi notatur malignitas Judæ proditoris, proprii discipuli. Judæ
malignitas. Ista enim malignitas plenius apparebit, si diligenter consideremus triplicem conditionem istam, malignitatem proditoris aggravantem, videlicet primo confidentiam securitatis et amicitiae, secundo excellentiam dignitatis apostolicæ, tertio concupiscentiam cupiditatis avaritiæ. Ex his tribus conditionibus potest apparere, quia nulla sub cœlo major fuit malignitas, quam illa Judæ, qui tanquam falsus amicus, in datione osculi tradidit verum amicum, et tanquam ingratus discipulus, imo apostolus, tradidit benignum Magistrum, tanquam cupidus et avarus, vili pretio vendidit justum et pium, imo summum bonum.

Primo magna fuit malignitas Judæ in tradendo Dominum, propter confidentiam securitatis et amicitiae. Judas enim non fuit tractatus tanquam extraneus amicus (b), vel suspectus amicus; imo tanquam amicus securus: dum non solum factus est a Christo de familia sua, comedendo et bibendo panem in mensa Christi cum cæteris Apostolis; sed etiam factus est dispensator temporalium totius familiæ. Et ob hoc conqueritur in Psalmis Dominus de ipso dicens ⁵: « Homo pacis meæ, in quo sperabam; qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantatione (c). Ecce falsa datio simulatæ pacis. Unde dicit ei Jesus ⁶: *Juda (d), osculo filium hominis tradis?* Chrysostomus ⁷: « Cum dicitur Pax cœli ⁷, in osculo temere traditur, alligatur omni nexu, a falso veritas accusatur. » *In quo sperabam*: ecce confidentia animæ et securitas (d) *magnificavit super me*: ecce immensitas malignitatis Judæ. Unde Dominus dicit de Juda ⁸: « Amen dico vobis, quoniam unus ex vobis me traditurus est, qui manducat mecum. »

Secundo magna malignitas fuit Judæ in

⁵ *Luc.*, xxii, 48. — ⁶ Chrysost. — ⁷ Locus corruptus. — ⁸ *Marc.*, xiv, 18.

(a) *Leg.* mortem crucis. — (b) *Del.* amicus, vel leg. inimicus. — (c) *Cæt. edit.* supplantavit me supplantatione pacis meæ. — (d) *Item Judas.* — (e) securitatis.

tradendo Dominum, propter excellentiam dignitatis apostolicæ. Judas enim non solum ad gratiam et ad doctrinam fidei est vocatus; sed etiam ad dignitates apostolatus est assumptus, dum eum Christus inter duodecim dignatus est adnumerare. Unde de ipso dicit Dominus ¹: « Unus ex vobis, » scilicet duodecim, « me tradet. » Similiter ²: « Unus (a) de duodecim, qui dicebatur (b) Judas, » etc.

Tertio magna fuit malignitas Judæ propter concupiscentiam cupiditatis et avaritiæ. Unde dicit Judas principilus sacerdotum ³: « Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. » Magna siquidem fuit istius iniquitas proditoris, si consideremus pro quanto vendidit Dominum: quia non magno, sed vili pretio, scilicet triginta argenteis. Major vero, si consideremus quibus tradidit et vendidit, quia non amicis, sed inimicis et extraneis quærentibus animam ejus. Maxima, si consideremus ad quid eum tradidit et vendidit: quia non ad serviendum, sed illudendum, flagellandum, conspuendum, et crucifigendum. Sed certe si consideremus quis venditur et traditur, infinita est enim ejus iniquitas: quia ⁴ « Rex regum, et Dominus dominantium. » Et propter hoc Dominus dicit Pilato ⁵: « Majus peccatum habet, qui me tibi tradidit. » Et quia malignitas proditoris, ratione suæ iniquitatis, est in Domini verbis explicata; ideo nolo amplius in hoc morari, sed finem dare sermone.

Secundo notatur contemptibilitas ultimi opprobrii in flagellatione et faciei conspuitione, cum dicit: *Illudetur et flagellabitur, et conspuetur*. Non enim sine magna causa, imo divina dispensatione factum est, ut Filius Dei illuderetur, flagellaretur, et conspueretur. Non enim sine causa, quoniam per ista tria miro modo ipse Dei Filius, reparator humani generis, destruit corpus peccati. Nam in peccato est frontis invere-

entia, excludens pudorem; delectationis complacentia, excludens dolorem; et elationis superbia, excludens timorem: et quoniam contraria contrariis curantur, primo destruxit frontis inverecondiam, in sustinendo pudorem in illusione; secundo, elationis complacentiam, sustinendo dolorem in flagellatione; tertio, elationis superbiam, sustinendo vilificationem in conspuitione.

Primo destruxit frontis inverecondiam sustinendo pudorem in illusione; et de ista illusione dicitur ⁶: « Chlamydem coccineam circumdederunt ei, et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et genuflexo ante eum, illudebant eum. » Fletum deducant oculi mei, et liquescat in me anima mea dolore compassionis super contritionem viri hujus: quia Filius Dei chlamyde coccinea induitur, non ut honoretur, sed ut vituperetur; corona de spinis super caput ejus ponitur, ut pudore confusionis repleatur; arundo in dextera ejus ponitur, et ante eum genuflectitur, ut regius honor parum ante ei exhibitus plenius derideretur. Unde frontis meretricis inverecondiam in peccato, cum Christo ad eam destruendam in illusione sui ⁷ peccati pudorem non assumere, est magnæ iniquitatis.

Secundo destruxit delectationis complacentiam, sustinendo dolorem in flagellatione; unde ⁸: « Tradidit Pilatus eis Jesum flagellis cæsum. » Christus ad hoc voluit amaritudinem doloris sustinere in flagellatione, ut destrueret dulcedinem carnalis delectationis. Non ergo, charissimi, evacuemus in nobis effectus divinæ flagellationis, quam sustinuit pro nobismetipsis: non Filium Dei rursus flagellemus per delectationem peccati, quia mitigandus est ejus dolor, non amplius innovandus. Unde Bernardus ⁹: « Heu me miserum! Deus meus adaptatur ad verbera: ecce jam cæditur, rumpitur sancta caro violentia flagellorum, et crudelia

⁶ *Matth.*, XXVII, 28-29. — ⁷ Locus corruptus. — ⁸ *Marc.*, XV, 15. — ⁹ Bern.

(a) *Cæt. edit.*, ex. — (b) *Item* dicitur.

¹ *Joan.*, XIII, 21. — ² *Matth.*, XXVI, 14. — ³ *Ibid.*, 15. — ⁴ *Apoc.*, XIX, 16. — ⁵ *Joan.*, XIX, 11. —

vulnera scapularum totam carnem confundunt. »

Tertio dextruxit elationis superbiam, sustinendo dejectionem, sive vilificationem, in conspuitione ¹ : « Expuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus. » Miro enim modo excelsus Filius Dei confundit nostram superbiam in sustinendo sputorum abominationes, quæ sunt signa extremæ dejectionis : ut nullus, quantumcumque nobilis et excelsus videatur, vereatur (a) propter honorem Dei humiliari, et deijci in conspectu hominum. Non erubescat ergo membrum dejectionem humilitatis, quam novit præcessisse in capite. Nihil enim gloriosius putet, quam opprobrium sui capitis portare.

Ultimo subinfert dolorosi supplicii acerbitatem, cum dicit : *Et postquam flagellaverint, occident eum.* Hujus dolorosi supplicii acerbitatem ostendit primo nobilitas teneri sive delicati subjecti veraciter patientis ; secundo, malignitas Judaici populi crudeliter sævientis ; tertio, atrocitas amari supplicii celeriter perimentis.

Primo vehementem amaritudinem hujus dolorosi supplicii ostendit nobilitas teneri subjecti veraciter patientis. Ex parte enim carnis erat teneritudo naturæ optime complexionatæ : et quanto natura tenerior, tanto ejus pœna dolorosior. Ratione autem hujus teneritudinis tantam pœnam infixit sola imaginatio mortis, quod ² « factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram : » ergo si tantum fecit sola imaginatio, quantum superaddit degustatio acerbissimæ passionis ! Ex parte enim mentis erat in eo omnimoda peccati immunitas : quæ autem pœna venit indigne, dolenda venit, secundum quod dicit Augustinus ³. Ex parte etiam amicabilem unionis animæ et carnis fuit in eo vehementia dolorosæ afflictionis : quia caro ejus nulli erat corruptioni obnoxia : ideo anima fortiori amicitia ei

conjungebatur. Ubi autem major amor in conjunctione, ibi major dolor in separatione : et ratione hujus non fuit sub cœlo dolor similis, sicut dolor Christi. Ad cujus expressionem clamans et lacrymans mortuus est : qui horribilis clamor etiam ipsis insensibilibus videbatur incutere horrorem, quoniam non tantum velum templi, sed etiam petræ scissæ sunt, et sol obscuratus est. Sed hanc lacrymabilem vocem non audiunt homines, qui duriores sunt ipsis lapidibus. De ista vero occisione ad litteram dicitur in *Isaia* ⁴ : « Sicut ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente se obmutescet. » *Ovis* est Christus ratione tractabilitatis et patientiæ ; sed *agnus* ratione puritatis et innocentiae, cujus ratione peccata mundi tulit. Unde sequitur ⁵ : « Pro eo, quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis deputatus est : et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus oravit. »

Secundo vehementem acerbitatem hujus dolorosi supplicii ostendit malignitas populi Judaici crudeliter sævientis. Multum enim sævierunt crudeles Judæi : nam ejus aures clamoribus opprobriorum impleverunt, ejus faciem abominationibus sputorum sordidaverunt, ejus caput compunctionibus spinarum fregerunt, propriis humeris suam ignominiam crucis portare fecerunt, ejus maxillas sacrilegis manibus percusserunt, in siti sua felle et aceto eum potaverunt, et quod plus est, solo zelo invidiæ eum occiderunt, secundum quod figuratum erat in occisione Abel, de quo dicitur ⁶ : « Cain, qui ex maligno erat, occidit fratrem suum. Propter quid autem occidit eum ? Quoniam opera ejus maligna erant, fratris ejus justa. » Perversus Cain, qui occidit justum fratrem suum solo zelo invidiæ, ratione suæ malignitatis, signat populum Judaicum, qui occidit Christum natum de populo et gente Judaica, invidens bonis operibus ejus. Et hoc

— ⁴ *Isa.*, LIII, 7. — ⁵ *Ibid.*, 12. — ⁶ *I Joan.*, III, 12.

¹ *Matth.*, XXVII, 30. — ² *Luc.*, XXII, 44. — ³ *Imo Poeta* : Quæ venit indigne, pœna dolenda venit.

(a) *Cœt. edit.* vorecundari.

est quod dicebat eis Dominus ¹: « Multa bona opera operatus sum vobis; propter quod vultis me occidere? » Hic enim est Christus, qui quæcumque mystica Veteris Testamenti adimplevit. Nam a latere Adæ sequestratus est, ut inde fieret Ecclesia. In Abel occisus est, in Noe nudatus, in Abraham multiplicatus, in Isaac immolatus. Hoc enim singulare sacrificium ad figurandum omnia Veteris Testamenti sacrificia hactenus insudaverunt. In Jacob peregrinatus, in Joseph venditus, in Moyse occultatus, in David persecutus, in prophetis exonoratus. Si ergo quilibet istorum, excepto Adam, habuit satis portare de sua tribulatione, quantum ergo habuit Christus portare, super quem, et in quo omnes istorum fluctus fuerunt inducti et adimpleti! Unde ratione illius crudelitatis et sævitiae, quam exercuerunt in eum Judæi, potest dici de eis ²: « Caput aspidum suget, et occidet eum lingua viperæ. »

Tertio vehementem acerbitatem hujus dolorosi supplicii ostendit atrocitas amari supplicii celeriter perimentis. Valde enim crudele et amarum fuit supplicium, eo quod in eo habuit membrorum denudationes et extensiones, dolens in omni parte sui sine ulla miseratione; clavorum perforationes in pedibus et manibus, patiens in omni hora sine requietione: tanquam enim carnifex sui ipsius, si parcebat pedibus, cruciabat manus; et si parcebat manibus, cruciabat pedes. Unde quia maxima erat ibi collectio nervorum, ideo maxima erat afflictio pœnarum: et quia maxima in collectione nervorum vigeat vivacitas, maxima sentiebatur pœnalitas: cujus immensitate acerbitatis et pœnalitatis, celeriter anima fuit divisa a carne. Ante enim obiit, quam alii, qui cum eo erant. Et cum percussus esset in latere, ratione accelerationis, exivit sanguis et aqua. Ex quo apparet quod adhuc sanguine existente in corde, ubi est fons vitæ, facta est separatio animæ a corpore. Si enim na-

turaliter anima appetat habitare in corpore, quamdiu sanguis abundat in domicilio vitæ; ergo absque maximo dolore de tam aperto domicilio vitæ avelli non potuit. Ad cujus pœnalitatis expressionem cum clamoribus validis emisit spiritum. Et de hoc dicitur ³: « Nos testes sumus omnium, quæ fecit Jesus in regione Judæorum, et quem occiderunt Judæi in Jerusalem suspendentes in ligno » crucis: in quo non habuit, ratione arcitudinis, ubi caput suum inclinaret, nec ubi membra corporis appodiaret: ideo aliquando appodiabat se ad clavos pedum, aliquando ad clavos manuum: et ideo omni hora sine interpolatione vehementissime patiebatur. Rogemus ergo, etc.

SERMO II ⁴.

Tradetur gentibus et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur ⁵. Talia passus est Dominus antequam occideretur corporaliter, quia talia patitur anima ut post occidatur spiritualiter. Traditur enim a diabolo suggestionibus, illuditur prosperitatibus, flagellatur adversitatibus, conspuitur delectationibus.

De primo Psalmista ⁶: « Traditus sum, et non egrediebar. » Sicut enim qui traditionem timet, non audet egredi castrum et domum; sic anima timorata non libenter egreditur de prima custodia: periculosus enim est iste egressus ⁷: « Egressa est autem Dina, » etc. Traditur enim anima suggestionibus malis quandoque per amorem, quandoque per rationem, quandoque per favorem. Quandoque diabolus suggerit homini temporalium concupiscentiam, proximorum displicentiam, propriam complacentiam. Ideo Christus ut hoc amoveret, ut pro his satisfaceret, ipse traditur a Juda, a sacerdotibus, a Pilato. A Juda propter avaritiam ⁸: « Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam? » Traditus est pro denariis inimico, ne tu tradaris pro denariis diabolo. Item a sacerdoti-

in Quadrag., habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁵ Luc., XVIII, 32. — ⁶ Psal. LXXXVII, 9. — ⁷ Gen., XXXIV, 1 et seq. — ⁸ Matth., XXVI, 15.

¹ Joan., x, 32. — ² Job, xx, 16. — ³ Act., x, 39. — ⁴ Hunc et seq. usque ad serm. 1, inclusive, Dom. 1.

bus, propter invidiam¹: « Sciebat enim Pilatus quod per invidiam tradidissent eum. » Item a Pilato, propter complacentiam²: « Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, et tradidit eis Jesum. » O quot hodie tradunt ipsum, et ipsi a diabolo traduntur, propter jam dietas causas!

De secundo ait Psalmista³: « Facti sumus opprobrium vicinis nostris, et subsannatio iis, qui in circuitu nostro sunt, » id est, dæmonibus circumeuntibus. ⁴ « Circuit quærens quem devoret. » Illudit autem diabolus homini per prosperitatem, sicut illuditur muri, vel avi, vel pisci per escam, in qua hamus latet. Illudit autem in tribus: in cognoscendis, in agendis, in appetendis. Ideo Christus tribus vicibus illusus est. Illudit diabolus errantibus in cognoscendis, ligans oculos intellectus per velamen ignorantiae: contra quod Dominus Christus in prima illusionem oculis velabatur. Illuditque diabolus in agendis per hypocrisim, sicut illusio esset, si sordidum pulchrum, et si nigrum album appareret. In *Matthæo*⁵: « Similes estis sepulchris dealbatis. » Contra quod Christus in secunda illusionem coram Herode veste alba induitur et conspuitur. Item illudit diabolus in appetendis, dum appetunt homines temporalia pro æternis, temporales utique excellentias, delicias, divitias. Contra quæ Christus, in tertia illusionem, corona spinea, veste purpurea, arundine illuditur. Corona est excellentium, purpura delicatorum est, arundo divitias significat. Et sic illusori diabolo Christus suis illusionibus illusit⁶: « Illusores ipse deludet. »

De tertio⁷: « En famuli tui flagellis cædimur. » Pharaon diabolus significat, quia flagellis tribulationes multos sibi servire cogit, dum propter inopiam alii furantur, vel cepej faciunt; alii propter angustias blasphemant; alii propter injurias odiunt et occidunt. Unde quibusdam perversis tanquam

flagellis utitur diabolus: et lingua mala utique flagellum diaboli est⁸: « A flagello lingue absconderis. » Contra hæc flagella Christus flagellatus est, ut te a flagellis dæmonum erueret. Nota quod diabolus flagellis suis inducit pronitatem, multiplicitatem, diuturnitatem in peccatis. Ideo Christus, ad satisfaciendum contra pronitatem, promptus fuit ad flagella. ⁹ « Ego in flagella paratus sum. » Item contra multiplicitatem peccatorum, multiplicata sunt super eum verba flagellorum¹⁰: « Multiplicata sunt super me flagella. » Item contra diuturnitatem, diu flagellatus est verberibus et verbis¹¹: « Fui flagellatus tota die. » Flagellis enim lingue flagellatus est ab hora captivitatis suæ, usque ad horam mortis. Sed, heu! a malis Christianis flagellis peioribus cæditur, quam a Judæis. Flagellatus est Christus flagellis Judæorum; flagellatur nunc flagellis falsorum Christianorum.

De quarto¹²: « Si pater ejus spuisset in faciem ejus, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? » Pater leprosa animæ diabolus est, qui sputum malæ delectationis projicit in animam per visum, per verbum, per tactum. Per visum, quando homo faciem non avertit, ne videat vanitatem: pro quo Christus satisfecit, sicut dicitur¹³: « Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. » Item per contritionem innocentium¹⁴: contra quod Christus in secunda illusionem conspuitur coram Caipha, qui interpretatur *vomitus oris*. Item per tactum in violentia: contra quod Christus in tertia illusionem, dum conspuitur arundine, dure tangitur. Post hæc autem omnia, anima per consensum occiditur: et ideo post prædicta Christus occiditur.

SERMO III.

*Cæcus quidam sedebat*¹⁵. Quatuor ex causis contingit cæcitas culpæ in anima vide-

¹ *Marc.*, xv, 10. — ² *Ibid.*, 15. — ³ *Psal.* LXXVIII, 4. — ⁴ *1 Petr.*, v, 8. — ⁵ *Matth.*, xxiii, 27. — ⁶ *Prov.*, iii, 34. — ⁷ *Exod.*, v, 16. — ⁸ *Job*, v, 21. — ⁹ *Psal.*

XXXVII, 48. — ¹⁰ *Psal.* XXXIV, 15. — ¹¹ *Psal.* LXXII, 14. — ¹² *Num.*, xii, 14. — ¹³ *Isa.*, l, 6. — ¹⁴ *Locus corruptus.* — ¹⁵ *Luc.*, xviii, 35.

licet carnis voluptate, superbiae vanitate, rerum cupiditate, mentis infidelitate.

De primo¹: «Eos, qui erant foris, percuserunt caecitate.» Nota historiam. Illa Sodomitarum caecitas exterior interiorem significat. Excæcantur enim in animabus suis omnes luxuriosi; Gregorius²: «Carnis delectatio mentem, quam inficit, obscurat, ne videre inde luminis claritatem valeat; sed unde inferius delectatur, inde caliginem ad superna patiatur.» Bene autem dicitur, *qui erant foris*, et non intus cum Loth et angelis, quia luxuriosi extra consortium angelorum et sanctorum perpetuo erunt, ubi, propter ardorem et foetorem luxuriae, igne et sulphure puniuntur aeternaliter, sicut isti temporaliter. Psalmista³: «Ignis, sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.» *Foris*, inquam, *erant* (a), etc.⁴ «Foris canes,» etc. Quid enim canes facerent inter angelos?

De secundo⁵: «Dicis: Quia dives sum et locuples, et nullius egeo.» Ecce magna superbia, quod homo ita magnum de se sentit, quod nullius egeat. Propter hoc sequitur: «Et nescis quia tu es miser et miserabilis, et pauper, et caecus.» Caecitas autem superbiae evenit de inflatione. Augustinus⁶: «Tumore meo separabar abs te, et nimis inflata facies claudebat oculos meos.» Caecitas inflationis maxime in potentibus et rectoribus; sed vae ovibus habentibus caecum pastorem, quia coram bestiis, id est daemionibus, siue defensione sunt⁷: «Omnes bestiae agri, venite ad devorandum, universae bestiae saltus. Speculatores ejus caeci omnes.» Bestiae daemones sunt. Psalmista⁸: «Ne tradas bestiis,» etc. *Bestiae agri* sunt, qui impugnant actiones: *bestiae saltus*, qui contemplationes, et solitarios. Vel *bestiae agri* sunt, qui saeculares; *bestiae saltus*, qui religiosos impugnant; *saltus*, qui saltum de mundo fecerunt, etc.

De tertio⁹: «Non accipias munera, quae etiam excæcant prudentes, et subvertunt

verba justorum.» Caveant sibi maxime iudices de ista caecitate.¹⁰ «Xenia (b) et dona excæcant oculos iudicum,» et ideo fiunt caeci: culpas pauperum districte examinant, divitum autem dissimulant, parcentes camelo, et non culici.¹¹ «Duces caeci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.» Vel aliter: Camelum glutiant, dissimulando majora; culicem colant, ponderando minora. Pensa quam damnabilis sit avaritia in iudicio injusto, cum detestabilis sit in iudicio justo. Isidorus¹²: «Qui recte iudicat, et pretium remunerationis expectat, fraudem ideo procurat, quia justitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniae vendit.» In primis duabus auctoritatibus *Exodi* et *Ecclesiastici*, ostenditur, quod iudices etiam prudentes, et iusti etiam avaritia excæcantur. Timenda ergo avaritia, per quam corrumpitur potestas, quae in iudicibus; veritas, quae in prudentibus; bonitas, quae in iustis intelligitur.

De quarto¹³: «Caecitas ex parte contingit (c) in Israel.» Ecce quantum regratiari debemus Deo, quod amicis, id est Israeli, erui permittit oculos, ut inimici, id est gentes, illuminarentur. Bene dico quod permisit: non enim oculos infidelium eruit Deus, sed diabolus.¹⁴ «Deus hujus saeculi excæcavit mentes infidelium.» Oculum autem dextrum libentissime excæcat diabolus, id est, fidem divinitatis Christi: nam fides humanitatis est sinister oculus. Unde dicit Naas Ammonites¹⁵: «In hoc feriam vobiscum foedus, ut eruam omnium vestrum oculos dexteros.» Naas diabolus significat: interpretatur enim *serpens*.¹⁶ «Serpens deceptus.»

Et hanc quadruplicem caecitatem quatuor personae, quas excæcatas legimus, figurant, videlicet Samson, Sedechias, Tobias, Elymas magus. Caecitas ergo concupiscentiae significatur in Samson, qui per meretricem

XXIII, 8. — ¹⁰ *Eccli.*, XX, 31. — ¹¹ *Matth.*, XXIII, 24. — ¹² *Isid.* — ¹³ *Rom.*, XI, 25. — ¹⁴ *II Cor.*, IV, 4. — ¹⁵ *I Reg.*, XI, 2. — ¹⁶ *Gen.*, III, 13.

¹ *Gen.*, XIX, 11. — ² *Greg.* — ³ *Psal.*, X, 7. — ⁴ *Apoc.*, XXI, 15. — ⁵ *Apoc.*, III, 17. — ⁶ *August.* — ⁷ *Isa.*, LVI, 9-10. — ⁸ *Psal.*, LXXIII, 19. — ⁹ *Exod.*,

(a) *Cæli edit. erunt.* — (b) *Item cuxenia.* — (c) *Item contingit.*

traditus excæcatur, sicut dicitur¹; cæcitas superbæ, in Sedechia rege excæcato, sicut dicitur², excæcatus est, quia regia dignitate elatus, alii subesse noluit; cæcitas avaritiæ, in Tobia³ stercore hirundinum excæcato. Stercus enim sunt temporalia bona et mundana⁴: «Omnia detrimentum feci, et arbitrator ut stercore.» Cæcitas infidelitatis est in Elyma qui resistebat Paulo prædicanti fidem, de quo⁵: «Ecce manus Domini super te, et eris cæcus,» etc. Hæc quatuor exponendo, morare ut vis.

SERMO IV.

*Confestim vidit*⁶, etc. Quatuor sunt, quæ animam peccantis excæcatam videre faciunt, videlicet tribulationis purgatio, Christi incarnatio, veritatis prædicatio, gratiæ inspiratio.

De primo⁷: «Collyrio inunge oculos tuos, ut videas.» Ut autem videas, et scias quod cum liquido collyrio purgatio divinæ correctionis est necessaria, ideo subjungitur immediate: «Ego quos amo, arguo et castigo. Acutissima collyria sustinentur pro oculis corporis; quanto magis pro oculis intellectus animæ purgandis?» «Vexatio intellectum dabit auditui.» Unde et Stephano virtute collyrii passionis in tantum purgati sunt oculi, ut videret «gloriam Dei, et Jesum stantem,» etc., sicut dicitur⁸.

De secundo¹⁰: «In iudicium ego in mundum veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant.» Quid mirum, cum etiam in sole materiali visus infirmus lædatur, visus fortis delectetur? Sic utique in sole æternali Christo visus infidelium retunditur, et excæcatur. Unde de sole dicitur¹¹: «Radiis suis excæcat (a) oculos.» Sed visus fidelium in hoc sole delectatur¹²: «Dulce lumen et delectabile oculis videre solem,» id est, Christum.

Augustinus¹³: «Sensi, expertus sum, non esse mirum quod palato non sano po-na est panis, qui sano est suavis, et oculis ægris odiosa est lux, quæ puris est amabilis.»

De tertio¹⁴: «Audient surdi verba libri et de tenebris, et caligine oculi cæcorum videbunt.» Hic est liber Scripturæ sacræ, in quo, ut dicitur¹⁵, «scriptæ (b) erant lamentationes, et carmen, et væ:» lamentationes pœnitentium in mundo, carmen psallentium in cælo, væ gementium in inferno. Gregorius¹⁶: «Mala, quæ nos egisse meminimus, fletibus puniamus, ut per lamenta pœnitentiæ perveniamus ad carmen vitæ: ne si affligi modo pœnitendo nolimus, postmodum sine fine sentiamus.» Verba hujus libri non solum faciunt audire surdos ad obediendum ad bonum, sed etiam cæcos videre cognoscendo. Psalmus¹⁷: «Declaratio sermonum tuorum illuminat,» etc.

De quarto¹⁸: «Saule frater, Dominus Jesus misit me, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videasset implearis Spiritu sancto.» *Ut videas*, intellige utroque modo. Item Glossa: «Monstratur in facie, quod lumen recipit in mente.» Spiritus autem sanctus veritatem suam nos videre non facit, nisi ad hospitium cordis venerit¹⁹: «Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.» Et nota quod Paulus visum recepit, postquam per triduum, neque comedens neque bibens, sed orans fuit: ita cæcus peccator per triduum pœnitentiæ recipit visum animæ. Augustinus²⁰: «Pœnitentia cæcis visum restituit, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit et roborat.»

Sic ergo visus in anima reparatur per pœnam, per assumptam naturam, per doctrinam, per gratiam. Secundum hæc quatuor invenimus in Scriptura quatuor cæcos illuminantia, videlicet fel, lutum, verbum, tactum.

¹ *Judic.*, XVI, 21. — ² *IV Reg.*, XXV, 7. — ³ *Tob.*, II, 41. — ⁴ *Philip.*, III, 8. — ⁵ *Act.*, XIII, 41. — ⁶ *Luc.*, XVIII, 43. — ⁷ *Apoc.*, III, 18, 19. — ⁸ *Isa.*, XXXIII, 49. — ⁹ *Act.*, VII, 55. — ¹⁰ *Joan.*, IX, 39. — ¹¹ *Eccli.*, XLIII, 4. — ¹² *Eccl.*, XI, 7. — ¹³ *Aug.*, de verb. Dom., serm. XVIII, al. LXXXVIII, n. 4, quoad

sensum. — ¹⁴ *Isa.*, XXIX, 18. — ¹⁵ *Ezech.*, II, 9. — ¹⁶ *Greg.* — ¹⁷ *Psal.*, CXVIII, 130. — ¹⁸ *Act.*, IX, 17. — ¹⁹ *Joan.*, XVI, 13. — ²⁰ Imo auctor libri *de ver. et fals. Pœnit.*, n. 1, inter *Oper. August.*, Append. tom. VI.

(a) *Vulg.* obcæcat. — (b) *Cat. edit.* scripta.

Visus enim animæ reparatur felle tribulationis, luto incarnationis, verbo prædicationis, tactu inspirationis. De felle dicitur ¹: «Assumens Tobias de felle piscis, linivit oculos patris sui,» etc., «statimque visum recepit.» Fel tribulationis patienter sustineamus pro illo, qui pro nobis in passione de felle gustavit ²: «Dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum.» Bernardus ³: «Quidquid afflictionis terrena propinat adversitas, leve erit, si inspiciamus quid biberat ad crucis patibulum, qui nos invitat ad cælum.» De luto dicitur ⁴: «Lutum posuit mihi super oculos, et lavi, et video.» Unde versus:

Est caro nostra lutum, Patris sapientia sputum.

In hoc luto habitant spiritus humani ⁵: «Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumerunt velut a tineas,» etc. In domo lutea nobiscum habitare voluit Filius Dei, ut ideo habitarem in domo cœlesti: de quo in *Joanne* (a) ⁶: «In domo patris mei,» etc. De verbo dicitur in hoc Evangelio ⁷: *Respice*, etc. *Et confestim vidit*. O quoties prædicator dicit peccatori: Respice præmia, respice infernum, respice Dei mandatum! ⁸ «Nihil dulcius quam respicere in mandatis Dei.» De tactu dicitur ⁹: «Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum, et confestim viderunt.» Illic est tactus gratiæ, quo Deus tangit: de quo tactu Deus tangit cor per contritionem. Psalmista ¹⁰: «Tanges montes, et fumigabunt,» fumo contritionis: qui maxime ex consideratione iræ Dei futuræ resolvitur in corde pœnitentis. Psalmista ¹¹: «Ascendit fumus in ira ejus,» etc. Montes autem superbi sunt peccatores: hi autem fumigabunt in mundo, aut ardebunt in inferno ¹²: «Montium fundamenta comburet,» id est, peccatorum.

¹ *Tob.*, XI, 13. — ² *Matth.*, XXVII, 34. — ³ Bern. — ⁴ *Joan.*, IX, 11. — ⁵ *Job*, IV, 19. — ⁶ *Joan.*, XIV, 2. — ⁷ *Luc.*, XVIII, 42, 43. — ⁸ *Eccl.*, XXIII, 37. — ⁹ *Matth.*, XX, 34. — ¹⁰ *Psal.*, CXLIII, 5. — ¹¹ *Psal.*, XVII, 9. — ¹² *Deut.*, XXXII, 22. — ¹³ *Job*, XLII, 6. — ¹⁴ *Ezech.*, XVIII, 21. — ¹⁵ Imo Gregor., in *Evang.*, hom. XXXIV, n. 15. — ¹⁶ *Joan.*, XV, 11. — ¹⁷ *Psal.*

IN DIE CINERUM.

SERMO PRIMUS.

Ago pœnitentiam in favilla et cinere ¹³. Agere debemus pœnitentiam: non tantum pati. Patiuntur autem, qui coacti subjacent pœnitentiæ. Agere pœnitentiam fructuosum est respectu hominis agentis, respectu diaboli invidentis, respectu angeli gaudentis, respectu Dei retribuētis. Fructuosa utique, et utilis est actio pœnitentiæ ad hominis expiationem, diaboli spoliationem, angeli congratulationem, Dei remunerationem.

De primo ¹⁴: «Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis, quæ operatus est,» etc. Non dicit a quibusdam tantum. Bernardus ¹⁵: «Pœnitentia est perpetrata mala plangere, et plangenda non committere. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen quædam committat, adhuc pœnitentiam agere, aut ignorat, aut dissimulat.» Sequitur ¹⁶: «Et custodierit omnia præcepta,» non unum tantum: maxime autem illud ¹⁶: «Hoc est præceptum meum,» etc. Sequitur ¹⁷: «Judicium et justitiam fecerit:» judicium quoad seipsum, et justitiam quoad proximum. Psalmista ¹⁷: «Justitia et judicium præparatio sedis tuæ.» O quam periculose faceret, qui regi, dum optime sederet, sedem detraheret. Sequitur ¹⁸: «Vita vivet et non morietur, omnium iniquitatum ejus non recordabor quas operatus est.» E contrario ¹⁹: «Nunc recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum.»

De secundo dicitur ²⁰: «Si superatus fuerit populus tuus ab inimicis (peccabunt enim tibi), et conversi egerint pœnitentiam, et observaverint nomen tuum, et fuerint deprecati te in loco isto: tu exaudies de cælo, et propitiare peccato populi tui Israel, et reduc eos in terram, quam dedisti eis.» Inimici isti sunt dæmones. Psalmista ²¹:

LXXXVIII, 15. — ¹⁸ *Ezech.*, XVIII, 21. — ¹⁹ *Ose.*, VIII, 13. — ²⁰ II *Paral.*, VI, 24-25. — ²¹ *Psal.*, CXLII, 9.

(a) *Cæt. edit.* Joannes.

« Eripe me de inimicis meis, » etc., qui animam nostram impugnant ut nos ruere faciant in gehennam. Sed ruina ista per pœnitentiam vitatur ¹: « Convertimini, et agite pœnitentiam, et non erit vobis in ruinam iniquitas. » Contra istos inimicos multum valet pœnitentia. Augustinus ²: « Acriores contra inimicos dolores non inferimus, quam cum plagas peccatorum nostrorum confitendo et pœnitendo sanamus. » Per pœnitentiam ergo ab his inimicis liberamur, et ad terram, scilicet Ecclesiæ, reducimur.

De tertio ³: « Gaudium est angelis Dei super, » etc.; non angelis diaboli ⁴: « Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. » Gaudent ergo de converso impio, sicut sitiens de bono vino. Bernardus ⁵: « Gaudent angeli in conversione et pœnitentia peccatorum, salutem hominum sitiens: lacrymæ, prævium vinum eorum. » Gaudent angeli, dum per pœnitentiam liberamur de manu justitiæ Dei, quam in sociis suis dejectis de cœlo gravissimam viderunt, in quam etiam non agentes pœnitentiam incidunt ⁶: « Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum, » etc.

De quarto ⁷: « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum (a). » Pœnitentia regnum facit appropinquare, quando datorem regni incipit pœnitenti conglutinare. Joannes Chrysostomus ⁸: « Nihil ita Deo conglutinatur et unit, ut lacrymæ pœnitentis. » Sed, heu! cum tanta bona per pœnitentiam consequamur, pauci tamen pœnitentiam agunt. Ideo conqueritur Dominus ⁹: « Nemo quod bonum est loquitur. Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? » Dicit ergo Job ¹⁰: *Agopœnitentiam in favilla et cinere.* Gregorius ¹¹: « In favilla et cinere pœnitentiam agere, est contemplata divina essentia, nihil

aliud, quam favillam cineremque se cognoscere. » ¹² « Deficiet omnis caro simul, et homo in cinerem revertetur. » Prædictas quatuor utilitates pœnitentiæ in humilitate et (b) in cinere factæ (c) invenimus. De culpæ expiatione significatum est ¹³, ubi de rege Ninives legitur, quod « abjecit vestimentum et indutus est sacco, et sedit in cinere. » Nihil enim prodest, quod homo per memoriam mortis in cinere humiliatur, nisi vestimentum veteris conversationis abjiciatur, et saccus pœnitentiæ assumatur. De diaboli spoliatione significatum est ¹⁴: « Planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, ululatus, et fletus, sacco et cinere multis pro strato utentibus. » Et de ipsa dicitur in Esther ¹⁵: « Pro unguentis variis cinere et stercore implevit caput, et corpus suum humiliavit. » Et sic liberati sunt de Aman, et aliis inimicis. Sic et nos spiritualiter de diabolo et angelis ejus liberamur. De angelica congratulatione ¹⁶: « Posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare, et deprecari in jejuniis, sacco et cinere, » etc. Et sic completa oratione, angelus Gabriel consolabatur eum tangens, et docens eum. De Dei remuneratione ¹⁷: « Darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. » Ecce humiliatis in cinere, id est, contritis in mundo dabitur corona, oleum, pallium in cœlo: Dabitur corona dignitatis supernæ, oleum jucunditatis internæ, pallium immortalitatis æternæ.

SERMO II.

Conspergere cinere: luctum unigeniti fac tibi planctum amarum ¹⁸. Cinere in capite mentis conspergimur, dum incinerationis nostræ futuræ, et mortis recordamur, et ex consideratione nostræ incinerationis humi-

¹¹ Gregor., *Moral.*, lib. XXXV, c. v, al. vi, n. 7. — ¹² Job., xxxiv, 15. — ¹³ Jon., iii, 6. — ¹⁴ Esth., iv, 3. — ¹⁵ Ibid., xiv, 2. — ¹⁶ Dan., ix, 3. — ¹⁷ Isa., lxi, 3. — ¹⁸ Jerem., vi, 26.

(a) *Cæt. edit.* appropinquabit regnum. — (b) *Cæt. edit.* decet et. — (c) *Cæt. edit.* facta.

¹ Ezech., xviii, 30. — ² Aug. — ³ Luc., xv, 10. — ⁴ II Cor., xii, 7. — ⁵ Locum hunc, profecto corruptum, apud Bern. reperire non potui. — ⁶ Eccli., ii, 22. — ⁷ Matth., iii, 2. — ⁸ Chrysost., in Matth., hom. vi, n. 5. — ⁹ Jerem., viii, 6. — ¹⁰ Job., xlii, 6. —

liamur ¹ : « Ago pœnitentiam in favilla et cinere. » Gregorius ² : « In favilla et cinere pœnitentiam agere, est contemplata divina essentia, nihil aliud quam favillam et cinerem se cognoscere. » Sicut autem per cineres furum vestigium proditur, lixivium conficitur, ignis intus conservatur, panis assatur vel coquitur ; ita per cineres nostræ humiliationis proditur vestigium culpæ, conficitur lixivium pœnitentiæ, fovetur ignis gratiæ, coquitur torta Eucharistiæ vel assatur.

De primo dicitur ³ quod produntur per cineres eorum vestigia, qui per occulta ostiola intrantes, furabantur et comedebant cibos Bel. Bel diabolus significat, cujus cibi sunt peccata. Cibus ergo diaboli pascitur, qui in peccatis delectatur. O quam mortiferi sunt animæ isti cibi ! ⁴ « Aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem ? » Occulta ostiola sunt occultæ ad peccandum viæ et astutiæ. Contra quas ⁵ : « Væ qui profundi estis corde, » etc. Vestigia sunt exempla vel cogitationes peccatorum ⁶ : « Lubricaverunt vestigia nostra, » etc. Cineres ergo in templo cordis spargere, est futuram incinerationem frequentius cogitare. Psalmus ⁷ : « Nebulam sicut cinerem sparget. » Nebula est vita nostra propter instabilitatem et fragilitatem ⁸ : « Vita nostra sicut nebula dissolvitur. » Nebula ergo sicut cinis spargitur, quando vita nostra cineranda cogitatur. Per cineres ergo fures produntur, dum timore mortis et futuræ nostræ incinerationis peccatores confitentur. Confessio enim est proditio. Ambrosius ⁹ : « Exi foras, delictum proprium prode, ut justificeris. »

De secundo ¹⁰ : « Tollent de cineribus combustionis, et mittent aquas vivas super eos in vias. » Hac commixtione vel lixivio, immundi expiantur. Aqua viva est aqua contritionis, seu lacrymarum ; Psalmus ¹¹ : « Exitus aquarum, » etc. In vase ergo cor-

dis commisce aquam contritionis cum memoria tuæ incinerationis, juxta illud ¹² : « Accingere cilicio, et conspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi planetum amarum, » etc. Et sic pœnitentiæ lixivio mundaberis. Hæc confectio cineris et lacrymarum nunquam debet tibi deficere. Unde Isidorus ¹³ : « Cinis es, et in cinere vivere debes : semper lugens, semper mœrens, semper suspiria cordium emittere. » Lixivio autem maxime solent lavari capita et vestes. Sic tu caput lava lixivio mentis inferius ¹⁴ : « Non tantum pedes, » etc. Item vestem conversationis exterius ¹⁵ : « Lavent et vestimenta sua, et sint parati in diem tertium. »

De tertio dicitur de Menelao ¹⁶ : « Illic quia multa erga aram Dei delicta commisit, cujus ignis et cinis erat sanctus, ipse in cineris morte damnatus est. » Ara Dei est conscientia vel cor fidele. Augustinus ¹⁷ : « Oratio pure directa corde fideli tanquam de ara sancta surgit in incensum. » Ignis aræ Dei, est fervor gratiæ Spiritus sancti ¹⁸ : « Ignis in altari semper ardebit, » etc. Ara cum igne Dei cinerem habet, quia mens quoque justus cum fervore gratiæ humilitatem tenet : sicut Abraham, quando dicit ¹⁹ : « Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis ? » Sicut enim ignis conservatur cinere, sic gratia humilitate ; et sicut multus ignis multum facit cinerem, sic multa gratia multam habet humilitatem. Homo enim quanto plus ad Deum accedit, tanto plus infirmitatem propriam cognoscit. Gregorius ²⁰ : « Nunquam legitur quod Abraham cinerem vel pulverem se esse confessus sit, nisi cum habere meruit Domini colloquium. » Nota ergo quod contra aram delinquit, qui contra conscientiam agit. Contra aram ergo delinquens interius, a justo judice damnatur, quando contra conscientiam agens, corpore incineratur, in anima damnatur.

De quarto dicitur de Helia ²¹ : « Ecce ad — ¹⁴ Joan., XIII, 9. — ¹⁵ Exod., XIX, 11. — ¹⁶ II Mach., XIII, 8. — ¹⁷ August., Enarr. in Psal. CXL, n. 5. — ¹⁸ Levit., VI, 12. — ¹⁹ Gen., XVIII, 27. — ²⁰ Greg. — ²¹ III Reg., XIX, 6.

¹ Job, XLII, 6. — ² Greg., Moral., lib. XXXV, c. v, al. VI, n. 7. — ³ Dan., XIV, 13. — ⁴ Job, VI, 6. — ⁵ Isa., XXIX, 15. — ⁶ Thren., IV, 18. — ⁷ Psal. CXLVII, 16. — ⁸ Sap., II, 3. — ⁹ Ambros. — ¹⁰ Num., XIX, 17. — ¹¹ Psal. CXVIII, 136. — ¹² Jerem., VI, 26. — ¹³ Isid.

caput tuum subcineritius panis, et vas aquæ. » Panem Eucharistiæ non debemus sumere crudum, incurate et indevote accedendo¹: « Non comedetis ex eo quidquam crudum. » Subcineritius autem assatur, dum timore mortis, et futuræ incinerationis, homo ad communionem per contritionem et devotionem digne præparatur. Aqua ad caput est illa, de qua²: « Quis dabit capiti meo aquam? » etc. Panem cum aqua sumit, qui corpus Christi cum lacrymarum potu recipit. Vel cinis memoriam mortis Christi significat. Hoc sacramentum offertur in memoriam dominicæ passionis³: « Hoc facite in meam commemorationem. » Panis ergo sub cinere coctus, Christus est sub sacramento in memoriam passionis oblati. Ad caput quoque hic panis habetur, dum sacramentum cum excellenti reverentia et devotione tractatur. Ad pedes autem locatur, dum ab indigne communicantibus quasi pedibus conculcatur.

SERMO III.

Quatuor
impedi-
menta
conver-
sionis
peccato-
ris.

*Convertimini ad me in toto corde vestro*⁴, etc. Quatuor sunt, quæ conversionem peccatoris impediunt, videlicet pudor, timor, spes, et desperatio: pudor confessionis, timor satisfactionis, spes futuræ conversionis, desperatio remissionis.

Contra primum dicitur in Psalmo⁵: « Convertit aquas eorum in sanguinem, » etc. Aquæ Ægyptiorum sunt fluctus vitiorum, in quibus peccatores submerguntur⁶: « Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. » Per sanguinem significari potest rubor erubescentiæ de peccatis, tum propter colorem, tum propter hoc, quod uti vita animæ in sanguine est, ita vita gratiæ est in rubore quem homo habet pro peccato: qui cum erubescit pœnitendo mala, quæ fecit, ad vitæ libertatem pervenit. Sanguinis huiusmodi vox clamare debet in confes-

sione, postquam frater, id est corpus, animam occidit in transgressione⁷: « Vox sanguinis fratris tui clamat, » etc. Cum ergo virga comminationis divini iudicii extenditur in prædicatione, aquæ vitiorum in sanguinem per erubescentiæ convertuntur in confessione: et sic pisces carnalium desideriorum occiduntur, et Pharaon, id est diabolus, percutitur in justificatione.

Contra secundum dicitur de Ninivitis⁸: « Vidit Dominus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, et misertus est, » etc. Opera pœnitentiæ eorum fuerunt, quia⁹ « rex indutus est sacco, et sedit in cinere, et præcepit, dicens: Homines et pecora non gustent quidquam, et aquam non bibant, et operiantur homines sacco, et jumenta, » etc. Ecce timor tam gravis pœnitentiæ non retraxit Ninivitas a conversione; sed, heu! timor multos sic retrahit, quod quando timent peccata vitare, non possunt injusta bona restituere, et pœnitentias portare. Nos autem, charissimi, cum Ninivitis non timeamus pœnitentias transitoriæ satisfactionis, ut evadamus iram æternæ submersionis. Psalmista¹⁰: « Convertite nos, Deus salutaris noster, » etc. Certe tu potius converti debes, qui neque unius diei inducias habes. Gregorius¹¹: « Qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. » Nescis certe si hodie moriaris¹²: « Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te, » etc. Ecce, o peccator, etiam diem hodiernum habes incertum: et certum est quod morieris; sed incertum, quando aut quo modo, aut ubi: quoniam te ubique mors expectat. Tu quoque si sapiens fueris, ubique eam expectabis. Sed diabolus avertit ab eis sua astutia talium considerationem.

De tertio, Psalmista¹³: « Convertetur populus meus, et dies pleni invenientur in eis, » etc. Dies, inquam, pœnitentiæ, ad redimenda peccata¹⁴: « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. » Sed multi

¹ Exod., XII, 9. — ² Jerem., IX, 1. — ³ Luc., XXII, 19. — ⁴ Joel., II, 12. — ⁵ Psal., CIV, 29. — ⁶ Exod., XV, 10. — ⁷ Gen., IV, 10. — ⁸ Jon., III, 10. — ⁹ Ibid.,

6, 7. — ¹⁰ Psal., LXXXIV, 5. — ¹¹ Greg. — ¹² Luc., XII, 20. — ¹³ Psal., LXXII, 10. — ¹⁴ II Cor., VI, 2.

de Dei misericordia, de longa vita, futura conversione, de finali contritione tantum præsumunt, quod plenos ad solvendam pœnitentiam dies non assumunt. Unde nec pleni, nec quandoque dimidii, neque quandoque unius diei plenitudo invenitur in eis: et ideo sæpe Dei iudicio relinquuntur impœnitentes in die extremo. Augustinus¹: « Percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret, oblitus est Dei. »² « Super tribus sceleribus Moab, et super quatuor non convertam eum, eo quod incenderit ossa regum Idu-meæ usque in cinerem: et mittam ignem in Moab. » Primum scelus est malus consensus; secundum, actus; tertium, consuetudo; quartum, impœnitentia, super quam peccator non convertitur. Rex est spiritus, qui regere debet corpus. Ossa sunt virtutes, quibus anima sustentatur, sicut corpus ossibus. Ossa ergo regis incenduntur, dum virtutes animæ flamma vitiorum destruantur. Psalmista³: « Incenderunt igni sanctuarium tuum. » O stultissime homo, domum tuam ardentem in una hora extinguere non differes; animam vero ardentem extinguere differs per multos annos. Bernardus⁴: « Domus ardet, ignis a tergo instat, et fugienti prohibetur egredi, evadenti (a) suadetur regredi, et hoc ab iis, qui in incendio positi sunt. » Væ ergo talibus incendiariis et incensis. Dum ergo qui sunt de quarto scelere, quod est impœnitentia, non convertuntur, æterno igne incenduntur. Unde bene ait²: « Mittam ignem in Moab. »

Contra quartum dicitur⁵: « Magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se. » Vere magna misericordia et liberalissima, et festina. Augustinus⁶: « Nullus de Dei misericordia desperet. Major est enim ejus misericordia, quam nostra miseria. Tardius siquidem ei videtur veniam dare, quam peccatori accipere. Sic enim

festinat a tormento conscientia reum absolvere, quasi eum plus cruciet compassio miseri, quam ipsum miserum passio (b) sui. »

SERMO IV.

*Convertimini ad me*⁷, etc. Adjuva nos, Deus, ad hanc conversionem⁸: « Converte nos ad te, et convertemur. » Sicut in præcedenti sermone dictum est, quatuor sunt quæ impediunt conversionem peccatoris, videlicet pudor de malitia, timor de pœnitentia, spes de misericordia, desperatio de venia. Contra hæc considerare debemus remedia ad conversionem utilia.

Primo, ne pudor conversionem impediatur, videlicet ut consideres quam utilis, quam tolerabilis, quam rationabilis sit pudor confessionis. Primo nota quam utilis. Psalmus⁹: « Dixit Dominus: Ex Basan convertam, » etc. In profundo maris sunt, qui in imo vitiorum sunt.¹⁰ « Convertimini, sicut in profundum recesseratis, filii Israel. » Et vere periculosius mergitur in vitii anima, quam corpus in aquis. Basan interpretatur *confusio*: per confusionem enim et verecundiam confessionis, anima conversa eruitur de profundo submersionis. Vere ergo est utilis, quoniam verecundia magna est pœna pro peccato, quia talis fit dignus misericordia. De secundo nota, quod tolerabilis est conversis pudor confessionis, quia velociter transit. Psalmus¹¹: « Convertantur et erubescant valde velociter. » Brevis est hora et verecundia confessionis, qua tollitur longa verecundia diutinæ transgressionis, qua jam viginti, vel triginta, vel sexaginta annis coram Deo et angelis ejus confusus fuisti in peccatis. Unde cogita, quare erubescis una hora et uni homini dicere, quod per viginti vel triginta, vel sexaginta annos, et cum multis hominibus non erubuisti facere. Augustinus¹²: « Peccare non erubuisti, et confiteri erubescis: dicito in hac vita, ut re-

¹ August. — ² Amos, II, 1. — ³ Psal. LXXIII, 7. — ⁴ Bern. — ⁵ Eccli., XVII, 28. — ⁶ Imo auctor libri de Spir. et Anim.. c. VI. — ⁷ Joel., II, 12. — ⁸ Thren.,

V, 21. — ⁹ Psal. LXVII, 23. — ¹⁰ Isa., XXXI, 6. — ¹¹ Psal. VI, 11. — ¹² Aug.

(a) Cret. edit. evadendo. — (b) Apud Aug. compassio.

quiem habeas in alia. » Tolerabilis est ergo, et levis est erubescencia confessionis, non solum propter brevitatem, sed etiam ex comparatione intolerabilis erubescentiæ in iudicio. Si enim hic coram uno erubescere nolis, in iudicio coram multis millibus erubesces ¹ : « Revelabo pudenda tua, » etc. Item irrationabilis est pudor, qui te cogit non reverti, sicut irrationabile et stultum esset, si corruisset aliquis in cloacam, quod potius vellet ibi perire, quam clamare. Et certe quoniam peccasti, in cloacam diaboli corruisti ² : « Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua : tollite vobiscum verba, convertimini, » etc., verba utique confessionis. Item valde est irrationabile, quod propter verecundiam potius velles esse leprosus, quam ostendere te medico. Ostensio autem fit in confessione ³ : « Ite, ostendite vos sacerdotibus, » etc. Item peccatum tuum proditum cito curatur : crimen autem tacendo ampliatur.

Circa secundum vero, ne timor conversionem impediat, nota quod valet ad conversionem, ut attendas auxilium gratiæ, præmium gloriæ, iudicium gehennæ. Unde contra malum timorem, conversionem impediendam, valet, ut attendatur auxilium gratiæ. Deus enim tibi vult infundere spiritum gratiæ, quia omnia erunt tibi levia ad portandum, si vere converteris te ad Dominum ⁴ : « Convertimini ad correctionem meam : en proferam vobis spiritum mentis. » Correctio Dei est pœnitentia, qua corrigitur anima, quæ est sedes Dei; *Psalmista* ⁵ : « Iustitia et iudicium præparatio sedis ejus. » Talibus ergo conversis profert Dominus spiritum amoris, quo omnia levia sunt eis, ideo quod nihil amantibus durum, nullus difficilis labor. Amemus et nos Christum, et facile videbitur omne difficile. Item præmium gloriæ ⁶ : « Convertentur, et venient in Sion

¹ *Mach.*, III, 5. — ² *Ose.*, XIV, 2, 3. — ³ *Luc.*, XVII, 14. — ⁴ *Prov.*, I, 23. — ⁵ *Psal.* LXXXVIII, 15. — ⁶ *Isa.*, XXXV, 10. — ⁷ *II Cor.*, IV, 17. — ⁸ *Greg.* — ⁹ *Psal.* VII, 13. — ¹⁰ *Psal.* XXXI, 4. — ¹¹ *Bern.* — ¹² *Cætera*

cum laude, et lætitia sempiterna super capita eorum, » etc. Unde enim conversis levissimum est quidquid hic tolerant, si imaginem sempiternæ lætitiæ pensant ⁷ : « Quod in præsentis est momentaneum et leve tribulationis. » Gregorius ⁸ : « Quidquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc leve remunerationis spes ostendit. » Item iudicium gehennæ : *Psalmista* ⁹ : « Nisi conversi fueritis, gladius, » etc. Per gladium et arcum damnatio corporis et animæ significatur. Et vere levis reputanda est omnis pœna, qua evaditur æterna. Levius (a) est enim parum spina spongi, quam gladio occidi. *Psalmista* ¹⁰ : « Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. » E contra Bernardus ait ¹¹ : « Misera sane, et extremæ plena dementiæ commutatio, humanum declinare laborem, et præparatum diabolo stridorem eligere sempiternum. » ¹²

SERMO V.

Convertimini ¹³, etc. Nunc complendum est, quod hodie dimissum est. Circa tertium ergo, ne conversionem tuam vana spes impediat, valet ad conversionem, et contra spem vanam, ut attendas dierum tuorum incertitudinem, periculorum multitudinem, præmiorum dissimilitudinem.

De primo ¹⁴ : « Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem : subito enim veniet ira illius, » etc. De die in diem differt, qui neque unum diem certum habet ¹⁵ : « Veniet Dominus servi illius in die, qua non sperat, et hora, quam nescit, et dividet, » etc. Augustinus ¹⁶ : « Ipsa res, quæ multos decipit (b), cum dicunt : Cras, eras : et subito clauditur ostium. Remansit (c) cum voce corvina, quia non habuit gemitum columbinum. Cras, eras, vox corvi est. »

De secundo, patet quam periculosum sit vid. serm. seq. — ¹³ *Joel.*, II, 12. — ¹⁴ *Eccli.*, V, 8. — ¹⁵ *Luc.*, XII, 46. — ¹⁶ *August.*, *de verb. Dom.*, serm. XVI, al. LXXXII, II, 14.

(a) *Cæter. edit.* Levis. — (b) *Apud Aug.* occidit. — (c) *Suppl.* foris.

languenti differre medicinam : sanativa enim valde medicina est conversio, sive pœnitentia ¹ : « Convertimini, filii revertentes, et sanabo aversiones vestras. » Vere sanat animas pœnitentia. Augustinus ² : « Pœnitentia languores sanat, leprosos curat, mortuos suscitât, sanitatem auget, quam conservat. » Sed cave periculum : si enim medicina pœnitentiæ differtur, morbus animæ augetur. Insuper inveteratus difficulter sanatur ³ : « Languor prolixior gravat medicum. » Insuper in extrema ægritudine morbus corporis sæpe impedit convalescentiam animæ, quando anima morbo cordis opprimitur, et quando loquela privatur. Augustinus ⁴ : « Quoniam multa sunt, quæ impediunt, et languentem abstrahunt, periculosum est, interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. »

De tertio, Psalmus ⁵ : « Converte, Domine, captivitatem nostram, » etc. Per culpam est homo captivus diaboli. Bene dicit : *Sicut torrens in austro* : flante enim calido austro, id est Spiritu sancto, dissolvitur glacies peccatorum, currunt torrentes lacrymarum, et ipsis lacrymis, quasi quibusdam australibus pluviis, semina bonorum operum convalescunt ad messem æternæ vitæ. Unde sequitur ⁶ : « Qui seminant in lacrymis, » etc. Glossa : « Fructum æternæ beatitudinis. » ⁷ « Qui autem parce seminat, parce metet. » Qui tarde convertuntur, parum seminant; qui cito convertuntur, multum seminant, et multum metere possunt. Difficile ergo erit eorum præmium; et non solum præmium, sed etiam purgatorium. Quanto enim minus satisfaciunt in mundo, tanto plus tarde conversi ardebunt in purgatorio. Augustinus ⁸ : « Purgandus autem est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conversionis. »

Quarto valet contra desperationem, et ad conversionem, ut attendas potestatem,

veritatem, bonitatem Dei. De primo ⁹ : « Excita potentiam, » etc. « Deus, converte, » etc. Ecce David populum invocât, ut se convertat ei : potestatem enim habet Deus dimittendi peccata, et potentior est ad dimittendum, quam peccator ad committendum. Augustinus ¹⁰ : « Qui de Deo non præsumit veniam, non advertit plus peccato suo posse Dei clementiam; et tantam esse Dei potentiam ad dimittendum innumerabilia, sicut pauca; potens quoque est cor lapideum convertere in fontem gratiæ et lacrymarum. » Psalmista ¹¹ : « Qui convertit petram in stagna aquarum. » De secundo ¹² : « Impietas impii non nocebit ei, in quocumque die conversus fuerit. » Ecce magna promissio veritatis. Si ergo Deus converso impio veniam negaret, veritatem suam (quod absurdissimum est cogitare) negaret. Gregorius ¹³ : « Nullum pœnitentem reversum despicit, qui peccatores redimere venit. » De tertio ¹⁴ : *Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus*, etc., *et præstabilis super malitia*. Attende, peccator, benignitatem et misericordiam Dei in Filio pro te in morte tradito. Bernardus ¹⁵ : « Si supra modum peccavi, non despero, quia supra modum doluit, in quo respiro. Si exacerbatur Pater immanitate sceleris mei, mitigabitur in dolore Filii sui. » Item multiplices conversorum exemplo : apparet enim misericordia Dei in conversione Petri, et Pauli, et Magdalenæ, et latronis in cruce, Ninivitarum, et totius mundi ad Christum conversi. ¹⁶ « Mirabitur, et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi, » etc. Gregorius ¹⁷ : « Quoniam multos a suis iniquitatibus sanatos aspicimus, quid aliud quam supernæ misericordiæ pignus tenemus? »

SERMO VI.

Cum jejunitis ¹⁸, etc. Jejunium perficitur

Jejunium.

¹ Jerem., III, 14. — ² Imo auctor libri *de ver. et fals. Pœnit.*, c. 1. — ³ Eccli., x, 11. — ⁴ Aug. — ⁵ Psal. cxxv, 4. — ⁶ Ibid., 5. — ⁷ II Cor., ix, 6. — ⁸ Aug.

— ⁹ Psal. lxxix, 3, 4. — ¹⁰ Aug. — ¹¹ Psal. cxiii, 8. — ¹² Ezech., xxxiii, 12. — ¹³ Greg. — ¹⁴ Joel, ii, 12. — ¹⁵ Bern. — ¹⁶ Isa., lx, 5. — ¹⁷ Greg. — ¹⁸ Matth., vi, 16.

plena conversione, pura intentione, devota continuatione, et humiliatione vera.

De primo ¹ : « In toto corde vestro convertimini ad me, dicit Dominus, in jejunio, et fletu, » etc. Qui ergo vult meritorie jejuna- re, primo convertatur. Parum enim est abstinere a cibis, quando non abstinetur a vitiis ² : « Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites, et contentiones jejuna- tis. » Isidorus ³ : « Qui cibis abstinent, et prava agunt, dæmones imitantur, quibus esca non est, et nequitia semper est. » Ideo, ut digne jejunetur, contritio vera, confes- sio, satisfactio, jejunio associantur. Contritio vera ; unde dicitur ⁴ : « Convertimini in jeju- nio, et fletu, » etc. Item confessio ⁵ : « Josa- phat timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum, et prædicavit jeju- nium in universo Juda. » Juda *confessio* in- terpretatur. Qui ergo digne vult jejuna- re, debet peccata confiteri. Item satisfactio : licet enim pars sit satisfactionis, tamen aliæ par- tes omittendæ non « sunt. » ⁶ Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna, magis quam thesauros recondere. »

De secundo ⁶ : « Audientes plorabant, et jejunabant, et orabant in conspectu Domini, » non in conspectu hominum : in quo osten- ditur, quam pura debeat esse intentio jeju- nantis. Nota ergo quod jejunandum est non intentione placendi, non retinendi, non no- cendi. Jejunandum utique non ad placen- dum, scilicet in conspectu mortalium homi- num ; sed in conspectu Dei. Unde superius dicitur ⁷ : « Cum jejunatis, » etc., usque « re- ceperunt mercedem suam. » Item non ad retinendum. Multi enim sunt, qui parum comedunt propter parcitatem, ut retineant, et res, et pauperes in damnum habent. De eorum jejunio Gregorius ⁸ : « Non Deo, sed sibi quisque jejunat, si ea, quæ ad tempus ventri subtrahit, non pauperibus tribuit,

sed ventri post modicum offerenda custodit. Item non ad nocendum, sicut illi, de qui- bus ⁹ : « Prædicaverunt jejunium, et sedere fecerunt Nabot. » Jejunaverunt ut innocen- tem occiderent, ut per jejunium malitia eor- um palliaretur. Ita homines hæretici, et perversi Christiani bonum simulant, ut magis noceant. Sic Judas osculo Dominum tra- didit.

De tertio ¹⁰ : « Quoniam exaudivit Domi- nus preces vestras, si manentes permanse- ritis, in jejuniis et obsecrationibus in con- spectu Domini. » Bene quidam incipiunt jejunia, sed cito desistunt. Quidam uno die jejunii sunt, ebrii altero. Continuatio jeju- nii, præcipue autem abstinere a superfluis, valet contra pericula trium hostium nostro- rum, videlicet diaboli ; unde Christus Satan vicit, cum continuasset jejunium quadra- ginta dierum, et quadraginta noctium. Am- brosius ¹¹ : « Jejuni hominis sputum si ser- pens gustaverit, moritur. » Vides quanta vis jejunii sit ; et ut sputo suo homo serpen- tem terrenum interficit, sic et merito spiri- tualem. Item mundi ; unde in periculo maris Paulus et socii sui, jejunium continuantes, evaserunt ¹² : « Quarta die expectantes, je- juni permanentes, nihil accipientes, » etc. Mare autem mundum significat. Psalmista ¹³ : « Hoc mare magnum, » etc. Item carnis, quæ pericula incontinentiæ nobis suscitât. Hanc jejunando vicit continens Anna ¹⁴ : « Quæ non discedebat de templo jejuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte. »

De quarto, Psalmista ¹⁵ : « Humiliabam in jejunio animam meam. » Hic autem attende, qualis debeat esse humiliatio quoad proxi- mum. Vera est jejunantis humiliatio, si non sit quoad se infructuosa ¹⁶ : « Qui jejunat pro peccatis suis, et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se ? » Item, si non sit quoad Deum præsumptuosa, sicut illorum qui dicunt ¹⁷ : « Jejunavimus, et non as-

Jejunii
conti-
nuatio.

¹ Joel., II, 12. — ² Isa., LVIII, 3-4. — ³ Isid. — ⁴ II Paral., XX, 3. — ⁵ Tob., XII, 8. — ⁶ Bar., I, 5. — ⁷ Matth., VI, 16. — ⁸ Greg. — ⁹ III Reg., XXI, 12.

— ¹⁰ Judith, IV, 12. — ¹¹ Ambros. — ¹² Act., XXVII, 33. — ¹³ Psal. CIII, 25. — ¹⁴ Luc., II, 37. — ¹⁵ Psal. XXXIV, 17. — ¹⁶ Eccli., XXXIV, 31. — ¹⁷ Isa., LVIII, 3.

peexisti; humiliavimus animas nostras, et nescisti. » Item, si non sit quoad proximum injuriosa, sicut Pharisei illius ¹: « Jejunabis in sabbato, » etc. Unde injuriose contempsit Publicanum. Contra quæ ²: « Qui non manducat, manducantem non judicet. »

DOMINICA I IN QUADRAGESIMA.

SERMO PRIMUS.

Quatuor tempora memoria et in-
ta. *Ecce nunc tempus acceptabile* ³. Quatuor sunt tempora, quæ homines frequenter debent habere in memoria, videlicet: tempus acceptabile nostræ reconciliationis; tempus miserabile humanæ resolutionis; tempus formidabile extremæ examinationis; tempus intolerabile æternæ damnationis.

De primo dicitur hic: *Ecce nunc tempus acceptabile*. Acceptabile utique est tempus gratiæ, in quo pacem cum Deo et cum angelis, et medelam animabus nostris possumus, si volumus, invenire. Tale tempus antiqui desiderabant ⁴: « Expectavimus pacem, et non erat; bonum tempus medelæ, et ecce formido. » O quanta cæcitas! quanta insania! tempus medelæ corporis negligis (a) uno die, tempus medelæ animæ negligis multis annis. Joannes Chrysostomus ⁵: « Si forte in corpore parvi aliquid morbi pulsaverit, statim medicos adhibemus, et pecuniam profundimus; anima vero quotidie cum vulneretur, cum per singula lanietur, uratur, præcipitetur, et modis omnibus patitur, ne parva quidem pro ea nos cura sollicitat. » Merito ergo tantam temporis negligentiam Deus a te requiret. Gregorius ⁶: « Omne tempus tibi impensum requiret Deus, qualiter sit expensum. » O quam infestus est diabolus homini in hoc tempore! Et tanto certe infestior, quanto tempus infestandi suspicitur brevius ⁷: « Descendit dia-

bolus ad vos (b), habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. » Ergo, sicut dicitur ⁸: « Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. »

De secundo ⁹: « Tempus meæ resolutionis instat. » Mirabilis conditio, quod omnes mori debere nos scimus; sed sicut pisces vel aves quando capiuntur, ita et nos tempus mortis ignoramus. ¹⁰ « Nescit homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, et aves comprehenduntur laqueo, sic homines capiuntur tempore malo, cum eis extemplo supervenerit. » More enim piscis homo sequitur escam voluptatum carnalium, vel rerum temporalium; et decipitur, sicut avis, dulci sono adulationis, et ludo pennarum vanitatis et dissolutionis, donec hamo vel laqueo mortis capiatur, et hoc extemplo. Gregorius ¹¹: « Quanti ad vesperam sancti acturos se in crastinum aliquid putabant, et tamen in nocte (c) repentina morte defuncti sunt! »

De tertio ¹²: « Justum et impium judicabit Dominus, et tempus omnis rei tunc erit. » Certe ipse non tantum justum, imo ipsas justitias justas judicabit. Augustinus ¹³: « Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia, disentias eam. » Modo reliquit nobis tempus ad satisfaciendum; sed tunc accipiet tempus ad puniendum. Bene autem dicit Salomon, quod illo tempore justum et impium judicabit. De hoc tempore dicitur ¹⁴: « In tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizaniam, et alligate eam (e) in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum. » Ubi per zizaniam impii, per triticum justis significantur. Sed zizania in fasciculos alligatur, dum socii vel pares in culpis, in pœnis paribus sociantur. Qui vero electi sunt, seire debent quod, dum flagellis tribulationum triturantur, ad horreum cœli præparantur: hic enim per flagella purgantur. Augusti-

¹ Luc., XVIII, 12. — ² Rom., XIV, 3. — ³ II Cor., VI, 2. — ⁴ Jerem., VIII, 15. — ⁵ Chrysost., in Gen., hom. XXI, n. 6. — ⁶ Gregor., — ⁷ Apoc., XII, 12. — ⁸ Gal., VI, 10. — ⁹ II Tim., IV, 6. — ¹⁰ Eccle., IX, 12. — ¹¹ Greg., in Evng., hom. I, n. 5. — ¹² Eccle., III, 17. — ¹³ Aug., Conf. — ¹⁴ Matth., XIII, 30.

(a) Suppl. vix. — (b) Cœt. edit. nos. — (c) Cœt. edit. voce. — (d) Forte leg. injustas. — (e) Vulg. zizania... ea.

nus ¹ : « Quod lima ferro, quod fornax auro, hoc facit tribulatio justo. »

De quarto ait Psalmista ² : « Inimici Domini mentiti sunt ei, » etc. Inimici Domini sunt impii, qui toties Domino mentiuntur, quoties promissiones in baptismo factas, et vota sua, et juramenta transgrediuntur. Item orando, Domino mentiuntur, dum dicunt se debitoribus dimittere, et non dimitunt : ergo ³ « tempus erit in sæcula, » quia ignis eorum erit in sæcula ⁴ : « Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur. » Ignis enim iste non erit unius aunitantum, neque mille millium tantum annorum, sed æternus ⁵ : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, » etc. Augustinus ⁶ : « Aut continui dolores cruciabunt pœnitentem vitam, aut æterni cruciatus vexabunt puniendam animam. » Unde bene ait David ⁷ : « Erit tempus eorum in sæcula, » scilicet injustorum. Vide ergo tempora qualia tunc eos sequentur, qui nunc tempus acceptabile negligunt.

SERMO II 7.

Ductus est Jesus a Spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo ⁸. Quoniam efficacius persuadet vita, quam lingua, et exemplum, quam verbum; hinc est quod Dominus noster Jesus Christus, cujus quælibet actio est nostra instructio, ut dicit Gregorius ⁹, ut exemplo vitæ suæ ad resistendum diabolo cæteros efficaciter informaret, voluit a Spiritu dirigi, deinde in desertum morari, postea a diabolo tentari. Unde ad nostram instructionem qualiter debeamus diabolo resistere, tria de Christo proponuntur in verbo proposito : primo, Spiritus sancti interior inspiratio, ad dirigendum; secundo, loci securior inhabitatio, ad resistendum; tertio, diaboli interior impugnatio, ad subvertendum. Primo notatur Spiritus, scilicet inspiratio ad dirigendum, cum dicit : *Ductus est*

Jesus a Spiritu; secundo, loci securior inhabitatio ad resistendum, cum subdit : *In desertum*; tertio, exterior diaboli impugnatio, ad subvertendum, cum subiungetur : *Ut tentaretur a diabolo*. Et habent se ista tria valde ordinate. Nam qui vult de diabolo perfecte triumphare exemplo Christi, oportet ut primo a Spiritu sancto dirigatur, deinde in loco munito moretur, et postea ut impugnatio diaboli constanter sustineatur. Primo ergo in verbo proposito notatur Spiritus sancti inductio, sive inspiratio ad dirigendum, cum dicitur : *Ductus est Jesus a Spiritu*. Invenimus autem in sacra Scriptura Jesum ductum, sive inspiratum multiplici spiritu : quia quamvis Spiritus sanctus sit unus in substantia, est tamen multiplex in effectu. Primo ergo ductus est Jesus a spiritu veritatis, ad docendum ignarum; secundo a spiritu æquitatis, ad arguendum iniquum; sed tertio a spiritu fortitudinis, ad superandum diabolum : ut primum sit contra spiritum erroris; secundum, contra spiritum dissimulationis adulantis; sed tertium, contra (a) pusillanimitatis succumbentis.

Primo ergo ductus est Jesus a spiritu veritatis ad docendum ignarum; unde dicitur ¹⁰ : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me : ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem. » Exemplo enim Christi, quilibet ad officium prædicationis, secundum quod continetur in hoc verbo, debet primo eligi propter sanctitatem animi. Propter quod dicitur : « Spiritus Domini super me. » Deinde debet institui, propter æquitatem judicii et obsequii : eo quod ¹¹ *unxit me præ participibus* meis : quia *dilexi justitiam, et odivi iniquitatem*. Postea tanquam verus legatus missus a Deo, debet exequi actionem officii, quod notatur, cum dicit : « Ad annuntiandum mansuetis misit me : » cujus officii

¹ Aug., Enarr. in Psal. xxx, n. 12. — ² Psal. lxxx, 16. — ³ Ibid. — ⁴ Isa., lxvi, 24. — ⁵ Matth., xxv, 41. — ⁶ Aug. — ⁷ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521.

— ⁸ Matth., iv, 1. — ⁹ Greg., in Evang., hom. xvi. — ¹⁰ Isa., lxi, 1. — ¹¹ Psal. xlv, 8, 9.

(a) Suppl. spiritum.

executio debet esse ad medendum, sive ad consolandum tristem a tribulatione et dolore pœnali, ad sanandum ægrotum a vulnere peccati, ad liberandum captivum a carcere diaboli.

Secundo ductus est Jesus a spiritu æquitatis, ad arguendum iniquum. Unde dicitur¹: « Arguet in iniquitate pro mansuetis terræ, et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. » Non enim Dominus Jesus propter metum potestatis terrenæ timore amittendæ, nec propter quæstum mundanæ cupiditatis amore acquirendæ, sive propter ambiguan similitudinem falsitatis veritate complacendæ, veritatem silebat; imo veritatis jaculis, tam magnos, quam parvos æque feriebat. Ille (a) Spiritu ductus est in templum, quando non parat aures, ut audiat; sed flagella, quo feriat ementes et vendentes spiritualia pro temporalibus: nec decet quod domum orationis fecissent domum negotiationis; imo negotiatores de templo ejecit.

Tertio ductus est a spiritu fortitudinis, ad superandum diabolum; unde dicitur in Psalmo²: « Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. » Ad desertum, ad quod deduxit Spiritus sanctus Jesum: dicitur *terra recta*, eo quod est locus idoneus ad faciendam abstinentiam, propter quam sensualitas recto ordine per omnia subiacet rationi, ne perturbetur ratio ad bene operandum. Licet inter carnem, et spiritum Christi nulla esset rebellio, eo quod semper illa beatissima caro sequebatur illum sanctissimum spiritum.³ « Propter nomen tuum vivificabis me in æquitate tua, » quasi dicat: Domine Pater, indigeo auxilio tuæ sustentationis: quia tanto jejunio affixi meum corpus, quod præ nimia attenuatione, totaliter sentit se mortificatum.⁴ « Et educes de tribulatione animam meam, » scilicet de tribulatione famis et attenuationis. « Et in misericordia tua disperdes inimicos meos, » scilicet

specialiter diabolum, qui inique et supervacue inuitur me impugnare ad subvertendum. Unde antequam fuerit ductus Jesus spiritu fortitudinis in hoc deserto, eo quod non abhorreret adhærere solitudini, ubi asperitatem famis et malignitatem hostis sustinuit, imo aggressus est locum incultum, et eum dejecit feliciter.

Secundo notatur in proposito verbo securior habitatio ad resistendum, cum dicitur: *In desertum*. Desertum enim, propter triplicem proprietatem, erat valde aptus locus, et securus habitatio ad resistendum diabolicæ tentationi, quam de propinquo expectabat. Nam desertum locus est asperitatis, sterilitatis, et despectabilitatis (b). Cum ergo expectaret ipse de propinquo tentari a diabolo, a gula, ab avaritia, et a vana gloria, ad informandum nos exemplo suæ vitæ, voluit duci in desertum a Spiritu: primo, quia est locus asperitatis, ad exercendam abstinentiam corporalis sanctificationis; secundo, quia est locus despicibilis, ad confundendam jaectantiam sæcularis ambitionis; tertio, quia est locus sterilitatis, ad suppeditandam avaritiam exitialis aggregationis. Primo voluit duci in desertum, quia est locus asperitatis, ad exercendam abstinentiam corporalis sanctificationis. Unde potest exponi illud⁵: « Adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te atque tentaret, ut nota fierent quæ in animo tuo versabantur: afflixit te penuria, et dedit tibi cibaria magna. » *Adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis*, id est, quadraginta dies, ut annus pro die annumeretur, secundum quod frequenter consuetum est fieri in sacra Scriptura. *Per desertum asperitatis, ut affligerem te fame atque penuria, atque tentarem*, id est, permitterem tentari, ut nota fierent, quæ in animo tuo versabantur, id est continebantur, *omni populo*, ut instruantur exemplo tuæ patientiæ. *Affixi te penuria, et dedi tibi cibaria magna*: mira dispensatio divina, quia non

¹ Isa., XI, 4. — ² Psal. CXLII, 10. — ³ Ibid., 11. — ⁴ Deut., VIII, 2.

(a) Forte *teg.* Hoc. — (b) Item despicibilis.

datur consolatio cœlestis cibi, nisi præcedat afflictio cibi terrestri. Unde filiis Israel pluit manna de cœlo in deserto asperitatis et penuriae, non in Ægypto sterilitatis (a) et abundantiae. Secundo voluit duci in desertum, quia locus despectibilitatis (b), ad confundendam jactantiam sæcularis ambitionis. Unde Judas Machabæus, « qui decimus fuerat ¹, recessit in desertum locum, ibique inter feras (c) vitam cum suis (d) in montibus gerebat. » Judas, qui interpretatur *glorificans*, ratione suæ humilitatis et virtuositatis, signat Jesum Christum, qui, ratione humilitatis et virtuosæ conversationis, fuit gloria Dei Patris in assumpta humanitate. Dicitur autem *decimus* ratione suæ humilitatis, et virtuosæ conversationis, et eminentis perfectionis. Hic notatur: ad confundendam totaliter jactantiam ambitionis, in tantum se humiliavit, ut ² « formam servi accipiens » inter homines conversaretur; et etiam in tantum se vilificavit, ut vellet fieri ³ « opprobrium hominum », et abjectio plebis, » vitam suam in deserto cum bestiis gerendo. Erubescat ergo membrum, quod se elevat in altum per ambitionem, cum ejus caput voluit deprimi in inum per humiliationem. Alioquin monstruosa res est, si pes, qui debet subesse, vel aliquod aliud membrum superponatur (e) capiti, quod debet præesse. Tertio voluit duci in desertum, quia locus sterilitatis, ad suppeditandam avaritiam exitialis aggregationis. Unde dicitur ⁴: « Exclamavit voce magna Mathathias in civitate dicens: Omnis qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me. Et fugit ipse, et filii ejus in montes: et reliquerunt quæcumque habebant in civitate, et tunc descenderunt multi cum eo in desertum requirentes judicium, ut sederent ibi. » Mathathias, qui interpretatur *donatus*, ratione suæ eminentis sanctitatis signat Christum, qui est humano generi donatus a Deo

Patre: hic clamat prædicando, ut omnis qui habet zelum legis evangelicæ, per quam statuitur testamentum pacis et amicitiae cum Deo, exeat post eum de mundana conversatione, omnia, saltem affectu, relinquendo. Nam *ipse et filii ejus*, id est apostoli, omnia, quæ in mundo erant, contempserunt, ut citius post eum currerent cum cordis dilata-tione ad montana, id est eminentiam perfectionis evangelicæ. Et tunc *descenderunt multi*, scilicet perfecti religiosi, relictis omnibus, tam in communi, quam in proprio, post eum in desertum veræ mendicitatis et inopiæ, *requirentes judicium* per punitionem delictorum, *et justitiam* per adimplerionem præceptorum, *ut sedeant ibi* per mentis quietudinem et corporis requiem, nullam curam mundanæ sollicitudinis admittendo, sed tantummodo devotæ orationis et sacræ lectionis studio insistendo. Sed hodie sunt nonnulli, qui descendunt in desertum religionis, non ut sedeant, sed ut discurrant, per mentis distractionem et corporis inquietudinem, semper temporalia aggregando, et vix aut nunquam devotæ orationi vacantes, non attendentes, licet orationi vacantes, non attendentes, licet experimentaliter cognoscant, quod dicit Gregorius nono *Moralium* ⁵: « Perturbatæ mentes sæcularium eo ipso clamant, quod inquietæ sunt, quia a recta sapientia divisæ sunt. » Unde non est reputandus otiosus, qui insistit labori cognoscendæ veritatis, eo quod pluris meriti est, quam exercitatio (f) corporalis. Unde Ambrosius ⁶: « Otiosus non est, qui verbo Dei studet; nec pluris meriti est, qui laborat extra, quam qui laborem divinitatis cognoscendæ exereet. »

Ultimo notatur diaboli exterior impugnatio ad subvertendum, cum dicit: *Ut tentaretur a diabolo*. Tentavit autem diabolus Christum de tribus, de quibus tentavit primum parentem, quem decepit. Primo enim tentavit Christum de gula in deserto; secun-

¹ Mach., v, 27. — ² Philip., ii, 7. — ³ Psal. xxi, 7. — ⁴ Mach., ii, 27-29. — ⁵ Greg., Moral., lib. IX. — ⁶ Ambros., in Luc., lib. VII.

(a) Leg. fertilitatis. — (b) Forte leg. despicibilis. — (c) Cort. edit. interfectus. — (d) Feris. — (e) Vel præponatur. Cort. edit. supponatur. — (f) Item excitatio.

do, de vana gloria in templo; sed tertio, de avaritia in monte. Sed certe diabolus non habebat facere cum Adam stulto et insipiente, quod cum Christo astuto et sapiente. Nam tentationem gulæ vicit abstinentia, et tentationem vanæ gloriæ vicit humilitate, et tentationem avaritiæ vicit paupertate. Unde licet diaboli aggressus fuerit præsumptuosus, processus malitiosus, tamen ejus processus (a) fuit opprobriosus, cum nihil certitudinis de sua dubitatione potuit investigare, nihilque gloriationis de sua dolosa tentatione potuit reportare, et nihil excusationis de sua confusione potuit allegare, quoniam superatur a famelico, et debili, et despecto, et contemptibili, a mendico et inopi. O stupenda duelli dimicatio! o imitanda patientiæ perfectio, et admiranda sapientiæ dignatio, cum dux vitæ a principe mortis tentatur, et ab ejus membris crucifigitur, et nihilominus ipse princeps mortis ab ipso duce vitæ per mortis inductionem superatur (b)! Primo ergo tentavit Christum de gula, ut inficiat animæ et corporis puritatem; secundo, de vana gloria, ut inducat mundanæ ostentationis vanitatem; tertio, de avaritia, ut decipiat per mundanæ pulchritudinis delectabilitatem. Primam tentationem, scilicet gulam, vicit per spiritualis cibi jugem degustationem; secundam tentationem vanæ gloriæ, per voluntariæ abjectionis humiliationem; tertiam tentationem avaritiæ vicit per omnis terrenitatis despectionem.

Tentavit primo de gula, ut inficeret animæ et corporis puritatem, cum dixit ¹: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*: quasi eum volens capere per gulam, tanquam facilius vitium ad omnia facinora paratum. Unde nisi prius gula refrænatur, frustra contra alia vitia laboratur, secundum quod dicit Glossa. Hanc tentationem gulæ docuit Dominus vincere per spiritualis cibi jugem degustationem, cum respondit dia-

bolo ²: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*: quasi dicat: Cum homo sit compositus ex duplici substantia, scilicet corporali, et spirituali; sicut corpus indiget recreari et sustentari cibo materiali, sic spiritus cibo spirituali, qui quidem cibus est verbum, quod reficit spiritum, si (c) audiatur reverenter, sive intelligatur diligenter, sive ad memoriam reducat delectabiliter. Et propter hoc dicebat Dominus apostolis ³: « Vigilate, et orate: » (d) inquit, per fomitis repressionem, nam « vigilia honestatis tabescere facit carnes, » sicut dicitur ⁴; et nunc (e) amota carnis petulantia, ad degustandam duleedinem divini verbi, *orate*, per mentis elevationem. Nam ⁵ « hoc genus dæmoniorum, » id est, hoc vitium gulæ, « non ejicietur nisi in jejunio, et oratione. »

Secundo tentavit de vana gloria, ut induceret ad mundanæ ostentationis vanitatem, cum dixit ⁶: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*: quasi volens eum allicere ad ostentationem sæcularis jactantiæ. Unde Chrysostomus ⁷: « Volare per aerem non est proprie opus Dei, quia nec utile alicui, nec ad animam, nec ad corpus. » Hanc tentationem vanæ gloriæ docuit Christus vincere per profundæ abjectionis cordialem humiliationem, cum dixit ⁸: *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum*: quasi dicat: Experientiam non sumes de me per ostentationis signum. Qui hoc facit, Deum tentat præsumptione elationis. Ecce, charissimi, exemplo Christi habemus quod, qui ex contemptu vanæ gloriæ se humiliat, vitia superat; sed qui se exaltat, vincitur et superatur. Et propter hoc bene dicitur ⁹: « Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum. » Si voverimus quod oratio nostra sit coram Deo accepta et gratuita, debemus præparare animam nostram per profundam humiliationem cordis, et nihil reputemus nos, et veli-

¹ *Matth.*, IV, 3. — ² *Ibid.*, 4. — ³ *Luc.*, XXII, 40. — ⁴ *Eccli.*, XXXI, 1. — ⁵ *Matth.*, XVII, 20. — ⁶ *Ibid.*, IV, 6. — ⁷ Chrysost. — ⁸ *Matth.*, IV, 7. — ⁹ *Eccli.*, XVIII, 23.

(a) Forte leg. successus. — (b) *Cæt. edit.* superat. — (c) Leg. sive. — (d) Suppl. *vigilate*. — (e) Leg. tunc.

mus (a) esse quasi homo qui tentat Deum, propter aspectum superbiam, reputando se aliquid magnum, cum nihil sit; sicut ille Pharisæus¹, qui aspernabatur cæteros, et suæ temeritate præsumptionis arbitratur se esse justum: et propter hoc publicanus, ratione suæ humilitatis, descendit justificatus in domum suam ab illo superbo.

Tertio tentavit de avaritia, ut deciperet per mundanæ pulchritudinis delectabilitatem, cum dixit²: *Omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me.* Ostendendo enim ei omnium rerum pulchritudinem, quasi volens eum capere per illicitam delectationem, ut per avaritiam ducat eum ad peccatum idololatriæ. Hanc tentationem avaritiæ docuit Christus vincere per mundanæ prosperitatis totalem despectionem.³ Respondit Jesus: *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies:* quasi dicat: Qui propter aurum, vel aliquod aliud, alium quam Deum adorat, idololatra est; sed qui omnia contemnit propter Deum, servit soli Deo, eo quod nulla admittit contraria, nulla æquiparat disparata, et ad nihil aliud per affectum alligatur præter (b) illum, cui in dilectione totum cor debetur. Et propter hoc Apostolus dicit⁴: « Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et in desideria multa et inutilia et vana, quæ mergunt homines in interitum, et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. » Apostoli namque contenti erant alimentis; sed diabolus apponit cupidis et avaris mundanæ pulchritudinis delectamenta, qui tanto amore cæco cupiditatis ad ea feruntur, ut permittant se in laqueum a diabolo adduci in interitum perditionis æternæ. Unde Bernardus⁵: « Avaritia est radix omnium malorum, funesta pestis, virus Ecclesiæ, mater

hypocrisis, livoris parens, criminis fomes, virtutum ærugo, tinea largitatis. »

SERMO III⁶.

*Ductus est Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo*⁷. Sicut propter nos natus, propter nos occisus, ita propter nos tentatus est Christus, ut exemplum vincendi nobis daret. Christus ergo gerit typum cujuslibet fidelis, qui in deserto hujus mundi, vel Ecclesiæ, vel religionis ad quam venit ductu Spiritus sancti, non potest esse sine tentationibus maligni spiritus. In tentationibus ergo nostris habemus a Domino exemplum, quo instruamur; apparatus, quo congrediamur; auxilium, quo muniamur; promissum, quo alliciamur.

De primo dicitur hic: *Ut tentaretur a diabolo.* Tentavit autem diabolus Christum in deserto de carnalitate; in templo, de superbiam vanitate; in monte, de cupiditate. His enim tribus tentationibus primum hominem dejecerat, cum dicit⁸: « In quacumque die comederis, » etc. His tribus tentationibus adhuc impugnat fideles quotidie, etc. Significatæ autem sunt in leone, in urso et gigante, quos occidit David, sicut legitur⁹. Per leonem enim, qui animal superbum est, superbia; per ursum, qui mel sequitur, concupiscentia; per gigantem, qui quasi insuperabilis videbatur, avaritia significatur, quia avaritia quasi insuperabilis est. Invenitur enim qui leonem et ursum carnis vincat; sed si quis usuras, rapinas, et quælibet injusta bona habeat restituere, tunc quasi gigantem invadit, tunc vincere non potest. Sed quis vincere potest, nisi ductorem habeat Spiritum sanctum?¹⁰ « Ductor tuus fui in solitudine, in qua erat serpens flatu adurens et scorpio ac dipsas. » Serpens flatu adurens significat inflantem superbiam. Scorpio, qui in facie blanditur, cauda interficit, signat concupiscentiam. Dipsas, quæ mordendo facit homines sitire usque ad

¹ Luc., XVIII, 9. — ² Matth., IV, 9. — ³ Ibid., 10. — ⁴ I Tim., VI, 8-10. — ⁵ Bern. — ⁶ Hunc et seq. usque ad Dom. II, serm. IV, exclusive, habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁷ Matth., IV, 1. — ⁸ Gen., III, 5. — ⁹ I Reg., XVII, 31. — ¹⁰ Deut., VIII, 15.

(a) Leg. nolimus. — (b) Cæt. edit. et nihil aliud per aff. allig. præter ad.

mortem, significat avaritiam, qua usque ad mortem sititur pecunia. Qui ergo exemplo Christi vincit ista (a), potest dicere illud Psalmistæ¹ : « Benedictus Dominus, qui docet manus meas ad prælium, » etc.

De secundo, (b) apparatu armorum, quæ sunt virtutes animam armantes, dicitur² : « Fili, accedens (c) ad servitutem Dei, sta in justitia, et timore, et præpara animam tuam ad tentationem. » Justitia enim lorica est animæ. Unde arma, quibus indigemus, procurator exercitus Domini Paulus ostendit³ : « Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, » etc. Glossa : « Id est, in hac vita, in qua ubique est tentatio. » Specificans autem arma, subjungit⁴ : « Induti lorica justitiæ, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, et galeam salutis assume, » id est, spem salutis æternæ vitæ, » et gladium spiritus, quod est verbum Dei. » Nota : certe bene armatus debet esse homo contra fortem armatum diabolum, de quo⁵ : « Cum fortis armatus, » etc.

De tertio⁶ : « Ego dilexi te : quoniam servasti verbum patientiæ meæ, ego te servabo ab hora tentationis, » etc. Quando occurret (d) tibi opportunitas fornicandi, lucrandi injuste, occidendi inimicum, succumbendi in tribulationibus, hora tentationis est; sed si tu servas verbum Dei, servabit te Deus in hora hac, sicut servavit Deus pueros in hora, de qua dicitur⁷ : « Si non adoraveritis, in eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis. » Quicumque adhuc hodie statuam auream mundanæ vanitatis, vel cupiditatis, non colunt, in ignem tentationis mittuntur a diabolo; sed per ventum roris Spiritus sancti in tentationibus refrigerantur.⁸ « Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis. » Sed attende quod de his tribus pœnitentiis ait Isidorus⁹ : « Corpus quod abstinentia frangit, tentatio

non exurit. » Unde et tres pueros abstinentes, etsi flamma Babylonici incendii tetigit, non combussit.

De quarto¹⁰ : « Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam. » Bonum autem promissum allicit ad pugnandum. O quanta mala libenter sufferes, ut coronam Imperii, vel coronam Franciæ acciperes! Et ecce corona vitæ æternæ tibi promittitur; sed cum probatus fueris¹¹ : « Qui certat in agone, non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. » Gregorius¹² : « Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. »

SERMO IV.

*Cum jejunasset quadraginta diebus*¹³, etc. Qui jejunium suum desiderat Deo esse acceptum, debet in principio Quadragesimæ pure confiteri, et converti ad Dominum. Unde bene in principio Quadragesimæ legitur¹⁴ : « Convertimini ad me, » etc., « in jejunio, » etc. Et bene Christus immediate post baptismum incœpit quadraginta diebus jejunare, ostendens cum quanta sanctificatione debemus Quadragesimam suscipere. Sancta enim est Quadragesima, quæ homini fructuosa, et a Deo ordinata, est utilis ad consequendam veniam, ad augendam gratiam, ad obtinendam victoriam, ad promerendam gloriam.

Quadragesima sancta et utilis.

Primum significatum est¹⁵ : « Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. Et crediderunt viri Ninivitæ Domino, et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis a maximo usque ad minimum. » Glossa : « Quadragenarius convenit peccantibus ad pœnitentiam, et jejunium, et orationem. » Multi dicunt : Non est vis de vestibus, sed de corde : quod si verum est, quare isti sacco induti sunt ad placandum Deum? Di-

¹ Psal. CXLIII, 1. — ² Eccli., IV, 1. — ³ Ephes., VI, 15. — ⁴ Ibid., XVI, 17. — ⁵ Luc., XI, 21. — ⁶ Apoc., III, 9-10. — ⁷ Dan., III, 15. — ⁸ I Cor., X, 13. —

⁹ Isid. — ¹⁰ Jac., I, 12. — ¹¹ II Tim., II, 5. — ¹² Greg., in Evang., hom. XXXVII, n. 1. — ¹³ Matth., IV, 2. — ¹⁴ Joel., II, 12. — ¹⁵ Jon., III, 5-6.

(a) Cæt. edit. ita. — (b) Suppl. scilicet. — (c) Cæt. edit. accede. — (d) Item curret.

citur autem ibidem ¹, quod « vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, et misertus est, » etc. Hoc ergo jejunium acceptum est Deo, et veniam peccatoribus meretur, quando homo non solum a cibus, sed a vitis malis abstinet. ² « Nonne hoc est magis (a) jejunium quod elegi, dissolvere colligationes impietatis, » etc. Isidorus ³ : « Qui a cibus abstinent, et perverse vivere non cavent, dæmones imitantur. »

Secundum in Quadragesima Moysi significatum est ⁴ : « Perseveravi in monte quadraginta diebus et noctibus, non comedens panem, et aquam non bibens. Dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas utroque digito Dei. » Duæ tabulæ sunt amor Dei, et proximi, quæ lapideæ sunt, ut durare possint perseverando. Sed, heu! quorundam tabulæ non lapideæ, sed vitreæ videntur. In his duabus tabulis mandata omnia ad salutem necessaria scripta sunt. Qualiter enim ad Dominum, vel ad proximum te debeas habere, ibi scriptum est ⁵ : « In his duobus mandatis lex universa pendet, et prophetæ. » Et propter hoc digitus Dei Spiritus sanctus dicitur ⁶ : « Si in digito Dei, » etc. Revera diabolus, qui possidet luxuriosum, avarum, usurarium, raptorem, et invidum, et alium impium, non ejicitur nisi per hunc digitum, scilicet per Spiritum sanctum. Qui ergo Scripturam Spiritus sancti in corde per gratiam habere voluerit, devote jejunet. Bernardus ⁷ : « Jejunium ergo non solum obtinet veniam, sed et meretur (b) gratiam. »

Tertium significatum est in quadragesima Christi, de qua hic dicitur : *Cum jejunasset quadraginta diebus, et noctibus.* Vicit omnes tentationes diaboli in deserto, in monte, in templo. Jejunium enim maxime efficax est contra tentationes ⁸ : « Hoc genus non ejicitur, nisi per orationem et jejunium. » Unde cum filii Israel tentati essent

per Olofernem, dixit Heliachim sacerdos ⁹ : « Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniiis et orationibus. » Orationes ergo et jejunia sunt quasi arma contra hostes utilia. Joannes Chrysostomus ¹⁰ : « Sicut neque miles sine armis est aliquis, neque arma sine milite : sic neque oratio sine jejunio, neque jejunium sine oratione. »

Quartum significatum est in quadragesima Heliæ, de qua ¹¹ : « Ambulavit in fortitudine illius cibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Oreb, » qui interpretatur mensa. Jejunando enim, ad mensam gloriæ pervenimus, de qua ¹² : « Ego dispono vobis, » etc. Sed hæc mensa perdita est per gulam in paradiso : recuperanda ergo est per abstinentiam in mundo. Gregorius ¹³ : « Quia a paradisi gaudiis per cibum cecidimus, ad hæc, quantum possumus, per abstinentiam resurgamus. » Istam quadruplicem quadragesimæ utilitatem in aliis quadraginta diebus significatam invenimus. Purgat culpam : unde post quadraginta dies ¹⁴ corvus de area emittitur, dum aperta oris fenestra in confessione peccati nigredo ore proditur, et dimittitur. Item confert gratiam : unde post quadraginta dies ¹⁵ Jesus ad templum cordis venit cum columba pœnitentiæ, et turture continentiæ. Item parat victoriam : unde post quadraginta dies Goliath a David vincitur, sicut dicitur ¹⁶. Item præparat, vel ducit ad gloriam : unde post quadraginta dies ¹⁷ Christus ascendit in cœlum.

SERMO V.

Tunc assumpsit cum diabolus ¹⁸, etc. Assumptio hominis Christi, vel humanæ nature Christi, quadruplex est : prima, in incarnatione ; secunda, in tentatione ; tertia, in justificatione ; quarta in ascensione. Pri-

¹ Jon., III, 10. — ² Isa., LVIII, 6. — ³ Isid. — ⁴ Deut., IX, 9. — ⁵ Matth., XXII, 40. — ⁶ Luc., XI, 20. — ⁷ Bern., in *Quadrag.*, serm. IV, n. 1. — ⁸ Matth., XVII, 20. — ⁹ Jukth, IV, 12. — ¹⁰ Chrysost., in *Joan.*,

hom. V, n. 1, et alias passim. — ¹¹ III Reg., XIX, 8. — ¹² Luc., XXII, 29. — ¹³ Greg., in *Evang.*, hom. XVI, n. 5. — ¹⁴ Gen., VIII, 6. — ¹⁵ Luc., II, 22. — ¹⁶ I Reg., XVII, 16. — ¹⁷ Act., I, 3. — ¹⁸ Matth., IV, 5.

(a) *Carl. edit.* majus. — (b) *Al. promeretur.*

ma divina; secunda diabolica; tertia humana; quarta angelica.

De prima Psalmus¹: « Beatus quem elegisti et assumpsisti. » Vere beata assumpta a Dei Filio natura. Inter omnem creaturam, elegit rationalem; inter omnem rationalem, elegit humanam²: « Nusquam enim angelos apprehendit, » etc. Inter omnem humanam, elegit Israeliticam, cum tamen non solum Israel, sed totum genus humanum salvare vellet. Inter omnem Israeliticam, Davidicam, cui juravit, dicens³: « De fructu ventris tui, » etc. Inter omnem Davidicam, elegit Mariam: unde in Apocryphis Esdræ: « Elegisti tibi unam columbam ex omnibus volucribus cœli, » id est, ex omnibus sanctis. Inter omnes particulas corporis mei elegit carnem pretiosissimam. Bernardus⁴: « O dives in omnes, et super omnes Maria, de cuius substantia modica pars assumpta, totius mundi sufficit reddere debita. »

De secundo dicitur hic: *Tunc assumpsit eum diabolus*. In tribus locis tentavit Christum: in deserto, in monte, super templum. Desertum est mundus, in quo arbores steriles sunt mali homines, latrones autem dæmones animas occidentes⁵: « Homo quidam descendit, et abierunt, semivivo relicto, » etc. Hic impugnat omnes fideles. Mons est altitudo dignitatis et potestatis, sive ecclesiasticæ, sive sæcularis: hic impugnat rectores et potentes. Per templum vita monastica significatur: hic impugnat regulares. Primos impugnat per carnalitatem; unde dicit⁶: « *Dic ut lapides isti panes fiant*. Secundos per avaritiam; unde dicit⁷: *Hæc omnia tibi dabo*, etc. Tertios per apostasiam; unde ait⁸: *Mitte te deorsum*. Adjuvamos, Domine Deus, quia ubique impugnat nos diabolus. Neque in deserto, neque in monte, neque in templo sinit nos quiescere⁹: « Super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. » Bernardus¹⁰:

« Heu me! Domine Deus, quia undique mihi mala, undique tela volant, undique pericula, undique impedimenta! quocumque vertam me, nulla usquam est securitas. » Sed Christus in his omnibus vincens, vincere docet: in deserto, activos; in templo, contemplativos; in monte, prælatos.

De tertio¹¹: « Circuibam quærens, ut mihi illam assumerem (a) » (de sapientia loquitur). Christus autem est¹² « Dei virtus, et Dei sapientia, » quæ in justificatione in corde assumitur spiritualiter, in communione vero assumitur sacramentaliter¹³: « Sumite, hoc est corpus meum. » Sed, heu! dicitur¹⁴: « Viderunt enim assumptiones falsas, et ejectiones. » Cave ne Dominum false assumes; cave ne assumptum turpiter eicias. Miraris quod se Christus permisit assumi ab uno diabolo, et non miraris quod quotidie quasi a centum et millibus hominibus, imo quasi a tot dæmonibus, quot perversis hominibus, sub sacramento altaris recipitur? Imo in hoc peccatores pejores sunt diabolo, qui Christum in sanctam civitatem, super templum, et in montem assumpsit; perversi autem homines ipsum in Babylonem, in lutum, et in sentinam assumunt.

De quarto¹⁵: « Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum. » Assumptus autem est non ab angelis eum adjuvantibus, vel sustinentibus, sed a suscipientibus, et mira laude obsequentibus cum debita veneratione. Augustinus¹⁶: « Sublatus est Christus in manibus angelorum, quando assumptus est in cælum, non quia, si non portarent eum angeli, ruiturus erat, sed quia obsequabantur regi. Assumptus est quoque non solum ab angelis, imo super angelos a Deo Patre ad dexteram ejus. Unde bene ait Marcus¹⁷: « Assumptus est in cælum, et sedet ad dexteram Dei. » Unde poterit bene dicere Deus Pater de Christo illud¹⁷: « Assumam te, Zo-

¹ Psal. LXIV, 5. — ² Hebr., II, 16. — ³ Psal. CXXXI, 11. — ⁴ Bern. — ⁵ Luc., X, 30. — ⁶ Matth., IV, 3. — ⁷ Ibid., 9. — ⁸ Ibid., 6. — ⁹ Thren., IV, 19. — ¹⁰ Bern., in *Quadrages.*, serm. VI, n. 3. — ¹¹ Sap., VIII, 18. —

¹² Cor., I, 24. — ¹³ Marc., XIV, 22. — ¹⁴ Thren., II, 14. — ¹⁵ Marc., XVI, 19. — ¹⁶ Aug. — ¹⁷ Agg., II, 24.

(a) Cæt. edit. assumam.

robabel serve meus, et ponam te quasi signaculum. » Signa enim vulnerum Patri pro nobis in cœlo repræsentat. Bernardus ¹: « Mater ostendit Filio pectus et ubera; Filius, Patri latus et vulnera: ibi nulla poterit esse repulsa, ubi tot occurrunt amoris insignia. »

DOMINICA II IN QUADRAGESIMA

SERMO PRIMUS.

Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra ²: « Olim David oravit dicens ³: « Doce me facere voluntatem tuam. » Et nunc misericors Deus per apostolum Paulum, et apostolum Petrum, et semetipsum nos suam docuit voluntatem. Considerare autem quod voluntas Dei est, ut a peccatis sanctificemur, ut in bono exercitemur, ut in utroque confirmemur, ut tandem in cœlo glorificemur.

De primo dicitur hic: *Hæc est voluntas Dei*, etc. Ille enim sanctificatur, qui a peccatis mundatur. Munda enim debet esse dilecta sponsa Christi ⁴: « Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ. » Mundat autem Deus animam non solum lavacro baptismi primi, sed etiam secundi, scilicet lacrymarum. Isidorus ⁵: « Lacrymæ poenitentis apud Deum pro baptisate reputantur. » Sed quid prodest homini si balneetur, et statim sordidis vestimentis induatur? Sic quid prodest animæ, si mundetur, et statim in vitiosam consuetudinem relabatur? Propter hoc præcipitur ⁶: « Vade ad populum, et sanctifica eos hodie et eras, lavent (a) vestimenta sua, » id est, mores suos. ⁷ « Omni tempore sint vestimenta tua candida. » Gregorius ⁸: « Qui fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas etiam ipsas lacrymas facit. »

De secundo ⁹: « Sic est voluntas Dei, ut

¹ Bern. — ² 1 Thess., IV, 3. — ³ Psal. CXLII, 10. — ⁴ Ephes., V, 25-26. — ⁵ Isid., de Offic. Eccl., lib. II, c. XVI. — ⁶ Exod., XIX, 10. — ⁷ Eccle., IX, 8. — ⁸ Greg., Pastor., part. III, c. XXX. — ⁹ 1 Petr., II, 15.

bene facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. » Si ergo benefacitis, voluntatem Dei impletis, imo et ex Deo nati estis ¹⁰: « Qui facit bene, ex Deo est. Qui male facit, non videt (b) Deum; » imo neque videbit in æternum. Deus enim benefacit benefacientibus, etc. Psalmista ¹¹: « Benefac, Domine, bonis, et rectis corde: declinantes autem in obligationem (c) adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. » Sed attende quod ait Petrus: *Obmutescere faciatis*, etc. Magna virtus bonorum factorum, quæ nos ipsos apud Deum crescere, et adversarios obmutescere, et amicos non erubescere faciunt. Augustinus ¹²: « Qui nos amant, quærunt quod laudent in nobis; qui autem oderunt, detrahunt nobis. Nos autem in utroque medio constituti, vitam nostram et famam sic custodire debemus, ut non erubescant coram detractoribus laudatores. » Sed certe quia detractionibus et contentionibus, et conspirationibus, et aliis perversis locutionibus obmutescere nolunt in mundo, obmutescunt in iudicio ¹³: « At ille obmutuit. »

De tertio ¹⁴: « Hæc est voluntas ejus, qui misit me, » etc. Sola perseverantia facit, ut non pereamus ¹⁵: « Qui enim perseveraverit usque in finem, salvus erit. » Unde absque perseverantia, neque qui pugnat victoriam, neque palmam victor consequitur. Illi autem perduntur, qui non perseverando a Deo separantur. Psalmus ¹⁶: « Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. » Fornicantur, qui relicto vero sponso Jesu Christo, cum mundo luxuriantur. Si vero non vis perdi, adhareas Deo, voluntatem ejus semper et perseveranter implendo ¹⁷: « Semper quod bonum est, sectamini in invicem, et in omnes. Semper gaudete, sine intermissione orate. In omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei. » Unde Isidorus ¹⁸: « Tunc

— ¹⁰ III Joan., 11. — ¹¹ Psal. CXXIV, 4. — ¹² Aug. — ¹³ Matth., XXII, 12. — ¹⁴ Joan., VI, 39. — ¹⁵ Matth., X, 22. — ¹⁶ Psal. LXXII, 27. — ¹⁷ I Thess., V, 15-18. — ¹⁸ Isid., Sent., lib. II, c. VII.

(a) Vulg. laventque. — (b) vidit. — (c) obligationes.

placet Deo conversio (a) nostra, quando bonum, quod inchoamus, sine perseveranti complemus. » Et nota quod de triplici voluntate dicitur ¹ : « Reformamini in voluntate sensus vestri, ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, et perfecta. » Voluntas Dei bona est, ut a malis sanctificemur; beneplacens, ut bonum operemur; perfecta, ut in utroque confirmemur.

De quarto ² : « Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui credit in eum, » etc. Bene dicitur : *Qui credit in eum*. Si autem scire desideras an credas in eum, attende quid dicitur ³ : « Signa eos, qui in me credunt (b), » et cætera usque : « bene habebunt. » Require expositionem in vigilia Pentecostes, in sermone : *Nolite contristare Spiritum sanctum* ⁴. Voluntas ergo Dei est, ut qui credit in Filium habeat vitam æternam. ⁵ « Oves propriæ, » etc.

SERMO II.

Dimitte eam, quia clamat post nos ⁶. Clamor orationis optimus nuntius est ad aures Dei. Psalmus ⁷ : « Clamor meus in conspectu ejus, » etc. Gregorius ⁸ : « Voces valentiores apud sacratissimas aures Dei faciunt non multa verba, sed desideria. » Sunt autem quatuor, quæ faciunt homines clamare : aqua, ignis, gladius, bestia. Sic et nos clamare debemus propter aquam et tempestatem spiritualem; propter ignem æternalem; propter gladium judicialem; propter bestiam infernalem, scilicet diabolium.

De primo ⁹ : « Mare ibat, et intumescibat super eos, et clamaverunt ad Dominum, » etc. Quid est fluxus præsentis miseræ, nisi mare, vel aqua, ubi tempestatibus temptationum anima periclitatur, imo peccando submergetur? Ideo in orationibus sic clamandum est, quasi homo jam submergi timeret, sicut dicitur de Petro ¹⁰ : « Domine,

salva nos, perimus. » Usitatum verbum est : Qui nescit orare, ascendat mare. Sed certe periculosius mare est, in quo anima, quam in quo corpus submergitur; et ideo magis clamandum est. Psalmista ¹¹ : « Veni in altitudinem maris, etc., laboravi clamans, » etc. Augustinus ¹² : « Ut liberemur, clamemus, ne forte in pressuris consentiamus iniquitati, et vere irrecoverabiliter absorbeamur. »

De secundo ¹³ : « Ad te, Domine, clamabo, quia ignis comedit speciosa deserti, » id est, hujus mundi, sicut nobilitas, potentia, gloria, juvenus, pulchritudo hujus mundi. O quot potentes, nobiles, gloriosos juvenes, et pulchras mulieres, et viros jam comedit ignis inferni, per duo, vel per tres, vel per quatuor, vel per quinque, vel per sex millia amorum, vel forte per plura; et non solum tales, imo omnia ligna regionis, id est, quoslibet alios peccatores! ¹⁴ « Ignis succensus (c) est, » etc. Ideo clamandum est in oratione. Versus :

Nam tua res agitur, paries eum proximus ardet.

Jam enim proximus paries tuus ardet, scilicet maritus, vel uxor, vel frater, vel pater, vel alius proximus tuus, forte per annum, vel decem, vel viginti annos arsit in inferno, Nonne times? nonne clamas? Et forte pro eisdem bonis ardet pater tuus, quæ tu adhuc habes; et tu cum eo pro eisdem bonis ardebis. Nonne clamas? Flamma vero succendens ligna, est illa, de qua ¹⁵ : « Crucior in hac flamma. » Peccator, clama, et aquam lacrymarum fundas, ut ignem non gehennæ, sed culpæ tibi extinguas. Isidorus ¹⁶ : « Dei servus quoties quolibet tangitur vitio, toties ad orationem se subdat. » Frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit.

De tertio ¹⁷ : « Iste exacutus est gladius, et iste limatus est, ut sit in manu interfi-

¹ Rom., XII, 2. — ² Joan., VI, 39. — ³ Marc., XVI, 47. — ⁴ Vid infra, in die sancto Pentec., serm. 1. — ⁵ Joan., X, 4. — ⁶ Matth., XV, 23. — ⁷ Psal. XVII, 7. — ⁸ Greg., Moral., lib. XXII, n. 43. — ⁹ Jon., I, 11. — ¹⁰ Matth., VIII, 25. — ¹¹ Psal. LXVIII, 3, 4. — ¹² Aug. —

¹³ Joel., I, 19. — ¹⁴ Deut., XXXII, 22. — ¹⁵ Luc., XVI, 24. — ¹⁶ Isid., Sent., lib. III, c. VII. — ¹⁷ Ezech., XXI, 9.

(a) Ita Isid., edit. Paris. 1601. Edit. Ven. conversatio. — (b) Vulg. qui crediderat. — (c) Cæl. edit. susceptus.

cientis, » id est Christi. ¹ « Clama, et ulula, fili hominis, » etc. Iste gladius est sententia: qui non solum acutus, sed exacutus est, ut per ipsum non solum corpus, sed etiam anima feriat: limatus, et splendens est, ut in promptu habeatur ²: « Si acuero ut fulgur gladium meum, » etc. Promptus est non solum in iudicio, sed etiam in morte peccatoris. Unde omni hora timendus est. Ideo in oratione clamandum est, ac si jam gladio transfodi deberes. ³ « Ululate, et clamate, aspergite vos cinere: quia completi sunt dies, ut interficiamini. » *Clamate in cinere*, id est, futuros vos cineres considerantes. Hoc etiam dicitur ⁴, quod « Rex sedit in cinere, et homines, et mulieres, et iumenta, nihil gustantes, saccis operiebantur, et clamarent ad Dominum in fortitudine sua. »

De quarto ⁵: « Clamabo ad Deum altissimum, » et cætera usque: « de medio catulorum leonum. » O si te jam leo, vel lupus, vel serpens invaderet, o quomodo clamares! O quanto magis clamandum est contra diabolum, leonem fortissimum! ⁶ « Tanquam leo rugiens, » etc. Necessarius autem est clamor orationis contra diabolum. Joannes Chrysostomus ⁷: « Oratio jugis, infirmitas est hostis. » Ipse contra se tela ministrat, qui hostem precum instantia non fatigat. Unde etiam Tobias clamavit, cum invaderet eum piscis, id est, diabolus ⁸: « Expavesceas Tobias clamavit voce magna, dicens: Domine, invadit me piscis. » Si clamat quem piscis iste diabolus invadit tentando, multo magis clamet, qui in ventre hujus piscis est male vivendo ⁹: « Clamavi ad Dominum de tribulatione mea, et exaudivit me de ventre inferni. »

SERMO III.

Dimitte eam ¹⁰, etc. Ecce mulier multum clamando, multos movit ad intercedendum. Nos quoque orando clamabimus, si multitu-

¹ *Ezech.*, XXI, 12. — ² *Deut.*, XXXII, 41. — ³ *Jerem.*, XXV, 34. — ⁴ *Jon.*, III, 6 et seq. — ⁵ *Psal.*, LVI, 3-5. — ⁶ *I Petr.*, V, 8. — ⁷ Chrysost. — ⁸ *Tob.*, VI, 3. — ⁹ *Jon.*, II, 3. — ¹⁰ *Matth.*, XV, 23. — ¹¹ *Luc.*, XVIII,

dinem impedimentorum, inimicorum, necessariorum, intercessorum consideramus. Clamare ergo debemus, ut impedimenta transeamus, ut inimicos confundamus, ut intercessores moveamus, ut necessaria obtineamus.

De primo ¹¹: « Qui præbant, increpabant eum ut taceret. » Turbæ increpantes sunt cogitationes et phantasie orationes impedientes. Magis autem impedit clamorem orationis elongatio clamantis. Tanto autem est homo a Deo longius, quanto in vitiis profundius. Et ideo in persona profundi peccatoris ait Psalmista ¹²: « Infixus sum in limo profundi, et non est substantia. Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. » Augustinus ¹³: « Debet unusquisque nostrum videre in quo profundo (a) sit, de quo clamet ad Dominum. » Clamavit enim de profundo Jonas de ventre ceti. Unde melius est nunc pœnitendo de profundo peccati clamare salubriter. Psalmista ¹⁴: « De profundis clamavi, » etc. Quam de profundo inferni inutiliter! Sicut dives in inferno sepultus ¹⁵: « Ipse clamans, dixit: Pater Abrabam, » etc.

De secundo ¹⁶: « Ne timueris multitudinem eorum, et impetum eorum ne formides: » et cætera usque: « Nunc clamemus in cœlum. » O quam clamandum esset propter tentationis impetum, et formidinem, et propter multitudinem tentantium! Non enim habes in capite tot capillos, quot anima tua habet inimicos. Psalmus ¹⁷: « Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: multiplicati sunt super capillos, » etc. Si enim legio dæmonum vexavit unum hominem corporaliter, sicut dicitur ¹⁸, quid ergo erit de anima, quam plus persequuntur? Clamore ergo orationis fugandi sunt. Legitur enim ¹⁹ quod per tubas sonantes et per contractas lagenas hostes fugabantur. In contractione lagenarum, mortificatio corporum; in tubis, orationes significantur. Tuba enim

39. — ¹² *Psal.*, LXXVIII, 3-4. — ¹³ Aug., in *Ps.*, CXXIX, n. 4. — ¹⁴ *Psal.*, CXXIX, 1. — ¹⁵ *Luc.*, XVI, 24. — ¹⁶ *I Mach.*, IV, 8-10. — ¹⁷ *Psal.*, LXXVIII, 4. — ¹⁸ *Luc.*, VIII, 30. — ¹⁹ *Judic.*, VII, 49.

(a) *Car. edit.* profundius.

in fine uno flatum recipit, in alio reddit sonum. Sic et orationis flatus in mundo fit; sed sonus auditur in cœlo. Gregorius¹: « Magna virtus orationis, quæ effusa in terris, in cœlis operatur. » Sic ergo oratione et mortificatione confunditur diabolus²: « Hoc genus non eiecitur, nisi per orationem et jejunium. »

De tertio dicitur hic³, quod Chananæa tamdiu clamavit, usquequo apostolos intercessores habuit. Hoc etiam significatum est⁴, ubi dicitur, quod scidit Mardocheus vestimenta sua, et indutus est sacco, et spargens cinerem capiti, et in platea mediæ civitatis voce magna clamavit, et hoc ejulatu ad fores palatii venit. Vestis veteris consuetudinis debet scindi, saccus pœnitentiæ indui, cinis memoriæ mortis menti imprimi, in platea mediæ civitatis, Ecclesiæ, in oratione clamare⁵: « In medio Ecclesiæ. » Usque ad fores palatii cœlestis regni tantum clamare debet anima tua, ut angeli, virgines, martyres, apostoli audiant, et iterum dicant Domino⁶: *Dimitte eam*, etc. Forte enim Esther, id est Maria, movebitur ad intercedendum, si audit clamorem tuum. Bernardus⁶: « Mariam cogita, Mariam invoca: non recedat ab ore tuo, non discedat a corde tuo: ut impetres orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. »

De quarto, nota quod clamare debemus, sicut mendicus pro subventionem. Psalmista⁷: « Iste pauper, » etc. Item⁸: « Non est oblitus clamorem pauperis, » etc. Item, sicut infirmus pro sanatione. Psalmista⁹: « Domine Deus, clamavi, » etc. Item, sicut cæcus pro illuminatione¹⁰: « Cæcus autem multo magis clamabat, » etc. Item sicut dæmoniacus pro liberatione, sicut hæc Chananæa clamavit. Item, sicut tribulatus pro consolatione. Psalmista¹¹: « Clamaverunt iusti, » etc. Item, sicut moriturnus pro evasione¹²: « Cla-

mavit (a) autem voce magna Susanna, et dixit: Domine Deus æterne, » etc. Clama ergo, miser peccator, pro tantis necessitatibus ad Deum. Sed certe lingua serpentis sibilare potest, clamare non potest. Ita oratio linguæ venenatæ non est clamor orantis, sed sibilus serpentis apud Deum. Hieronymus¹³: « Nescio qua conscientia ea lingua quis Deum rogat, qua mentitur, aut maledicit, aut detrahit: labia sancta exandit Deus. »

SERMO IV¹⁴.

*Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum, et transfiguratus est ante eos*¹⁵. Quia mysterium dominicæ resurrectionis, quæ est exemplum nostræ glorificationis, inter omnia opera restaurationis plus habet admirationis et difficultatis ad credendum; ideo Dominus noster Jesus Christus, ad manducandum apostolos, et in eis cæteros Christianos, ut levius crederent miraculosum opus suæ resurrectionis, cum jam completum esset, voluit coram tribus idoneis, et præordinatis a Deo testibus, quibus totus mundus crederet, divina dispensatione transfigurari, ut eis gloriam, quam habiturus erat in resurrectione, præostenderet. Et quoniam impossibile est aliquem figere aciem sui oculi ad gloriam divinæ majestatis, nisi sit purus, et a divina gratia præelectus et præventus, deinde sua diligentia sit paratus, atque summo desiderio, vel studio amoris elevatus: ideo in verbo proposito valde ordinate, et recto ordine proceditur. Nam primo notatur divina dignatio mysticæ assumptionis; secundo notatur devota præparatio affectuosæ elevationis; tertio notatur dispensativa ostensio futuræ glorificationis. Primo ergo notatur divina dignatio mysticæ assumptionis, cum dicit: *Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem*; secundo notatur devota præpara-

¹ Greg. — ² *Matth.*, xvii, 20. — ³ *Matth.*, xv, 23. — ⁴ *Esth.*, iv, 1. — ⁵ *Eccli.*, xv, 5. — ⁶ Bern., super *Missus est*, hom. 11, n. 17. — ⁷ *Psal.* xxxiii, 7. — ⁸ *Psal.* ix, 13. — ⁹ *Psal.* xxix, 3. — ¹⁰ *Luc.*, xviii, 39. — ¹¹ *Psal.* xxxiii, 18. — ¹² *Dan.*, xiv, 17. —

¹³ Hieron. — ¹⁴ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ¹⁵ *Matth.*, xvii, 1.

(a) *Vulg.* exclamavit.

tio affectuosæ elevationis, cum subdit : *Et duxit illos in montem excelsum*. Glossa ¹ : « Transfigurandus (a) in montem ascendit, ut innuat, eos (b) qui resurrectionem expectant, in excelsum debere (c) elevari, et continuis precibus insistere. » Tertio notatur dispensativa ostensio futuræ glorificationis, cum subinfert : *Transfiguratus est ante eos*.

Dicit ergo : *Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem* : ubi notatur divina dignatio mysticæ assumptionis. Dicitur autem mystica illa assumptio, eo quod assumptione istorum trium mysticatur, et figuratur assumptio triplicis status militantis Ecclesiæ, scilicet praelationis, actionis et contemplationis. Nam status praelationis per Petrum designatur, quia primus futurus erat in regimine Ecclesiæ per officium praelationis. Status actionis per Jacobum signatur, qui primus futurus erat in amaritudine pœnitentiæ per tormentum passionis, quia primus inter apostolos passus fuit. Status contemplationis per Joannem designatur, qui primus futurus erat in plenitudine gratiæ, per augmentum dilectionis. Primo ergo assumpsit Petrum, et in Petro cæteros de statu praelationis, ad præsentiam virtualis protectionis in regimine Ecclesiæ. Secundo assumpsit Jacobum, et in Jacobo cæteros de statu actionis, ad abstinentiam carnalis delectationis, in amaritudine pœnitentiæ. Tertio assumpsit Joannem, et in Joanne omnes de statu contemplationis, ad affluentiam spiritualis consolationis, in plenitudine gratiæ.

Primo assumpsit Petrum, et in Petro cæteros, de statu praelationis ad præsentiam virtualis protectionis in regimine Ecclesiæ. Unde dicitur ² : « Ego assumam te, Zorobabel fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus, et ponam te quasi signaculum, quia te elegi. » Zorobabel princeps in Judæa, qui interpretatur *princeps translationis*, significat quemlibet praelatum, qui est dux et princeps

militantis Ecclesiæ, quam eripuit Dominus de jugo potestatis diabolicæ, ratione originalis peccati, sive actualis, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ. Huic autem dicit Dominus : Assumam te per gratiam benignæ adoptionis, serve meus, per reverentiam dominicæ subjectionis, et ponam te quasi signaculum certificativum doctrinæ, ad faciendum fidem, promotivum in pugna ad præliandum, contra hostem, et directivum in via, ad dirigendum in gloriam cœlestem. Et propter hoc elegi te ad cathedram apostolicæ praelationis.

Secundo assumpsit Jacobum, et in Jacobo cæteros de statu actionis, ad abstinentiam carnalis delectationis, in amaritudine pœnitentiæ. Unde dicitur in Psalmo ³ : « Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Legem pone mihi, Domine, in via tua, et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos. » *Quoniam pater meus* diabolus, *mater mea* concupiscentia, *dereliquerunt me* propter amaritudinem dolorosæ pœnitentiæ. Ideo *Dominus assumpsit me*, propter collationem gratuitæ justificationis. Et ratione hujus vere pœnitens petit cum desiderio dicens : *Legem pone mihi, Domine, in via* præceptorum, *et dirige me in semita recta* consiliorum, ne aliquando incidam in manus inimicorum. Et de hoc dicitur ⁴ : « Spiritus Domini levavit me, et assumpsit me, et abii amarus in indignatione spiritus mei. » *Spiritus Domini levavit me* in cruce, per affectum lacrymosæ compassionis; *et assumpsit me* per excessum inflammatæ dilectionis. Et tunc *abii amarus in indignatione spiritus*, id est, dominicæ passionis, cum cogito quod iterum in seipso (d) crucifigo Filium Dei reiterando peccatum.

Tertio assumpsit Joannem, et in Joanne cæteros de statu contemplationis, ad affluentiam spiritualis consolationis, in plenitudine gratiæ. Unde dicitur in Psalmo ⁵ : « Beatus

¹ Gloss. ex Bed., in *Luc.*, c. ix, lib. III, c. 38. — ² *Agg.*, II, 24. — ³ *Psal.*, xxvi, 10-11. — ⁴ *Ezech.*, III, 12. — ⁵ *Psal.*, lxxv, 5.

(a) *Carl. edit.* transfiguratus. — (b) *Item* ut. — (c) *Item* debent. — (d) *Leg.* in seipso.

quem elegisti, et assumpsisti: habitabit (a) in atriis tuis. » *Beatus quem elegisti* ad statum actionis per exercitium bonæ operationis, *et assumpsisti* ad statum contemplationis per augmentum dilectionis. *Habitabit (a) in atriis tuis* per continuationem devotæ orationis. Et procedit valde ordinate Propheta, eo quod otium vitæ contemplativæ, quæ est finis vitæ activæ, præsupponit exercitium activæ. Unde Gregorius in *Moralibus* ¹: « Qui contemplationis arcem (b) desiderant, prius per exercitium in campo operationis se probent. »

Sequitur secundo, scilicet devota præparatio affectuosæ elevationis, cum dicit: *Et duxit eos in montem excelsum*, ut per hoc innuat, quod qui gloriam majestatis vult videre, mentem in excelsum devotionis debet elevare. Per montem enim, ratione suarum trium proprietatum, convenienter datur intelligi debita præparatio prælatorum, activorum et contemplativorum. Nam mons est situalis eminentiæ, immobilis persistentiæ, et liberalis communicantiæ, sive communicabilis influentiæ. Videmus enim in monte altitudinem situationis, fortitudinem incommotionis et diffusionem communicationis. Ducit ergo primo prælatos in montem situalem eminentiæ, propter receptionem primariam divinæ irradiationis. Secundo ducit activos in montem immobilis persistentiæ, per virtuosam tolerantiam omnimodæ tribulationis. Tertio ducit contemplativos in montem liberalis communicantiæ, propter charitativam diffusionem gratuitæ prædicationis. Primo duxit prælatos in montem situalem eminentiæ, propter primariam receptionem divinæ irradiationis. Sol enim primo irradiat montes, deinde illuminat valles: sic prælati, tanquam sublimes montes, divinæ lucis irradiationes debent primo in se recipere, et deinde per bonæ vitæ exempla in subditos, tanquam in valles, transmittere. Unde de bono prælato di-

citur ²: « Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi monstratum est in monte hoc. » Et hoc est, quia vita prælati imprimitur cordi subditorum, ut sit sicut forma sigilli ceræ, eo quod plus movent corda sublitorum operum exempla, quam verba. Unde Gregorius in Pastoralibus ³: « Actione rector præcipuus, ut vitæ vivendo subditis viam denuntiet, et grex qui pastoris vocem moremque (c) sequitur, per exempla melius, quam per verba gradiatur. » De quo dicitur ⁴: « Erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. » Mons iste præparatus in vertice montium, et sublimis inter omnes colles, est prælatus perfectus, qui propter excellentem eminentiam evangelicæ perfectionis, ratione ejus excellit etiam omnes subditos in vita, quantumque perfectos, sicut dicit Bernardus ⁵: « Monstruosa res est gradus summus, et animus infimus; sedes prima, et vita ima. » Et tunc fluent ad eum omnes populi, propter liberalem affluentiam, sive benevolentiam piæ subventionis. Sed væ hodie quorundam prælatorum avaritiæ, qui sic appropriant sibi thesauros Crucifixi, quasi a carnalibus parentibus accepissent, et pinguant inde nepotes, ditant consanguineos, et ipsi vacant cibis et potibus delicatis! Sed certe tales sunt fures et latrones, et etiam loculos habent, eo quod omnia quæ mittuntur pauperibus, portant consanguineis, et nepotibus, et carnalitati golæ. Et propter hoc multi prælati, licet ratione status inducant Jesum usque in supercilium montis, tamen inde præcipitant eum in cordibus subditorum, propter mala exempla: quibus longe melius fuisset toto tempore vitæ suæ stesisse in plano, quia quanto status altior, tanto casus gravior. Secundo duxit activos in montem immobilis persistentiæ, propter virtuosam tolerantiam omnimodæ tribula-

¹ Greg., *Moral.*, lib. VI, c. XVII, al. XXXVII, n. 59. — ² *Exod.*, xv, 40. — ³ Greg., *Pastor. Cur.*, part. II,

c. III, al. XIV. — ⁴ *Isa.*, II, 1. — ⁵ Bern., *de Consid.*, lib. II, c. VII, n. 41. — (a) *Vulg.* inhabitabit. — (b) *Suppl.* tenere. — (c) *Al.* moresque.

tionis. Montes enim ventis, et pulsionibus aeris et grandinum sunt immobiliter expositi. Sic activi debent esse expositi ad tolerandum constanter omnes tribulationes exemplo Christi, qui exposuit corpus suum impulsionibus lanceæ, et clavorum, et tandem clypeum patientiæ portavit, donec vitam mortalem terminaret. Unde de bonis activis dicitur in Psalmo ¹: « Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem. » Quia pusillanimitas est causa ruinæ, et confidentia causa constantiæ, ideo dicuntur confidentes in Domino firmi sicut mons Sion, propter soliditatem fortitudinis et patientiæ. Qui habitat in Jerusalem per tranquillitatem pacis et concordiæ, non turbando seipsum interius in animo, et non scandalizando proximum exterius in verbo, non commovebitur propter impetuositatem furoris et iracundiæ. Tertio duxit contemplativos in montem liberalis communicantiæ, sive communicabilis influentiæ, propter charitativam diffusionem gratuitæ prædicationis. Tantæ enim communicationis et diffusionis sunt montes, ut omnia, quæcumque recipiunt, statim diffundunt, et quasi se exonerantes ad plana transmittunt. Nam pluvia, mox ut infunditur, statim refunditur, et flumina quæque percurrunt, convallibus communicant, et etiam lapides, et metalla, et alia quæ producunt, ad plana transmittunt. Per istum modum contemplativi debent esse irradiatores cogitationum pluriæ, sive irrigationis pluviarum; et etiam rorem (a) charismatum donorum ad modum montis Sion, per verbum prædicationis, per exemplar conversationis, ad alios transmittere, quia tunc implebitur illud ²: « In illa die stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et super omnes rivos Juda ibunt aquæ. » Contemplativi dicuntur stillare dulcedinem piæ compassionis, ad tractandum afflictos; et colles fluere lac piæ prædicationis,

ad nutriendum debiles: et tunc super omnes rivos, scilicet lacrymarum, Juda, id est, pœnitentium (Juda enim *Confitens* interpretatur), ibunt aquæ, scilicet gratiarum, ad multiplicandum opera justitiæ et pietatis. Et illud contemplativis maxime, qui tenentur professione alicujus regulæ, competit. Concordat quod dicitur ³: « Montes Israel, ramos expandite, et frondete, et florete, et fructus facite (b). » Israel enim *videns Deum* interpretatur, et signat contemplativum, qui debet videre Deum in propria conscientia. Dum (c) dicitur: *Montes Israel*, id est, contemplativi; *ramos vestros expandite*, scilicet ad vagantis populi congregationem; *frondete*, per divini verbi prædicationem; *florete*, per odoriferi exempli ostentationem; *et fructus facite*, per vestræ salutis acquisitionem, et proximorum promotionem, quia tunc eritis ⁴ « mons Dei, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. »

Tertio et ultimo ostenditur dispensativa ostensio futuræ glorificationis, cum dicitur: *Et transfiguratus est ante eos*. Voluit Dominus noster Jesus Christus transfigurari coram istis tribus, per quos prælati, activi et contemplativi intelliguntur, et ostendere eis suam futuram gloriam, ut per hoc, appropriate loquendo, primo illuminaret in Petro prælatos splendore virtutis et intelligentiæ, secundo confirmaret in Jacobo activos in spe expectationis futuræ gloriæ, tertio inflammaret in Joanne contemplativos amore charitatis et benevolentiæ. Primo transfiguratus est ante Petrum, ut in Petro illuminaret prælatos splendore virtutis et intelligentiæ, ut per ipsos cæteri in fide illuminarentur. Unde dicit Glossa: « Et Christus voluit transfigurari coram tribus testibus, quibus totus mundus crederet. » Nec tamen Christus in sua transfiguratione tantum habuit testimonium hominum de mundo, imo etiam habuit per hoc testimonium Dei Patris de sum-

¹ Psal. CXXIV, 1. — ² Joel., III, 18. — ³ Ezech., XXXVI, 8. — ⁴ Psal. LXVII, 16.

(a) *Cæt. edit.* rore. — (b) *Vulg.* ramos vestros germinetis, et fructum afferatis. — (c) *Leg.* Ideo. j

mo cœlo, testimonium Moysi de profundo limbo, et testimonium Eliæ, quasi de medio, scilicet paradisi terrestri. Unde in sua transfiguratione voluit testimonium habere divinum, propheticum, et humanum, sive apostolicum : ut primo per testimonium Dei Patris dicentis : *Hic est Filius meus dilectus*, per quem facta sunt omnia, cognoscat, quod omnium est stabilior magnificus, scilicet creando; ut secundo per testimonium Moysi, qui fuit dator legis, et Eliæ, qui fuit eximius prophetarum, cognoscat, quod ipse est eunctorum reconciliator piissimus, secundum quod fuerat promissum et prophetatum in lege; ut tertio per testimonium humanum, sive apostolicum, scilicet apostolorum, qui erunt iudices in die iudicii, cognoscat, quod ipse est omnium retributor iustissimus in remunerando. De illa transfiguratione potest exponi illud ¹ : « Omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebant ad voluntatem eorum, quæ a te sunt desiderata. » Dicuntur autem omnia transfigurari in transfiguratione Christi, eo quod aliquid de omni creatura fuit in Christo transfiguratum. Nam Christus, in quantum homo, communicat cum omnibus creaturis. « Habet enim (a) ² esse cum lapidibus, vivere cum plantis, sentire cum jumentis, et intelligere cum angelis. » Cum ergo Christus, in quo, in quantum homo, de omni creatura est aliquid, sit transfiguratus, ideo dicuntur omnia in ipso esse transfigurata. *Nutrici gratiæ deserviebant*, quia illa transfiguratio non fuit ut acciperet dotem claritatis gloriæ; sed, divina gratia dispensante, ut acciperet actum dotis claritatis gloriæ, ad nutriendum debiles apostolos in fide, et maxime in hora mortis Christi. Nam *omnia deserviebant nutrici gratiæ ad voluntatem eorum*, id est apostolorum, propter complacentiam dilectionis, quam habuit in mundo propter gloriam Christi. Unde Pe-

trus dixit : *Domine, bonum est nos hic esse. Quæ a te desiderata sunt*, propter mutuam cohabitationem mutuæ dilectionis. Nam dilectiæ Filii Dei sunt esse cum apostolis et prælatis. Secundo voluit transfigurari ante Jacobum, ut in Jacobo confirmaret activos, ut in spe expectationis futuræ gloriæ. Unde Beda ³ dicit in Glossa : « Super prædictum verbum sic : In montem oraturus, et sic transfigurandus (b) ascendit, ut innuat (c) eos, qui fructum resurrectionis (d) expectant, mente in excelsis habitare (e), et continuis precibus incumbere debere (f). » De hoc potest exponi quod dicit Apostolus ⁴ : « Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo. Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo propter vos, ut discatis in nobis ne supra, quam scriptum est, unus adversus alium infletur pro alio, » etc. Per Paulum et Apollo, quorum unus interpretatur *mirabilis* et alter *admirandus*, potest figurari Dominus noster Jesus Christus, cujus nomen vocatur ⁵ *Admirabilis*. Hic autem voluit transfigurari in Jacobo, ut per hoc discant activi expectare futuram gloriam resurrectionis cum modestia sermonis in ore, unde dicitur : *Nolite ante tempus judicare quousque veniat Dominus*, cum innocentia cordis et operis, eo quod Dominus in die iudicii *illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium*; et cum patientia supportationis in opere, *ne supra quam scriptum est, unus adversus alium infletur. Et tunc laus erit unicuique a Deo, cum propriam mercedem accipiet*. Tertio transfiguratus est ante Joannem, ut in Joanne inflammaret contemplativos amore charitatis et benevolentiæ. Et de hoc dicitur in prædicto themate. *Duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfigura-*

¹ Sap., xvi, 25. — ² Greg., in *Evang.*, hom. xxix, n. 2. — ³ Bed., in *Luc.*, ix, 28, c. xxxviii. — ⁴ I *Cor.*, iv, 5-6. — ⁵ Isa., ix, 6.

(a) *Suppl.* commune. — (b) *Cæt. edit.* In montem transfiguratus. — (c) *Apud Bedam* ostendat. — (d) *Cæt. edit.* qui resurrectionem. — (e) Montem in excelsum debere elevari. — (f) Insistere.

tus est ante eos, et resplenduit facies ejus sicut sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Dominus noster Jesus Christus, ad instruendum quod nullus potest clare videre Deum in propria conscientia, nisi primo sit elevatus in Deum per mentalem devotionem, deinde sequestratus a tumultu temporalium sollicitudinum per cordis quietationem, voluit ducere apostolos, id est, contemplativos, *in montem excelsum*, quasi elevando eos per excessum mentalis devotionis; *seorsum*, sequestrando eos a tumultu sæcularis inquietationis; et tunc *transfiguratus est ante eos*, ad ostendendam eis excellentiam suæ futuræ gloriæ. Sed quia ex ista visione divina contemplata, inflammatur anima ardore charitatis et concupiscentiæ, et dulcoratur candore castitatis et pudicitæ, per nimium amorem solis justitiæ, et candorem lucis æternæ: ideo dicitur quod *resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* Rogemus, etc.

SERMO V¹.

*Catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa*², etc. Catelli sunt humiles peccatores. Micæ sunt verba Dei, vel gratiarum prægustationes. Mensa est quadruplex, materialis, doctrinalis, sacramentalis, æternalis.

Mensa quadruplex.

De prima³: *Cupiens saturari de micis*, etc. In hac mensa vitanda sunt quatuor. Primum est gula; secundum, immisericordia. Unde iste qui splendide epulabatur quotidie, et micæ Lazaro non dedit, « sepultus est in inferno⁴. » Quidam enim plus dant canibus, quam pauperibus, cum tamen Dominus dicat eis hic⁵: *Non est bonum*, etc. Tertium est societas mala. Homo non debet turpes commensales habere: de malo enim servo manducante cum ebriosis dicitur⁶,

quod Deus « dividet eum, » etc. Augustinus⁷ quoque in mensa hos versus habuit:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam (a) noverit esse sibi.

Abominabilius est ad mensam per detractionem evomere aliorum vitia, quam propria cibaria⁸: « Omnes mensæ repletæ sunt vomitu, et sordibus. » Quartum est cibaria illicita⁹: « Non licet nobis, aut edere de furto aliquid, aut contingere. »

De secunda mensa, quæ est Scripturæ¹⁰: « Pone super mensam panes propositionis, » etc. Mensa hæc panem et coronam habuit, sicut ibidem dicitur¹¹, quia sacra Scriptura in præsentem nos reficit, et in futuro coronam promittit¹²: « Darem eis coronam pro cinere, » etc. Corona vero quatuor digitis alta fuit, quia secundum Glossam¹³, « per doctrinam quatuor evangelistarum ad ipsam pervenitur. » Aureola autem, quæ super coronam fundatur, doctori Scripturæ datur. Duodecim panes propositionis duodecim articulos fidei significant, qui in Symbolo continentur. Signum mortis hominis est, quando hujus mensæ cibos male vivendo retinere non potest. Psalmus¹⁴: « Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis. » In hac mensa tot sunt fercula, quot præcepta, consilia, virtutes, et exempla commendantur in Scriptura.

De tertia, Psalmus¹⁵: « Parasti in conspectu meo mensam, » etc. Tribulationes nostræ sunt dæmones; mensa, altare: in qua panis, corpus est Christi¹⁶: « Probet autem seipsum homo, » etc. Oleum in capite, est gratia Sacramenti in mente. Certe non est bonum sumere panem filiorum, id est, angelorum, et dare canibus, id est, sordidis peccatoribus. O quantum peccatum reputares, si corpus Christi cani dares! Et certe

¹ Hunc et sequentem habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ² *Matth.*, xv, 27. — ³ *Luc.*, xvi, 21. — ⁴ *Ibid.*, 22. — ⁵ *Matth.*, xv, 26. — ⁶ *Matth.*, xxiv, 51. — ⁷ August., vel quisquis alius, *ad Frat. in eremo*, serm. xxvi, inter Opera August., Append. tom. VI.

— ⁸ *Isa.*, xxviii, 8. — ⁹ *Tob.*, ii, 21. — ¹⁰ *Exod.*, xxv, 30. — ¹¹ *Ibid.*, 11. — ¹² *Isa.*, lvi, 3. — ¹³ Gloss. interl. in *Exod.* c. xxv. — ¹⁴ *Psal.* cvi, 18. — ¹⁵ *Psal.* xxii, 5. — ¹⁶ *1 Cor.*, xi, 28.

(a) *Al. vitam.*

tu, luxuriose, tu, invidere, tu, avare, sordidior es quolibet cane, et foetidior. Augustinus ¹: « Quanto tolerabilius canis putridus foetet hominibus, quam anima peccatrix Deo! » Magna patientia, quod Dominus permittit se a canibus comedi. Nonne sicut canis per vomitum, ita per confessionem faciunt, et post Pascha ad ea, quae vomuerunt, redierunt, sicut canis ², qui revertitur ad vomitum?

De quarta (a) ³: « Ego dispono vobis, » etc. Hæc est mensa admiratione digna, sicuti significatum est ⁴: « Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum, quam ædificaverat, et cibos mensæ ejus, et habitacula servorum, ordinemque ministrantium, vestesque eorum, et pincernas, et holocausta, non habebat ultra spiritum. » Regina est anima evolatura coronanda in cælis, quæ mirabitur in sapientissima dispositione domus cælestis. Cibi mensæ cælestis sunt delectationes in dextera Dei. Habitacula sunt mansiones multæ pro diversitate meritorum. Ordines ministrantium sunt ordines angelorum. Pincernæ sunt animæ sanctorum, vinum æterni amoris, et Deo, et sanctis invicem propinantes. Vestes sunt claritates. Eorum holocausta sunt laudes, quæ sine fine offeruntur. Ecce, his omnibus visis, anima beata non habebit ultra spiritum, quia a se deficiens, tota transibit in Dominum. In his omnibus Salomonis sapientiam mirabitur, et inordinatissima prædictorum multitudine delectabitur. Augustinus ⁵: « Tanta est pulchritudo justitiæ, tanta est jucunditas lucis æternæ, hoc est incommutabilis veritatis, atque sapientiæ, ut etiam si non liceret (b) amplius videre, quam unius diei hora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis, et circumfluentia temporalium honorum merito contemneretur. »

¹ Imo auctor lib. *De cont. cord.*, c. IV, inter Spuria Aug., App. tom. VI. — ² *Prov.*, xxvi, 11. — ³ *Luc.*, xxi, 29. — ⁴ III *Reg.*, x, 4. — ⁵ Aug. — ⁶ *Luc.*, xi, 14. — ⁷ *Ezech.*, xxviii, 16. — ⁸ *Eccli.*, xxv, 4. — ⁹ *Job*, 1, 21. — ¹⁰ *Malth.*, iv, 9. — ¹¹ August. — ¹² *Marc.*, xvi, 9.

DOMINICA III IN QUADRAGESIMA.

SERMO PRIMUS.

Erat Jesus ejiciens demonium ⁶. Oportet ut diabolus ejiciatur per contritionem, ut mutus loquatur per confessionem. Ejectio autem diaboli quadruplex est, videlicet de cæco, de impio, de obsesso, de mundo. Prima, diabolo superbiante; secunda, impio pœnitente; tertia, Christo præcipiente; quarta, mundo credente facta est.

De prima ⁷: « Peccasti, et ejeci te de monte Dei, et perdidisti te, o Cherubim. » Timendum est ergo superbis. Si enim in monte cœli stare non potuit angelus superbus, quo modo ascendere potest homo superbus? Item, si propter unam superbiam cecidit angelus, quid fiet de hominibus, qui omnibus vitiis pleni sunt? Odibilis est ergo superbia non solum angeli, sed hominis miseri ⁸: « Tres species odovit anima mea: pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum. » Pauper superbus est homo: pauper enim mundum ingreditur, pauper egreditur ⁹: « Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc, » scilicet ad magnam matrem, quæ est terra. Dives mendax est diabolus, dives in promissione ¹⁰: « Hæc omnia tibi dabo, » etc. Mendax autem est in solutione; Augustinus ¹¹: « Veniet dies judicii, et invenies verum, quod comminatus est Deus, et falsum, quod pollicitus est diabolus. » Senex fatuus est mundus, qui fatua sequitur, et fatuos facit. Superbia Luciferum de cœlo, Adam de paradiso, Nabuchodonosor de regno ejecit.

De secunda (c) ¹²: « Apparuit primo Mariæ Magdalænæ, de qua ejecerat septem dæmonia. » Septem autem dæmonibus spiritualiter obsessus est, qui septem capitalium vitiorum principibus subjectus est, videlicet superbiæ, invidiæ, iræ, acediæ, avaritiæ, gulæ, luxuriæ. Unde in hoc Evangelio: *Tunc assumit alios septem spiritus*, etc.

(a) *Cat. edit.* quarto. — (b) *licet.* — (c) *secundo.*

Ejiciuntur autem per illos septem spiritus, de quibus ¹ : « Vidi agnum stantem tamquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei. » His cornibus agni ejiciuntur in contritione septem maligni spiritus. Bernardus ² : « Cordis compunctio est, qua ejiciuntur dæmonia, cum affectu cordis eradicantur peccata. » Quod autem dicitur de septem spiritibus nequioribus, quod ingressi habitant ibi, non est intelligendum quod substantialiter illabatur menti, quia solius Trinitatis est; sed suggestionem ³ : « Post buccellam intravit in eum Satanas. » Mirum est, quod non timent homines quod post buccellam, quam de rapina, vel de usura, vel de injusto acquirunt, intret in eos diabolus.

De tertia ⁴ : « Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum, » etc. Porci sunt luxuriosi; Joannes Chrysostomus ⁵ : « Porci sunt, qui vitam suam cœnosæ libidini, et voluptatibus sæculi manciparunt. » In his diabolus potestatem accipit ⁶, « qui conjugia ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, ⁷ sicut equus et mulus, quibus non est intellectus : habet super eos potestatem dæmonium. » Horribile videtur, quot tot millia dæmonum, scilicet legio, unum obsederunt hominem. Sed certe horribilius est habere tot peccata mortalia, imo unum mortale. Sed nota quod quandoque unus, sicut dicitur hic : *Erat Jesus ejiciens dæmonium*, etc.; quandoque septem, quandoque legio vexat hominem. Unus, quando in uno peccato mortali laborat homo. Septem, quando in septem peccatis mortalibus. Legio, quando eadem vitia multimode multiplicantur.

De quarta (a) ⁸ : « Princeps mundi hujus ejicietur foras. » Hoc factum est per Christi passionem, et per mundi conversionem. Hic est princeps, de quo dicitur ⁹, quod Finees (b) Israelitam fornicantem cum filia nobilissimi

principis Madianitarum simul cum ipsa (c) interfecit. Princeps diabolus septem habet filias, septem vitia capitalia, quas tradidit hominibus : aliquis habet unam, alius habet plures, alius habet omnes. Quanto plures (d) autem habes filias diaboli, tanto plus habebis de hæreditate ejus, id est, de igne æterno, quando cum filiabus ejus veneris ad infernum. Istæ filiæ habent suas filias, id est, vitia de ipsis nascentia. Væ tibi, si matrem cum filia habueris. Nobilis principis filia est iniquitas operis; nobilioris autem, nequitia consuetudinis; nobilissimi vero, obduratio impœnitentis. Qui hanc habuerit, gladio Finees (b), id est, sententia Christi damnabitur ¹⁰ : « Si acuro, ut fulgur, gladium meum, et arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, » etc. Augustinus ¹¹ : « Nolentes corrigi, si peccaverint, nihil aliud elegerunt nisi cum mundo damnari. »

SERMO II ¹².

Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto venit in vos regnum Dei ¹³. Quia virtutis est naturaliter in bonum dirigere, ideo Dominus noster Jesus Christus, videns oculo suæ sapientiæ temerarias cogitationes Judæorum dicentium ipsum in Beelzebub ejicere dæmonia, respectis eorum cogitationibus, et refutatis efficaciter indissolubilibus rationibus, ad dirigendum eos, concludit pro veritate propositum verbum dicens : *Porro si in digito Dei*, etc. In quo quidem verbo tria notantur, videlicet malignitas diabolicæ nequitiae, immensitas divinæ potentiae, utilitas consecutæ misericordiæ.

Primo notatur malignitas diabolicæ nequitiae, cum dicit : *Porro si*. Secundo immensitas divinæ potentiae, cum subdit : *In digito Dei ejicio dæmonia*. Tertio utilitas consecutæ misericordiæ, cum subinfert : *Venit in vos regnum Dei*.

— ¹⁰ Deuter., xxxii, 41. — ¹¹ Aug. — ¹² Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ¹³ Luc., xi, 20.

(a) Cat. edit. quarto. — (b) Vulg. Phinees. — (c) Cat. edit. ipso. — (d) Item plus.

¹ Apoc., v, 6. — ² Bern. — ³ Joan., xiii, 27. — ⁴ Matth., viii, 31. — ⁵ Chrysost. — ⁶ Tob., vi, 17. — ⁷ Psal. xxxi, 9. — ⁸ Joan., xii, 31. — ⁹ Num., xv, 15.

Dicit ergo : *Porro si*, etc. Ubi notatur malignitas diabolicæ nequitiae. Magna enim malignitas est ex parte diaboli, eo quod tam pulcherrimam creaturam, scilicet animam factam ad imaginem et similitudinem Dei, interficit, et secundum omnes suas potentias a Deo avertit, et pervertit. Nam primo rationalem excæcat errore falsitatis et malitiæ; secundo concupiscibilem deformat fœtore carnalitatæ et luxuriæ; tertio irascibilem deordinat tumore vanitatis et superbiæ. Primo ergo malignitas diaboli rationalem excæcat errore falsitatis et malitiæ. Unde dicitur ¹ : Oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus, et curavit eum ita, ut loqueretur, et videret. » Dæmonium, quem inhabitat per dominium, facit eum cæcum per errorem cæcitatæ, et mutum per pudorem confessionis Crucifixi; sed cum offertur Christo credendo in eum per captivationem intellectus, curatur a dæmonio duræ malignitatæ per illapsam summæ divinitatis. Non enim compatiuntur se invicem diabolus et Deus, in uno habitaculo. Nam diabolus est grossus et inflatus per elationem superbiæ; et Deus est magnus, et excelsus per immensitatem essentiæ. Restituitur visus per agnitionem primæ veritatis in corde, et redditur verbum per expressionem creditæ veritatis in ore. Nam ² « creditur corde ad justitiam, confessio autem ore fit ad salutem. » Secundo malignitas diaboli concupiscibilem deformat fœtore carnalitatæ et luxuriæ. Unde dicitur ³ : « Qui conjugia ita suscipiunt, » amore scilicet libidinis, « Deum excludunt a se, » propter fœtorem fornicationis, « et a sua mente, » propter immoderationem delectationis. Homo enim luxuriosus ita absorbetur delectatione carnis, ut totaliter sit deditus libidini, « sicut equus et mulus ⁴, quibus non est intellectus, » propter subversionem rationis. Et super talem habet dæmonium potestatem, præcipitando de peccato in peccatum, quousque faciat eum ruere in profundum in-

ferni, sicut vas quod tantum de loco volvitur in locum, donec labatur in puteum. Tertio malignitas diaboli deordinat irascibilem tumore vanitatis et superbiæ. Unde dicitur ⁵ . « Occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. » Homines dæmonia habentes elationis et superbiæ, licet sint elevati quantum ad apparentiam, per elationem superbiæ in corde, et ostentationem jactantiæ in opere, super omnes alios, qui sunt super terram, tamen secundum veritatem in tantum sunt depressi, et humiliati secundum rationem infallibilem divinæ justitiæ, quæ est ⁶ : « Qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur, » ut jam viventes sint sepulti, et habitent cum dæmonibus in monumentis inferni. Et propter hoc dicitur ⁷ : « Occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, sævi nimis, » propter furorem iracundiæ; « ita ut nullus posset transire per viam illam, » propter livorem invidiæ.

Sequitur : *In digito Dei ejicio dæmonia*; ubi notatur immensitas divinæ potentiæ. Ista immensitas divinæ potentiæ in hoc apparet primo, quia dæmonium erroris et malitiæ ejicit illuminando rationalem in aspectu primæ veritatis; secundo, quia dæmonium fœtoris et luxuriæ ejicit decorando concupiscibilem in amplexu munditiæ et castitatis; tertio, quia dæmonium elationis et superbiæ ejicit ordinando irascibilem in despectu subjacentiæ et humilitatis. Primo ergo immensitas divinæ potentiæ in hoc apparet, quia dæmonium erroris et malitiæ ejicit, illuminando rationalem in aspectu primæ veritatis. Unde dicitur ⁷ : « Obtulerunt hominem unum dæmonium habentem, et ejecto dæmonio locutus est mutus. » Homo habens dæmonium cæcitatæ et malitiæ efficitur mutus propter ruborem confessionis Crucifixi; sed cum offertur Christo, in eum

¹ *Matth.*, XII, 22. — ² *Rom.*, X, 10. — ³ *Tob.*, VI, 17.

— ⁴ *Psal.*, XXXI, 9. — ⁵ *Matth.*, VIII, 28. — ⁶ *Luc.*, XIV, 11. — ⁷ *Matth.*, IX, 32-33.

crecendo per captivationem intellectus, ejicitur dæmonium cæcitatibus et malitiæ per illapsum illuminantis sapientiæ, et restituitur verbum per expressionem veritatis creditæ. De hoc similiter dicitur ¹: « Cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus. » Secundo immensitas divinæ potentiæ dæmonium fœtoris et luxuriæ ejicit, decorando concupiscibilem in amplexu munditiæ et castitatis. Unde dicitur ²: « Exivit ab eo dæmonium, et curatus est. » Et sequitur ³: « Hoc genus non ejicitur nisi per jejunium et orationem. » Exivit ab eo dæmonium carnalitalis et luxuriæ, et curatus est per amplexum castitatis et munditiæ. Sed modum curandi, et ejiciendi illud dæmonium, docet Dominus, cum subdit ³: « Hoc autem genus non ejicitur nisi per jejunium » macerationis, refrænando voluptatem lasciviæ carnis exterius, « et orationem » devotionis, in refrænando ardorem immoderatæ dilectionis interiorius. Unde Hieronymus ⁴: « Jejunio sanantur pestes carnis, et oratione pestes mentis; et quanto oratio purior et ferventior, tanto ad expellendum vitium luxuriæ efficacior. » Unde Chrysostomus ⁵: « Quis non oratione devicit? » Quanto oratio fuerit purior et ferventior celebrata, tanto celerior erit de inimico victoria. Tertio immensitas divinæ potentiæ dæmonium tumoris et superbiæ ejicit, ordinando irascibilem in despectu subjacentiæ et humilitatis. Unde dicitur ⁶: « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicitur foras: et si ego exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. » Nunc enim est judicium mundi, ut ⁷ « unus moriatur homo pro populo, » propter mitigabilem rigorem divinæ justitiæ, « et non tota gens pereat » propter immutabile decretum promissæ misericordiæ. Ergo Christus, ad destruendam superbiam primi hominis, qui voluit æquari Domino, dignatus est tantum et plus humiliari, quantum Adam superbivit, factus homo: quia

non emendatur damnum, nisi tantum vel plus restituatur. Sed ut *omnia*, id est, de omni gente et natione aliquos, ut intelligatur pars pro toto, ad seipsum traheret per unicum vinculum amoris, voluit exaltari a terra per opprobriosam mortem crucis: quia et diabolus iniecerat manus in alienum servum, scilicet Christum, in quo non habebat quidquam, suggerendo suis membris ut crucifigeretur: ideo justum fuit ut amitteret proprium servum, scilicet captivum hominem. Unde in lege dicitur: « Qui alienam possessionem injuste possidet, vel occupat, debet propriam amittere. » Et sic princeps superbiæ, amissa potestate quam habebat super servum suum hominem, eo quod injuste manum in Christum miserat, cum vituperio ejectus est foras.

Tertio notatur utilitas consecutæ misericordiæ ex parte humani generis, cum dicit: *Pervenit ad vos regnum Dei*: primo per gratiam baptismalem, respectu mali amovendi; secundo, per gratiam pœnitentialem, respectu ardui inchoandi; tertio per gratiam finalem, respectu boni consummandi. Primo ergo appropinquat regnum Dei per gratiam baptismalem respectu mali amovendi. Unde dicitur ⁸: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est. » Quia omnes nascimur filii iræ, et carnales ratione fœditatis originalis culpæ; ideo juste sumus privati illa hæreditate regni cœlestis, nec possumus ad illam pervenire, nisi per gratiam baptismalem prius efficiamur mundi et spirituales, et sic tanquam veri hæredes Dei, et cohæredes Christi fuerimus in regnum Filii dilectionis suæ assumpti: quia caro et sanguis regnum Dei non possidebit, nec corruptio incorruptionem. Secundo appropinquat regnum Dei per gratiam pœnitentialem, respectu ardui inchoandi. Et de hoc dicitur ⁹: « Agite

¹ Luc., xi, 11. — ² Matth., xvii, 17. — ³ Ibid., 20. — ⁴ Vel quisquis alius, sub Hieronymi nomine, in

Marc., c. ix. — ⁵ Chrysost. — ⁶ Joan., xii, 31. — ⁷ Joan., xi, 50. — ⁸ Joan., iii, 3, 6. — ⁹ Matth., iii, 2.

pœnitentiam, appropinquat enim regnum cœlorum. » Qui faciunt dignos fructus pœnitentiæ in exercitiis virtuosæ operationis, castigando corpus proprium in bonis exemplis, ædificando proximum in continuis laudibus honorando Deum. Unde qui vult ut appropinquet sibi regnum Dei, debet ¹ facere dignos fructus pœnitentiæ, eradicando a seipso omnia vitiorum genera : quia non est dignus intrare superbus et altus ; quia humili et basso ostio, quod est Christus, caput conquassabitur. Non invidus, quia ² ejus « participatio in idipsum. » Non iracundus et jaculosus, quia ibi est summa « pax ³, quæ exuperat omnem sensum. » Non avarus, quia ⁴ foramen acus camelum cum sarcinis non admittit. Non gulosus, quia ⁵ « regnum Dei non est esca et potus. » Non luxuriosus, quia ibi ⁶ « neque nubent, neque nubentur. » Similiter « caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, » sicut dicitur ⁷. Tertio modo appropinquat regnum Dei per gratiam finalem respectu boni consummandi. Unde dicitur ⁸ : « Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. » Et ratio est, quia Deus nullum recipit in regnum suum, nisi amicum : nullus est amicus, nisi sit finaliter per patientiam in tribulatione probatus. Unde ad intrandum illud regnum quod est magnum longitudine æternitatis, interminabile latitudine capacitatis, incoarctabile in celsitudine sublimitatis, debet semper habere in proposito æternitatem bonæ voluntatis, impermutabilitatem gratuitæ veritatis, et sustinere confidenter pœnalitatem humanæ miseræ, etc.

SERMO III^o.

Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se ¹⁰. Ecce quod hic dicitur, sæpe videmus : nam qui post conversionem pervertuntur, sæpe pluribus vitiis, quam

ante, subjiuntur. Septem autem spiritus, secundum septem vitia capitalia possumus hic accipere. Primus ergo est spiritus superbiam. ¹¹ « Contritionem præcedit superbia, et ante ruinam exaltabitur spiritus : » non solum spiritus superbi hominis, imo superbus diabolus, sicut exaltabatur ante ruinam in cœlo, ita exaltatur quotidie ante ruinam nostram. Secundus invidia ¹² : « Non rectis oculis, » etc., usque : « Invasit spiritus malus Saul. » Adhuc hodie, quos spiritus invidiæ vexat, non recte aliquos aspiciunt. Tertius iræ ¹³ : « Ira non habet misericordiam, neque erumpens furor : et impetum concitati spiritus ferre quis poterit? » Incendiarii diaboli sunt iracundi, et ideo eos nulla domus ferre potest timore incendii ¹⁴ : « Secundum ligna sylvæ, sic ignis exardescet, et secundum virtutem hominis, sic iracundia illius erit, et secundum substantiam suam exaltabit iram suam. » Quartus avaritiæ ¹⁵ : « Egrediar, et ero spiritus mendax omnium prophetarum. » Spiritus iste, qui persuasit regi Achab tollere Ramach Galaad, est spiritus avaritiæ, qui semper persuadet temporalia, quæ multis congregantur. Psalmista ¹⁶ : « Mendaces filii hominum in stateris, » etc. Quintus acediæ ¹⁷ : « Spiritus tristis exsiccet ossa. » Et ¹⁸ : « Ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo, » etc. Acedia enim infirmum reddit ad opera decem mandatorum, et octo beatitudinum, neque sursum aspicere sinit hominem ad Deum. Sextus est gulæ ¹⁹ : « Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis, et errare fecit Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens. » Cave tibi de vertigine ebrietatis. Septimus est luxuriæ ²⁰ : « Spiritus fornicationis in medio eorum, et Dominum non cognoverunt. » Cave sagittas cujuslibet horum septem spirituum nequiorum ²¹ : « In omnibusumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea

¹ *Matth.*, III, 8. — ² *Psal.*, CXXI, 4. — ³ *Philip.*, IV, 7. — ⁴ *Matth.*, XIX, 24. — ⁵ *Rom.*, XIV, 17. — ⁶ *Matth.*, XXII, 30. — ⁷ *I Cor.*, XV, 50. — ⁸ *Act.*, XIV, 21. — ⁹ Hunc et sequentem habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ¹⁰ *Luc.*, XI, 26. — ¹¹ *Prov.*, XVI, 18. —

¹² *I Reg.*, XVIII, 9-10. — ¹³ *Prov.*, XXVII, 4. — ¹⁴ *Eccli.*, XXVIII, 12. — ¹⁵ *III Reg.*, XXII, 22. — ¹⁶ *Psal.*, LXI, 10. — ¹⁷ *Prov.*, XVII, 22. — ¹⁸ *Luc.*, XIII, 11. — ¹⁹ *Isa.*, XIX, 14. — ²⁰ *Ose.*, IV, 12. — ²¹ *Ephes.*, VI, 16.

extinguere. » Nequam sunt isti spiritus in peccantibus ante conversionem. Nequiores autem sunt in recidivantibus post conversionem. Isidorus : « Gravius illos concupiscentia sæculi ferit, quos post renuntiationem ad mundi amorem reducit. » Nequissimi vero sunt in perseverantibus usque ad damnationem. Isti septem spiritus nequam sunt ejiciendi sex modis, videlicet : verbo sanctæ prædicationis : verbo ejiciebat spiritus. Primum bonum verbi Dei est, quod per timorem humiliat cor, superbiam reprimens¹ : « Cum audisset Achab, » etc., usque : « Nonne (a) vidisti Achab humiliatum coram me? » etc. Item beneficio dominicæ passionis. Unde dicitur² quod per citharam David spiritus malus recedebat a Saule. Cithara vero est Christus in cruce. Sicut enim in cithara tenduntur chordæ super lignum, ita membra Christi super lignum crucis tendebantur. Per memoriam autem passionis Christi charitas accenditur, invidia confunditur. Item exemplo bonæ conversationis; unde dicitur quod per sudaria et semicinctia Pauli fugabantur spiritus nequam. Sudarium, quo laborantium sudor extinguitur, est exemplum patientiæ in laborantibus. Semicinctium autem, quod est vestis ex uno latere dependens, significat exemplum patientiæ, vel mansuetudinis in tribulationibus. Patientia enim indigemus in latere sinistro adversitatis, non in latere dextro prosperitatis. Item digito occultæ inspirationis; unde in hoc Evangelio³ : « Si in digito Dei, » etc. Avaros nec prædicatio, neque Christi passio, neque exemplum movere potest ad restitutionem, nisi digitus Dei specialiter tangat eos. Sunt enim sicut malefici Pharaonis, id est diaboli, qui non reprimuntur Dei digito, sicut dicitur⁴. Item studio continuæ orationis, quæ specialiter maxime valet contra acediam. Item inedia devotæ jejunationis, quæ specialiter valet contra gulam. De his duobus dicitur⁵ : « Hoc genus non ejicitur nisi per orationem et jejunium. Item fumo amaræ contritionis⁶ : « Cordis ejus particulam si super carbones, » scilicet infernales, per recordationem « posueris, fumus ejus, » id est, contritio, « extirpat omne genus dæmoniorum. » Contritio valet contra omnia vitia; specialiter tamen fumus iste fugavit dæmonium, quod super luxuriosos habuit potestatem.

SERMO IV.

*Beatus venter qui te portavit*⁷, etc. Sicut Maria in ventre, sic nos in mente Christum portemus. Quatuor autem sunt, quæ portanda nobis sunt : portare enim debemus Christum in corde per dilectionem, crucem Christi in corpore per castigationem, nomen Christi in ore per prædicationem, coronam Christi in capite per glorificationem.

Quatuor
portanda

De primo hic : *Beatus venter*, etc. Sicut per matrem, cujus est diligere, portatur in castissimo ventre, ita non nisi per amantem portatur mundo corde (b). Certe melius est portare panem in ventre, quam lapidem vel serpentem. Peccatum autem est lapide gravius, et serpente multo horribilius.⁸ « Panis ejus in utero ejus vertetur in fel aspidum. » O quam horreret homo serpentem habere in ventre! Et certe periculosius est unum peccatum in corde, quam mille serpentes in corpore. Dilectio autem non solum debet esse in corde, sed in opere. Ideo non solum mater in utero, sed etiam Simeon in brachio Christum portavit. Libenter, charissimi, in utero cordis portemus, qui nos in utero suæ sanctæ misericordiæ semper portat, quousque in lucem vitæ æternæ nos pariat⁹ : « Qui portamini a meo utero, » etc., id est, misericordia. Debet ergo diligi.

De secundo¹⁰ : « Ego stigmata Jesu in corpore meo porto. » Crux Jesu non solum per vulnera et stigmata passionum portatur, sed

¹ III Reg., xxi, 29. — ² I Reg., xvi, 23. — ³ Luc., xi, 20. — ⁴ Exod., viii, 19. — ⁵ Matth., xvi, 30. — ⁶ Tob.,

(a) *Cat. edit. non.* — (b) corpore.

etiam per pœnitentiam, et carnis mortificationem, et sensuum refrœnationem ¹: « Glorificate et portate Deum in corpore vestro. » Portare autem debemus tempestive, ne negligamus temporis brevitatem ²: « Bonum est viro cum portaverit, » etc. Item voluntarie, ne cogamur necessitate, sicut Simon ³: « Imposuerunt illi portare crucem post Jesum. » Item strenue, ne vincamur tentatoris importunitate; probus enim miles strenuissime clypeum portat, quamdiu inter hostes est ⁴: « Filii Juda portant clypeum, et hastam, » etc. Clypeus pœnitentiam significat: protegit enim nos ab hostibus, et ne vulneremur. Hasta est zelus justitiæ. Sed, heu! multi de pœnitentia faciunt, sicut de quodam dicitur, qui clypeum usque ad ostium portavit, et tunc in lutum projecit. Gregorius ⁵: « Incassum bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur. » Libenter portemus crucem pro Christo, qui libenter portavit pro nobis ⁶: « Bajulans sibi crucem exivit, » etc.

De tertio ⁷: « Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum, » etc. Nomen Jesu in ore portare debemus non solum in prædicatione, sicut Paulus, sed etiam in oratione, et in laudatione, in colloquutione, in frequenti ruminacione. Bernardus ⁸: « Jesus mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. » Charissimi, semper portemus aliquid boni in ore, sicut columba de qua ⁹: « Portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. » Oliva Christum, vel virum justum significat; Psalmista ¹⁰: « Ego autem sicut oliva, » etc. Ramus autem est bonum opus, vel exemplum. Folia autem virentia sunt verba ædificatoria, verba veracia, pudica, pacifica, utilia. Hæc columba, id est anima innocens, debet in ore habere, si ad Noe, id est ad Christum, vult venire. Sed, heu! quidam non columbæ Dei, sed ciconiæ sunt diaboli, qui sæpius ranam, quam ramum in ore

habent, ut detractores, mendaces, turpiloqui, proditores et hujusmodi ¹¹: « Vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudo-prophetae exire tres immundos spiritus in modum ranarum. » Libenter nomen ejus nos portare debemus, qui nos verbo oris sui portat ¹²: « Portansque omnia verbo virtutis suæ. » Porta eum in ore tuo, ne te evomat de ore suo ¹³: « Incipiam te evomere ex ore meo. »

De quarto ¹⁴: « Insuspicabilis portavit diadema, » sicut Paulus persecutor, et Magdarena, et multi (a) quondam pejores nunc portant coronam ¹⁵: « Publicani, et meretrices præcedent vos in regnum Dei. » Et quia multis doloribus, et laboribus animæ et cordis ad portandam hanc coronam pervenitur, ideo bene dicitur ¹⁶: « Occupatio magna creata est omnibus hominibus, » etc. Nota quod ibidem per præidentem super sedem gloriosam, et utentem hyacintho, id est stola cœlesti, et per portantem coronam, significari potest spiritus cujuslibet justi in cœlo beatificati; per humiliatum autem in terram et cinerem, et per apertum lino crudo, significari potest corpus, quod panno lineo involutum est in sepulcro. In his enim occupatio, et grave jugum, dum adhuc in mundo vivebat. Ut hanc coronam portemus in cœlo, Christus pro nobis coronam portavit in mundo ¹⁷: « Exivit ergo Jesus, portans coronam spineam. » Bernardus ¹⁸: « Deus pro te coronatus est spinis, ut tu coroneris in cœlis. »

DOMINICA IV IN QUADRAGESIMA.

SERMO PRIMUS ¹⁹.

Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, que faciebat super his, qui infirmabantur ²⁰. Quoniam majoris læsionis est infirmitas mentis, quam corporis; ideo

¹ 1 Cor., VI, 20. — ² Thren., III, 27. — ³ Luc., XXIII, 26. — ⁴ 1 Paral., XII, 24. — ⁵ Greg., Moral., lib. I, c. xxxvii, al. xx, n. 55. — ⁶ Joan., XIX, 17. — ⁷ Act., IX, 45. — ⁸ Bern. in Cant., serm. xv, n. 6. — ⁹ Gen., VIII, 11. — ¹⁰ Psal. LI, 10. — ¹¹ Apoc., XVI, 13. —

¹² Hebr., I, 3. — ¹³ Apoc., III, 16. — ¹⁴ Eccli., XI, 5. — ¹⁵ Matth., XXI, 31. — ¹⁶ Eccli., XL, 1. — ¹⁷ Joan., XIX, 5. — ¹⁸ Bern. — ¹⁹ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ²⁰ Joan., VI, 2.

(a) Cæt. edit. magnaia, et multa, sine sensu.

in hodierno evangelio, exemplo multitudinis Christum sequentis per desertum, propter signa sanitatis, quæ videbant super infirmos fieri corporaliter, informantur omnes spiritualiter infirmi sequi Christum per desertum asperitatis et pœnitentiæ, ut ab eorum infirmitatibus liberentur. Sed quia prius est ad medicum recurrere, deinde morbum ostendere, et postea curationem recipere : ideo ad hoc, ut ordinate procedamus, possumus dicere quod in verbis istis primo notatur justitiæ et sanctitatis inchoatio; secundo, humanæ calamitatis designatio; tertio, divinæ bonitatis ostensio. Primo ergo notatur justitiæ et sanctitatis inchoatio, cum dicit : *Sequebatur eum multitudo magna*; secundo, humanæ calamitatis designatio, cum dicit : *Super his, qui infirmabantur*; tertio, divinæ bonitatis ostensio, cum subinfert : *Quia videbant signa quæ faciebat*.

Dicit ergo : *Sequebatur eum multitudo magna* : ubi notatur justitiæ et sanctitatis inchoatio. Ille enim est verus inchoator justitiæ et sanctitatis, qui Christum sequitur, primo in voluntaria despectione terrenæ cupiditatis, secundo in vera dejectione profundæ humilitatis, tertio in continua maceratione propriæ carnis. Primo ille est verus inchoator justitiæ et sanctitatis, qui Christum sequitur in voluntaria despectione terrenæ cupiditatis; unde dicitur ¹ : « Dixit quidam : Sequar te quocumque ieris. Et ait illi Jesus : Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. » Quia iste volebat sequi Christum ad hoc ut ditaretur et honoraretur, eum vocavit Dominus vulpem habentem terrenam foveam cupiditatis, et volucrum habentem aereum nidum vanæ gloriæ, et ambitionis : propter hoc non poterat sequi Christum, qui erat pauperrimus et humillimus. Unde de beato Matthæo ² : « Vidit hominem sedentem in teloneo, Matthæum

nomine; et ait illi : Sequere me. Et surgens secutus est enim. » Beatus Matthæus pro statu suo signare potest hominem avarum, qui sedet in teloneo terrenæ cupiditatis; cui dicitur a Christo : Sequere me per despectionem terrenæ cupiditatis; et surgens a pulvere cupiditatis, secutus est eum per amplexum sanctissimæ paupertatis in affectu, sive in effectu, secundum illud Psalmistæ ³ : « Divitiæ si affluent, nolite cor apponere. » Secundo ille est verus inchoator justitiæ et sanctitatis, qui sequitur Christum in vera dejectione profundæ humilitatis. Et de hoc potest intelligi verbum Jacob ⁴ : « Præcedat Dominus meus ante servum suum, et ego sequar vestigia ejus. » Verbum illud Jacob, qui interpretatur *supplantator*, potest esse verbum eujuslibet humilis supplantantis diabolum per humilitatem, dicentis ad Christum : Præcedat Dominus meus per voluntariam abjectionem profundæ humilitatis, et ego servus tuus sequar cum timore filialis reverentiæ vestigia tua : vestigia, inquam, non sublimitatis potentiæ, quia præsumptuosum est, eo quod sunt adoranda, non imitanda; non profunditatis sapientiæ, quia curiosum, quoniam non sunt scrutanda et imitanda, sed admiranda : sed vestigia profundæ humilitatis, quia gloriosum est, eo quod in talibus ⁵ est gloria magna (a) sequi Deum. Tertio ille est verus inchoator justitiæ et sanctitatis, qui Christum sequitur in continua maceratione propriæ carnis; unde dicitur ⁶ : « Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. Qui invenit animam suam, perdet eam; et qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam. » Ecce quod Christus Rex regum statuit decretum, quod nullus possit eum videre, nisi sit secum crucifixus. Et hoc decretum est tantæ generalitatis, ut nullus excipiat; tantæ autem necessitatis, ut cum nullo dispensetur. Sed quilibet tenetur accipere crucem mortificationis in suo corpore, ut et vita Domini Jesu in corpore suo per imita-

¹ *Joan.*, ix, 57-58. — ² *Matth.*, ix, 9. — ³ *Psal.*, lxi, 11. — ⁴ *Gen.*, xxxiii, 14. — ⁵ *Eccli.*, xxiii, 38. — ⁶ *Matth.*, x, 38, 39.

(a) *Cet. edit. magistri.*

tionem manifestetur : alioquin non est dignus sequi eum ad coronam, sine vexillo victoriae. Unde post exhortationem subjungit retributionem, cum dicit : « Qui invenit animam suam perdet eam. » Item qui patibulum mortificationis crucis negligit assumere, expectet suae exterminationis iudicium. Sed « qui perdit animam suam propter me, inveniet eam, » id est, qui carnem suam crucifigit cum vitiis, et concupiscentiis, assumendo vexillum victoriae, expectet suae coronationis primum.

Sequitur : *Super his qui infirmabantur* : ubi secundo notatur humanae calamitatis designatio, et quia tunc temporis infirmitas exterior erat signum infirmitatis interioris. Nam nullum curavit Dominus corporaliter, quem primo non curaret spiritualiter. Ideo nomine infirmitatis corporalis potest designari calamitas, sive infirmitas spiritualis, propter aliquam convenientiam quam habent ad invicem. Nam sicut inaequalitas humorum est causa infirmitatis corporalis, sic infirmitas spiritualis causatur ex inaequalitate, sive inordinatione quatuor affectionum, quae sunt hae : spes, timor, gaudium, et amor. Primo, propter pusillanimitatem timoris et diffidentiae, causatur infirmitas inconstantiae et desperationis ; secundo propter gaudium et exultationem afflictionis alienae, causatur infirmitas invidiae et rancoris ; tertio, propter inordinatum amorem prosperitatis mundanae, causatur infirmitas avaritiae et cumulationis. Primo, propter pusillanimitatem timoris et diffidentiae, causatur infirmitas inconstantiae et desperationis ; unde dicitur ¹ : « Videbit quod infirmata sit manus, clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt. » *Infirmata est manus* virtuosae operationis ; *defecerunt clausi* in carcere diffidentiae et desperationis ; *residuique consumpti sunt* per ardentissimam diffusionem super quaeque genera peccatorum. Sed de illis, qui liberantur ab illa infirmitate, potest exponi illud ² : « Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore. »

Arcus fortium, id est, daemnonum : multum enim nituntur daemones cum isto arcu diffidentiae et desperationis sagittare timidos et imbecilles homines ; sed quando superatus est arcus ille per considerationem divinae benignitatis, quae parcat faciliter, infirmi resumunt vires, et accinguntur robore confidentiae. Et de hoc dicitur in Psalmo ³ : « Ipsi infirmati sunt » per timorem diffidentiae et desperationis, « et ceciderunt » in profundum aeternae damnationis. Sed ⁴ « si consistent adversus me » confidentem in Domino, « castra » diabolicæ nequitiae, incutiendo timorem desperationis, « non timebit cor meum » per pusillanimitatem timoris. Secundo, propter gaudium et exultationem afflictionis alienae, causatur infirmitas invidiae et rancoris ; unde dicitur ⁵ : « Aegrotavit Aza dolore pedum vehementissimo, et nec in infirmitate sua requisivit Dominum. » Aza, ratione suae infirmitatis, scilicet podagrae, potest signare hominem invidum. Nam sicut podagricus perdit gressum corporalem, sic invidus profectum spiritualem ; nec in infirmitate sua invidus requisivit Dominum propter difformitatem suae voluntatis ad divinam. De hoc similiter dicitur ⁶ : « Tu autem aegrotabis languore pessimo uteri, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies. » Et sequitur : « Mortuus est in infirmitate pessima. » Invidus tanto languore livoris tabescit, et torquetur, quando bonus proficit, ut videantur sibi viscera de suo ventre exire ; et sic moritur in infirmitate pessima propter putridam putrefactionem totius hominis. Nam putredo ossium est invidia. Tertio, propter inordinatum amorem prosperitatis mundanae, causatur infirmitas avaritiae et cumulationis, unde dicitur ⁷ : « Peregrini qui de longe venerint, videntes plagas terrae illius, et infirmitates quibus eam afflixerit Dominus, sulphure et salis ardore comburens, ita ut ultra non seratur, nec virens quippiam ger-

2. — ⁴ Ibid., 3. — ⁵ II Paral., XVI, 12. — ⁶ II Paral., XXI, 15, 19. — ⁷ Deut., XXXI, 22.

¹ Deut., XXXII, 36. — ² I Reg., II, 4. — ³ Psal. XXVI,

minet. » Et quia avaritia reddit hominem callidum et astutum in corde¹, fœdum in conversatione, aridum in opere, quia sine compassione : ideo dicitur avarus affligi sulphure fœtoris, ardore solis, ad modum terræ aridæ et combustæ, ita ut non seratur, quia nec prius saturatur cor avari auro, quam saturatur vento : et ideo non sistit appetitus, quia nunquam invenit soliditatem, sed potius vanitatem in prosperitate mundana. Videntes autem peregrini, qui¹ « non habent hic manentem civitatem, sed futuram inquirunt, » propter plagas quibus afflicto est avarus, exemplo didicerunt omnia despiciere propter amorem Dei.

Ultimo notatur divinæ bonitatis ostensio, cum dicit : *Quia videbant signa, quæ faciebat*. Licet ostendatur divina bonitas per multa signa: tamen, quantum ad præsens, potest dici quod ostenditur divina bonitas per tria signa, quæ fecit super triplicem prædictam proprietatem (a). Nam primo fecit signum pietatis et clementiæ in gratuita condonatione omnimodæ iniquitatis, contra infirmitatem diffidentiae. Secundo fecit signum charitatis et benevolentiae in charitativa exhibitione propriæ carnis, contra infirmitatem rancoris et invidiæ. Tertio fecit signum paupertatis et inopiæ in voluntaria despectione mundanæ prosperitatis, contra infirmitatem avaritiæ. Primo fecit signum pietatis et clementiæ in gratuita condonatione omnimodæ iniquitatis; unde dicitur in Psalmo² : « Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur : quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me. » Fac mecum signum pietatis et misericordiæ in bonum salutis aeternæ, ut videant daemones, qui oderunt me propter rigorem severitatis justitiæ, et confundantur propter constantiam severitatis humanæ. Quoniam tu, Domine, adjuvisti me, propter collationem corroborantis gratiæ, et consolatus es me,

per condonationem iniquitatis. De hoc similiter potest dici, et exponi illud³ : « Annuntiate in gentibus, et auditum facite, levate signum, prædicate, et nolite celare. » Prædicatores, et maxime prælati sacerdotes, debent prædicare verbo, et levare facto illud signum divinæ misericordiæ in condonatione delictorum; nec debent illud celare, vendendo misericordiam Dei liberalem pretio temporali : ut sic peccatores experti dulcedinem divinæ misericordiæ annuntient, et auditum faciant timentibus rigorem severitatis justitiæ, quoniam prior est Deus ad miserandum, quam ad condemnandum. Unde Augustinus⁴ in libro *de Anima* : « Tardius siquidem videtur Deo dare peccatori gratiam, quam ipsi peccatori qui accipit (b) : sic festinat absolvere a tormento, quod (c) quasi plus ipsum cruciet compassio miseri, quam ipsum miserum compassio sui. » Secundo fecit signum charitatis et benevolentiae in charitativa exhibitione propriæ carnis, contra infirmitatem rancoris et invidiæ; unde dicitur⁵ : « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. » Licet magnum signum charitatis et benevolentiae fecerit Filius Dei in incarnatione, dando se in fratrem humani generis, naturam assumendo, in passione dando se in pretium nostræ redemptionis, pœnam sustinendo; majus tamen signum dilectionis fuit, cum proprium corpus tradidit homini in cibum refectionis. Nam in aliis duobus modis est quædam separatio et divisio inter dantem et datum; sed isto modo est mirabilis et interminabilis unio inter cibatum et cibum, et conversio unius et alterius. Et ratione istius unionis dicit Christus animæ gustanti dulcedinem sacramenti Eucharistiæ et amoris : Pone me ut signaculum charitatis et benevolentiae super cor tuum, quod est in medio homine, propter unionem internam cibi et

¹ *Hebr.*, XIII, 11. — ² *Psal.*, LXXXV, 17. — ³ *Jerem.*, I, 2. — ⁴ Inno auctor, quisquis sit, libri *de Spiritu et Anima*, c. VI, inter Opera August., Append. tom. VI. — ⁵ *Cant.*, VIII, 6.

(a) *Leg.* infirmitatem. — (b) *Apud Aug.* peccatori accipere. — (c) *Ibid.* tormento conscientiae suæ.

cibantis, et conversionem cibati ad cibum; ut signaculum super brachium tuum, propter ostensionem virtuosæ operationis: nam¹ « probatio dilectionis exhibitio est operis. » Quia fortis est ut mors dilectio, quæ me duxit ad angustias tribulationis temporalis toto tempore vitæ meæ, et ad ultimum traxit me ad crudele supplicium crucis. Dura sicut infernus æmulatio mei Patris æterni, qui postquam Filium habuit incarnatum, ad mortem duci permisit, et resuscitatum pro vobis ostendit eum (a) gloria et honore coronatum, et sublimatum super cælos eum constituit vobis adiutorem viatorum, et beatificatorem (b) comprehensorum. Tertio fecit signum paupertatis et inopiæ in voluntaria despectione mundanæ prosperitatis, contra infirmitatem avaritiæ; unde dicitur²: « Et hoc vobis signum erit: invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. » Hoc erit vobis signum paupertatis et penuriæ, quia invenietis Filium Dei, in quantum hominem, pannis involutum necessitatis et indigentiae, non purpura superfluitatis et jactantiae, et positum in humili et aspero præsepio voluntariæ abjectionis, non in lecto serico pomposæ ostentationis. Unde Bernardus³: « Tempus elegit quod molestius est parvulo, et pauperis matris filio, quæ vix habebat pannos ad involvendum, sed in præsepio reclinavit. Et cum tanta esset necessitas, nullam audio pellium fieri mentionem. » Non tale est iudicium mundi: aut mundus fallitur, aut ille errat: sed divinam falli sapientiam est impossibile: ergo mundus errat. Rogemus, etc.

SERMO II⁴.

*Est puer unus hic, quinque panes hordeaceos habens*⁵. Puer est Christus, a quo quinque panes habemus: videlicet naturæ, doctrinæ, poenitentiae, Eucharistiæ, gratiæ.

¹ Greg., in *Evang.*, hom. xxx, n. 1. — ² *Luc.*, II, 12. — ³ Bern., in *Nativ. Dom.*, serm. III, n. 1. — ⁴ Hunc et seq. usque ad Dom. in Pass., serm. III exclusive, habet edit. Paris. an. 1521. — ⁵ *Joan.*, VI, 9. — ⁶ *Gen.*, III, 19. — ⁷ *Prov.*, XX, 17. — ⁸ *Isa.*,

Primus est corporatis; secundus, doctrinalis; tertius, poenitentialis; quartus, sacramentalis; quintus, spiritualis. De primo⁶: « In sudore vultus tui, » etc. Pro pane isto parum sudant usurarii et alii, qui in adulationibus, et detractionibus, et in perjuriis, imo et in emptionibus et venditionibus, et multis mendaciis victum acquirunt.⁷ « Suaevis est homini panis mendacii, et postea implebitur os ejus calculo, id est, lapide ignito. » Dicit Glossa: « De isto pane colliguntur fragmenta eleemosynarum. »⁸ « Frange esurienti panem, » etc. Frange esurienti in mundo: panem tuum cum esurientibus et egenis comede, et de vestimentis tuis nudos tege, etc. Item in purgatorio⁹: « Mittite partes eis, qui non præparaverunt sibi. » Item in cælo: esuriunt enim sancti eleemosynam et alia bona opera nostra, et maxime Christus¹⁰: « Esurivi, » etc. Gregorius¹¹: « Ad retribuendum pigri cur estis? Quando hoc quod jacenti in terra porrigitis, sedenti in cælo datis. » Sic ergo habes quasi trium sportarum fragmenta.

De secundo¹²: « Cibavit illum pane vitæ et intellectus, » etc. Sicut paterfamilias ejicit de familia eum qui otiose comedit panem suum, sic Christus. Otiose autem comedit, qui doctrinam intelligit, et non facit. E contrario¹³: « Panem otiosa non comedit. » Vide quomodo hordeaceus est, quoniam non otiose, sed cum labore comedendus est. Istius panis quasi trium cophinorum fragmenta, sunt credendorum, fugiendorum, agendorum documenta. Olim dictum¹⁴: « Parvuli ejus petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. » Modo frangitur, et parvis, et magnis, plusquam velint.

De tertio Psalmista¹⁵: « Cibabis nos pane, » etc. Sed quia poenitentia et austera vita sæpe corrumpitur per fermentum variæ laudis, vel admixtæ carnalitatatis, vel servilis

LVIII, 7. — ⁹ II *Esd.*, VIII, 10. — ¹⁰ *Matth.*, XXV, 35. — ¹¹ Greg., in *Evang.*, hom. XL, n. 12. — ¹² *Eclli.*, XV, 3. — ¹³ *Prov.*, XXXI, 27. — ¹⁴ *Thren.*, IV, 4. — ¹⁵ *Psal.* LXXIX, 6.

(a) *Cæt. edit. cum.* — (b) *Item beatificatorum.*

timoris, quando solum timore gehennæ fit pœnitentia; ideo dicitur ¹: « Septem diebus comedes absque fermento panem. » Septem diebus, id est semper: omne tempus septem diebus solvitur (a). De isto pane fiunt fragmenta contritionis, confessionis, satisfactionis, quasi trium sportarum: plurima autem fragmenta sunt, quæ pœnitentibus et lugentibus pauci frangere sciunt, vel nolunt ²: « Non frangent inter eos lugenti panem. »

De quarto ³: « Quicumque manducaverit panem, vel calicem Domini biberit indigne, reus erit corporis, et sanguinis Domini. » Timendum valde est hoc verbum. Vide ergo quomodo hordeaceus est, qui non solum in dolore de memoria passionis Christi, sed etiam in dolore de peccatis, quasi agnus cum lactucis agrestibus, comedendus est. Qui hunc non indigne vult comedere, debet, sicut ovicula, mansuete et innocenter vivere. Unde de ovicula pauperis, quam dives illi abstulit, dicitur ⁴ quod « erat de pane illius comedens, et de calice bibens. » Pauper est Christus, qui paucas oves habet. Dives est diabolus, qui habet oves, et boves, et insuper pecora mundi. Istius panis fragmenta sunt tres partes hostiæ fractæ ⁵: « Panis, quem frangimus, » etc. Hunc Deus etiam benedixit et fregit. Quid autem significant istæ tres partes, dicitur in *Sententiis* ⁶. Possumus etiam dicere quod tres partes fiunt, quia hoc sacrificium offertur ad honorem sanctorum in cœlo; ad salutem vivorum in mundo, unde sacerdos dicit: *Ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem*, etc.; item ad solutionem purgandorum in purgatorio. Unde in Canone commemoratio fit nominatim, et sanctorum vivorum, et mortuorum.

De quinto. Psalmista ⁷: « Panis cor hominis confirmet. » Istum panem timoris sollicitudo facit hordeaceum. Unde Bernardus ⁸: « Time, cum accesserit (b) gratia; time, cum abierit;

time, cum denuo redierit. » Sed quis vidit unquam dormientem comedere? Sic tu, nisi de somno peccatorum surrexeris, pane gratiæ non pasceris. Unde bene dicitur ⁹, quod Angelus Heliam bis excitavit, ut panem comederet, in cujus fortitudine quadraginta dies ambulavit. Excitatur homo bis: primo, per timorem gehennæ; secundo, per amorem gloriæ. Istius panis fragmenta sunt varia gratiarum dona ¹⁰: « Cognoverunt eum in fractione panis: » quæ fragmenta in duodecim cophinos dividuntur, ut pleni sint. Opera enim nostra sine gratia non sunt plena ¹¹: « Non invenio opera tua plena. » Habet puer iste etiam duos pisces: primus est lætitia de propria conscientia, quia de dolore gaudet: hic piscis natat in aqua amara, quia in ipso dolore. Augustinus ¹²: « Doleat pœnitens, et de dolore gaudeat. » ¹³ « Viderunt prunas positas, et piscem superpositum. » Secundus piscis est divina misericordia ¹⁴: « Venit Jesus, et accepit panem, et dabat eis, et piscem similiter. » Hic piscis aquæ dulcis est, quia misericordiæ suavissimæ. Psalmista ¹⁵: « Quam (c) magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine! »

SERMO III.

Est puer unus hic habens quinque panes hordeaceos ¹⁶. Hordeacei panes significare possunt austeras refectiones, quas habet anima fidelis de doctrina legali, vel de pœnitentia medicinali, vel de disciplina, sive continentia sensuali, vel de pœna dominicali. Ista licet hordeaceam habeant, reficiunt tamen animam, et confortant.

De primo ¹⁷: « Non in solo pane, » etc. Legitur ¹⁸ quod Abacuch quos panes intriverat in alveolo, portavit Danieli ductu angelico in lacum septem leonum. Intritio est Scripturarum impressio in cordis alveolo. Malum est signum, cum infirmus abominatur pa-

¹ Deut., xvi, 3. — ² Jerom., xvi, 17. — ³ I Cor., xi, 27. — ⁴ II Reg., xii, 3. — ⁵ I Cor., x, 16. — ⁶ Vid. sup., tom. V, p. 524, in lib. *Sent.* IV, dist. xii, part. I, art. 3, q. 3. — ⁷ Psal. ciii, 15. — ⁸ Bern. in *Cant.*, serm. lrv, n. 9. — ⁹ III Reg., xix, 5, 6. —

¹⁰ Luc., xxiv, 35. — ¹¹ Apoc., iii, 2. — ¹² Aug. — ¹³ Joan., xxi, 9. — ¹⁴ Ibid., 13. — ¹⁵ Psal. xxx, 20. — ¹⁶ Joan., vi, 9. — ¹⁷ Deut., viii, 3. — ¹⁸ Dan., xiv, 32.

(a) Leg. absolvitur. — (b) Apud Bern. edit. *Mabill.* arripserit. — (c) *Cæt. edit.* quia.

nem ¹ : « Abominabilis fit panis ei in vita sua. » Lacus est mundus. Leones sunt demones ² : « Tanquam leo rugiens, » etc. Septem leones sunt septem demones vitiorum capitalium principes. Quicumque ergo in mundo est, ipse in lacu leonum est, et panis doctrinæ ipsi necessarius est. Sed nota, quod quinque panes sunt quinque libri legales. Vel panes doctrinæ sunt quinque verba, quibus tota Scriptura comprehenditur, quæ sunt hæc : Crede, fuge, age, time, appete. Crede in Deum : Fuge vitium : Age bonum : Time supplicium : Appete præmium. ³ « Volo quinque verba sensu meo loqui. »

Quinque
verba,
quibus
tota Scri-
ptura
compre-
henditur

De secundo, Psalmista ⁴ : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ, » etc. Augustinus ⁵ : « Da mihi, Domine, in hoc exilio panem doloris et lacrymarum, quem esurio super omnia in copiam deliciarum. » Hic est panis, qui per corvum ministratur Eliæ ⁶ in torrente Carith. Torrens contritionem significat ⁷ : « Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem, » etc. Per corvum autem nigrum et clamosum significatur confessio peccatorum. Hic corvus significatus est ⁸ : aperta oris fenestra, mittitur de area conscientiæ. Hic ministrat tibi panem refectionis pœnitentiæ sedenti in torrente ploratus. Plora ergo, peccator. Augustinus ⁹ : « Qui se cognoscunt, sicut semper peccant, ita semper plorant, in tota vita sua, quæ est tentatio super terram plorans totam vitam suam. » Sed nota quod hi quinque panes sunt quinque pœnitentiæ partes, videlicet contritio, confessio, oratio, jejunium, eleemosyna.

Pœnitenti-
æ par-
tes.

De tertio significatum est ¹⁰ ubi legitur, quod panis subcinericius ex hordeo apparuit, qui castra Madian subvertere videbatur. Castra Madian sunt sensus nostri, qui utique Madianitæ sunt, quod interpretatur *contradictentes* : contradicit (a) enim frequenter spiritui. Psalmista ¹¹ : « Vidi iniquitatem et

contradictionem in civitate. » Unde in castris inimicorum habitant animæ nostræ in sensibus constitutæ. Panis autem ex hordeo est rigor disciplinæ et continentiæ, sensus contradicentes, cohibentes (b) ¹² : « Panis et disciplina, et opus servo, » id est sensui et corpori. Ab illicitis optime prohibemus, si notemus efficaciter, quod hi quinque panes sunt quinque sensuum disciplinæ, sive continentiæ. Augustinus ¹³ : « Continendus est animi appetitus a voluptate oculorum, a voluptate olfaciendi, tangendi, gustandi. » Tali continentia anima pascitur, et tanquam panibus confortatur.

De quarto dicitur mulieri colligenti duo ligna ¹⁴ : « Fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum. » Duo ligna crucem significant ¹⁵ : « Mittamas lignum in panem ejus. » Farina est granum contritum : granum est Christus ¹⁶ : « Nisi granum frumenti, » etc., qui contritus est per passionem ¹⁷ : « Attritus est propter scelera nostra. » Mulier ergo, id est Ecclesia vel anima, colligens per fidem et devotionem duo ligna crucis, de farinula panem facit, quando de passionibus Christi se reficit. Panis iste parvulus est, quia Christus per passionem minutus est et humiliatus est ¹⁸ : « Humiliavit semetipsum, » etc. Subcinericius quoque est, quia sub cinere amaræ passionis Christi memoriæ coctus est. Psalmista ¹⁹ : Cinerem tamquam panem manducabam, » etc. Sed nota, quod hi quinque panes quinque vulnera Christi sunt, qui multum reficiunt animam devotam : qui non solum sunt hordeacei per compassionem, sed etiam oleati, imo melliti per devotionem. Bernardus ²⁰ : « Foderunt manus ejus et pedes, latusque lancea perforaverunt : et per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. » De omnibus his quinariis panum intelligi potest, quod David Achime-

¹ Job, xxxiii, 20. — ² I Petr., v, 8. — ³ I Cor., xiv, 19. — ⁴ Psal. xli, 4. — ⁵ Aug. — ⁶ III Reg., xvii, 6. — ⁷ Thren., ii, 18. — ⁸ Gen., viii, 6. — ⁹ Aug. — ¹⁰ Judic., vii, 13. — ¹¹ Psal. liv, 10. — ¹² Eccli.,

xxxiii, 25. — ¹³ August. — ¹⁴ III Reg., xvii, 13. — ¹⁵ Jerem., xi, 19. — ¹⁶ Joann., xii, 24. — ¹⁷ Isa., lxi, 3. — ¹⁸ Philip., ii, 8. — ¹⁹ Psal. ci, 10. — ²⁰ Bern., in Cant., serm. lxi, n. 4.

(a) Leg. contradicunt. — (b) Leg. cohibens.

lech dixit ¹ : « Si quid habes ad manum, vel quinque panes da mihi. » Item ² : « Colligite quæ superaverunt fragmenta. »

SERMO IV.

Hic est vere Propheta ³. Isti, quinque panum miraculo illuminati, veritatem cognoscunt, et vere dicunt : *Hic est vere*, etc. Attende, quod dicunt *vere*; et juxta hoc attende quod sacra Scriptura sub attestazione veritatis nobis insinuat humanam fragilitatem, angelicam charitatem, divinam auctoritatem, diabolicam importunitatem.

De primo ⁴ : « Vere fœnum est populus : exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, » id est pulchritudo carnis vel gloria mundana. O quam miserabile fœnum est ! hodie homo per transitoriam vitam virescit ; cras per mortem, vel adhuc hodie, sicut fœnum agri, arescet ⁵ : « Si fœnum quod hodie est, » etc. Ubi ergo est flos impiorum, etc., quando fœnum aridum mittetur in clibanum ignis ? Augustinus ⁶ : « Florent in sæculo, arescent in judicio, et post ariditatem in ignem mittentur. » O Domine Deus, si fœnum est homo, ergo cibus vermium, et jumentorum est ? Certe sic. Sicut ergo cibus est vermium corporaliter, ita cibus est dæmonum spiritualiter. ⁷ « Ecce Beemoth, quem feci tecum, fœnum quasi hos comedet. » Beemoth est diabolus. Interpretatur deinde animal, vel bestia. Psalmista ⁸ : « Ne tradas bestiis, » etc.

De secundo ⁹ : « Nunc scio vere, quia misit Dominus angelum suum, » etc. Herodes est diabolus, de cujus manu nos eripuit angelus. Psalmista ¹⁰ : « Immittet (a) Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos. » Vere eripit (b) nos in morte, dum per angelum de carcere hujus mundi educimur ¹¹ : « Factum est, ut moreretur mendicis, » etc. Tunc per angelum primam, et

secundam custodiam dæmonum evadimus : primam, quam habent contra viventes ; secundam, quam habent contra decedentes. Psalmista ¹² : « Educ de custodia animam meam. » His transitis, porta ferrea, id est aditus cœli, ultro aperitur. Ferrea dicitur propter firmitatem ; Psalmus ¹³ : « Quoniam confortavit seras portarum tuarum, » etc. Augustinus ¹⁴ : « Hierusalem, securam esto, securam lauda, sine fine lauda. Fortiter clausæ sunt portæ tuæ, non exit amicus, nec intrat inimicus. »

De tertio dicitur hic : *Hic est vere propheta*. Mirabantur de potestate, quam ostendit in quinque panibus ; et non mirantur homines de potestate, quam ostendit in omnibus panibus mundi, quos de paucis granis multiplicat. Possunt autem quinque panes hordeacei quinque partes pœnitentiæ significare ¹⁵, quæ sunt contritio, confessio, jejunium, eleemosyna, oratio : quibus nostræ animæ optime confortantur. Unde dicitur ¹⁶, quod Angelus ostendit Eliæ subcinericium panem, et vas aquæ, de quo comedens et bibens ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb. Panis subcinericius pœnitentiam significat : pœnitentes enim in cinere humiliari solebant ¹⁷ : « Olim in cilicio, et cinere, » etc. Et quia pœnitentia cum lacrymis fieri debet, ideo vas aquæ ad caput ostenditur ¹⁸ : « Quis dabit capiti meo aquam, » etc. Quadraginta sunt quater decem : quadraginta ergo dies significant totum tempus, quo secundum legem quatuor evangeliorum et decem mandatorum bene vivendo ambulare debemus usque ad montem cœlestis patriæ, ut ad mensam gloriæ veniamus. Oreb mensa interpretatur ¹⁹ : « Ego dispono vobis, » etc.

De quarto ²⁰ : « Vere enim, Domine, fece-

¹ I Reg., XXI, 3. — ² Joan., VI, 12. — ³ Joan., VI, 14. — ⁴ Isa., XL, 7-8. — ⁵ Matth., VI, 30. — ⁶ Aug., in Psal. LIII, n. 9, Enarr., quoad sensum. — ⁷ Job, XL, 10. — ⁸ Psal. LXIII, 49. — ⁹ Act., XII, 14. — ¹⁰ Psal. XXXIII, 8. — ¹¹ Luc., XVI, 22. — ¹² Psal. CXLII,

8. — ¹³ Psal. CXLVII, 13. — ¹⁴ Aug., Enarr. in Psal. CXLVII, n. 13. — ¹⁵ Idem in serm. præced., memb. 2. — ¹⁶ III Reg., XIX, 5-6. — ¹⁷ Matth., XI, 21. — ¹⁸ Jerem., IX, 1. — ¹⁹ Luc., XXII, 30. — ²⁰ Isa., XXXVII, 18.

(a) Cœt. edit. Immittit. — (b) Item eripuit.

runt desertas Assyriorum reges terras, et deos eorum dederunt igni. » Reges Assyriorum, id est iniquorum, dæmones sunt ¹ : « Ipse est rex super omnes filios superbiam. » Terræ significant Ecclesias Christi, eo quod plures sunt particulares, licet una universalis sit. Sed qui sunt dii? Deus bonus, potens est, et sapiens : boni ergo, potentes et sapientes per deos significantur. Psalmus ² : « Ego dixi : Dii estis, etc. ³ « Ecce constitui te Deum Pharaonis : » Diabolus quoque ait ⁴ : « Eritis sicut dii, » etc. Bernardus ⁵ : « O malevole, o maligne, ad quem erit similitudo hujus scientiæ? » Sunt certe sicut dii, justii, recti et veraces. Tales deos sæpe dæmones igne iniquitatis incendunt. Legitur quod Chaldæi pro Deo ignem colentes, per hoc Deum potentissimum probaverunt, quod alios omnes deos consumeret. Unde alia gens idolum suum aqua implevit, et foramina parva in ipso faciens, cera obstruxit, ipsumque missum in ignem, liquefacta cera, aqua erumpens ignem extinxit. Sic nos, aqua gratiæ et contritionis impleti, extinguere debemus ignem vitiorum per foramina lacrymantium oculorum. Gregorius ⁶ : « Extinguamus fletibus, et dignis pœnitentiæ fructibus culpas quas fecimus (a), ad indulgentiam nobis tempora indulta ne pereant. »

DOMINICA IN PASSIONE.

SERMO PRIMUS.

Si sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi? ⁷ etc. Commendatur in hac epistola pretiosus sanguis Christi, per quem ipse Pontifex noster Christus cœlum, tanquam sancta sanctorum, intravit, et mundum inquinatum sanctificavit. Considerandum est ergo, quod Pontifex noster per sanguinem suum

operatus est mundi purgationem, inferni spoliationem, cœli reserationem, judicii evasionem.

De primo dicitur hic : *Si enim sanguis hircorum, et taurorum, etc., et omnia pene in sanguine mundantur secundum legem.* Miser mundus leprosus fuit : unde per sanguinem mundari debuit. Sacerdos autem ipsum mundans, est Christus, de quo ⁸ : « Asperget domum septies, purificabitque eam tam in sanguine passeris, quam in aquis viventibus. » Domus leprosa mundum, passer carnem Christi, aquæ viventes baptismum, septem aspersiones septem sanguinis Christi effusiones significare possunt. Prima effusio fuit in circumcissione; secunda in oratione ⁹ : « Factus est sudor ejus, » etc.; tertia in flagellatione; quarta in coronatione; quinta in manuum perforatione; sexta in pedum confixione; septima in lateris apertione. Ecce quando Christus in terra et in aere commissa immunda mundaret. Unde Joannes Chrysostomus ¹⁰ : « Non sub tecto, sed sub cœlo Christus immolatur, ut universus aer in excelso immolatæ ovis odore a tetro mundetur. Sed terra simile beneficium sentiebat, decursi de latere sanguinis stillatione mundata. »

Septem effusiones sanguinis Christi.

De secundo ¹¹ : « Tu quoque in sanguine testamenti emisisti vinetos de lacu, in quo non erat aqua. » Glossa : « Nulla refrigerans misericordia, quam dives petiit, cum dicit ¹² : *Mitte Lazarum,* » etc. Quære ergo misericordiam Dei non in inferno, sed dum vivis in mundo. Ibi enim aquam negat, hic sanguinem dat : ibi misericordiæ guttam aquæ negavit, hic plurimas guttas, imo fluvios sanguinis ministrat. Bernardus ¹³ : « *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum* ¹⁴, » etc. (b) quia non guttam, sed undam sanguinis largitur, quæ per quinque partes corporis emanavit. » Hoc ergo sanguine liberavit infernum. Sicut legitur quod stru-

— ¹² Luc., xvi, 24. — ¹³ Bern., in Cant., serm. xxii, n. 7. — ¹⁴ Psal. cxxix, 7.

(a) Cœl. edit. culpas operum. — (b) Suppl. Prorsus copiosa.

¹ Job, xli, 25. — ² Psal. lxxxii, 6. — ³ Exod., vii, 1. — ⁴ Gen., iii, 5. — ⁵ Bern. — ⁶ Greg., in Evang., hom. xx, n. 15. — ⁷ Hebr., ix, 13, 22. — ⁸ Levit., xiv, 52. — ⁹ Luc., xxi, 44. — ¹⁰ Chrysost. — ¹¹ Zach., ix, 11.

thio, ejus pullum Salomon vitro incluserat, tulit vermiculum, ejus sanguine vitrum linivit, et fractum est, et pullus liberatus est: sic Christus electos suos liberavit fracto inferno per sanguinem vermiculi carnis suæ. Psalmus ¹: « Ego vermis, et non homo, » etc. Infernus enim Christo frangenti fuit quasi vitreus; sed damnato est quasi ferreus.

De tertio ²: « Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit postestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem. Foris autem, » etc. Lignum vitæ est Christus, per quem spiritualiter et æternaliter animæ nostræ vivunt, quæ mortuæ erant in peccatis. Unde Christus bene ait in Psalmo ³: « Similis factus sum pellicano, » Pellicanus enim, sicut Glossa dicit, est pullos suos triduo lugens, et tunc rostro sanguinem suum fundens, et reviviscunt: ita Christus sanguine suo nos revivificavit. Sed ecce ad ligna vitæ per portas civitatis supernæ nullus potest intrare, nisi lotus Christi sanguine: solus enim sanguis Agni aperire portas potuit. Bernardus ⁴: « Sanguis Christi est clavis paradisi. » Unde claviger noster primus per proprium sanguinem introivit semel in sancta.

De quarto ⁵: « Commendat suam charitatem Deus in nobis, » etc. usque: « Justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. » Sicut electi per sanguinem Christi iram judicii evadunt, ita reprobi per sanguinem habebunt gravius judicium, quia sanguis Christi clamat contra eos ⁶: « Terra, ne operias sanguinem meum, ne inveniat in te locum (a) latendi clamor meus. » Tunc quidem contra; sed nunc pro peccatoribus sanguis Christi clamabat ⁷: « Accessistis ad sanguinem aspersionis melius loquentem quam Abel. » Gregorius ⁸: « Sanguis Abel mortem fratricidæ petiit; sanguis Domini vitam persecutoribus impetravit. »

¹ Psal. xvi, 7. — ² Apoc., xii, 14-15. — ³ Psal. cii, 8. — ⁴ Bern. — ⁵ Rom., v, 8-9. — ⁶ Job, xvi, 19. — ⁷ Hebr., xii, 24. — ⁸ Greg., Moral., lib. XIII, c. xxiii, al. viii, n. 26. — ⁹ Apoc., xix, 13, 15. — ¹⁰ Joan.,

Quia ergo sanguis Christi in judicio salvat electos, et confundit reprobos; ideo dicitur ⁹ quod Joannes vidit vestitum veste aspersa sanguine, habentem diademata multa in capite, et gladium in utraque parte acutum in ore: diademata ad coronandum electos: gladium, ad refellendum reprobos. Caput Christi divinitas est: in capite ergo diademata habuit, quia in contemplatione et fruitione deitatis, honor coronaque beatorum erit.

SERMO II.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi ¹⁰? Adhuc Dominus jam multis hæc verba dicere potest, quorum opera ostendunt eos debiliter credere. ¹¹ « Fides sine operibus mortua est. » Cum ergo homines soleant credere juramento, sigillo, promisso, testimonio, quare vos non creditis juramento paternæ veritatis, sigillo maternæ virginatis, promisso mææ felicitatis, testimonio prophetiæ auctoritatis?

De primo ¹²: « Omnis controversiæ finis ad confirmationem est juramentum. » Glossa: « Si homini, qui mendax est, creditur per (b) juramentum, multo magis credendum est Deo, qui mentiri non potest. » Juravit autem tria credenda. Credendum est enim Deum esse bonorum remuneratorem ¹³: « Revocabo eos ad terram, quam juravi patribus eorum. » Item impiorum ultorem; Psalmus ¹⁴: « Ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, » etc. ¹⁵ « Juravit Dominus in anima sua: Detestor ego superbiam Jacob, » etc. Item pœnitentium reconciliatorem; Psalmus ¹⁶: « Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, » etc. Sacerdotis enim est reconciliare pœnitentes Deo: magnus sacerdos est Christus, et magnas consuevit dare indulgentias, maxime illis, qui crucem pœnitentiæ portare accipiunt ad terram sanctam, et ad

viii, 46. — ¹¹ Jac., ii, 20, 26. — ¹² Hebr., vi, 16. — ¹³ Baruc., ii, 34. — ¹⁴ Psal. xciv, 11. — ¹⁵ Amos, vi, 8. — ¹⁶ Psal. cix, 4.

(a) *Cat. edit.* locus. — (b) *Leg.* propter.

Iherusalem coelestem ; alioqui dicitur ¹ : « Qui non accipit crucem, » etc. Bene ait *secundum ordinem Melchisedech*, qui protulit panem et vinum, ut dicitur ² : ita et Christus in sacramento.

De secundo ³ : « Hunc præsignavit Deus, » etc., usque : « Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. » Ecce Filius a Patre signatus est. Signatus est autem septem sigillis ⁴ : si uno sigillo creditur, quanto plus septem ? Sed de primo tantum ad præsens dicendum est. Primum ergo sigillum virginitatem Mariæ potest significare. Origenes ⁵ : « Mater Filii facta est, et castitatis sigillum non amisit. » De hoc sigillo ⁶ : « Exivit vincens, ut vinceret in equo albo, » id est, Filius Dei in carne munda. Sub hoc sigillo per Christum, et per Evangelium suum, tanquam per litteras regales, sententia mortis aeternæ revocata est. Unde bene de litteris, quas misit Assuerus rex ad revocandam sententiam mortis datam contra Judæos, dicitur ⁷ : « Consuetudo ut (a) epistolis, quæ ex regis nomine mittebantur, et illius annulo signatæ erant, nemo auderet (b) contradicere. » Digitus Dei Spiritus sanctus dicitur : annulus ergo hujus digiti donum est Spiritus sancti, quo impressa est virginitas Mariæ. Sicut enim regale sigillum sine rege, ita virginitas haberi non potest sine Dei dono ⁸ : « Scivi quod aliter non possem esse continens, nisi Deus det. »

De tertio ⁹ : « Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, » etc. Incredulo expanditur manus, ut manuali promissione credulus fiat, sicut Christus in cruce manus. Sed quid promisit, nisi veniam, gratiam, et gloriam ? Glossa : « *Expandi manus meas* in cruce orans ¹⁰ : *Pater, ignosce* (c) *illis*, vel ut eos reciperem, et collocarem in sinu meo, vel beneficia hominum largiendo. » De promissione gloriæ dicitur ¹¹ :

« Beatus vir qui suffert tentationem. » Sed, heu ! timendum est, quod non solum piis et gratis coronam, sed etiam impiis a sua passione (d) ingratis promiserit gehennam. Unde bene utrasque manus expandit in cruce, quasi dextera gloriæ, sinistra vero pœnam promittens. Unde etiam ad dexteram pendens salvatur, ad sinistram pendens damnatur. Olim Deus ista per chirographum Scripturæ promisit, sed mundus non credit : ideo per fidelissimum fidejussorem Filium suum promissiones suas firmavit, imo persolvit. Augustinus ¹² : « Quia incredibile videbatur hominibus quod promittebat Dominus, non solum Scripturam fecit ut crederent, sed etiam fidei suæ posuit mediatorem non quemlibet principem, aut quemlibet angelum, aut archangelum, sed unicum Filium. »

De quarto ¹³ : « Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit. » ¹⁴ « Illic venit in testimonium, » etc., usque : « crederent per illum. » Vere magna magnorum, et multa multorum testimonia habuit Christus : crede ergo ipsis. Ambrosius ¹⁵ : « Vides pastores Angelo credidisse : et tu Patri et Spiritui sancto crede, Angelis, Prophetis, Apostolis et tu crede. » Habet certe Dominus testimonium non solum magnarum personarum, sed etiam magnorum operum ¹⁶ : « Si mihi non vultis credere, operibus credite. » O Domine Jesu, ecce ¹⁷ « testimonia credibilia facta sunt nimis. » Sed, heu ! peccator miser, adhuc vix ei credis. Bernardus ¹⁸ : « Putasne Filium Dei reputat Jesum quisquis ille homo, qui neque ipsius terretur comminationibus, neque attrahitur promissionibus, neque præceptis obtemperat, neque consiliis acquiescit ? Nonne est de eis, qui fatentur se nosse Deum, factis autem negant ? »

— ¹⁰ Luc., XIII, 34. — ¹¹ Jac., 1, 12. — ¹² Aug. — ¹³ Joan., v, 46. — ¹⁴ Joan., 1, 7. — ¹⁵ Ambros. — ¹⁶ Joan., 8, 38. — ¹⁷ Psal. XCII, 5. — ¹⁸ Bern.

(a) *Cart. edit. in.* — (b) *Item audebat.* — (c) *Vulg. dimittite.* — (d) *Leg. et suæ passioni.*

¹ *Matth.*, x, 38. — ² *Gen.*, XIV, 18. — ³ *Joan.*, VI, 28-29. — ⁴ *Apoc.*, v, 1. — ⁵ Origen., *in Matth.*, tom. X, n. 17, quoad sensum. — ⁶ *Apoc.*, VI, 2. — ⁷ *Esth.*, VIII, 8. — ⁸ *Sap.*, VIII, 21. — ⁹ *Isa.*, LXV, 2.

SERMO III ¹.

Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum ². Quoniam mos boni hortulani est arborem non producentem fructum radicitus evellere, et extra hortum projicere, ne in vanum occupet terram; hinc est quod Dominus noster Jesus Christus, tanquam bonus hortulanus, desiderans quamlibet arborem sui horti, scilicet militantis Ecclesiæ, fructificare, ne securi damnationis æternæ succidatur, propositum verbum proponit, dicens: *Si sermonem meum*, etc. Sed quia prius arbor recipit solaris radii influentiam, deinde producit fructuum abundantiam, et postea hortulanus habet super eam (a), ne pereat, diligentem custodiam, ideo convenienti modo proceditur in verbo proposito. Nam primo notatur emanatio divinæ irradiationis, cum dicit: *Sermonem meum*; secundo fructificatio bonæ operationis cum dicit: *Si quis servaverit*; tertio evasio æternæ damnationis, cum subinfertur: *Mortem non gustabit in æternum*.

Primo notatur divini radii emanatio, cum dicit: *Sermonem meum*. Sicut arbor materialis per influentiam radii solaris disponitur ad producendum bonos fructus, sic arbor spiritualis, id est anima, per emanationem boni sermonis divini disponitur secundum omnes suas potentias ad multiplicandum opera sanctitatis et justitiæ. Nam sermo divinus primo illuminat rationem, per intelligentiam virtutis fidei; secundo inflammat concupiscibilem per benevolentiam charitatis Christi; tertio roborat irascibilem per perseverantiam longanimitatis spei. Habet enim hæc tria, scilicet fidem, charitatem et spem, quæ sunt necessaria ad salutem. Tunc est enim anima valde bene disposita, secundum omnes sui potentias ad operandum bene: primo, quando sermo divinus illustrat

rationalem, per intelligentiam virtutis fidei; unde dicitur in Psalmo ³: « Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. Os meum aperui, et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam. » Qui enim vult a radio divini sermonis illustrari, debet seipsum præparare et disponere, exemplo David dicentis: *Os meum aperui* per divini nominis invocationem, cum desiderio observandi divina præcepta. Nam nulla est melior præparatio ad cognitionem veritatis, quam invocatio divini nominis in oratione cum observatione præceptorum. *Et attraxi spiritum* per recollectionem, tam sensuum quam actuum exteriorum, ad interiora. Quia ⁴ « qui minoratur actu, percipiet sapientiam. » Et tunc *declaratio sermonum tuorum*, per verba ad expositionem divini eloquii facientia, *illuminat* quemlibet audientem exterius; sed *intellectum* exequendi diligenter quod auditur reverenter, *dat parvulis*, non superbis, quia obstaculum veritatis est tumor mentis, qui « dum inflat, obaubilat, » sicut dicit Gregorius ⁵ in *Moralibus*. De hoc dicitur ⁶: « Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et vos cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos, » scilicet a tenebris ignorantiae et cæcitatibus. Unde dicitur ⁷: « Sanctifica eos in veritate, quia sermo tuus veritas est. » Secundo sermo divinus inflammat concupiscibilem per benevolentiam charitatis Christi; unde ⁸: « Sermo Dei ignitus clypeus est omnibus sperantibus in se, » supple, in divina misericordia. Est ergo clypeus ignitus, quia inflammat affectum ad modum ignis, ne tepescat interius per pusillanimitatem timoris, et protegit totum corpus ad modum clypei et lorice, ne lædatur exterius, sive impugnetur diabolica tentatione. De hoc similiter dicitur ⁹: « Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem ani-

¹ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ² *Joan.*, VII, 51. — ³ *Psal.*, CXV, 130-131. — ⁴ *Eccli.*, XXXV, II, 5. — ⁵ Gregor., *Moral.*, lib. XXIII, c. XVII, al. X,

II, 31. — ⁶ *Joan.*, VIII, 31. — ⁷ *Joan.*, XVII, 17. — ⁸ *Prov.*, XXX, 5. — ⁹ *Hebr.*, IV, 12.

(a) *Cat. edit.* cum.

mæ et spiritus. » Tertio divinus sermo corroborat irascibilem per perseverantiam longanimitatis spei; unde ¹ : « Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, ostendam vobis cui similis sit. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum supra petram. Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere, fundata enim erat supra petram. » *Omnis qui venit ad me per fidem, et audit sermones meos cum devotione, et facit eos per operis executionem, similis est homini, id est Christo mediatori, ædificanti domum* in expositione intellectuali, *qui fodit in altum, et ponit fundamentum supra petram*, id est, non in mutabilitate (a) terrenorum, sed in perpetuitate æternorum. Unde Glossa : « Fodit in altum, qui præceptis humilitatis terrena omnia de corde suo funditus eruit, ne propter aliquod fluxibile Deo serviat, ut inconcussam in eis habeat mansionem. » *Inundatione autem facta*, id est, persecutione insurgente, *illisum est flumen*, id est, carnis lascivia, mundi oblectamenta, et dæmonum impulsio : *domui*, id est, *illi* ædificationi virtutum : *non potuit eam movere*, id est, dirimere : et ratio est, *quia fundata erat super petram*, id est, Christum. Quæ autem cadit, non super Christum ædificatur. De his similiter ² : « Singulos autem eorum armavit non elypei et hastæ munitione, sed sermonibus optimis. »

Sequitur : *Si quis servaverit* : ubi secundo notatur fructificatio bonæ operationis. Quia enim anima ex influentia divini sermonis est illustrata veritate fidei, inflammata charitate Christi, corroborata longanimitate spei, ideo est valde bene disposita ad observandum divinum sermonem, ex cuius observatione producit fructum bonarum operationum, in magna abundantia. Unde, secundum prædictam triplicem dispositionem, ex influentia divini sermonis debet

tripliciter fructificare, sive observare divinum sermonem, quod idem est quod fructificare per bonas operationes. Nam primo, quia illustrata per veritatem fidei, debet servare divinum sermonem cum puritate conscientie, in contemnendo mundum; secundo, quia inflammata per benevolentiam charitatis Christi, debet servare divinum sermonem cum latitudine benevolentie, in diligendo Deum; tertio, quia corroborata per perseverantiam longanimitatis spei, debet servare divinum sermonem cum firmitate patientie, in tolerando malum. Primo, quia illustrata veritate fidei, debet servare divinum sermonem cum puritate conscientie in contemnendo mundum; unde dicitur ³ : « Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo : tui erant, et eos mihi dedisti, et sermonem meum servaverunt. » Verbum est Christi dicentis ad Patrem : *Manifestavi nomen tuum hominibus* humilibus et simplicibus, quod ⁴ « abscondisti a prudentibus et sapientibus, » *quos dedisti mihi de mundo* propter observationem puritatis et munditiæ, quæ in hoc mundo conservari non potest. Nam ⁵ « omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, » faciens lubricos et voluptuosos; aut « concupiscentia oculorum, » faciens cupidos et avaros : aut « superbia vitæ, » faciens magnificos et ambitiosos. *Tui erant* per gratiam benignæ adoptionis, *et eos mihi dedisti* in discipulos, ut notam facerem eis viam salutis æternæ. Unde primo Deus Pater adoptat quemlibet in filium, et postea tradit Christo eum in discipulum, vel ejus vicario, ut instruatür contemnere terrena, et appetere cœlestia. Unde apostoli, quia mundi et immaculati fuerunt per contemptum terrenorum et appetitum divinorum, ideo *sermonem* divinum *servaverunt* cum puritate conscientie, sine qua divinus sermo servari non potest. Secundo, quia inflammata charitate Christi, debet servare divinum sermonem cum latitudine benevolentie, in diligendo Deum;

(a) *Cæt. edit.* non immutabilitate.

¹ *Luc.*, vi, 47-48. — ² *II Mach.*, xv, 11. — ³ *Joan.*, xvii, 6. — ⁴ *Matth.*, xi, 25. — ⁵ *I Joan.*, ii, 16.

unde dicitur ¹ : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Quia ² « probatio divini amoris exhibitio est operis, » ideo dicit : *Qui diligit me, sermonem meum servabit*, quasi dicat : Mea dilectio opere probatur, eo quod ³ « amor Dei operatur magna, si est; si autem operari renuit, amor Dei non est. » *Et Pater meus diliget eum*, propter observationem mei sermonis. Nam dignatio divini amoris, sive dilectionis, fructus est humanæ obedientiæ, sive bonæ operationis. *Et ad eum veniemus* per septiformem gratiæ Dei collationem, *et mansionem apud eum faciemus* per boni operis multiplicationem et consummationem. Et propter hoc dicitur ⁴ : « Concupiscite ergo sermones meos, et diligite eos, et habebitis disciplinam paternæ correptionis, » non sententiam æternæ damnationis. Tertio, quia corroborata longanimitate spei, debet servare divinum sermonem cum virtute patientiæ, in tolerando malum; unde dicitur ⁵ : « Quia servasti verbum patientiæ meæ, et servabo te ab hora tentationis. » Ille observat verbum patientiæ Christi, qui exemplo patientiæ (a), nullis suppliciis, nullis damnis, nullis contumeliis illatis, ab observatione divini sermonis cessat: et tali dicit Christus : *Servabo te ab hora tentationis*, et maxime in morte, in qua maxime nititur diabolus hominem tentare, ut eum finaliter possit subvertere. Gregorius in *Moralibus* ⁶ : « Nisi Dominus misericors cum (b) humanis viribus tentamenta modificet, nullus est qui malorum (c) insidias evitare possit (d). »

Tertio sequitur : *Mortem non gustabit in æternum* : ubi notatur liberatio, sive evasio mortis æternæ. Sed quia nullus potest liberari a morte æternæ calamitatis, nisi primo præservetur, sive liberetur a propriæ iniquitatis morte; et aliquem liberari a morte

propriæ iniquitatis est impossibile, nisi liberetur a morte culpæ originalis : ideo quilibet adultus observans divinum sermonem, primo liberatur a morte originalis culpæ per gratiam baptismalem; secundo liberatur, sive observatur (e) a morte iniquitatis propriæ, per gratiam pœnitentialem; tertio liberatur a morte pœnalitatis æternæ, per gratiam deiformem. Primo liberatur homo a morte originalis culpæ per gratiam baptismalem; unde dicitur ⁷ : « Si enim unius delicto mors per unum regnavit, multo magis abundantiam gratiæ et donationis justitiæ accipientes in vita, regnabunt per unum Jesum Christum. » *Si enim unius*, scilicet primi parentis, *delicto mors regnavit* in omnes alios, qui descendunt ab illo stipite per viam libidinis et concupiscentiæ, *multo magis accipientes abundantiam gratiæ* in benigna adoptione, *et donationis* in charismatum Spiritus sancti repletionem, *et justitiæ* in bonorum operum promotione, *in vita gratiæ* per sacramentum baptismi, *regnabunt*, tanquam hæredes Regis regni cœlorum, *per unum Jesum Christum*. Et arguit hic Apostolus a minori, eo quod efficacior est gratia Christi in bonum, quam culpa primi hominis in malum. Ideo dicitur ⁸ : « Sicut in Adam omnes moriuntur, » merito suæ primæ prævaricationis, « ita et in Christo omnes vivificabuntur, » merito suæ passionis, per sacramentum baptismi. Secundo liberatur homo a morte propriæ iniquitatis, per gratiam pœnitentialem; unde dicitur ⁹ : « Surge, qui dormis, exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. » *Surge* per mali detestationem : *Exurge* per desertionem peccati, *a mortuis*, id est, ab operibus mortis in peccato mortali factis et extra charitatem, sine qua nihil dignum est æterna remuneratione : *et illuminabit te Christus*, per illuminantis gratiæ infusionem, per quam cognoscitur distantia boni et mali, cujus ad-

¹ Joan., XIV, 13. — ² Greg., in *Evang.*, hom. XXV, n. 1. — ³ Ibid., n. 2. — ⁴ Sap., VI, 12. — ⁵ Apoc., III, 10. — ⁶ Greg., *Moral.*, lib. IX, c. XLVI, al. XXV, n. 71. — ⁷ Rom., V, 17. — ⁸ 1 Cor., XV, 22. — ⁹ Ephes., V, 11.

(a) *Supp.* ejus. — (b) *Cæt. cilit. deest cum.* — (c) *Apud Greg.* malignorum spirituum. — (d) *Item non contrarius portet.* — (e) *Leg. præservatur.*

hæsiōne et delectatione, bono incommutabili spreto, cognoscit se errasse. Et de hoc dicitur in Psalmo ¹ : « Quis est homo qui vivet (a), et non videbit mortem, et eruet animam suam de manu inferi? » Ille *vivet* vita gratiæ, et *non videbit mortem* culpæ, qui *eruet animam suam de manu inferi*, exercendo se operibus pœnitentiæ. Tertio liberatur homo a morte pœnalitatis æternæ per gloriam deiformem; unde dicitur ² : « Oportet autem hoc corruptibile induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria. » *Oportet autem hoc corruptibile* et mortale *inducere incorruptionem* immortalitatis, per configurationem ad claritatem corporis Christi, qui est caput nostrum; alioquin inconveniens esset, si caput esset pulchrum et immortale, membra vero corruptibilia et deformia. *Cum autem hoc erit, tunc mors absorbetur victoria* resurrectionis Christi, etc. Rogemus ergo, etc.

SERMO IV ³.

Tulerunt lapides Judæi ⁴, etc. Adhuc lapides in Jesum jaciunt, qui in membra ejus scandala mittunt. Solent autem homines jacere sagittas, semina, onera, lapides. Spiritualiter autem sagittæ sunt Dei verba; semina, nostra merita; onera temporalia, lapides, scandala. Jaciuntur ergo sagittæ prædicando, semina operando, onera renuntiando, lapides scandalizando.

De primo nota, quod « Eliseus ad Joas dixit ⁵ : Jace sagittam, et jecit, et iterum dicit : Percute jaculo terram, qui percussit terram. Eliseus iratus est : Si percussisses quinquies vel septies, percussisses Syriam usque ad consummationem. » Sagitta est verbum Dei, quod de arcu Scripturæ jacitur contra hostes Domini, contra peccatores.

¹ Psal. LXXXVIII, 49. — ² I Cor., xv, 53-54. — ³ Hunc habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁴ Joan., VIII, 59. — ⁵ IV Reg., XIII, 17-19. — ⁶ Psal. CXLIII, 6. — ⁷ Aug. — ⁸ Nah., II, 3. — ⁹ Deut., XXVIII, 38.

Psalmista ⁶ : « Emitte sagittam tuam, » etc. Augustinus ⁷ : « Vulneravit charitas Christi cor meum, et gestabam verba ejus in visceribus meis, quasi sagittas acutas. » Sed, heu! clypeum obdurationis multi a diabolo receperunt, ita quod sagitta verbi vulnerare per contritionem non potest. ⁸ « Clypeus fortium ignitus est. » Bene videbitur in judicio, quis clypeum diaboli, quis Christi portet. Per terram significantur terreni peccatores, qui jaculo prædicationis percutiuntur ter, dum fides Trinitatis; quinquies, dum quinque sensuum refrænatio; sexies, dum sex opera misericordiæ; septies dum septiformis gratia, et septem vitiorum victoria eis per doctrinam inculcatur. Sed tantum tres ictus recipiunt, qui fidem sine operibus habent.

De secundo ⁹ : « Sementem multam jacies in terram, et modicum congregabis. » Tot semina jacies, quot bona opera facis. Bernardus ¹⁰ : « Nunc pereunt opera nostra, ut videtur, sed æternitatis quidem semina jaciuntur. » Sed quia multa opera bona facis, vel in statu peccati mortalis, vel causa timoris servilis, vel intentione commodi temporalis, de quibus, heu! nullum fructum æternæ vitæ recipies : ideo de multo semine sæpe parum congregas. Jactis autem seminibus, necessaria est gratiæ irrigatio. Unde dicitur ¹¹ quod « in terra Ægypti jacto semine in hortorum morem, aquæ irriguæ ducuntur; terra vero Israel de cælo expectat pluvias. » Multi, heu! aquam compunctionis, vel lacrymarum, habent ex solo timore gehennæ; unde in ipsis, quasi ab inferiori, aquæ ducuntur. Quidam autem amore cœlestis patriæ, et in his terra cordis, quasi de cælo, irrigatur. Hoc quoque bene significatum est, ubi dicitur ¹² quod cum Axa, id est, fidelis anima, sedens in asino, id est corpore, suspirasset, dedit pater ejus, scilicet Pater cœlestis, « irriguum inferius, et irriguum superius. »

— ¹⁰ Bern. — ¹¹ Deut., XI, 10-11. — ¹² Judic., I, 14-15.

(a) Cæt. edit. vivit.

De tertio ¹ : « Valida autem tempestate nobis jactatis , sequenti die jactum fecimus, » etc. Quicumque ergo submergi non vult , jaciat navis onera , scilicet temporalia. Jaciat certe injusta bona restituendo ; alioqui submergetur. Jaciat etiam eleemosynas erogando. De utroque dicitur ² : « Ecce dimidium honorum , » etc. Jaciat quoque omnia relinquendo ³ : « Ecce nos reliquimus omnia, » etc. ⁴ « Miserunt vasa, quæ erant in navi, in mare, » etc. Augustinus ⁵ : « Abjice a te divitiarum vincula voluntaria ; abjice anxietates et tædia, quæ te pluribus annis inquietant. »

De quarto dicitur hic : *Tulerunt lapides, etc.* Lapidés sunt scandala, scilicet verba vel facta, quibus dum alii, vel ad iram, vel ad luxuriam, vel ad avaritiam, vel ad judicium provocantur, quasi jactibus lapidum læduntur. Et quia fideles sunt membra Christi, lapides in Christum jaciuntur, qui membra ejus scandalis percutiunt. Sed nota, quod quatuor modis perversi tentaverunt occidere Christum. Primum gladio ⁶ : « Futurum est, ut Herodes, » etc. Item præcipitatione ⁷ : « Duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens, per medium illorum ibat. » Item lapidatione, ut hic. Item crucifixione. Sed, heu ! adhuc hodie Christum in membris perimere tentant judices gladio, qui gladio mundano, vel ecclesiastico, male utuntur contra alios. Item hypocritæ, vel traditores, præcipitatio, qui aliquod bonum simulando, quasi in montem ducunt ; sed quia male intendunt, præcipitare quærunt. Item scandalizatores, vel blasphemii, lapidatione. Quot enim scandala, quot blasphemias faciunt, tot lapides in Deum mittunt. Item impœnitentes in crucifixione, quia fructum crucis in se evacuant ⁸ : « Rursum crucifigentes, » etc, Glossa : « In se Filium Dei crucifigunt, qui

gratiam ejus vilipendentes in peccatis jacent. » Bernardus ⁹ : « Nonne satis pro te sum vulneratus ? nonne satis afflictus ? Noli me plus affligere : me enim plus affligit compassio vulneris tui, quam lateris mei. »

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

SERMO PRIMUS ¹⁰.

Egredimini, et videte, filie Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua ¹¹. Quoniam, secundum beatum Augustinum ¹², « quæ de Salomone dicuntur a Deo, conveniunt soli Christo, ut in illo sit figura obumbrata, in Christo veritas repræsentata (a); » ideo vere et proprie, propter completionem umbræ figuræ, et exhibitionem veritatis, verbum propositum potest assumi ad commendationem hodiernæ festivitatis. Hodierna namque die Judaica synagoga, mater Christi secundum carnem, egrediens obviam Christo, verbis et factis, gloria imperiali et regio honore coronavit, hunc honorem Christo exhibendo : ideo mater Ecclesia, exiens extra civitatem processionaliter, hoc repræsentat, ut discant ejus filii, primo, a peccati deformitate exire; deinde in propria conscientia Dei claritatem cognoscere et videre; et postea debitum honorem majestati exhibere. Unde ad nostram instructionem hæc tria per ordinem in verbo proposito notantur : primo deserto deformitatis propriæ; secundo contemplatio speciositatis divinæ; tertio exhibitio honoris et magnificentiæ : et hoc, quia unum est dispositio alterius. Nam puritas conscientiæ disponit ad cognitionem, sive visionem speciositatis divinæ sapientiæ; et contemplatio lucis æternæ disponit ad honorificentiam majestatis divinæ. Primo namque Spiritus sanctus in verbo proposito quamlibet christianam animam excitat ad desertionem deformitatis propriæ, ut disponatur, cum dicit : *Egredi-*

¹ Act., xxvii, 18. — ² Luc., xix, 28. — ³ Matth., xix, 27. — ⁴ Jon., i, 5. — ⁵ Aug. — ⁶ Matth., ii, 13.

— ⁷ Luc., iv, 29-30. — ⁸ Hebr., vi, 6. — ⁹ Bern. —

¹⁰ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ¹¹ Cant.,

iii, 11. — ¹² Aug., de Civit. Dei, lib. xvii, c. viii, n. 2.

(a) Apud Aug. edit. Gaume præsentata.

mini, filiae Sion. Siou enim *specula* interpretatur, et significat animam puram, et dispositam per modum speculi ad receptionem resultantis (a) divinitatis. Secundo invitatur ad contemplationem speciositatis regiae, ut delectetur, cum subdit: *Et videte Regem Salomonem*, id est, Christum multiplici figura per Salomonem signatum. Tertio explicat exhibitionem honoris et magnificentiae, ut instruat, cum subiungitur: *In diademate quo coronavit eum mater sua.*

Primo ergo hortatur ad desertionem peccati quamlibet animam fidelem, ut disponatur ad Dei visionem, cum dicit: *Egredimini, filiae Sion.* Illa anima deserit deformitatem peccati, et disponit se secundum omnes sui potentias ad visionem Dei, quae egreditur primo a tenebris erroris et ignorantiae, rationalem obcaecantis; secundo ab illecebris carnalis lasciviae, concupiscibilem deformantis; tertio a praesidentiis crudelitatis diabolicae, irascibilem deprimentis. Primum habet fieri per veritatis inspectionem in summo intelligibili; secundum, per voluntatis adhaesionem in summo diligibili; tertium, per libertatis adeptionem in summo honorabili. Primo debemus egredi a tenebris erroris et ignorantiae, rationabilem obcaecantis; et hoc per veritatis inspectionem in summo intelligibili: et de hoc dicitur ¹: « Ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa clamavit, dicens: Miserere mei, fili David. » Qui enim vult percipere bonum fidei, et egredi a tenebris ignorantiae, debet imitari exemplum hujus mulieris, quae primo praeparavit se per captivationem intellectus ad credendum primae veritati propter se, et super omnia, et hoc est quod dicitur: *Ecce mulier Chananæa.* Interpretatur enim Chananæa *praeparata*. Secundo elongavit se a mala societate, eo quod ² « corrumpunt bonos mores colloquia prava. » Unde sequitur: *A finibus illis*, scilicet infidelium, *egressa*, postea *clamavit* cum animi sanctitate in af-

fectiva; item cum sedulitate propositi in operativa, quia tunc Jesus Christus, qui est lux vera animae in dispositione, infundit veritatem fidei in cognitiva. » Unde tanta luminositate fidei fuit illa mulier illustrata, ut diceretur ei ab ipsa veritate ³: « O mulier, magna est fides tua. » Secundo debemus egredi ab illecebris carnalis lasciviae, concupiscibilem deformantis, et hoc per erectionem voluntatis in summo diligibili. De isto egressu dicit Loth generis suis ⁴: « Surgite, et egredimini de isto loco, quia debet Dominus civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui. » Civitas ista, quasi Sodomam, quae inter caeteras civitates erat sceleratissima, signat statum carnalium, qui immunditiis suis perdunt lumen rationis, et totaliter absorpti delectationibus fiunt steriles, nullum fructum utilitatis habentes, propter consumptionem naturalium, et spoliationem gratuitorum, sive spiritualium. Igitur existentibus in isto statu dicitur a Spiritu sancto per praedicores, qui sunt divini nuntii: Surgite per peccati detestationem, et de loco isto egredimini carnalis lasciviae per peccati desertionem, quia debet Dominus civitatem hanc, per aeternae damnationis exterminationem. Sed quia lubrici et carnales ita sunt absorpti a delectationibus carnis, ut praenimia mentis alienatione videatur eis praedicator ludens loqui; sed postea quando in peccatis suis moriuntur, experiuntur factis, quod noluerunt animadvertere verbis praedicatorum: unde et isti, qui noluerunt credere verbis Loth, viam salutis annuntiantis, perierunt insimul cum scelere civitatis: Tertio debemus egredi a praesidentiis diabolicae crudelitatis, irascibilem deprimentis; et hoc per libertatis adeptionem in summo honorabili. Et de hoc egressu dicitur in figura ⁵: « Mementote hujus diei, in qua egressi estis de terra Aegypti, et de domo servitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto. »

Eduxit vos per liberationem, *de domo ser-*

(1) *Forle* *leg.* *refulgentis*

¹ *Matth.*, xv, 22. — ² *1 Cor.*, xv, 33. — ³ *Matth.*, xv, 28. — ⁴ *Gen.*, xix, 14-15. — ⁵ *Exod.*, xiii, 3.

vitutis, scilicet diabolicæ. Nam sicut Pharaon affligebat filios Israel sibi servientes in paleis colligendis, in luto congregando, in lateribus conficiendis, et in civitatibus construendis, sic diabolus suos opprimit, et affligit in colligendis paleis vanarum cogitationum, in congregando luto immundarum delectationum, sive affectionum, in conficiendis lateribus pravarum operationum, et in construendis civitatibus irrevocabilium aversionum. Beneficium ergo istius liberationis de tam crudeli servitute ideo Dominus reducit ad memoriam, ut simus ei grati, cum dicit: *Mementote hujus diei qua egressi estis de domo diabolicæ servitutis*. Sed tantum beneficium non est adscribendum humanæ infirmitati, sed divinæ virtuositati: ideo addit, *quoniam eduxerim vos in manu forti* divinitatis, non in manu debili humanitatis.

Secundo invitat ad contemplationem speciositatis regis, cum subdit: *Et videte Regem Salomonem*, id est, Christum. Ille contemplatur, et videt salubriter in propria conscientia verum Salomonem, id est, Christum, primo qui ejus veritati infallibilis sapientiæ credit firmiter, cum captivatione intellectus; secundo qui ejus benignitatem indicibilis clementiæ diligit sinceriter, cum devotione affectus; tertio qui ejus humilitatem abjectionis profundæ imitatur conformiter cum executione effectus. Hodierna namque die Rex regum Christus ostendit profunditatem humilitatis ad imitandum, quando Jerusalem intravit, sedens super asinam, non super equum phaleratum. Magnam benignitatem exhibuit, quando ipse, qui erat Imperator et Dominus omnium spirituum cœlestium, sive agminum supernorum, dignatus est fieri rex et caput agminum peregrinantium inferiorum. Et completam veritatem legalis umbræ monstravit, quando quod de eo fuerat prophetatum et figuratum, factis ostendit esse impletum.

Primo videte Regem Salomonem, cujus veritas infallibilis sapientiæ credenda est firmiter cum captivatione intellectus; et de hoc dicitur in figura¹: «Magnificatus est rex Salomon super omnes reges terræ, divitiis, et sapientia; et universa terra desiderabat videre vultum Salomonis, ut audiret sapientiam quam dederat Deus in corde ejus.» Multiplici figura Salomon verum illum Salomonem Christum exprimit. Nam Christus est ille verus Salomon sapientissimus, imo sapientia Patris, a quo omnis sapientia et intellectus in angelicis spiritibus, et humanis; et verus ille rex pacificus, quia² «pax nostra, qui fecit (a) utraque unum,» et antiquam discordiam fœdere proprii sanguinis concordavit; atque verus rex ille magnificus, qui in quantum homo magnificatus est super omnes reges cœli et terræ, propter assumptionem humanitatis in unitate personæ, in donis charismatum divinorum, et sapientia limpide cognitionis. Et *universa terra*, id est, homines terreni (ponitur hic continens pro contento), *desiderabant vultum videre Salomonis*, propter nitorem originalis innocentiae, ut audirent cum inclinatione auditus sapientiam, quam dederat Deus in corde ejus per infusionem (quia non didicerat per humanam investigationem), et crederent auditam sapientiam sine hæsitacione, cum captivatione intellectus. Secundo videte regem Salomonem, cujus benignitas indicibilis clementiæ est diligenda sinceriter cum devotione affectus. Et de hoc dicitur³: «Misericordia et veritas custodiunt regem, et roborabitur clementia thronus ejus;» quia pietas misericordiæ sine veritate justitiæ est potius vitium quam virtus. Nam manus mulierum misericordium (b) coxerunt filios suos, et severitas justitiæ sine pietate misericordiæ Deo non est placita, nec ab eo approbata, quia⁴ «judicium sine misericordia fiet ei qui non facit misericordiam.» Ideo dicitur⁵: «Misericordia et veritas custodiunt

Cœl. edit. facit. — (b) Leg. immisericordium.

¹ III Reg., x, 13. — ² Ephes., ii, 14. — ³ Prov., xx, 28. — ⁴ Jac., ii, 13. — ⁵ Prov., xx, 28.

regem » Christum, per quem ¹ « reges regnant, et principes justa decernunt. » Ipse enim est verum exemplar omnis misericordiae et justitiae, eo quod ² « universae viae Domini » Christi, Regis regum, « misericordia et veritas. » Sed quia ejus pietas misericordiae in parcendo superexaltat judicium severitatis in condemnando, ideo addit: *Roborabitur clementia thronus ejus*, ut per hoc quilibet peccator quantumcumque magnus non desperet per timorem, considerans severitatem justitiae proferentis sententiam; imo resumat vires, et confidat propter benignitatem misericordiae, quae parcat faciliter, et obliviscetur totaliter, et suscipit clementer. Tertio videte regem Salomonem, cujus humilitas abjectionis est imitanda conformiter cum executione effectus. Et de hoc dicitur ³: « Exulta satis, filia Sion; júbila, filia Jerusalem. Ecce rex tuus veniet tibi justus, et salvator, ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinae. Et dispergam quadrigam ex Efraim, et equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli. Et loquetur pacem gentibus, et potestas ejus a mari usque ad mare. » Quælibet fidelis anima, *filia Sion et Jerusalem*, id est, matris Ecclesiae, debet hodierna die, exemplo Judæorum, egredi obviam Christo, non solum passibus corporis, sed etiam affectionibus mentis, cum exultatione cordis, cum jubilo oris, cum prostratione propriae vestis, per mortificationem lasciviae carnis, cum ramis olivarum, in signum unctionis internae devotionis; cum ramis palmarum, in signum victoriae et honoris: eo quod rex noster Christus per suam humilitatem devicto superbo diabolo, et ejus exercitu in pelago maris inferni submerso, populum suum liberavit sanguine proprio. Unde superius parum post praedictam auctoritatem sequitur ⁴: « Tu vero in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, » scilicet homines de potestate diaboli liberatos,

suppeditata cupiditate, per suam paupertatem haeredes et reges regni caelorum constituit. Et propter hoc ipse rex noster Christus non venit hodie fastuosus in curribus et equis phaleratis; sed mansuetus, et ascendens super asinam contemptibilitatis, non pomposus in divitiis et gemmis pretiosis: et salvator ipse pauper, ut sic per humilitatem suam disperderet quadrigam fastuositatis, et equum superbae pompositatis, et disperderet arcum diabolicæ fraudis, ut per suam paupertatem loqueretur pacem gentibus, eos ab amore mundi revocando, ad amorem et laudem Dei attrahendo.

Ultimo notatur exhibitio honoris et magnificentiae, cum dicit: *In diademate, quo coronavit eum mater sua*. Honoravit Christum, sive coronavit, primo mater Virgo Maria carneo diademate originalis innocentiae, in conceptione; secundo mater synagoga spineo diademate doloris et ignominiae, in passione; tertio mater divinae justitiae splendido diademate honoris et gloriae, in resurrectione. Primo coronavit eum mater Virgo Maria carneo diademate originalis innocentiae, in conceptione, secundum quod dicitur: *Egredimini, filiae Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis et letitiae cordis sui*. Filiae Sion, egredimini a deformitate peccati, et videte Regem regum, nostrum Salvatorem Christum incarnatum, in diademate originalis innocentiae, quo coronavit eum mater sua Virgo Maria, virtute Spiritus sancti eum concipiendo in die desponsationis humanae naturae, quae in unitate personae copulata est Deo, et conjuncta Verbo ut sponsa sponso, vinculo indissolubili in utero virginali, et amore pudico et benevolo cum lætitia innarrabili et gaudio magno. Secundo coronavit eum mater Judaica synagoga, spineo diademate doloris et ignominiae, in passione. Et de hoc potest exponi illud ⁵: « In capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse, et vestitus

¹ Prov., VIII, 15. — ² Psal. XXIV, 10. — ³ Zach., IX, 9-10. — ⁴ Ibid., 11. — ⁵ Apoc., XIX, 12.

erat veste aspersa sanguine. » Non enim impia synagoga coronavit Christum solo diademate spineo ignominiosæ dolositatis; imo super illud addidit multa alia deformia diademata opprobriosæ contemptibilitatis. Sicut hodie magnificavit eum gloria imperiali, et honore regio, ut gloriose intraret sanctam Jerusalem, sic in parasceve fecit eum exire de sancta Jerusalem cum vituperio et opprobrio. Et quidquid honoris hodie impia synagoga contulit, in die veneris in dedecus convertit. Nam pro floribus imponit ejus capiti coronam de spinis; pro ramis olivarum adaptavit crucem propriis humeris; pro vestimentis in terra prostratis, propria vestimenta sibi exuta in quatuor partes divisit; pro laudibus, blasphemis exprobravit. Et quia post gloriam hodiernæ venerationis, quasi in eodem tempore, in eadem civitate, et ab eadem plebe subsecuta est ignominia opprobriosæ passionis; ideo mater Ecclesia, post processionem, legi instituit passionem. Ipse autem rex Christus, in cujus capite erant omnia ista prædicta diademata, habebat nomen scriptum super caput suum: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*, quod nemo persequentium eum novit esse verum nisi Christus, et cui sibi placuit revelare. Et vestitus erat veste corporali aspersa propriosanguine. Tertio coronavit eum mater sua, scilicet divina justitia, splendido diademate honoris et gloriæ in resurrectione. Et de hoc potest exponi illud¹: « Justitia indutus sum, et vestivi me, sicut vestimento et diademate, judicio meo. » Quia Dominus Jesus Christus tantum se humiliavit, ut vellet tradi, et traditus a peccatoribus judicari, et judicatus tanquam reus condemnari, et condemnatus morte turpissima occidi. Ideo secundum infallibilem regulam divinæ justitiæ, quæ est²: « Qui se humiliat exaltabitur, » exaltatus est propter suam profundam humilitatem in solium regale, et coronatus est diademate honoris et gloriæ. Unde

¹ *Job*, xxix, 14. — ² *Matth.*, xxiii, 12; *Luc.*, xiv, 11. — ³ Hunc et seq. usque ad serm. i, exclusive, in

quanto caro ejus fuit vilis in terram projecta, tanto majori gloria et honore est circumdata. Rogemus, etc,

SERMO II⁵.

*Cum appropinquasset Dominus Jerosolymam, et venisset Bethphage*⁴, etc. In hoc Evangelio ostenditur Dominus quadrupliciter honoratus: honoraverunt enim eum asinum ducentes, vestimenta prosternentes, ramos mittentes, Osanna clamantes. In his verbis significatur, quod in quatuor causis maxime honoratur Deus, videlicet peccatoris conversione, corporis expositione, operis exhibitione, oris glorificatione. Prima significatur in asini adductione ad Jesum: quid enim est peccator, nisi asinus, qui sicut asinus stolidus est sensibus, et piger in actibus? Bernardus⁵: « Puto, si jumenta possent loqui, dicerent: Ecce iste homo factus est quasi unus ex nobis. » Hic est asinus, qui timore divinæ severitatis correptus, loquitur, sicut significatum est in asina Balaam⁶, quæ videns evaginatum gladium Angeli, locuta est. Gladius est divinæ justitiæ severitas, quæ nunc latet in vagina misericordiæ, sed in judicio evaginabitur. Hunc videt asina, quando severitatem judicii considerat peccatrix anima; et tunc loquitur in confessione et oratione. Asinum ergo ad Jesum adducit, quicumque peccatorem ad Deum convertit. O si unum asinum hodie ad Jesum adducere possem! Jesus tamen non sedet in asino ligato. Vis ergo esse asinus Christi? vis Jesum portare? solvaris prius a vinculis peccatorum⁷: « Solve vincula colli tui, » etc.

Secundum figuratur in vestimentis prostratis: quid enim corpora nostra sunt, nisi quædam animarum vestimenta? ⁸ « Quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum, quod comeditur, » etc. Hoc vestimentum in via prosternit, qui corpus suum pro Christo exponit. O si pensarem, quo-

Resurr. Dom., habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁴ *Matth.*, xxi, 1. — ⁵ Bern. — ⁶ *Nuon.*, xxii, 31. — ⁷ *Isa.*, lii, 2. — ⁸ *Job*, xiii, 28.

modo Christus vestimentum corporis sui pro nobis exposuit, et sanguinem profudit, tunc facilius nobis esset pro Christo vestimentum nostri corporis passionibus exponere, afflictionibus scindere. Hoc figuratum est in Jacob ¹, qui videns tunicam Joseph sanguinolentam, scidit vestimenta sua. Parum est, si pro illo scindas vilissimam tuam tunicam, qui pro te scidit pretiosissimam. Quid est corpus tuum ad corpus illius? Bernardus ²: « Nonne si conferrentur omnes vitæ filiorum Adam, imo et omnes dies sæculi, et labores omnium hominum, qui fuerunt, qui sunt, et qui erunt, nihil essent ad comparationem corporis illius, quod spectabile et stupendum est etiam virtutibus supernis? » Scindas ergo saccum tuum pro purpura Christi. Scindas ergo saccum tristitiæ, ut recipias stolam lætitiæ. Psalmista ³: « Concidisti saccum meum, » etc.

Tertium significatur in ramis. Ramus enim bonum opus significat. Quot enim bona opera propter Christum facis, tot eum ramis honoras. Si enim his ramis anima evolans ad eum venit, bene suscipietur, sicut significatum est in columba cum ramo virente ad Noe veniente. Sed nota ⁴ quod de arca emissus est corvus et columba. Arca fluctuans est Ecclesia militans. Sicut enim extra arcam nullus salvatur, ita neque extra Ecclesiam. Corvus autem et columba animas significant Christianorum in arca Ecclesiæ per fidem existentium. Sed corvus animam cujuslibet peccatoris significat. Augustinus ⁵: « Anima peccatoris nigrior est corvo. » Columba autem animam justi significat. Emittuntur autem de arca, quando in morte de Ecclesia migrant. Væ tunc corvo; sed bene columbæ. Corvus vacuus rediens, animam cujuslibet parvuli absque meritis operum evolantem significat. Columba vero cum ramis veniens, animam cum bonis operibus evolantem significat.

Virens autem fuit ramus, quia in charitate debet fieri bonum opus. Unde Deum adorant cum ramis aridis, qui bona opera faciunt vivendo in peccatis. Gregorius ⁶: « Neque habet aliquid viriditatis ramus operis boni, si non manet in radice charitatis. »

Quartum significatur in clamore dicentium ⁷: *Benedictus qui venit*, etc. Elisabeth, exultante Joanne in utero ejus, ait ⁸: « Benedictus fructus ventris tui. » Si ergo Joannem in utero, id est, gratiam in corde, si ramum in manu, meritum in opere habueris, tunc Deum ore optime benedicis. Unde bene de Simeone dicitur ⁹, quod « Spiritus Sanctus erat in eo, » et quod « accepit Jesum in ulnas suas, et benedixit. » Si enim fuerit Spiritus sanctus in corde, Jesus in manu, id est, in opere, tunc benedictio laudis et orationis est in ore. Benedic Deum in mundo, ut benedicaris a Deo in judicio, quando dicet ¹⁰: « Venite, benedicti. » Unde de Christo accipi potest illud ¹¹: « Qui benedixerit tibi, benedictionibus repletur. »

SERMO III ¹².

Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam ¹³, etc. Utinam quilibet nostrum mereretur esse asinus Domini! Oportet autem, ut qui voluerit esse asinus Domini, vestimenta ei præceptorum apostolicorum et exemplorum imponantur, ut sic Christus in ipso sedeat, donec in Jerusalem cœlestem veniat. Considerandum autem quod Dominus super tria mystica animalia libenter sedet, libenter equitat, videlicet super asinum, super camelum, super equum: asinum autem Domini, quemlibet pœnitentem et incipientem; camelum, quemlibet proficientem; equum, quemlibet perfectum et pervenientem. In his sedet Dominus per gratiam.

De primo dicitur: *Ecce rex tuus*, etc. Asinus Christi est, qui onus pœnitentiæ por-

¹ Gen., xxxvii, 34. — ² Bern. — ³ Psal., xxix, 12. — ⁴ Gen., viii, 6, 8. — ⁵ August., serm. cxxv, n. 5, quoad sensum. — ⁶ Greg., in *Evang.*, hom. xxvii,

n. 1. — ⁷ Matth., xxi, 9. — ⁸ Luc., i, 42. — ⁹ Luc., ii, 25, 28. — ¹⁰ Matth., xxv, 34. — ¹¹ Gen., xxxvii, 29. — ¹² Huc refer Serm. vi et vii, de Dominica prima Adventus, sup., pag. 12-15. — ¹³ Matth., xxi, 5; Isa., lxi, 11; Zach., ix, 29.

tat¹ : « Cibaria et virga, et onus asino, etc. Malus asinus est, qui et saccum pœnitentiæ, et Dominum insidentem projicit : gravius enim onus peccator assumit. Psalmus² : « Sicut onus grave, » etc. Graviorem sessorem, scilicet diabolum, accipit, sicut significatum est in asina, in qua sedebat Balaam³, quam angelus evaginato gladio obstans, nec ad dexteram nec ad sinistram ire permisit, donec asina loquebatur murmurans contra sessorem, cum tertio percuteretur. Balaam interpretatur *devorans populum*, et significat diabolum de quo⁴ : « Circuit quærens quem devoret. » Gregorius⁵ : « Ore pestiferæ persuasionis eos quotidie devorat, quibus a confessione fidei reproba vita discordat. » Hujus asina est peccatrix anima. Angelus prædicator est vel confessor⁶ : « Labia sacerdotis, » etc., usque : « quia angelus Domini exercituum est. » Gladius extremi iudicii terrenum peccatorem, ipsum in via iniquitatis secundum voluntatem Balaam, id est diaboli, procedere non permittit. Dominus ergo sentiens asinam, id est animam, trepidare, et nolle in via iniquitatis procedere, plus eam stimulat, et tertio eam percutit, quando triplici adversitate, primo in rebus, secundo in amicis, tertio in corpore eam affligit per malos homines, vel seipsum, sicut Job tripliciter percutitur ; deinde anima contra sessorem diabolum murmurat in confessione et oratione.

De secundo⁷ : « Vidit currum duorum equitum, ascensorem asini et cameli, » id est, incipientis et proficientis, qui maxime trahunt currum Ecclesiæ : pauci enim sunt perfecti. Camelus, animal patiens laborum, animal mercatorum est, et merces portare solet : ita proficientes multum laborant, et merces meritum usque in cœlestem Jerusalem portant. Unde dicitur⁸ quod « regina Saba, » id est, Ecclesia, « ingressa Jerusalem cum multo comitatu, » scilicet salvando-

rum, « et divitiis » meritum, « et camelis, » id est proficientibus, « portantibus aromata » bonorum operum, « aurum » charitatis infinitum, et « gemmas pretiosas » virtutum, « ad regem Salomonem, » id est ad Christum, « venit. » Certe bene veneris, si aliquid attuleris. Augustinus⁹ : « Apud Dominum plus habet loci, qui plus attulerit, non argenti, sed fidei. » Caveant sibi a latronibus, qui tales merces ducunt. Gregorius¹⁰ : « Deprædari desiderat, qui thesaurum publice in via portat. » Idem¹¹ : « Avari cameli sunt diaboli onerati injustis temporalium divitiis, quas nisi deponant, cœlestem Jerusalem intrare non possunt. »¹² « Facilius est camelum per foramen acus intrare, » etc. Dicitur Jerusalem esse porta arcta, quæ acus dicitur, per quam cameli intrare non possunt, nisi depositis oneribus. Abjice ergo omnia, ut in cœlestem Jerusalem intres.

De tertio¹³ : « Ecce equus albus, et qui sedebat super eum vocabatur Fidelis et Verax, » etc. Perfectus quilibet, equus albus ; et qui sedet super eum, Christus. Fidelis est propter audaciam in bellis contra diabolum, mundum et carnem¹⁴ : « Posuit eos, quasi equum gloriæ suæ in bello. » Item propter fortitudinem in sustinendis¹⁵ : « Numquid præbebis equo fortitudinem ? » Item propter velocem cursum quo desiderii et actibus festinant ad patriam ; unde de equis variis dicitur¹⁶ : « Quærebant ire et discurrere per omnem terram. »¹⁷ « Sic eurrite, ut comprehendatis, » etc. Bene curremus, si bene de patria cogitavimus, ad quam est currendum. Augustinus¹⁸ : « Cur non properamus et currimus, ut patriam videre, ut parentes salutare possimus ? Magnus nos illic charorum numerus expectat. » E contrario equi diaboli sunt, qui præcipites ad punctum currunt ad infernum¹⁹ : « Pedes eorum ad malum currunt, etc. Et certe tales equi cum

¹ *Eccli.*, xxxiii, 25. — ² *Psal.* xxxvii, v. — ³ *Nun.*, xii, 23. — ⁴ *1 Petr.*, v, 8. — ⁵ *Gregor.*, *Moral.*, lib. xxxiii, n. 3, quoad sensum. — ⁶ *Malac.*, ii, 7. — ⁷ *Isa.*, xxi, 7. — ⁸ *III Reg.*, x, 2. — ⁹ *August.* —

¹⁰ *Greg.*, in *Evang.*, hom. xi, n. 1. — ¹¹ *Id.*, *Moral.*, lib. xxxv, c. xvi, al. xi, n. 38. — ¹² *Matth.*, xix, 24. — ¹³ *Apoc.*, vi, 2. — ¹⁴ *Zach.*, x, 3. — ¹⁵ *Job*, xxxix, 19. — ¹⁶ *Zach.*, vi, 7. — ¹⁷ *1 Cor.*, ix, 24. — ¹⁸ *Imo Cyprian.*, *de Mortal.*, in fin. — ¹⁹ *Prov.*, i, 16.

sessore suo diabolo nunc de vitio in vitium cursitantes, in profundum pœnarum mergentur ¹: « Equum et ascensorem projecit in mare, » etc.

SERMO IV.

Turba multa, quæ convenerat ad diem festum, cum audisset, quia Jesus venit Ierosolyman, acceperunt ramos palmarum, et processerunt ei ², etc. Per palmam significatur victoria: palma enim victores coronantur. Per palmam ergo (a) significatur perseverantia: palma enim diutissime perseverat, ut tandem fructum habeat ³: « Sicut palma multiplicabo dies. » Rami autem opera, vel exempla sunt. Cum palmarum ergo ramis, id est cum victoriosis, vel perseverantibus operibus et exemplis, honorandus est Jesus. Per has enim palmas fides nostra consummatur in mundo, mens nostra securatur in extremo, vita nostra approbatur in iudicio, gloria nostra augmentatur in cœlo.

De primo ⁴: « Venerunt autem in Helim filii Israel, ubi erant duodecim fontes, et septuaginta palmæ. » Helim interpretatur *robusti*, vel *deficientes*: et significant Ecclesiam, in qua sunt firmi et infirmi, perfecti et imperfecti. Duodecim fontes, et septuaginta palmæ, duodecim apostoli et septuaginta discipuli. Licet enim duo discipuli superabundent, tamen Scriptura, sicut dicit ibi Glossa, non facit vim de inimicis (b). Vel duodecim fontes sunt duodecim articuli fidei qui in Symbolo continentur ⁵: « Haurietis aquas in gaudio, » etc. Quia vero ⁶ « fides sine operibus mortua est, » ideo septuaginta palmæ juxta fontes esse debent. Septuaginta sunt septies decem: septuaginta ergo palmæ sunt omnes victores et perseverantes in bonis operibus, vel omnia victoriosa perseverantia (c) opera, quæ fiunt per septem dona,

contra septem vitia, in decem mandatorum perseverantia. Vel septuaginta hæ palmæ sunt flores virtutum in mundo pullulantium; Psalmista ⁷: « Justus ut palma florebit. » Fructus vero præmiorum habent in cœlo ⁸: « Ascendam in palmam, » etc. Fructus palmæ etiam Christus dici potest. Augustinus ⁹: « Expalmatur, qui est vera palma victoriæ; spinis coronatur, qui *spinas* peccatorum venit confringere. »

De secundo ¹⁰: « Filii Cinæi ascenderunt de civitate palmarum cum filiis Juda in desertum sortis eorum. » Cinæus *luctus* interpretatur, et significat pœnitentem ¹¹: « Beati qui lugent. » Judas interpretatur *glorificans*, et significat illum qui ait ¹²: « Quicumque honorificabit me, glorificabo eum; qui autem contempnunt me erunt ignobiles. » Vere ignobilis, cujus pater diabolus est. Filii ergo Juda angeli sunt. Desertum sortis eorum est regnum cœlorum, hoc est desertum, in quo nonaginta novem oves, id est, novem ordines angelorum dimittuntur, sicut dicitur ¹³. Filii ergo Cinæi, id est lugentes pro peccatis, ascendunt in montem cum filiis Juda, cum angelis ipsos ducentibus in sortem eorum, id est in ordines angelorum. Hieronymus ¹⁴: « Legimus perquam sæpe angelos animas electorum usque ad cœlos cum hymnis atque laudibus detulisse. » Fiduciam ergo angelis ascendendi in montem habebis, si de palma victoriæ et perseverantiæ veneris. Unde bene legitur ¹⁵ quod Salomon « in ostiis templi sculpsit Cherubim, » id est similitudines angelorum, « et palmas: » in quo significatur quod ostium templi cœlestis per angelos et per palmam intrandum est. Gregorius ¹⁶: « O felix victoria, per quam talis in morte habetur fiducia. » Idem ¹⁷: « Initium tribulationis est in habitu securitatis mentis. »

De tertio ¹⁸: « Judices quem justum esse

¹ *Erod.*, xv, 4. — ² *Joan.*, xii, 12. — ³ *Job*, xxxv, 18. — ⁴ *Erod.*, xv, 27. — ⁵ *Isa.*, xii, 3. — ⁶ *Jac.*, ii, 20, 26. — ⁷ *Psal.*, xct, 13. — ⁸ *Cant.*, vii, 8. — ⁹ Imo auctor, quisquis sit, *serm. de quatuor virtutib. charit.*, al. cvi, n. 11, inter Opera S. Aug., Append. tom. V.

— ¹⁰ *Judic.*, i, 16. — ¹¹ *Matth.*, v, 5. — ¹² *I Reg.*, iii, 30. — ¹³ *Luc.*, xv, 4. — ¹⁴ Hieron. — ¹⁵ *III Reg.*, vi, 23. — ¹⁶ Greg. — ¹⁷ *Id.*, *Moral.*, lib. II, c. xiii, al. ix, n. 22, quoad sensum. — ¹⁸ *Deut.*, xxv, 1. — (a) *Leg.* etiam. — (b) *Leg.* minimis. — (c) perseverantiæ.

perspexerint a), illi justitiæ palmam dabunt; quem impium, condemnabunt impietatis. » Judices sunt, de quibus ¹ : « Sedebitis vos super sedes duodecim, » etc. Isti enim iudicii dabunt approbationem. Sed summus iudex auctoritate dabit quidem justis palmam justitiæ, id est, pro justitia honorem, vel coronam justitiæ ² : « Reposita est mihi corona justitiæ, » etc. Sed quia ³ « non coronabitur, nisi qui legitime certaverit, » ideo si vis habere palmam in iudicio, vince vitia in mundo. Gregorius ⁴ : « Sine laboris certamine non est palma victoriæ. »

De quarto ⁵ : « Vidi turbam magnam, » etc., usque : « in conspectum agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum. » Stolæ albæ sunt veræ et mundissimæ honorum claritates. Palmæ in manibus sunt retributiones, quas habent ex perseverantia in bonis, et victoriosis operibus. Propter hoc bene legitur ⁶ quod « Salomon omnes parietes templi textit auro et fecit in eis cherubim, et palmas, et varias picturas. » Homo est templum cœleste, in quo animæ auro immortalitatis et charitatis teguntur. Cherubim sunt angeli; palmæ, victores saneli, vel perseverantes iusti; variæ picturæ, sunt varia præmiorum ornamenta. Perseveret ergo nunc in bono, qui inter angelos palmam vult habere in cœlo. Bernardus ⁷ : « Prorsus absque perseverantia, neque qui pugnat, victoriam, neque palmam victor consequitur ⁸. »

IN CŒNA DOMINI.

SERMO PRIMUS.

Cum dilexisset suos qui erant in mundo ⁹, etc. O quanta est dilectio quam charis suis Christus exhibet in cœlo, ex quo tantam eis exhibet in mundo! Electis enim suis dilectionem exhibet in mundo quadrupliciter, videlicet mundando per veniam, reconciliando per hostiam, illuminando per sa-

pietiam, consolando per gratiam. Prima dilectionis exhibitio fit per lacrymas et fletum; secunda, per sacrificium; tertia, per verbum; quarta, per spiritum.

De primo ¹⁰ : « Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, mundans lavacro, » etc. Non solum lavacro baptismi, sed et lacrymarum mundat eam Deus, scilicet animam. Sed certe timendum est quod ait Dominus Petro ¹¹ : « Si non laveri te, non habebis partem mecum. » Magna dilectio, quod Christus sordidam animam semel mundat lavacro fluminis; major autem, quod toties mundat lavacro fluminis; maxima vero, quod mundavit lavacro sanguinis ¹² : « Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. » Certe nisi mater diligeret filium, tædium haberet toties eum mundare, et pannos ejus ablueri, quoties immundantur. Attende quam materne Christus nos dilexit, qui tot millia animarum sordidarum toties mille vicibus a toties mille sordidissimis peccatis lavat. Vere ipse dicere potest cuilibet nostrum, quod David de Jonatha dicit ¹³ : « Sicut mater unicum amat filium, ita ego te diligebam. »

De secundo ¹⁴ : « Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo, » etc. : *pronobis* suo Patri reconciliandis. Bene dicit *semetipsum*, non ovem, vel bovem, sicut in lege; non aurum vel argentum ¹⁵ : « Non corruptilibus auro vel argento; » non Joannem Baptistam, vel alium amicum, vel Michaellem, vel angelum aliquem, non matrem suam (quod maximum fuisset) : imo seipsum, stupendum quod dicit pro nobis, immensissimus pro vilissimis. Gregorius ¹⁶ : « Quam stupenda dulcedo, quam invicta mansuetudo, regem gloriæ pro despectissimo vermiculo crucifigi! » Tradidit autem semetipsum, sicut Jonas in navi ¹⁷ ad eji-

¹ *Matth.*, XIX, 28. — ² *II Tim.*, IV, 8. — ³ *Ibid.*, II, 5. — ⁴ *Greg.*, in *Ezech.*, hom. V, n. 22. — ⁵ *Apoc.*, VII, 9. — ⁶ *III Reg.*, VI, 23. — ⁷ *Bern.* — ⁸ *Vid.* in idem *Evang.* serm. VI et VII, de Dominica Adventus. —

⁹ *Joan.*, XIII, 1. — ¹⁰ *Ephes.*, V, 25-26. — ¹¹ *Joan.*, XIII, 8. — ¹² *Apoc.*, I, 5. — ¹³ *II Reg.*, I, 26. — ¹⁴ *Ephes.*, V, 2. — ¹⁵ *I Petr.*, I, 8. — ¹⁶ *Gregor.* — ¹⁷ *Jon.*, I, 12.

(a) *Cat. edit.* prospexerit.

ciendum, sicut Isaac patris¹ ad offerendum. Nota historiam : Isaac divinam, aries humanam Christi naturam, vepres coronam spinenam, strues lignorum crucem sanctam significat.

De tertio² : « Audisti verba illius de medio ignis, quia dilexit patres. » Loquitur de lege veteri, quia, sicut dicitur³, data fuit in igne, quia vere verba Dei ignea sunt. Psalmus⁴ : « Ignitum eloquium tuum, » etc. Vere enim sicut ignis, illuminat animam, ne in tenebris hujus vitæ cadat in lutum peccati, in foveam inferni. Psalmus⁵ : « Lucerna pedibus, » etc. Hæc lucerna clarior est sole. Hanc qui non sequitur, nequaquam a Deo diligitur.⁶ : « Neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. » Est enim hæc speciosior sole. Certissimum autem dilectionis Dei est signum per lumen. Verbum Dei est in faciendo, non in audiendo⁷ : « Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos : manete in dilectione mea. Si præcepta Patris mei servaveritis, manebitis in dilectione mea. » Estne aliquis hic, qui velit diligi a Christo? Audiatur quod ait : *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*

De quarto⁸ : « Qui dilexit nos, et dedit consolationem æternam, et spem bonam in gratia. » Hæc consolatio fuit per Spiritum sanctum. Unde de Ecclesia dicitur⁹ : « Spiritus sancti consolatione replebatur. » Pensa, o anima, quantum te diligit, qui tibi arrham pretiosissimam dedit. Arrha ejus est Spiritus sanctus. Augustinus¹⁰ : « Ille pretiosus est, dans arrham sponsæ suæ sanguinem suum, et Spiritum, quo locupletavit nos in ista peregrinatione. » O quam melliflua est animæ amanti illa consolatio, scilicet Spiritus sancti !¹¹ « Spiritus meus super mel dulcis, » etc. Sed ubi illud mel invenimus, Bernardus ostendit dicens¹² : « Fode-

runt manus ejus, et pedes, latusque ejus lancea perforaverunt. Per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. » Hujus petræ rimas non vultures diaboli, sed columbæ Dei inhabitant¹³ : « Columba mea in foramine petræ. » Cum ergo *dilexisset*, etc. Bene dicit : *in finem dilexit eos* : in hac enim finali cœna omnia prædicta dilectionis signa invenimus : pedes enim lavit, corpus suum dedit, sermonem fecit, Spiritum sanctum promisit. Adapta singula singulis.

SERMO II.

*Si non laverò te, non habebis*¹⁴, etc. Lavat nos Dominus quadrupliciter, videlicet aqua baptismi, lacryma pœnitentiæ, vino sacramentali, sanguine triumphali.

De primo¹⁵ : « Lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum, » id est, peccata. Psalmus¹⁶ : « Libera me de sanguinibus, Deus. » Lavi te, inquam, aqua. O si esset aliqua terra, in qua esset fons, cujus aqua omnes infirmitates lavando sanaret, quantum diligeretur et quæreretur ! Certe hoc facit aqua baptismi. Significatum est, ubi Naaman leproso Elisæus dicit¹⁷ : « Lavare septies in Jordane, » etc. Sed, heu ! multum abhorrent homines lepram corporis, qui leprosas non abhorrent animas, quod tamen multo horribilius est. Et ideo nunc in passione sua voluit tanquam leprosus contemni, ut nostram lepram mundaret¹⁸ : « Nos reputavimus eum tanquam leprosum, » etc.

De secundo, Psalmus¹⁹ : « Lavabis me, » etc. Quo autem liquore vellet lavari, dicit alibi²⁰ : « Lavabo per singulas noctes, » etc. Mira virtus hujus lotionis, qua anima fit nive albior, quæ prius in peccatis fuit carbone nigror²¹ : « Denigrata est super carbones facies ejus, » id est, conscientia. In Psalmo²² : « Arguam te, et statuatam contra faciem tuam. »

¹ Gen., XXII, 9. — ² Deut., IV, 37. — ³ Exod., XIX, 18. — ⁴ Psal. CXVIII, 140. — ⁵ Ibid., 105. — ⁶ Sap., VII, 28. — ⁷ Joan., XV, 9-10. — ⁸ II Thess., II, 15. — ⁹ Act., IX, 31. — ¹⁰ Aug., Epar., in Psal. XC, II, 13, quoad sensum. — ¹¹ Eccli., XXIV, 27. — ¹² Bern., in

Cmt., SERM. LXI, II, 4. — ¹³ Cant., II, 14. — ¹⁴ Joan., XIII, 8. — ¹⁵ Ezech., XVI, 9. — ¹⁶ Psal. L, 16. — ¹⁷ IV Reg., V, 10. — ¹⁸ Isa., LIII, 4. — ¹⁹ Psal. L, 9. — ²⁰ Psal. VI, 7. — ²¹ Thren., XV, 8. — ²² Psal. XLIX, 21.

Carbo quando igneus est, niger non est, imo candens et lucidus; sed quando extinguitur, niger efficitur. Sic anima amore Dei ignita, et pulchra et lucida est ¹: « Similitudo animalium, et aspectus eorum, quasi ignis carbonum ardentium. » Sed quando, abundante iniquitate, charitas refrigescit, tunc anima quasi carbo nigrescit; sed per lacrymas iterum super nivem albescit. Lavate ergo, charissimi, lacrymis vestris animas vestras: Christus enim ad lavandum addidit nobis lacrymas suas. Ambrosius ²: « Me illi in facie Christi abluunt fletus, lacrymæ illæ delicta mea laverunt peccantis (a). »

De tertio ³: « Lavabit in vino stolam suam. » Vinum enim est, quod quotidie pro peccatis in altari offertur. Augustinus ⁴: « Quia quotidie labimur, quotidie Christus mystice pro nobis immolatur. » Sed quia vinum est specie, sanguis in re, ideo sequitur ⁵: « Et in sanguine uvæ pallium suum. » Hæc uva in torculari crucis multum pressa fuit, et expressa. Augustinus ⁶: « Primus (b) in torculari (c) Christus, cum ille botrus in (d) passione expressus emanavit (e). » Unde Psalmista ⁶: « Calix meus inebrians, quam præclarus est? » Quid autem est hæc stola, et hoc pallium? Utique Ecclesia, quæ multum lavatur, quia multum dicitur esse candida. ⁷ « Vestimenta autem ejus candida facta sunt sicut nix. »

De quarto ⁸: « Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo (f). » Nota quod dicit a peccatis. Certe qui aliquem lavaret, qui in sterquilinio cloacæ per diem latuisset, satis eum diligeret. Et certe peccatum est millies sordidius quolibet sterquilinio, in quo jacent peccatores. ⁹ « In sterquilinio super faciem terræ jacebunt. » Nota etiam quod dicit nos, non me. Non enim unum solum in sterquilinio jacentem, neque uno die tantum jacentem lavat Dominus,

imo innumerabiles animas innumerabilibus diebus in peccatis jacentes. Joannes Chrysostomus ¹⁰: « Illic sanguis effusus est, qui omnem orbem terrarum lavit. » Nota ergo illud: *In sanguine suo*. Certe nos satis amicus diligeret, qui in balsamo nos lavaret; quanto magis qui in sanguine nos lavit tam pretioso? Vere pretioso; Bernardus ¹¹: « Mittitur Virginis filius, Altissimi Dei, et jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur. » Hæc quatuor lavacra, hos quatuor liquores Christus de suo corpore exhibuit: aquam latus, lacrymam oculus, vinum manus, sanguinem totum Christi corpus ministravit. De aqua dicitur ¹²: « Continuo exivit sanguis, et aqua. » Qui hac aqua mundari et refici vult, non ad sinistrum cum impiis, sed ad dextrum latus Christi sit ¹³: « Ecce aquæ redundantes ex latere dextro, » etc. De lacryma ¹⁴: « Lacrymatus est Jesus. » Sicut tunc mortuum Lazari corpus, ita mortuas animas quotidie suscitavit. De vino patet, quia illum mundissimis manibus discipulis dedit ¹⁵: « Accipiens calicem, etc. » Væ ergo immundis manibus sacerdotis, de quo dici potest illud ¹⁶: « Ecce manus tradentis, » etc. De sanguine quoque patet, quod illum de manibus, et pedibus, de latere, imo de toto corde (g), etiam de minimo digito emisit. Augustinus ¹⁷: « Oravit Patrem, et cum oraret, globi sanguinis de toto corde ejus stilabant. »

SERMO III.

Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet ¹⁸. Pedes animæ sunt affectus, qui etiam in bonis a pulvere venialium sunt mundandi. Pedes ergo lavantur, quando affectus animæ mundantur. Istorum pedum lotio, id est affectuum purgatio, utilis est nobis ad

¹¹ xi, 35. — ¹² *Matth.*, xxvi, 27. — ¹³ *Luc.*, xxi, 21. — ¹⁴ *Aug.* — ¹⁵ *Joan.*, xiii, 10.

¹ *Ezech.*, i, 13. — ² *Ambros.* — ³ *Gen.*, xlix, 11. — ⁴ *Aug.* — ⁵ *Id.*, *Enarr. in [Psal. LV, n. 4.* — ⁶ *Psal.*, xlii, 5. — ⁷ *Matth.*, xvii, 2. — ⁸ *Apoc.*, i, 5. — ⁹ *Jerem.*, viii, 2. — ¹⁰ *Chrysost.* — ¹¹ *Bernard.* — ¹² *Joan.*, xix, 31. — ¹³ *Ezech.*, xlvi, 2. — ¹⁴ *Joan.*,

(a) *Cæt. edit.* peccatis. — (b) *Suppl.* botrus. — (c) *Suppl.* pressus est. — (d) *Dcl.* in — (e) *Leg.* expressus est, manavit, etc. — (f) *Cæt. edit.* non habent in sanguine suo. — (g) *Leg.* corpore.

devotionem, ad communionem, ad defensionem, ad beatificationem. Utilis utique est nobis ad augendam gratiam, ad accipiendam Eucharistiam, ad habendam victoriam, ad consequendam gloriam.

De primo ¹: «Lavabam butyro pedes, et petra fundebat mihi rivus olei.» Butyrum ovium est, in quo lavandi sunt pedes. Ovis autem Christus est ²: «Sicut ovis ad occisionem ductus est.» Butyrum est pinguis Christi doctrina. Butyro ergo lavantur, qui ad Christi doctrinam compunguntur. Mundatis autem affectibus, gratia devotionis accedit. Ideo sequitur: «Petra fundebat mihi rivus olei.» Petra autem erat Christus, in qua columba requiescit per meditationem, per desiderium, per amorem ³: «Columba mea in foraminibus petrae,» id est, vulneribus Christi. Laves ergo pedes animae, si oleum devotionis et gratiae de foraminibus petrae vis habere. Bernardus ⁴: «Per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo.»

De secundo dicitur ⁵ de (a) patriarchis fratribus Joseph, quod «laverunt pedes suos, deditque (b) pabula asinis eorum: illi vero et praeparaverunt munera, donec ingrederetur Joseph meridie: audierunt enim (c) quod ibi comesturi essent panem.» Joseph Christum significat propter venditionem, et propter tunicae exutae sanguinolentiam. Christi enim tunica est caro ejus sanguine perfusa, quae etiam anima in morte fuit exuta. Panis quem cum Joseph manducamus, corpus Christi quod sumimus, quem hic suis discipulis dedit. Hic est panis quem Elias petiit ⁶ a muliere colligente duo ligna, quae crucem Christi figurant. Quia ergo Christus celebrari vult ab Ecclesia hoc sacramentum in memoria suae immolationis in cruce: ideo a muliere colligente duo ligna quæsivit. Si panem digne cum Joseph vis manducare, pedes affectuum lacrymosa

compunctione lava, munera orationum, elemosynarum et bonorum operum para, sicut de Cassio Episcopo Narniensi (d) scribitur in homiliis ⁷: «Cuncta quae habebat in elemosynis tribuens, cum ad horam offerendi sacrificii venisset, velut totus in lacrymis defluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat.»

De tertio ⁸: «Exivit, ut lavaret pedes suos; et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum,» scilicet Tobiam. Hunc piscem per Raphaellem confortantem superavit. Piscis iste diabolus est: hic quia humanum genus devorarat, Deus Pater hamum contra ipsum misit Filium suum ⁹: «An extrahere poteris Leviathan hamo?» Invadens ergo diabolus in passione escam humanitatis, captus est hamo deitatis. Piscis Tobiam invasit, quando pedes lavit, quia diabolus poenitentem, et conscientiam lavare volentem, maxime infestat ¹⁰: «Fili, accedens ad servitutem,» etc. Raphael *medicina Dei* interpretatur, et significat Christum, qui nobis et medicina, et medicus fuit, a quo confortati, diabolum vincimus. Si ergo vis vincere piscem diabolum, pedes lava. Tunc quasi in mari lacrymarum Pharaonem, id est diabolum, suffocas. O lacryma victoriosa, quid mirum si vincis diabolum, cum etiam vincas Deum? De te enim Bernardus ait ¹¹: «A certantibus inimicis silentium imponis, et quandoque sententiam ab ore judicis rapis. Et quid plura? vincis invincibilem, et ligas omnipotentem.»

De quarto dicitur in praesenti Evangelio: *Si non laverō te, non habebis partem mecum.* Psalmus ¹²: «Pars mea Deus in aeternum.» Hanc amittere possumus in hoc mundo, sed non in caelo. Primum in Petro significatum dicitur: *Si non laverō te*, etc. Secundum in Maria significatur ¹³: «Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea (e).»

20. — ¹⁰ *Eccli.*, II, 4. — ¹¹ Bern. — ¹² *Psal.* LXXII, 26. — ¹³ *Luc.*, x, 41.

(a) *Cæt. edit. deest de.* — (b) *Suppl. dispensator domus.* — (c) *Cæt. edit. ergo.* — (d) *Item Variensi.* — (e) *Cæt. edit. add. etc. sine causa.*

¹ *Job*, XXIX, 6. — ² *Isa.*, LIII, 7. — ³ *Cant.*, II, 14. — ⁴ Bern., in *Cant.*, serm. LXI, n. 4. — ⁵ *Gen.*, XLIII, 24-25. — ⁶ *III Reg.*, XVII, 12. — ⁷ *Greg.*, in *Evang.*, hom. XXXVII, n. 9. — ⁸ *Tob.*, VI, 2. — ⁹ *Job*, XL,

Quod ista quatuor bona pedum lotionem, id est, affectuum purgationem consequamur, significatum est, ubi tribus angelis dicit Abraham ¹ : « Laventur pedes vestri, et requiescite sub arbore, » etc. Postea quis est ita perfectus, ut ablutione non egeat, cum et pedes angelorum laventur? Lava igitur pedes animæ, ut requiescas sub arbore crucis in devotione; unde dicit : « Requiescite sub arbore. » Lava pedes animæ, ut reficiaris in coronatione; unde additur ² : « Ponam buccellam panis. » Lava pedes animæ, ut conforteris in tentatione; unde jungitur ² : « Confortetur cor vestrum. » Lava pedes animæ, ut transeas in evolatione ad gloriam; unde sequitur ² : « Postea transibitis. » ³ « Ut transeat de hoc mundo ad Patrem. »

SERMO IV.

Hoc facite in meam commemorationem ⁴, etc. Corporis sui et sanguinis mysteria Christus in cœna instituit, et in Ecclesia celebrari vult, ut per hoc memores sui simus. Unde ait : *Hoc facite in meam commemorationem*. Certe in commemorationem meam passionis, meam propitiationis, meam dilectionis, meam unionis.

De primo ⁵ : *Hoc facite, quotiescumque biberitis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem biberitis, mortem Domini annuntiabitis*. Semper quidem in memoria Christiani Christi passio esse debet ⁶ : « Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absinthii, et fellis. Memoria memor ero. » *Recordare paupertatis* contra avaritiam; *transgressionis*, contra superbiam; *absinthii et fellis*, contra concupiscentiam. Præcipue tamen quotiescumque hunc panem manducamus, memoriam Dominicæ passionis habere debemus. Bene autem memoria ejus passionis in sacrificio panis habetur, si ad memoriam reducitur quomodo panis fiat

de grano triturato, mola contrito, in clibano cocto. Granum ergo Christus est ⁷ : « Nisi granum frumenti, » etc. Trituratus autem est in flagellatione ⁸ : « Tunc apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. » Contritus etiam est in mola crucis; unde dicitur ⁹ quod Philistiim Samsonem molere fecerunt, sicut judæicus populus, nisi per dæmones excæcatus fuisset, Christum in mola crucis non attrivisset ¹⁰ : « Attritus est propter scelera nostra. » Missus fuit quoque in clibanum sepulchri, quoad corpus, inferni autem, quoad animam : de quo dicitur ¹¹, quod sacrificium de clibano debuit esse sine fermento, scilicet culpæ et ignorantiae, et conspersum oleo, scilicet gratiæ.

De secundo dicitur ¹² quod sacerdos tollet in holocaustum suavissimum Domino pugillum simillæ, et olei ac totum thus, et ponet memoriale super altare, etc. Hoc est memoriale propitiationis. Per oblationem enim super altare propitiatio fit : ergo maxime per sacramentum altaris. Gregorius ¹³ : « Singulariter ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis (a) hostia suffragatur. » Sed nota quod in Christo tres sunt substantiæ, scilicet corpus, anima, deitas. Per simillam enim caro Christi significatur, quemadmodum similla caruit vitio, furfure scilicet. In similla, corporis Christi munditia; in oleo autem, animæ ejus gratia; in thure vero, divinitatis latria, sive honor significatur. Per simillam ergo capimus propitiationem contra culpam, ut dictum est. Item sustentationem per gratiam, sicut filii Israel manna sustentabantur in deserto, ejus naturalis sapor, ut dicitur ¹⁴, et fuit quasi simillæ cum melle, et quasi panis oleati : sapor enim hujus sacramenti, quasi simillæ ex parte corporis, quasi olei ex parte animæ, quasi mellis ex parte divinitatis. Item promotionem (b) ad gloriam. Unde animæ christianæ di-

⁹ *Judic.*, xvi, 21. — ¹⁰ *Isa.*, liii, 5. — ¹¹ *Levit.*, ii, 4. — ¹² *Ibid.*, 2. — ¹³ *Gregor.*, in *Evang.*, hom. xxxvii, n. 7. — ¹⁴ *Exod.*, xvi, 31; *Num.*, xi, 8.

(a) *Suppl. sacri altaris*. — (b) *Cat. edit. promotione*.

¹ *Gen.*, xviii, 4. — ² *Ibid.*, 5. — ³ *Joan.*, xiii, 1. — ⁴ *Luc.*, xxii, 19. — ⁵ *1 Cor.*, xi, 25-26. — ⁶ *Thom.*, iii, 19-20. — ⁷ *Joan.*, xii, 24. — ⁸ *Joan.*, xx, 1. —

citur ¹ : « Similam et mel, et oleum comedisti, et facta es decora vehementer nimis, et profecisti in regnum. » Bernardus ² : « Eucharistiæ plauce sacramentum potens est peccata consumere, debellare aereas potestates, inferre cœlis revertentes de terra. »

De tertio ³ : « Diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis. » Ubi enumerans beneficia suæ dilectionis, inter alia subjungit ⁴ : « Vivent tritico, memoriale ejus sicut vinum Libani. » Pro memoriali ergo dilectionis divinæ habes triticum corporis, et vinum sanguinis Christi. Dilectio autem Dei, quæ (a) nobis in sacramento ostenditur, evidenter significatur, ubi de ovicula pauperis dicitur ⁵, quod pauper iste Christus est. ⁶ « Propter nos egenus factus est. » Ovicula est fidelis anima ⁷ : « Inveni ovem quam perdideram, » etc. Magna Dei dilectio : hæc ovis pretio sanguinis emitur ⁸ : « Empti enim estis pretio. » Item sacramento corporis nutritur ⁹ : « Angelorum esca nutritisti populum tuum. » Item sinu misericordiæ fovetur, ut in sinum Abrahæ recipiatur ¹⁰.

De quarto, Psalmus ¹¹ : « Memoriam fecit, » etc., usque : « escam dedit timentibus se. » Sicut enim magna est unio escarum ad sumentem, quia carni et sanguini sumentis uniuntur (b), sic nos mirabiliter unimur esca corporis Christi. Augustinus ¹² : « Cibus sum grandium, » id est, grandis gratiæ. « Non enim ego mutabor in te, sed tu mutaberis in me. » Bernardus autem unionem animæ cum Deo aliis similitudinibus exprimit, dicens eam uniri cum Deo sicut unitur ignis ferro ignito, aer cum solis radio, aquæ stilla cum vino.

SERMO V.

Paratum panem de cœlo præstitisti eis sine labore, omne delectamentum in se ha-

bentem ¹³. Mirabilis Deus, quia ita mirabiliter panem suis parat. Psalmista ¹⁴ : « Memoriam fecit mirabilem, » etc. Ostenditur autem in his verbis propositis in pane corporis Christi mirabilis substantia, cum dicitur : *Panem de cœlo*; mirabilis potentia, cum additur : *Omne delectamentum*, etc. Invenimus autem in veteri Testamento octo mirabilia circa panem exhibita, videlicet mirabile productionis, multiplicationis, ministratio- nis, consumptionis, subversionis, confortationis, delectationis, transmissionis. Horum mirabilium memoriam fecit Dominus in pane corporis sui, ad cujus substantiam pertinent prima quatuor mirabilia; ad potentiam, alia quatuor sequentia. Considera ergo circa substantiam mirabile productionis, in verbis transubstantialibus; mirabile multiplicatio- nis, in locis continentibus; mirabile minist- rationis, in ministris dispensantibus; mi- rabile consumptionis, in formis transeun- tibus.

De primo ¹⁵ : « Ecce ego pluam vobis panem de cœlo. » Mirabilis utique modus producendi panem, qui pluendo de cœlo descendit. Sic per verba transubstantialia ostenditur in verbis istis formæ sensibilitas, gratiæ multiplicitas, naturæ sublimitas. Primum ibi : *Ecce*, fit enim demonstratio formæ ad oculum. *Ecce* : dicit sicut Joannes Baptista ¹⁶ : « Ecce agnus Dei. » Secundum ibi : « Pluam. » Pluvia habet multas stillas, et hoc sacramentum multas gratias. Psalmus ¹⁷ : « Pluit illis manna, etc. Tertium ibi : « De cœlo. » ¹⁸ « Qui de cœlo venit, super omnes est. » Et quia de cœlo venit, credenda est cœlestis familia adesse cœlesti cibo. Gregorius ¹⁹ : « Quis vestrum dubium habere possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, et in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse? »

— ¹⁰ *Luc.*, XVI, 22. — ¹¹ *Psal.* CX, 4. — ¹² August., *Conf.*, lib. VII, c. X. — ¹³ *Sap.*, XIX, 20. — ¹⁴ *Psal.* CX, 4. — ¹⁵ *Exod.*, XVI, 4. — ¹⁶ *Joan.*, I, 29. — ¹⁷ *Psal.* LXXVII, 24. — ¹⁸ *Joan.*, III, 31. — ¹⁹ Greg.

(a) *Cæt. edit.* qui. — (b) *Item* unitur.

¹ *Ezech.*, XVI, 13. — ² Bern. — ³ *Ose.*, XIV, 5. — ⁴ *Ibid.*, 8. — ⁵ *II Reg.*, XII, 3. — ⁶ *II Cor.*, VIII, 9. — ⁷ *Luc.*, XV, 6. — ⁸ *I Cor.*, VI, 20. — ⁹ *Sap.*, XVI, 20.

Octo mi-
rabilia
circa pa-
nera ex-
hibita.

De secundo ¹ : « Vir quidam venit deferens viro Dei panes primitiarum, et panes hordeaceos, et frumentum novum in pera, » qui panes miraculose multiplicati sunt ad satietatem centum virorum : et similiter in Evangelio quinque, et septem panes ². Hic multiplicatio fit etiam corporis Christi, qui in multis locis est simul, et semel, et multis sumentibus, sicut illi panes in multis erant edentibus. Vir ferens panes, est Christus. Consideratur autem corpus Christi secundum statum incarnationis, et sic per frumentum novum significatur ³ : « Creavit Dominus novum, » etc. Item secundum statum passionis, et sic per panem hordeaceum : hordeaceum enim aculeatum, et asperum est; unde etiam quinque panes hordeaceos de quinque vulneribus quidam exponunt. Item secundum statum resurrectionis, et sic per panes primitiarum ⁴ : « Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium. »

De tertio, dicitur de Elia ⁵ : « Corvi quoque deferebant ei panem et carnes mane, similiter panem et carnes vespere. » Mirabile est quod panem per corvum ministrabat Dominus, non per hominem, sicut mirabile est quod corpus suum per sacerdotem ministraret, quod angeli vix digni sunt ministrare; et mirabilius quod per peccatores, qui per corvos propter vitiorum nigredinem forte significantur. Hic est corvus, qui ad arcam Ecclesiæ non revertitur. Ostenditur ergo mali ministri indignitas in corvo. Augustinus ⁶ : « Anima peccatoris corvo nigrior est. » Item sacramenti veritas in panibus, in carnibus : in pane, propter speciem; in carnibus propter rem, quæ est vera Christi caro. Unde ⁷ : « Verbum caro factum est. » Non putes ergo malum sacerdotem non conficere, cum videas corvum non solum panem ministrare, sed etiam carnes. Item sacramenti durabilitas in mane, et in vespere, per quæ exordium et finis Ecce-

siæ significatur. Mane vero et vespere, et a principio Ecclesiæ usque ad finem, hoc sacramentum ministratur ⁸ : « Vobiscum sum usque ad consummationem, » etc.

De quarto ⁹ : « Ascendit ignis de petra, et carnes azymosque panes consumpsit. » Ita in hoc sacramento mirabilis consumptio accidentium, quando a dentibus sumentium sumptum fuerit. Sed nota quod in igne significatur Spiritus sancti potestas ¹⁰ : « Si quid residuum superfuerit, igni comburetur, » id est, secundum Gregorium ¹¹, « quidquid de hoc sacramento intelligere non possumus, Spiritui sancto committendum est. » Item in petra fidei firmitas : in hac enim petra fortiter stare debemus; Psalmista ¹² : « Statuit supra petram pedes meos. » Item in azymis panibus corporis Christi puritas, et a fermento peccati immunitas significatur ¹³ : « Edent carnes nocte illa assas igni, » etc., id est cum amaritudine pœnitentiæ : nam purissimum corpus, nisi purgati per pœnitentiam, sumere non debemus. Augustinus ¹⁴ : « Talis convenit cura sinceritatis sacramentalis, qualia sunt sacra ipsa, quibus exhibentur officia servitutis. » Ignis ergo de petra sacrificium consumit, quando fides firma virtuti Spiritus sancti totum committit.

SERMO VI.

Paratum panem de cælo præstitisti eis sine labore ¹⁵, etc. Mirabilis hujus panis potentia, vel effectus ostenditur, cum dicitur : *Omne delectamentum*, etc. Ad hunc autem pertinet effectum, mirabile subversionis, confortationis, delectationis, transmissionis. Considera, in pane corporis Christi, mirabile subversionis in perversis, mirabile confortationis in attritis, mirabile contemplationis in contemplativis, mirabile transmissionis in defunctis.

¹ IV Reg., IV, 42. — ² Joan., VI, 9; Matth., IV, 13; XV, 36; Marc., VI, 32; Luc., IX, 10. — ³ Jerem., XXXI, 32. — ⁴ I Cor., XV, 20. — ⁵ III Reg., XVII, 6. — ⁶ Aug.,

Annot. in Job, XXXVIII, quoad sensum. — ⁷ Joan., I, 14. — ⁸ Matth., XXVIII, 20. — ⁹ Judic., VI, 21. — ¹⁰ Exod., XII, 10. — ¹¹ Greg., Moral., lib. XX, c. VIII, al. X, II, 19. — ¹² Psal. XXXIX, 3. — ¹³ Exod., XII, 8. — ¹⁴ Aug. — ¹⁵ Sap., XIX, 20.

De primo nota, quod de pane subcinericio dicitur ¹: « Vidi somnium, et videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, et in castra Madian descendere. Cumque pervenissem ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit, et terræ funditus coæquavit. » Considera hujus miraculi memoriam in hoc sacramento, quo perversi et indigne communicantes percipiuntur, subvertuntur, terræ coæquantur; et hoc per triplicem mortem, secundum quod innuit Apostolus ². Percipiuntur ergo per mortem spiritualem. Unde ait Apostolus ³: « Qui-cumque manducat et bibit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. » Subvertuntur per mortem æternalem; unde dicitur ibidem ⁴: « Qui manducat et bibit, » etc. Quam multos Judas habet socios (a), indigne accipientes buccellas ad iudicium suum! Terræ vero coæquantur per mortem temporalem, quando terra in terram revertitur; unde dicitur ibidem ⁵: « Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi, » etc.

De secundo ⁶: « Ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb. » Hoc dicitur de pane quem, excitante Angelo, comedit Elias. Panis iste est corpus Christi, quo mirabiliter confortamur in laboriosis hujus vitæ actionibus et tentationibus. Tria autem in his verbis ostenduntur. Primo, activorum confortatio, cum dicitur: *Ambulavit in fortitudine*, etc. ⁷ « Panis cor hominis confirmat. » Secundo, confortationis continuatio, cum dicitur: *Quadraginta diebus, et quadraginta noctibus*. Ponit autem in die prosperitatis, in nocte adversitatis signum ⁸: « Die noctuque, æstu et gelu urebar. » In æstu male accendens amor in die prosperitatis; in gelu vero timor male constringens in nocte adversitatis significatur: contra quæ confortari multum indigemus.

Tertio innuitur continuationis remunerationis, quæ erit in cœlesti refectio; unde additur: *Usque ad montem Dei Oreb*. Oreb enim interpretatur *mensa* ⁹: « Ut edatis et bibatis super mensam meam, » etc. De tertio dicitur hic: *Omne delectamentum in se habentem*, quod ibidem plenius exprimitur, cum subjungit: *Et deserviens uniuscujusque voluntati, convertebatur*: ita et panis corporis Christi mirabiliter delectat contemplativos et devotos. Manna enim propterea hanc mirabilem triplicis naturæ (b) habuit saporem, sicut Scriptura manifestat, scilicet similæ cum melle, et panis oleati. Sic et hoc sacramentum, secundum triplicem substantiam in Christo, triplicem spiritualem saporem habet, ut (c) in gustu animæ devotæ. Habet enim saporem mellis quoad divinam naturam ¹⁰: « Spiritus meus super mel dulcis, » etc. Quasi saporem olei, quoad animam speciosissimam gratia unctam; Psalmus ¹¹: « Unxit te Deus oleo, » etc. Quasi similæ, quoad corpus purum a furfure fomitibus, et corruptionis originalis ¹²: « Similam et mel, et oleum comedisti, et decora facta es vehementer nimis. » Ubi tria verba prædicta animæ ingratae objiciuntur.

De quarto, legitur ¹³ quod panes, quos Abacue intriverat in alveolo, ductu angelico transmittuntur Danieli in lacum leonum. Hic est panis corporis Christi, qui dum pro defunctis offertur, tunc in lacum purgatorii transmittitur per effectum. Hæc autem tria passionis Christi memorativa, cujus passione purgantur animæ a culpa et pœna, significantur per hoc quod dicitur: *Intriverat panes*. In pœnalitate enim passionum attritus et intritus est Christus etiam in alveo crucis ¹⁴: « Attritus est propter scelera nostra. » Innuitur etiam angelicæ curæ diligentia, quia ductu angelico panis iste perlatus est. Unde in Canone: *Jube hoc (d) per-*

⁹ Luc., xxii, 30. — ¹⁰ Eccli., xxiv, 27. — ¹¹ Psal. xlii, 8. — ¹² Ezech., xvi, 13. — ¹³ Dan., xiv, 32. — ¹⁴ Isa., liii, 5.

(a) Cæt. edit. implet, saucians. — (b) Item triplicem naturam. — (c) Forte leg. aut. — (d) hæc, ut nunc dicitur.

¹ Judic., vii, 13. — ² I Cor., xi, 27, 29, 30. — ³ Ibid., 27. — ⁴ Ibid., 29. — ⁵ Ibid., 30. — ⁶ III Reg., xix, 8. — ⁷ Psal. ciii, 15. — ⁸ Gen., xxxi, 40. —

ferri per manus sancti angeli tui. Innuitur tertio purgatoriae pœnæ sævitia in leonibus, qui erant in lacu : in ferocitate enim leonum, ferocitas pœnarum significatur. Septenarius autem ad pœnarum universitatem pertinet ; unde bene cantat Ecclesia ¹ : *Libera eas de ore leonis.* Ex prædictis collige, quam periculosum sit mente indigna, quam fructuosum sit mente digna, communicare. Propter hoc bene ait Augustinus ² : « Quotidie Eucharistiæ accipere communionem, nec laudo, nec vitupero : omnibus tamen Dominicis diebus communicandum hortor, si tamen mens in affectu peccandi non sit. »

NOTA ³.

Istum sermonem : *Cum videris nudum,* et duos sequentes : *Vere languores,* etc., prædica claustralibus, et eis qui spiritualiter, non carnaliter noverunt se parere.

IN PARASCEVE.

SERMO PRIMUS.

Vere languores nostros ipse tulit ⁴. Quoniam valde incredibile videbatur, quod tanta majestas ad tantam veniret humilitatem, ideo quasi jurando ait : *Vere.* Languidum erat genus humanum ⁵ : « Omne caput languidum, » etc. Unde Propheta ⁶ : « Sana me, Domine, et sanabor. » Fuerunt autem septem languores humani generis spirituales, et significati sunt per septem languores corporales, quos Dominus curasse legitur. Septem languores, septem capitalium vitiorum, quos Deus *tulit*, id est, abstulit spiritualiter, vel *tulit*, id est, portavit per quasdam similitudines corporaliter. *Vere ergo languores,* etc. Leprosus fuit genus humanum per superbiam ⁷ : « Ecce leprosus veniens, » etc. Lepra enim tumescere facit carnem, et superbia spiritum. Istum languorem Dominus

pro nobis portavit per similitudinem. Leprosi enim cum horrore videntur ; sic et Christus ⁸ : « Gravis est nobis ad videndum. » Et ⁹ : « Nos putavimus eum quasi leprosum, » etc. Item leprosi ab hominibus ejiciuntur ; sic et Christus ¹⁰ : « Extra portam passus est : exeamus igitur ad eum, » etc. Item ab amicis relinquuntur ; sic et Christus ¹¹ : « Discipuli, relicto eo, omnes fugerunt. » ¹² « Fratres hominis pauperis oderunt eum in superbia, et amici ejus procul recesserunt ab eo. » Judæi et Judas oderunt Christum ; amici autem sunt apostoli et discipuli ¹³ : « Vos amici mei estis. » O anima inflata, quomodo post tantam medicinam adhuc remanet in te superbiæ lepra ? Augustinus ¹⁴ : « Quid tumescis, o homo, o pellis morticina ? quid tenderis, o sanies fœtida ? quid inflaris ? Princeps tuus fœtidus est, et tu superbus. » Paralyticus item fuit genus humanum per invidiam ¹⁵ : « Ecce offerebant ei paralyticum, » etc. Paralysis autem aufert motum et sensum : sic et invidia motum charitatis ab affectu (a), et sensum veritatis ab intellectu. Istum languorem Dominus pro nobis portavit per similitudinem, sicut patet. Paralysis enim specialiter manifestatur in cruribus, ita quod vix potest homo stare in eis, quin labatur : sic et Christus per impulsum alaparum et colaphorum collabi potuit inter manus persequentium, sicut significatum est ¹⁶ : « Collabebatur inter manus eorum. » Item in manibus, quia reddit eas ad operandum inutiles : sic et Christi manus volebant Judæi inutiles reddere ligando ¹⁷ : « Comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum. » Imo et clavis ferreis ligabantur ei manus in cruce. ¹⁸ « Ligaverunt Achior ad arborem manibus, et pedibus. » Augustinus ¹⁹ : « Ligatur qui solvit compeditos ; ligno suspenditur, qui erigit elisos ; aceto potatur fons vitæ. » Item in capite, quia reddit ipsum tremulum, sicut

Languores humani generis septem.

Paralysis.

¹ Miss. *pro def.* — ² Imo Gemad., *de Eccl. Doqmat.*, c. 23, al. 53. — ³ Commendatio est trium sermonum proxime sequentium. — ⁴ *Isa.*, III, 4. — ⁵ *Isa.*, I, 5. — ⁶ *Jerem.*, XVII, 14. — ⁷ *Matth.*, VIII, 2. — ⁸ *Sap.*, II, 15. — ⁹ *Isa.*, LVII, 4. — ¹⁰ *Hebr.*, VIII, 12-13. —

¹¹ *Matth.*, XXVI, 56. — ¹² *Prov.*, XIX, 7. — ¹³ *Joan.*, XV, 14. — ¹⁴ August. — ¹⁵ *Matth.*, IX, 2. — ¹⁶ *I Reg.*, XVI, 13. — ¹⁷ *Joan.*, XVIII, 12. — ¹⁸ *Judith.*, XI, 9. — ¹⁹ Aug.

(a) *Cert. ed.*, effectus.

et in Christo ¹ : « Inclinato capite tradidit spiritum. » Vere ergo languores nostros, etc. Febricitans fuit genus humanum per iram ² : « Hora septima reliquit eum febris. Iraque ad modum febris accendit homines. Ita est accensio sanguinis circa cor. Istum quoque dolorem Christus pro nobis portavit per similitudinem, sicut patet. Febricitantes enim solent maxime caput dolere : sic et Christus vere caput dolere potuit, quia præ cæteris membris maxime passum fuit. Licet enim dorsum fuerit flagellatum, manus et pedes perforati, ipsum tamen caput sanctissimum et miserandum a lapis cæditur, sputis maculatur, arundine percutitur, spinis coronatur. Unde bene potuit dicere illud ³ : « Caput meum doleo, caput meum doleo. » Hujus capitis membra non sunt, qui carnaliter vivendo, tantis ejus doloribus non compatiuntur. Bernardus ⁴ : « Sub spinato capite non decet corpus vivere delicate. » Item solent per sudorem ereticare; sic Christus pro nobis agonizavit et sudavit ⁵ : « Factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, » etc. Ecce quam gravis fuit infirmitas generis humani, quam non per sudorem simplicem, sed sanguinis oportebat curari. Item per calorem solent vestimenta abjicere; sic et Christus, dum nudus in cruce pependit. Unde Michol ad David ait ⁶ : « Quam gloriosus, » etc., usque : « quasi videretur unus de scurris. » David Christum, Michol synagogam significat. Sicut enim Michol primo fuit David copulata, secundo alteri data, David reddita; sic synagoga primo adhæsit Christo, modo autem Christum reliquit, in fine vero mundi ad fidem convertetur. Synagoga ergo deridet nuditatem Christi in cruce pendentis.

SERMO II.

Vere languores nostros ipse tulit ⁷. Restat dicere de quatuor languoribus humani ge-

neris, quos tulit Dominus. Languidum quoque fuit genus humanum, et imbecille per acediam ⁸ : « Erat autem quidam homo ibi triginta et octo annos habens in infirmitate sua. » Acediosi enim imbecilles sunt ad fortia, et languidi ad opera. Istum languorem pro nobis Dominus tulit per similitudinem, sicut patet. Languidi enim propter diuturnitatem morbi servientes sibi tædio afficiunt : sic Christus. Unde quidam dicunt quod custodes dederunt ei acetum bibere, ut citius moreretur, et a custodia liberarentur. Item de lecto per se non ascendunt, nisi per alium deponantur : sic Christus de lecto crucis, quamvis satis eum provocarent, dicentes ⁹ : « Si filius Dei es, » etc., tamen non descendebat, donec a Joseph deponeretur ¹⁰ : « Depositum involvit in sindone munda. » Hic est lectus, de quo ¹¹ : « Impii interfecerunt (a) virum innoxium in domo sua. » Domus est synagoga. Item tandem arescunt; sic et Christus. Psalmista ¹² : « Omnia ossa mea sicut cremium aruerunt. » Quid mirum, si corpus aruerat, de quo non solum in cruce, sed etiam in oratione tantus sanguis fluxerat? Augustinus ¹³ : « Cum oraret, globi sanguinis de toto corpore ejus distillabant. » Vere ergo languores, etc. Hydropicum etiam fuit genus humanum, per avaritiam ¹⁴ : « Ecce homo quidam hydropicus, » etc. Sicut enim hydropici quanto plus bibunt, tanto plus sitiunt; ita avari quanto plus temporalia crescunt, tanto plus in avaritiam ardescunt. Istum languorem Dominus portavit pro nobis per similitudinem, sicut patet. Hydropici enim multum sitiunt; sic et Christus ¹⁵ : « Sitio. » Bernardus ¹⁶ : « Domine, quid sitis? Ergone te plus cruciat sitis, quam crux? De cruce sitis (b), et de siti clamas : Sitio. Quid? Vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium : plus animarum vestrarum quam corporis mei cruciatus me tenet. » Item sicut tympanum distenditur, sic Christus in cruce. Le-

¹ Joan., XIX, 30. — ² Joan., IV, 52. — ³ IV Reg., IV, 19. — ⁴ Bern. — ⁵ Luc., XXII, 43-44. — ⁶ II Reg., VI, 20. — ⁷ Isa., LIII, 4. — ⁸ Joan., V, 5. — ⁹ Matth., XXVII, 40. — ¹⁰ Luc., XXIII, 53. — ¹¹ II Reg., IV, 11.

— ¹² Psal. CI, 4. — ¹³ Aug. — ¹⁴ Luc., XIV, 2. — ¹⁵ Joan., XIX, 28. — ¹⁶ Bern.

(a) Cat. edit. fecerant. — (b) Item siles.

gitor ¹, quod transito mari Rubro, sumpsit Maria tympanum, et præcinebat. Maria animam devotam; mare rubrum, passionem vel sanguinem significat, in quo Israel, id est fideles, salvantur; Ægyptii, id est dæmones vel impii, pereunt. Tympanum autem est Christus in cruce. Sicut enim in tympano pellis super lignum, ita Christus in cruce distensus est. Tympanum ergo fit, et præcinit, qui Christum in cruce considerans, imitatur, et gratias agit. Item quandoque inciduntur, ut aqua emittatur: sic et Christus ²: « Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua. » Vere ergo *languores*, etc. Lunaticum et epilepticum fuit genus humanum per gulam et ebrietatem ³: « Domine, miserere filio meo, qui lunaticus est. » « Sicut enim lunatici corruunt et insaniunt, ita et ebrii. Istum languorem pro nobis Dominus tulit per similitudinem, sicut patet. Solent enim tales se præcipitare in ignem, et in aquam: sic et Christus se quasi præcipitavit in ignem passionis. Unde ipse Dominus ⁴: « Ego sum, si me quæritis, » etc. Hic est ignis, quo rubus humanitatis ardebat, in quo Dominus apparuit. Præcipitavit etiam se in mare, in amaritudinem (a) passionum ⁵: « Mittite (b) me in mare, » etc. Item solent spumare: sic et Christus bene significatur in David, de quo ⁶: « Defluebantque salivæ ejus in barbam. » Salivæ scilicet conspuentium ⁷: « Faciem meam non averti. » Item solent horrendas voces emittere: sic et Christus ⁸: « Jesus autem clamans voce magna, emisit spiritum. » Hæc vox dæmonibus fuit horrenda, sed hominibus multum attendenda. Bernardus ⁹: « Valide clamavit, ut audiretur ab hominibus: clamoribus lacrymas addidit, ut homo compateretur. » Sanguifluum etiam fuit genus humanum per luxuriam ¹⁰: « Ecce mulier, quæ sanguinis fluxum, » etc. Sicut enim verecunda est ista infirmitas, sic et

peccatum luxuriæ. Istum languorem Dominus pro nobis tulit per similitudinem, sicut patet: manifeste enim sanguine fluxit. ¹¹ « Terra, ne operias sanguinem meum. » Item tales decolorantur, sicut et Christus ¹²: « Non est species ei neque decor. » Item interius torsiones et dolores habent: et in Christo super omnes dolores corporis exteriorius, fuit dolor de humana ingratitude interiorius. Psalmista ¹³: « Super dolorem vulnerum meorum addiderunt, » etc. Bernardus ¹⁴: « Homo, vide quid pro te patior, si est dolor sicut quo crucior: ad te clamo, qui pro te morior: vide pœnas quibus afficio: vide clavos quibus confodior. Cum sit tantus dolor exterior, interior tamen planctus est gravior, dum te ingratum experior. »

SERMO III.

Cum videris nudum, operi eum ¹⁵. Vide ergo oculis mentis Salvatorem pro te nudum in cruce pendentem, et operi eum fide, charitate, devotione, et operibus misericordiæ. Solent autem quatuor genera hominum esse nuda, videlicet, ebrii, spoliati, mendici, mimi sive scurræ. Ita Christus fuit nudatus.

De primo ¹⁶: « Bibens inebriatus est, et nudatus jacuit in tabernaculo. » Noe, de quo illud dicitur, Christum significat, qui fortissimo charitatis vino inebriatus fuit, quando pro hominis salute mori voluit. Cui bene ebriorum proprietates conveniunt: ebrius enim nudatur quandoque; sic Christus nudatus fuit quandoque, et derisus, sicut Noe a Cham. Unde versus:

Cham ridet, dum membra videt detecta parentis:
Judæi risere Dei pœnam patientis.

Item ebrius fatue incedit; sic et Christus. Unde ipse est David, de quo ⁶: « Collabebatur inter manus eorum, et impingebat in ostia portæ, defluebantque salivæ ejus in

¹ Exod., xv, 20. — ² Joan., xix, 34. — ³ Matth., xvii, 14. — ⁴ Joan., xviii, 8. — ⁵ Jon., i, 12. — ⁶ I Reg., xxi, 13. — ⁷ Isa., l, 6. — ⁸ Matth., xxvii, 50. — ⁹ Bern. — ¹⁰ Matth., ix, 20. — ¹¹ Job, xvi, 19.

— ¹² Isa., liii, 2. — ¹³ Psal. lxxviii, 27. — ¹⁴ Bern. — ¹⁵ Isa., lviii, 7. — ¹⁶ Gen., ix, 21.

(a) Cat. edit. amaritudine. — (b) Item Mitte.

barbam. » *Collabebatur*, inquam, quando scilicet alapis hinc inde replebatur. *Defluentique salivæ in barbam*, quando sputis in facie maculatus fuit. *Impingebat* quoque ad ostia inferni. Item ebrius inermis audacter invadit armatum; sic Christus diabolum, sicut significatum est in David, qui armatum Goliath invasit baculo crucis; et quinque lapidibus, quinque vulneribus.

De secundo ¹: « Nudaverunt cum tunica talari, et polymita, miseruntque cum in cisternam veterem. » Joseph nudatus Christum significat, quem expoliantes nudaverunt in passione. Spoliatum autem fuit Christi corpus vestibus; Psalmista ²: « Diviserunt sibi vestimenta mea, » etc. Spoliata fuit anima corpore; unde per tunicam talarem Joseph, caro Christi accipitur, qua (a) spoliatus descendit ad cisternam inferni. Item spoliata fuit divinitas ³: « Spoliavit me gloria mea. » Hoc factum est, quando Deum non ut Deum glorificaverunt, sed sicut maleficum tractaverunt ⁴: « Tanquam adlatronem existis, » etc.

De tertio ⁵: « Nudus fui, et non coope-ruistis me. » Nudus est Christus in membris, scilicet in pauperibus fidelibus quotidie; sed nudus fuit olim in membris corporalibus in cruce. Bernardus ⁶: « Vide pauperem Christum natum sine hospio, jacentem inter bovem et asinum in præsepio, involutum vili panniculo, fugientem in Ægyptum, sedentem in asino, nudum in patibulo. » Adjuvantur pauperes nudi, quando motus exercitio currunt vel laborant, ut calefiant; sed pauper nudus Christus quomodo pedibus currere, vel manibus laborare potuit, qui in utrisque confixus fuit? Item adjuvantur qualicumque hospio, ubi vel apud larem seu focum, vel saltem sub tecto esse possunt; sed pauper et nudus Christus non solum de domo, sed etiam de civitate eiecitur ⁷: « Jesus, ut sanctificaret populum per suum

sanguinem, extra portam passus est. Exeamus ergo ad eum extra castra, » etc. Item adjuvantur pauperes nudi solis beneficio, sedent enim sæpe in sole; sed pauperi et nudo Christo sol quoque subtrahitur ⁸: « A sexta enim hora tenebræ factæ sunt. »

De quarto, nota quod Michol subsannans David, ait ⁹: « Quam gloriosus fuit rex Israel hodie! discooperiens se ante ancillas servorum suorum nudatus est, quasi nudetur unus de servis. » Michol synagogam, David autem Christum significat. Ancillæ servorum animas fidelium significant, coram quibus, imo pro quibus nudatus est Christus. Bernardus ¹⁰: « Pro te nudatus est, ut te a nuditate æternæ damnationis liberaret. » Sunt autem tria genera scurrarum. Sunt enim illusores, qui illudunt sensus hominum. Bonus illusor esset, qui hoc faceret, ut cum putaretur occidi homo, occideretur ovis, vel aries. Sic fecit Christus, sicut significatum est ¹¹, ubi pro Isaac occisus est aries. Aries humanam, Isaac divinam Christi naturam significat. Item sunt joculatores, utpote citharistæ, viellatores, et hujusmodi. Talis quoque videbatur Christus; unde ipse significatur per David ¹², qui per citharam spiritum malum fugavit. Per citharam Christus significatur; de hoc require infra, sermone: *Exurge, gloria mea* ¹³, etc. Item sunt histriones, etc. Illi sunt viliores, et colaphis cæduntur. Sic utique Christus colaphis et alapis cæsus fuit. Istis etiam illudi solet in cibo et in potu, sicut et Christo. Psalmus ¹⁴: « Dederunt in escam meam fel, » etc. Hoc, heu! adhuc multi faciunt spiritua-liter; sed vae eis ¹⁵: « Vae qui potum dat amico suo mittens fel, » etc. Pensa, homo, ex prædictis, quantum propter te vilificatus est Christus. Sed certe, ut Bernardus ait ¹⁶: « Quanto pro te minorem se fecit Dei Filius in humanitate, tanto majorem exhibuit in bo-

¹ Gen., xxxvii, 23. — ² Psal., xxi, 19. — ³ Job, xix, 9. — ⁴ Matth., xxvi, 55. — ⁵ Matth., xxv, 43. — ⁶ Bern. — ⁷ Hebr., xiii, 12-13. — ⁸ Matth., xxvii, 45. — ⁹ II Reg., vi, 20. — ¹⁰ Bern. — ¹¹ Gen., xxi, 13.

— ¹² I Reg., xvi, 23. — ¹³ Scilicet in *Resurrectione Domini*, serm. II. — ¹⁴ Psal., lxxviii, 22. — ¹⁵ Habac., ii, 15. — ¹⁶ Bern., in *Epiph. Dom.*, serm. I, n. 2.

(b) Cæt. edit. quia.

nitate; quanto pro me vilior, tanto mihi charior. »

SERMO IV.

Spiritus oris mei Christus Dominus captus est in peccatis nostris ¹. Christus Dominus, cujus doctrina, cujus gratia, cujus sanguis est nobis spiritus et vita, in nostris, non in suis peccatis captus est. Considerandum autem quod capiuntur quidam in viis, sicut mercatores et divites; quidam in bellis, sicut hostes et milites; quidam in peccatis, sicut fures et latrones. Capiuntur, inquam, alii pro pecuniis, alii pro maleficiis. Sic Christus captus est sicut dives, pro divitiis extorquendis; sicut miles, pro inimicitii componendis; sicut latro, pro maleficiis puniendis.

De primis ²: « Arca Dei capta est. » Arca dives, arca thesauros sapientiæ et gratiarum continens est Christus. Bene autem legitur ibi ³, quod Heli audiens arcam esse captam, fractis cervicibus, mortuus. Heli enim peccatorem quemlibet significat, qui merito cervicis superbiam, et obstinatam mentis, et aliorum peccatorum mortalium frangere per contritionem deberet, dum Christum sic captum audiret. Sanguine hircino adamas frangi dicitur; sed, heu! sanguine Christi cor tuum non frangitur. Bernardus ⁴: « O duri, et obdurati Adam filii, quos non mollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis tam pretiosas merces expendit! » Sicut autem dives captus quanto durius tenetur, tanto plus dare cogitur; sic et Christus dure tenebatur in cibis. Psalmista ⁵: « Dederunt in escam meam fel. » Item in tormentis, quia manus et pedes ferro ligati sunt. Maxime ergo tortus, maxima dedit: dedit enim paradysum malefico ⁶: « Hodie mecum eris in paradiso. » Largissime dedit regnum mundo ⁷: « Sicut

Moses exaltavit serpentem, » etc., usque: « habeant vitam æternam. » Dedit spiritum inferno, sed non finaliter; Psalmista ⁸: « Non relinques (a) animam meam in inferno, » etc.

De secundo ⁹: « Portæ fluviorum apertæ sunt, templum usque ad solum dirutum, et miles captivus abductus (b) est, et ancillæ ejus minabantur gementes. » In his verbis quatuor consideranda sunt, videlicet vulnere Christi gratia, cum dicitur: *Portæ fluviorum apertæ sunt*. Vulnere enim Christi portæ cæli sunt, de quibus non solum fluvius sanguinis et aquæ, sed in sanguine gratiarum profluxit plenitudo. In his animæ devotæ se lem (c) habere debent, sicut columbæ quæ, sicut dicitur ¹⁰, « resident juxta fluentia plenissima. » Item pœnarum sævitia, cum dicitur: *Templum usque ad solum dirutum est*. Templum enim est Christus ¹¹: « Solvite templum hoc, » etc. Templum ergo usque ad solum dirutum est, quando corpus Christi a capite usque ad pedes laceratum et attritum est. Bernardus ¹²: « Respice: a planta pedis, usque ad verticem capitis, ubique mœror, ubique dolor. » Item capientium violentia, quando additur: *Et miles captivus abductus (b) est*. O quam strenuus miles fuit Christus, qui gigantem gladio invasit, id est, crucis baculo! Valde verecundum est militi, si colaphizatur. Et, heu! de milite meo Christo dicitur ¹³: « Colaphis eum cæciderunt, etc. Istum militem præ omnibus militibus, quos habuit in cælo et in mundo, dilexit Deus Pater. Unde per ejus captivitatem pacificata sunt omnia ¹⁴: « Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. » O maximum beneficium! Augustinus ¹⁵: « Quid tam magnum beneficium, quam mori pro impiis, quam sanguine justo delere chirographum peccatoris? » Item compatientium angustia, cum dicitur: *Ancillæ ejus minabantur gementes*. Augustinus ¹⁶: « Gementes sunt animæ Christo

¹ *Thren.*, IV, 20. — ² *1 Reg.*, IV, 11. — ³ *Ibid.*, 21. — ⁴ Bern. — ⁵ *Psal.*, LXXIII, 22. — ⁶ *Luc.*, XXIII, 43. — ⁷ *Joum.*, III, 14. — ⁸ *Psal.*, XV, 10. — ⁹ *Nab.*, II, 7. — ¹⁰ *Cant.*, V, 12. — ¹¹ *Joum.*, II, 19. — ¹² Bern. —

¹³ *Matth.*, XXVI, 67. — ¹⁴ *Rom.*, V, 10. — ¹⁵ Aug. — ¹⁶ *Id.* — (a) *Vulg.* derelinques. — (b) *Cæt. edit.* adductus. — (c) *Item mentem.*

compatientes. » Bona ancilla illa, de qua ¹ : « Respexit humilitatem, » etc.

De tertio dicitur hic : *Christus Dominus captus est, et in peccatis nostris*, non in suis. Unde ad Patrem dicit Christus in Psalmo ² : « Ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes. » Et quasi Pater dicat : Quid, o Fili, peccasti? Subjungitur ³ : « Neque iniquitas mea, neque peccatum meum : sine iniquitate ecurri et direxi. » Tamen in peccatis nostris capitur sicut latro ⁴ : « Tanquam ad latronem, » etc. Nota primo, quod tanquam latro capitur; secundo pessimum genus latrocinii ipsi imponitur, scilicet fractio Ecclesiae ⁵ : « Audivimus eum dicentem : Ego dissolvam templum hoc, » etc. Tertio latro pro Christo dimittitur ⁶ : « Tolle hunc, et dimitte nobis Barrabam. » Quarto cum latronibus crucifigitur ⁷ : « Crucifixi sunt cum eo duo latrones, » etc. Vere multum est diligendus, qui tam multa pro nobis passus est. Bernardus ⁸ : « Super omnia reddi te amabilem mihi, bone Jesu, calix quem bibisti, opus redemptionis nostrae : hoc omnino amorem nostrum facile vendicat totum sibi; hoc, inquam, est, quod nostram devotionem blandius allicit, et justius exigit, et arctius stringit, et afficit vehementius. »

SERMO V.

Colligite quae superaverunt fragmenta, ne pereant ⁹. Panes hordeacei, asperi ad comedendum, possunt significare quinque aspera vulnera Christi, quibus animae nostrae reficiuntur. Fragmenta enim duodecim circumphorum, sunt circumstantiae et conditiones duodecim causarum passionem Christi aggravantium. Considerandum est enim quae persona, quam poenam, qua parte, qua culpa, quibus ministris, quibus sociis, quibus solatiis, quibus instrumentis, quo loco, quo tempore, quo fructu, quo modo sustinuit, et harum causarum fragmenta dili-

genti consideratione, et ferventi devotione colligenda sunt. Et licet plurima sint, colligite tamen ad praesens tria grossiora singularum sportarum fragmenta.

Vide igitur quae persona patitur, et hic collige tria fragmenta. Christus enim est quoad divinam naturam excellentissimus, et ideo passio gravior. Gravius enim est principi alapa caedi, vel humiliari, quam pauperi. ¹⁰ « Qui cum in forma Dei esset, » etc., usque : « mortem crucis. » Item quoad animam deliciosissimus ¹¹ : « Deliciis affluens, innixa super dilectum, » id est, super Verbum incarnatum. Gravius enim est delicioso affligi, quam alteri. Afflicta fuit anima Christi ¹² : « Tristis est anima mea usque ad mortem. » Item quoad corpus fuit tenerrimus; unde bene dicitur ¹³, quod Abraham tulit vitulum tenerrimum et optimum, id est, carnem Christi ad coquendum in passione. Partus enim virginalis tenerrimus est. Quanto autem caro tenerior, et natura melior, tanto dolor major. Augustinus ¹⁴ : « Dolor est testimonium bonae naturae. »

Secundo vide quam poenam patitur, et hic collige tria fragmenta, de quibus Bernardus ¹⁵ : « O bone Jesu, quam dura et quam aspera pro hominibus passus es! dura verba, duriora verbera, durissima et horrenda crucis supplicia! » De his tribus exempla per se patent.

Tertio vide in qua parte corporis patitur, et hic collige tria fragmenta, secundum triplicem corporis dimensionem, scilicet longitudinem, latitudinem, profunditatem. In longitudine collige omnia, quae passus est a capite usque ad pedes. Bernardus ¹⁶ : « Respice a planta pedis usque ad verticem capitis : ubique moeror, ubique dolor. » Latitudinem attende a dextra in sinistram, et hic collige omnia, quae passus in manibus, in brachiis, et in humeris, confixiones, distensiones, denudationes, flagellationes. In pro-

Circumstantiae duodecim Christi passionem aggravantes.

¹ Luc., 1, 48. — ² Psal., LVIII, 4. — ³ Ibid., 5. — ⁴ Matth., XXVI, 55. — ⁵ Ibid., 61. — ⁶ Luc., XXIII, 18. — ⁷ Matth., XXVI, 38. — ⁸ Bern. — ⁹ Joan., VI, 12. — ¹⁰ Philip., II, 7-8. — ¹¹ Cant., VIII, 5. — ¹² Matth.,

XXVI, 38. — ¹³ Gen., XVIII, 7. — ¹⁴ Aug. — ¹⁵ Bern., in fest. Pentec., serm. II, n. 7, paucis mutatis. — ¹⁶ Id.

funditate, attende quam in profundo corporis fuerunt clavi et lancea, quam de profundo exiverunt sanguis et aqua. Bernardus ¹ : « O quam vehementi amplexu amplexatus es me, bone Jesu, in cruce, ubi sanguis de corde, aqua de latere, anima de corpore exivit. »

Quarto, qua culpa patitur; et hic collige tria fragmenta, quæ sunt instrumentorum partes. Grave enim est pati sine offensione; gravius, pro falsi criminis impositione; gravissimum, pro beneficii exhibitione. Omnibus his modis passus est Christus. De primo ² : « Qui peccatum non fecit, » etc. Et latro in cruce ait ³ : « Hic vero nil mali gessit. » Et quod plus est, Pilatus ait ⁴ : « Nullam causam invenio, » etc. De secundo patet, quod imposuerunt ei de prohibitione tributi, de usurpatione regni, de destructione templi. De tertio ⁵ : « Numquid redditur pro bono malum? » etc.

Quinto vide a quibus ministris, vel auctoribus patitur. Et hic colliguntur tria fragmenta. Patitur enim ab illis, qui neque per læsionem, neque per indiscretionem, neque per coactionem excusari possunt. Levius enim ferunt homines, quando patiuntur ab iis, quos læserunt. Sed ecce Dominus Judæos non solum non læserat, sed eis benefecerat ⁶ : « Multa bona, » etc. Item quando patiuntur ab iis, quorum stultitiæ vel pueritiæ imputare possunt. Sed certe a scribis legis doctoribus, non ab imperitis; item a senioribus, et non a pueris patitur ⁷ : « Convenerunt seniores plebis, et principes sacerdotum, et scribæ, » etc. Item levius ferunt homines, quando patiuntur a coactis; sed Judæos nullus coegit, sed ipsi potius judicem coegerunt ⁸ : « Si dimittis hunc, » etc.

Sexto vide cum quibus sociis patitur; et hic colliguntur tria fragmenta. Grave enim est pati cum vilibus, regem suspendi cum latronibus ⁹ : « Cum sceleratis reputatus

est. » Gravius est cum conviciantibus ¹⁰ : « Qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei. » Gravissimum autem est pati cum charis et amantibus, utpote cum matre, vel cum fratre suspendi. Et ecce mater Christi cum ipso crucifigebatur ¹¹ : « Tuam ipsius animam pertransibit gladius, » etc.

SERMO VI ¹².

Colligite quæ superaverunt fragmenta ¹³.

(a) Vide quibus solatiis, vel consolantibus Christus patitur, certe nullis; et hic tria colliguntur fragmenta. Grave enim est homini, si in tormentis eum nullus consolatur. Psalmus ¹⁴ : « Sustinui qui simul contristaretur, » etc. Gravius autem, si a multis exprobratur ¹⁵ : « Alios salvos fecit, » etc. Bernardus ¹⁶ : « In dictis sustinuit contradictores, in tormentis illusores, in factis observatores, in morte exprobratores. » Item gravissimum est, si ab hominibus deseratur ¹⁷ : « Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt. » Et ad ipsum Patrem ait Christus ¹⁸ : « Deus meus, ut quid dereliquisti me? »

Octavo, vide quibus instrumentis patitur; et hic tria collige fragmenta, videlicet illusoria, vilificatoria, tortoria instrumenta, ut fuerunt purpura, sputum, crux, et similia. Sunt certe tot fragmenta, quot instrumenta, utpote vincula, purpura, sputa, corona, flagella, velum faciei, manus colaphizantes, arundo, clavi, crux, acetum, lancea : imo tot sunt hic fragmenta, quot sunt instrumentorum partes, utpote singulæ spinæ in corona, singuli digiti, vel articuli in manibus colaphizantibus.

Nono vide quo loco patitur Christus, et hic collige tria fragmenta. Aggravatur enim passio ex loco propter multitudinem. Quanto enim quis pluribus locis confunditur, tanto gravius est. Et ecce Christus in horto ligatur; in domo Annæ a ministro alapa cædi-

LIII, 12. — ¹⁰ Marc., xv, 32. — ¹¹ Luc., II, 35. —

¹² Est continuatio præcedentis. — ¹³ Joan., VI, 12. —

¹⁴ Psal. LXV, 21. — ¹⁵ Matth., XXVII, 42. —

¹⁶ Bern. — ¹⁷ Matth., XXVI, 56. — ¹⁸ Ibid., XXVII, 46.

(a) Suppl. Septimo.

¹ Bern., in fest. Pentec., serm. II, n. 7, paucis mutatis. — ² I Petr., II, 22. — ³ Luc., XXIII, 41. — ⁴ Ibid., 22. — ⁵ Jerem., XVIII, 20. — ⁶ Joan., X, 32. — ⁷ Luc., XXI, 65. — ⁸ Joan., XIX, 12. — ⁹ Isa.,

tur; in atrio Caiphæ conspuitur; in hospitio Herodis illuditur; in prætorio Pilati flagellatur, condemnatur, etc. In via crux ab eo bajulatur; in Golgotha crucifigitur. Item propter loci turpitudinem ¹: « Exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locus, » qui sic dictus est propter calvarias decalvatorum. Turpis ergo est locus iste, et propter tormenta, et propter cadavera damnatorum. Item propter altitudinem: in alto enim suspenditur, ut manifestius confundatur. Sed quod illi ad confusionem, Christus ad salutem fecit. Bernardus ²: « In altum Christus ascendit, ut ab hominibus videretur. Valide clamavit, ut ab omnibus audiretur. Clamori lacrymas addidit, ut homo compateretur. »

Decimo vide quo tempore patitur; et hic tria collige fragmenta. Tempus enim aggravat Christi passionem ³: « Vocavit adversum me tempus. » Aggravat autem propter festi magnitudinem, propter quod multi convenerunt in Jerusalem, ut coram pluribus inhonoraretur, in quo tempore gravius est affligi ⁴: « Tempus flendi, et tempus ridendi. » Item propter supplicii longitudinem: passus est per totam noctem, et per diem usque ad horam nonam, qua expiravit. Psalmus ⁵: « Die ac nocte, » etc. Item propter beneficii ingratitude: illo enim tempore a Judæis patitur, quo eos de Ægypto liberavit; insuper illo die anima expiravit, quo homini animam inspiravit; illo die homo latus ejus transfigit, quo de latere matrem omnium transmisit.

Undecimo vide quo fructu patitur; et hic tria collige fragmenta: passus est, ut passio sua esset pretium redemptionis, signum dilectionis, exemplum imitationis. De primo ⁶: « Non corruptibilibus, » etc. Unde grave est, quia tantum pretium in multis est perditum. Bernardus ⁷: « Flevit Christus in cruce, quia cum passio sua sufficeret re-

demptioni omnium, profuit in redemptionem paucorum. » De secundo ⁸: « Majorem hac dilectionem, » etc. Bernardus ⁹: « Suffecisset ad redemptionem humani generis minutissima gutta sanguinis Christi; sed data est copia, ut ex inundatione beneficii, virtus innotesceret diligentis. » Unde grave est, quod tantum diligens, tantum oditur. Psalmus ¹⁰: « Posuerunt adversum me mala, » etc. De tertio ¹¹: « Christus passus est pro nobis, » etc. Augustinus ¹²: « Extremum moriendi genus elegit Christus, ut nullam mortem martyres formidarent. » Unde grave fuit quod fructus imitationis statim in discipulos (a) evacuatus fuit, quando relicto eo, omnes fugerunt, et Petrus eum negavit.

Duodecimo vide modum passionis. Modus enim fuit contra nostram superbiam turpissimus ¹³: « Morte turpissima, » etc. Item contra avaritiam humanam pauperrimus ¹⁴: « Recordare paupertatis. » Item contra humanam lasciviam acerrimus ¹⁵: « Recordare paupertatis, absinthii et fellis, » sicut multipliciter patet, specialiter tamen in durissima distensione membrorum in cruce. Psalmista ¹⁶: « Dinumeraverunt omnia ossa mea. » Glossa ¹⁷: « Non poterat melius describi corporis extensio in ligno. » Sed omnia hæc ad salutem nostram protulit.

IN SABBATO SANCTO.

SERMO PRIMUS.

Requievit Deus die septimo ¹⁸, etc. Sicut in creatione mundi Deus hominem sexta die creavit, ita in sexta, sicut heri, hominem recreavit. Creavit hominem inspirando ¹⁹: « Inspiravit in faciem ejus, » etc. Recreavit autem expirando (b) ²⁰: « Emissa voce magna, expiravit. » Heri ergo sexta die opus redemptionis complevit; sed hodie septima, ab opere in sepulchro quievit. Consideran-

¹ *Matth.*, xxvii, 33. — ² *Bern.* — ³ *Thren.*, i, 15. — ⁴ *Eccle.*, ii, 3-4. — ⁵ *Psal.* xxxi, 4. — ⁶ *1 Petr.*, i, 18. — ⁷ *Bern.* — ⁸ *Joan.*, xv, 13. — ⁹ *Bern.* — ¹⁰ *Psal.* cviii, 5. — ¹¹ *1 Petr.*, ii, 21. — ¹² *Aug.*,

Enarr. in Psal. lxix, n. 1, quoad sensum. — ¹³ *Sap.*, ii, 20. — ¹⁴ *Thren.*, iii, 49. — ¹⁵ *Ibid.* — ¹⁶ *Psal.* xxi, 18. — ¹⁷ *Gloss. interl. in hunc loc.* — ¹⁸ *Gen.*, ii, 2. — ¹⁹ *Ibid.*, 7. — ²⁰ *Marc.*, xv, 37.

(a) *Leg. discipulis.* — (b) *Cæt. edit. extirpando.*

Requies
quadri-
plex.

dum autem quod est quadruplex requies, videlicet diabolica, humana, divina, angelica.

De prima, qua per peccatum diabolus in peccatore, et peccator in diabolo requiescit, dicitur ¹: « Requiescent omnes in torrentibus vallium, et in cavernis petrarum, et in omnibus frutetis, et universis foraminibus. » Requiescent dæmones, in perversis per delectationes quæ per torrentes vallium significantur. Torrens cito crescit, cito transit: sic voluptas peccati. Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat. Item per obstinationes, et hoc *in cavernis petrarum* significatur. Cavernæ petrarum sunt corda obstinatorum. Item per simulationes, et hoc *in frutetis*, id est in herbis simulatarum virtutum. Item per occultationes peccatorum, et hoc *in foraminibus* significatur. Sed nota quod requies diaboli fit per septenarium vitiorum, sicut requies Dei per septenarium virtutum. ² « Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, » et cætera usque: « Tunc vadit, et assumit septem spiritus nequiores se, » videlicet superbiæ, invidiæ, iræ, avaritiæ, acediæ, gulæ, luxuriæ.

De secunda requie, qua anima requiescit in Deo, dicitur ³: « Revertetur Jacob, et requiescet, et cunctis affluet bonis, et non erit, quem formidet. » Ecce tres conditiones requiei. Prima est pœnitentia in conversione; unde ait: *Revertetur Jacob*, et hoc (a) quadruplici culpa, scilicet cordis, oris, operis, consuetudinis ⁴: « Revertere, revertere, Sulamitis: revertere, revertere, » etc. Secunda affluentia in consolatione; unde dicit: *Cunctis affluet bonis*. ⁵ « Deliciis affluens. » Tertia constantia in tentatione; unde ait: *Non erit, quem formidet*. Ideo bene dicitur in Psalmo ⁶: « Convertere, anima mea, in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. »

¹ Isa., VII, 19. — ² Luc., XI, 24-26. — ³ Jerem., XLVI, 27. — ⁴ Cant., VI, 12. — ⁵ Cant., VIII, 5. — ⁶ Psal., CXLV, 7. — ⁷ Ibid., 8. — ⁸ August., *Enarr. in Psal.* XLI, n. 2. — ⁹ Psal., XIV, 1-2. — ¹⁰ Psal., IV, 9.

In quo? ⁷ « Quia eripuisti animam meam de morte, » scilicet in conversione; « oculos meos a lacrymis » in consolatione. « pedes meos a lapsu » in tentatione. Hæc requies tantum est honorum. Augustinus ⁸: « Omnis homo malus sabbatum habere non potest. Nunquam enim conquiescit illi conscientia, quæ bona conscientia tranquillitas est, et illa tranquillitas sabbatum est cordis. » Sed attende quod hæc requies per septenarium fit. Psalmus ⁹: « Quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur, » etc. Mons sanctus est Christus, in quo qui quiescere vult, debet esse 1. immaculatus in cogitatione, 2. justus in operatione, 3. sincerus in locutione, 4. innocuus in conversatione, 5. victoriosus in tentatione, 6. fidelis in promissione, 7. vacuus ab injusta temporalium collectione. De primo dicitur: « Qui ingreditur sine macula, » etc. Sic omnia invenies per ordinem in eodem.

De tertia dicitur hic: *Requievit Deus die septimo*. Psalmus ¹⁰: « In pace in idipsum dormiam, et requiescam. » In sepulchro autem requievit in linteo. Item in aromatibus ¹¹: « Ligaverunt eum in linteo cum aromatibus. » Item in lapide. Sepulchrum enim lapideum fuit: sic quoque spiritualiter in anima devota requiescit Dominus in linteo munditiæ, in aromatibus virtutum et gratiæ, in lapide perseverantiæ. Psalmus ¹²: « Elegit Dominus Sion, » etc. Hæc (b) Sion est anima sancta. Sion *speculum* interpretatur. Ergo specialiter elegit Dominus Sion propter munditiam. Elegit eam nihilominus propter virtutis gratiam. *Hæc requies* nostra *in sæculum sæculi*, quoad perseverantiam. Sed attende quod hæc requies et per septenarium habetur ¹³: « Requiescet super eum Spiritus Domini, » etc.: ubi septem dona Spiritus sancti enumerantur, per quæ ad requiem Dei anima præparatur. Ordinatur enim affectiva per spiritum timoris ad Deum, per spiritum pietatis ad proximum, per spi-

— ¹¹ Joan., XIX, 40. — ¹² Psal., CXXXI, 12, 13. — ¹³ Isa., XI, 2.

(a) *Suppl. a.* — (b) *Cæt. edit.* Dominus hæc.

ritum fortitudinis contra diabolum et mundum. Ordinatur autem apprehensiva per spiritum sapientiæ ad superiora, per spiritum scientiæ ad inferiora, per spiritum intellectus ad interiora, per spiritum consilii ad exteriora.

De quarta, quæ est gloriæ, in qua angeli cum hominibus, et homines cum angelis requiescent, dicitur ¹ : « Ibi requiescent in herbis virentibus, » id est, variis Christi et sanctorum meritis; « in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel, » id est, super ordines angelorum ² : « Festinemus ingredi in illam requiem. » Sed attende quod hæc requies etiam per septenarium attingitur ³ : « Mense septimo requievit area, » id est, Ecclesia, super montes Armeniæ, » id est, super excelsa cælorum in ordinibus angelorum, licet nunc vacillet in aquis miseriæ. Per septem menses, septem ætates significantur : septima autem quiescendum, in hoc corpore in sepulero, animæ in cælo requiescunt.

SERMO II.

Septimus dies erit vobis sanctus, sabbatum et requies Domini ⁴. Hodie, charissimi, est requies Domini in sepulchro. Sicut autem dictum est in præcedenti collatione, est requies diabolica, humana, divina, angelica.

De prima ⁵ : « Cum immundus spiritus, » et cætera usque : « quærens requiem, » etc. Ibi diabolus plane requiescit, ubi ei non resistitur, vel quia peccatum occultatur, vel quia defensatur, vel quia bonum simulatur. Requiescit diabolus in peccatorum occultatione ⁶ : « Et requievit Moab in fæcibus suis. » Fæces latent in profundo liquoris. In fæcibus ergo latentia significantur péccata, in quibus diabolus requiescit. Item in perversorum defensione ⁷ : « Requievit Syria super Elfrain. » Quando enim peccator in defensione malæ societatis confidit, tunc Syria

super Elfrain requiescit. Gregorius ⁸ : « Quos similis reatus sociat, concordi pertinacia etiam defensio(a) perversa constipat, ut de facinoribus suis alterna se invicem defensione tueantur. » Item in virtutum simulatione, quando propter spem boni liberius peccatur. De hac dicitur hic : *Querens requiem*, etc. Domus autem scopis mundata dicitur, dum vita hypocritæ apparet sancta et austera, etc.

De secunda ⁹ : « Ne insidieris, et quæras impietatem in domo justî, neque vastes requiem ejus. » Hæc requies triplex est, scilicet corporalis ¹⁰ : « Dormite jam et requiescite : » ubi legitur quod tribus vicibus invenit eos Dominus dormientes. Prima vice redarguit; secunda, dissimulat; tertia, concessit : quia requies corporalis quandoque fit ex carnalitate et lascivia, et tunc reprehenditur; quandoque ex gravitate corporis et pigritia, et tunc dissimulatur (non de illa pigritia dico, quæ peccatum est); quandoque ex necessitate et indigentia, et hæc conceditur. Item legalis ¹¹ : « In die septimo sabbatum est, requies sancta Domino : omnis, qui fecerit opus in die hac, morietur. » Hæc requies servanda est diebus solemnibus : quod est contra illos, qui a cupiditatibus et a vanitatibus non requiescunt. De talibus ait Augustinus ¹² : « Cum Deus præceperit observari sabbatum, illi in iis, quæ Deus prohibet, se exercent. Sabbatum vacatio nostra a malis operibus; vacatio illorum a bonis operibus est. Melius enim est arare, quam saltare. » Item mentalis ¹³ : « Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. » Et ¹⁴ : « Tollite jugum meum, » etc. usque : « invenietis requiem animabus vestris. » Non dicit *cordibus* : quod est contra quosdam. Tria hic commendat Dominus : jugum, in præceptis; mititatem, in adversis; humilitatem in prosperis.

De tertia regnie, quæ est requies Dei in nobis ¹⁵ : « Hæc requies mea, reficere lassum, »

¹ *Ezech.*, xxxiv, 14. — ² *Hebr.*, iv, 11. — ³ *Gen.*, viii, 4. — ⁴ *Exod.*, xxxv, 2. — ⁵ *Matth.*, xii, 43. — ⁶ *Jerem.*, xlvi, 11. — ⁷ *Isa.*, vii, 2. — ⁸ *Gregor.*, *Moral.*, lib. xxxiii, c. xxx, al. xxxiii, vel xxiv,

n. 54. — ⁹ *Prov.*, xxiv, 9. — ¹⁰ *Matth.*, xxvi, 45. — ¹¹ *Levit.*, xxiii, 3. — ¹² *August.*, *Enarr. in Psal.* xci, n. 2. — ¹³ *Thren.*, iii, 27. — ¹⁴ *Matth.*, xi, 29. — ¹⁵ *Isa.*, xxviii, 12. — (a) *Cæt. edit.* defensione.

scilicet proximum, vel Christum in passione lassatum. Requies autem Dei triplex, videlicet : in ventre virginali ¹ : « Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. » Tabernaculum est corpus vel uterus Mariæ. Psalmus ² : « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. » Item in morte triumphali ; Psalmus ³ : « In pace in idipsum dormiam et requiescam. » ⁴ « Requiescens accubuisti ut leo, » etc. Glossa ⁵ : « Tradunt philosophi, quod catulus leonis, cum fuerit natus, tribus diebus et tribus noctibus dormit ; deinde patris fremitu excitatur : sic et Christus paterna virtute a dormitatione mortis. » Item in virtute spirituali ; unde secundum aliam litteram dicitur ⁶ : « Super quem requiescet spiritus meus (a), nisi super humilem (b) » in prosperis, « et quietum (c) » in adversis, « tremement sermones » in præceptis. » In talibus enim floribus, sicut apes, libenter requiescit Spiritus sanctus ⁷ : « Flos de radice ejus ascendet, » etc. Spiritus sancti requies in nobis est nostra requies in ipso. Augustinus (d) ⁸ : « Quantum nos amat Deus, fratres, ut quia nos requiescimus in eo, et in nobis se dicat requiescere ! Non enim ipse aliquando turbatur. »

De quarta requie ⁹ : « Sedebit populus hic in pulchritudine pacis in tabernaculis fiducia et requie opulenta. » In hac requiescit Christus, angelus, homo. Requiescit Deus ab omnibus operibus creationis, redemptionis, resurrectionis ; Psalmus ¹⁰ : « Surge, Domine, in requiem tuam. » Item angelus ; unde de grano sinapis, quod Christum significat, dicitur ¹¹, quod « fit arbor, ut volucres et angeli quiescant in ramis ejus. » Rami sunt extensiones illuminationum. Item homo ibi requiescit ¹² : « Requiem dabit tibi Dominus Deus tuus, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit. » Requies in affectione, splendor in cognitione, liberatio in resurrectione.

¹ *Eccli.*, xxiv, 42. — ² *Psal.* xlv, 3. — ³ *Psal.* iv, 9. — ⁴ *Gen.*, xlix, 9. — ⁵ Gloss. in hunc loc. — ⁶ *Isa.*, lxxvi, 2. — ⁷ *Isa.*, ix, 2. — ⁸ Aug., *ERRAT.* in *Psal.* cxxxii, n. 22. — ⁹ *Isa.*, xxxii, 18. — ¹⁰ *Psal.*

IN RESURRECTIONE DOMINI.

SERMO PRIMUS ¹³.

Exurge, Domine, salvum me fac : quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa ¹⁴. Hodie illuxit nobis festivus dies exultationis et lætitiæ, advenit paschale gaudium jucunditatis immensæ, eo quod invitatur ad nuptias Agni resurgentis, et ejus sponsæ matris suæ Ecclesiæ. Ideo, charissimi, gaudeamus, et animo exultemus in signo : Deo gloriam debemus in verbo, ut Christo Redemptori nostro, et ejus sponsæ sit jucunda decoraque laudatio. Gaudeamus, inquam, propter introitum nostræ lætitiæ ; exultemus propter fructum nostræ fiduciæ ; Deo gloriam debemus propter incrementum nostræ victoriæ. Et dicamus Christo triumphanti cum lætitia nostri cordis : Tu spes nostri certaminis, tu gloria nostri generis, quia omnes adversarios nostros superasti. In nascendo namque contulit consortium naturæ ; in patiando, beneficium gratiæ ; sed in resurgendo, complementum gloriæ. Hoc autem paschale gaudium, et infinitum gloriæ beneficium desiderans propheta David fieri in diebus suis, exclamabat flagrantissimis desideriis dicens : *Exurge, Domine, salvum me fac*, etc. In quo quidem verbo rectissimo ordine tria notantur, scilicet : primo, Dominicæ resurrectionis affectuosa exclamatio ; secundo, captivi hominis perfecta liberatio ; tertio, diabolicæ potestatis justa exterminatio. Hodierna namque die Dominus noster Jesus virtute propria resurrexit, captivum hominem de diabolica potestate liberavit, et diabolum cum ejus exercitu in profundum maris inferni submersit. Primo ergo notatur Dominicæ resurrectionis affectuosa exclamatio

cxxxii, 8. — ¹¹ *Matth.*, xiii, 32 — ¹² *Isa.*, lviii, 42. — ¹³ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ¹⁴ *Psal.* lvi, 7, 8.

(a) *Vulg.* Ad quem autem respiciam. — (b) *Vulg.* ad pauperulum. — (c) *Vulg.* contritum spiritu. — (d) *Cat. edit.* Augustino.

matio, cum dicit : *Exurge, Domine*, scilicet a mortuis; secundo, captivi hominis perfecta liberatio, cum subdit : *Salvum me fac*; tertio, potestatis diabolicæ justa exterminatio, cum subinfert : *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa. Sine autem causa* dicitur, eo quod licet homo juste detineretur, tamen diabolus injuste detinebat. Ideo justa fuit ejus potestatis exterminatio.

Dicit ergo : *Exurge, Domine*; ubi notatur affectuosa exclamatio Dominicæ resurrectionis. Vere ista resurrectio affectuose ex totis medullis cordis erat desideranda, et mellifluis vocibus laxis fibris gutturis exclamanda, propter tria specialia privilegia, quæ habuit Christus in sua resurrectione nobis super omnia expedientia. Primum ergo privilegium fuit, primitas insolitæ novitatis; secundum privilegium fuit virtuositas propriæ potestatis; tertium privilegium fuit exemplaritas nostræ necessitatis, sive resurrectionis. Primo Christus habuit primitatem insolitæ novitatis in sua resurrectione. Nullus enim, deposita morte lamentabilis vestustatis, novæ vitæ inæstimabilem lætitiâ inchoando resurrexit a mortuis, quia homo Dominus Jesus Christus fuit primogenitus mortuorum, quia devicto mortis imperio coronatus est diademate novæ incorruptibilitatis. Quis enim debuit prior vincere mœstitiâ inveteratæ mortis, et inchoare lætitiâ nostræ perpetuitatis, nisi qui habet clavem reserandi aditum æternitatis? Ipse enim tanquam auctoritatem habens poterat angelis præcipere ¹: « Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales: » nam per meum sanguinem facta est reparatio concordie humilis et utilis, et relaxatio vindictæ judicialis. Nunc ergo, amoto gladio flammeo de porta paradisi ², volo ut fiat reseratio januæ cœlestis, quia ego sum Dominus virtutum, qui per proprium sanguinem devicto diabolo acquisivi regnum

cœleste. Et ideo non in quantum Deus, sed in quantum homo, ipse est Rex gloriæ. De ista autem novitate dicitur ³: « Christus resurgens a mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. » Ita Apostolus, tanquam prudens et discretus, exprimit primitias novitatum, quas post habuit in resurgendo. Primo, ne consolatio dissolvatur in lætitiâ, proponit miseriam mortis, quæ est materia desolationis, cum dicit : *per hominem mors*. Secundo, ne desolatio absorbeatur in tristitiâ, medicinam resurrectionis subjungit, quæ est materia consolationis, cum subjungit : *et per hominem Christum resurrectio mortuorum*. Ut ergo unum ex altero mitigetur, et quælibet mors trahat occasionem a fraudulentia hostis (tamen causam, sive originem habet ab arrogantia mentis, et consummationem a concupiscentia carnis), ideo dicitur : *Sicut in Adam omnes moriuntur*, merito suæ prævaricationis, sed medicina mortis est per divinam misericordiam merito dictæ passionis. Unde prima et immediata causa mortis non est Deus, cum sit summe ens et indeficiens, et mors sit maximum inter omnes defectus pœnalitatis; sed voluntas cadens a rectitudine et perpetuitate justitiæ, sicut dicitur ⁴: « Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. » Justitia enim perpetua est, et immobilis. Injustitia enim acquisitio est mortis. Secundo Christus in sua resurrectione habuit virtuositatem propriæ potestatis. Non enim indignuit suffragio orationis devotæ, nec adminiculo administrationis angelicæ, quamvis usus sit obsequio cœlestis justitiæ: et de hoc dicitur in Psalmo ⁵: « Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. » Pauperes et inopes erant sancti patres in limbo positi, quia in carcere tetrico, non habentes unde se redimerent: et ideo valde miseri, et gementes, affectuo-

Causa
mortis.

¹ *Psalm.* XXIII, 7, 9. — ² *Gen.*, III, 24. — ³ *I Cor.*, XV, 20-22. — ⁴ *Sap.*, I, 13. — ⁵ *Psalm.* XI, 6.

sis desiderii anhelabant accelerari illud beneficium resurrectionis. Quorum vota exaudiens dicit Dominus : *Nunc exurgam* : loquitur in prima persona, quasi potestatem habens ponendi animam suam in passione, et iterum sumendi eam in resurrectione. Sed dicet forsitan naturalis philosophus : Quomodo poterit hoc fieri, ut corpus animale, et ex contrariis compositum. sit indissolubile, et perpetuo durabile? Et theologus : Si vis ut argumentum tuum in omni materia teneat, ad multa inconvenientia te adducam. Nam primo vis quod Deus non possit plus, quam natura, et opifex plusquam opus, quod inconveniens esse nullus dubitat. Arguit etiam sic : Est impossibile secundum naturam : ergo est impossibile simpliciter. Consequens non sequitur. Secundum inconveniens est. quod tu vis quod natura habeat virtutes occultas, ut in adamante attrahere ferrum, et in salamandra quæ conservatur in igne. et in multis aliis. Deus autem vis quod non habeat virtutem, nisi quam tuis oculis possis conspiciere : quod maximum inconveniens esse constat, cum « parva (a) sint, quæ videmus opera (b) Dei, et infra (c) abscondita sunt majora his, » sicut dicitur¹. Tertium inconveniens est, quod vis quod Deus promiserit obedientiam naturæ : quod si verum esset. non illuminasset cæcum, non mundasset leprosum, non suscitasset mortuum. Quarto supponis falsa, procedis per inconcessa, dicendo corpus animale esse, et ex contrariis compositum : quia non animale, sed spirituale, et ab omni contrarietate elevatum per habitum gloriæ, et dispositum ab anima in perpetuum in vita conservari. Sententiæ horum verborum potest elici ex verbis Augustini in Epistolam (d) ad Colossenses, ubi dicit sic² : « Ex consuetudine operum expertorum, opera Domini inexperta infirmitas humana garrat acrius, dicens : Si caro est, et sanguis : si sanguis,

et cæteri humores : et si cæteri humores, ergo corruptio. Eodem modo dicit : Si flamma est, ardet : si ardet, urit : ergo tres pueros in camino ignis incendit. Si ergo credis id miraculum, quare de rebus mirabilibus ambigis? Quod si non credis, Judæorum eris cæcior cæcitate. » Valet ergo divina potentia de corporali natura manente, auferre quas voluerit qualitates, ac per hoc valet mortalia membra, mortalitate semota, stabilire vigore, ut vera sit effigies, nulla sit labes ; vera sit motio, nulla sit fatigatio ; vera comedendi potestas, nulla esuriendi necessitas. Tertio erat desideranda resurrectio ista, propter exemplaritatem nostræ resurrectionis, sive necessitatis. Christus, caput et exemplar nostræ resurrectionis, ad hoc surrexit, ut nos ejus membra de nostra resurrectione certificaret : alioquin monstruosa res esset, si caput resurgeret sine membris. Et propter hoc arguebat Apostolus valde bene et efficaciter contra illos, qui negabant resurrectionem, dicens³ : « Si mortui non resurgunt, nec Christus surrexit. » Si ergo necesse est Christum surrexisse, quia (e) ante fuit, hoc impossibile est non fuisse, necesse est ergo mortuos resurgere. Unde statim sequitur⁴ : « Oportet autem hoc corruptibile induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. » Unde ad inserendam cordibus fidelium fidem resurrectionis, et ad amovendam ambiguitatem diffidentiae et desperationis, dicit⁵ : « Si enim credimus quod Jesus mortuus est, et surrexit, ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. » Hanc ergo firmam fiduciam cum beato Job⁶ habentes, non debemus propter alicujus boni Christiani mortem contristari, « sicut et cæteri, qui spem non habent⁷. »

Secundo sequitur captivi hominis perfecta liberatio, cum subdit : *Salvum me fac* : perfecte namque Christus miserum hominem liberavit, sive salvavit, eo quod primo sal-

¹ *Eccli.*, XLIII, 36. — ² *Aug.* — ³ *1 Cor.*, XV, 16. — ⁴ *Ibid.*, 53. — ⁵ *1 Thess.*, IV, 13. — ⁶ *Job*, XIX, 25. — ⁷ *1 Thess.*, IV, 12.

(a) *Lrg.* pauca. — (b) *Lrg.* operum. — (c) *Lrg.* multa. — (d) *Cat. edit.* Epistola. — (e) *Suppl.* quod.

vavit ab offensione totalis culpæ per infusionem justificantis gratiæ; secundo salvavit eum ab obligatione reatus pœnæ, per tolerationem mortis satisfactoriæ; tertio liberavit eum complete, in generali resurrectione, a calamitate corporalis miseriæ, per collationem reformantis gloriæ. Primo salvavit eum ab offensione totalis culpæ per infusionem justificantis gratiæ. Et de hoc dicitur ¹: « Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, cum essemus mortui peccato, convivicavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati. » Vere dives et superabundans fuit Deus Pater in misericordia, quando ad omnimodam charitatem et dilectionem, quam erga nos habuit, voluit mortuos in peccatis vivificare, et salvare a morte quorumlibet peccatorum, infundendo nobis vitam gratiæ merito passionis Filii sui unigeniti. Certe si torrens tantæ dulcedinis attingit christianas animas, non est locus ingratitude; imo præ nimia devotione dilectionis continuæ, redderet gratiarum actiones multifariam. Similiter de hoc dicit Angelus Virgini (a) ²: « Ipse est qui salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » Secundo salvavit ab obligatione reatus pœnæ, per tolerationem mortis satisfactoriæ, sicut dicitur ³: « Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? ipse formosus in stola sua, gradiens in multitudine virtutis suæ. Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum. » Angelici namque spiritus videntes ipsum formosum in sua stola gradientem in multitudine virtutis suæ, præ nimia admiratione prorumpunt in hæc verba. *Edom* enim interpretatur sanguinolentus. *Tinctis vestibus* ex abundantia asper-

sione proprii sanguinis, qui fluxit de manibus et pedibus in crucifixione, de capite in coronatione, de toto corpore in flagellatione, et de corde in lateris apertione. *Quis est iste qui venit de Bosra*, de loco tribulationis et angustiae? Bosra angustia interpretatur. Respondit eis Jesus: *Ego qui loquor justitiam* verbo proferendo, et facto adimplendo. Nam mortem suscepi propter inflexibilem rigorem prævenientis justitiæ, ratione primæ prævaricationis; et *propugnator sum ad salvandum* patres vestros de limbo inferni, propter immutabile decretum, sive *jurandum* politicum, quod juravit Deus Pater ad Abraham, daturum me in pretium liberationis, ⁴ *ut sine timore* populus meus de manu dæmonum liberatus, libere serviat Deo: et ideo rubrum et sanguinolentum est indumentum mei corporis. Et vestimenta, id est, membra mea compressa sunt, *sicut calcantium* racemos in torculari, eo quod torcular est vas aptum ad premendum racemos mortis et angustiae. *Calcavi solus*, ut de meo sanguine compresso ex toto corpore solveretur debiti reatus pœna pauperrimi hominis. Unde Psalmus ⁵: « Liberavit pauperem a potente, et pauperem cui non erat adjutor: parceret pauperi, et inopi, et animas pauperum salvas faciet » rex noster Jesus Christus ante sæcula, ⁶ « operans salutem in medio terræ. » Tertio salvabit hominem in generali resurrectione a calamitate corporalis miseriæ, per collationem reformantis gratiæ, vel gloriæ. Et de hoc dicitur ⁷: « Salvatorem expectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. » Qui enim vult ut configuretur corpus suum claritati corporis Christi in patria, debet primo in via ad exemplum Christi suum corpus contere jejunii, et humiliare afflictionibus, et etiam submittere vilibus servitutibus: quia tanto in gloria surget claritati corporis Christi conformior, quanto pro ejus amore fuerit (b) vita ista humilior.

¹ *Ephes.*, II, 5. — ² *Matth.*, I, 21. — ³ *Psal.* LXXIII, 1-3. — ⁴ *Luc.*, I, 72-74. — ⁵ *Psal.* LXXI, 12-13. — ⁶ *Psal.* LXXIII, 12. — ⁷ *Phillip.*, III, 21.

(a) *Imo dic Joseph.* — (b) *Cæt. edit. fuit.*

Tertio in verbo proposito notatur diabolicæ potestatis miseria, vel justa exterminatio, cum subinfert: *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa.* Dicitur autem diaboli exterminatio justa triplici de causa: primo propter dolositatem deceptionis et fraudulentia, in usurpando dominationem hominis primi; secundo propter malignitatem præsumptionis et injustitiæ, in suggerendo occisionem innocentis Christi; tertio propter rectitudinem æquitatis justitiæ, in non patiendo perturbationem ordinis universi. Unde justum fuit, ut exterminaretur diaboli potestas, tum quia dolose et fraudulenter usurpavit dominium primi hominis, tum quia injuste, et nequiter persuasit mortem Christi innocentis, tum quia æquitas (a) divinæ justitiæ non debebat pati deordinationem totius universi. Primo justa fuit diabolicæ potestatis exterminatio propter dolositatem deceptionis et fraudulentia in usurpando dominium primi hominis. Et de hoc potest exponi illud¹: « Orietur stella ex Jacob, et consurget virga ex Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth: et erit Idumæa possessio ejus. » Stella ista est virgo Maria propter refulgentiam virtutum gratiarum: sed virga habens virilitatem ad expugnandum, ut fiat miserris adjutorium, est Dominus noster, qui virtute proprii sanguinis percussit infernales duces superbi Moab, et arte suæ multiformis sapientiæ fallens fraudem proditoris diaboli, per mortis inductionem abstulit sibi captivum hominem, quem possidebat, et medellam salutis inde tulit, scilicet de ligno, hostem undelæserat decipiendo. De hoc similiter dicitur in prædicto themate: *Exurge, Domine, salvum me fac.* Secundo fuit justa diabolicæ potestatis exterminatio propter malignitatem præsumptionis justitiæ, in persuadendo mortem innocentis Christi. Unde dicit Abacuc²: « Percussisti caput de domo

impii, denudasti fundamentum usque ad collum. Maledixisti sceptris ejus, capiti bel-latorum ejus, venientibus, ut turbo, ad dispergendum me. » Quia diabolus persuadendo ejus infernalibus membris venientibus ut turbo ad dispergendum innocentem, ut crucifigerent eum: ideo justum fuit, ut ipse diabolus caput infernalis domus percuteretur, potestate et dominio proprii servi denudaretur, et privaretur. Tertio justa fuit diabolicæ potestatis exterminatio propter æquitatem rectitudinis justitiæ, in non patiendo perturbationem ordinis universi. Unde³: « Dexterâ tuâ, Domine, percussit inimicum, et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios meos; misisti iram tuam, et devoravit eos quasi stipulam. » Æquitas enim divinæ justitiæ ordinem universi conservari jubet, et perturbari vetat. Unde ne diabolus de sua malitia et peccato per quod turbaverat totum universum, reportaret commodum, dignum fuit percuti, privari, et puniri. Et propter hoc dicitur⁴: « Pavabit Assur virga percussus. » Assur diabolum signat, qui pavescit, cum percutitur virga divinæ æquitatis. Rogemus, etc.

SERMO II⁵.

Exurge gloria mea; exurge, psalterium⁶, etc. Ecce quam amabiliter et dulciter Pater alloquitur Filium de sua resurrectione. Nam secundum Glossam verba ista pii sunt Patris ad Filium, vel divinæ naturæ ad humanam, etc. *Exurge,* ad divinam gloriam magnificandam, ad angelicam ruinam reparandam, ad humanam miseriam sublevandam, ad diabolicam malitiam dissipandam.

De primo dicitur hic: *Exurge, gloria mea: exurge, psalterium,* etc. Christus enim est gloria Patris in resurrectione. Fuit tunc psalterium, et cithara in passione: sicut enim in hujusmodi instrumentis chordæ super lignum tenduntur, sic membra et

¹ Num. xxiv, 17-18. — ² Habac., iii, 13-14. — ³ Exod., xv, 6-7. — ⁴ Isa., xxx, 31. — ⁵ Hunc et seq. usque ad Dom. in octava Pasch., serm. II, ex-

clusive, habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁶ Psal. lvi, 9.

(a) *Cat. edit. æquitatis.*

nervi Christi super lignum crucis. Unde Ecclesia compatiendo cantat ¹ : *Tensa lassa viscera*. O quam dulces sonos, quos de chorda cordis reddidit hæc cithara, dum Christus in cruce loquebatur octo verba! Duas chordas pro malis, duas pro bonis, duas pro toto mundo, duas pro semetipso. Tangens pro bonis ergo primus sonus est ² : « Mulier, ecce filius tuus. » Secundus ³ : « Ecce mater tua. » Ostenditur autem in his, quam specialem curam bonorum habeat Christus. Item pro malis, primus ⁴ : « Pater, dimitte illis, etc. Secundus ⁵ : « Hodie mecum eris in paradiso. » Hoc enim sono omnibus impiis spem dedit. Item pro toto mundo, primus ⁶ : « Sitio, » id est, desidero fidem et salutem. Secundus ⁷ : « Consummatum est, » quidquid scilicet pro redemptione mundi debui pati. item pro se, primus ⁸ : « Deus meus, ut quid me dereliquisti? » Secundus ⁹ : « Pater, in manus tuas, » etc.

De secundo, Psalmus ¹⁰ : « Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus : quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, » etc. In hoc misereberis cœlestis Sion, ut exurgas, et reædificetur per fidem resurrectionis tuæ. De lapidibus ejus, qui servis tuis, id est, angelis placent, pretiose enim empti sunt, dicitur ¹¹ quod de pecunia templi emebantur lapides excisi de lapidicinis ad instaurandum Domini templum. Templum est corpus Christi ¹² : « Solvite templum, » etc. Pecunia hujus templi, qua empti sunt hujus lapides vivi, est sanguis Christi ¹³ : « Non corruptibilibus, » etc. Augustinus ¹⁴ : « Sanguine suo nos emit, sanguine Agni immaculati emit, sanguine unigeniti Filii Dei emit. » Tres dicit esse lapidicinas : mundum, infernum, sepulchrum. De prima lapides exciduntur in conversione impiorum ; de secunda, in liberatione in limbo captivo-

rum ; de tertia, in resurrectione mortuorum. In primam descendit Christus in corpore et in anima ; in secundam in anima ; in tertiam in corpore, de qua hodie corpus suum excidit, et multa corpora sanctorum, quæ surrexerunt cum eo. Quicumque ergo lapides sic per bonam vitam aptati fuerunt, ut servis tuis (a) placeant, in ædificium cœlestis Sion ponentur. Noli ergo negligere tempus ædificandi. Augustinus ¹⁵ : « Nunc est tempus ut ædificetur Sion, nunc intrant lapides in structuram. » Perfecto ædificio, et dedicata domo, quid curris sero quæsiturus, inaniter petiturus, frustra pulsaturus, foris remansurus? » Væ lapidibus, qui non placent servis istis! ¹⁶ « Descenderunt in profundum quasi lapis. »

De tertio, Psalmista ¹⁷ : « Propter miseriam inopum, et gemitum, » etc. De gemitu dic, et de miseria beatæ Virginis, et Magdalenæ, et discipulorum pro morte Christi, quomodo Jacobusse juraverat non comesturum panem, donec Christus resurgeret. Imo certe pro sublevanda totius mundi miseria Christus resurrexit. Nisi enim a morte resurrexisset, mundus in eum non credidisset, et sic in triplici miseria permansisset. Prima est gravis in hoc mundo ¹⁸ : « Si impius fuero, væ mihi est ; si justus, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria. » Secunda est gravior in judicio ¹⁹ : « Dies calamitatis et miseriæ. » Totus mundus non posset narrare miseras malorum in die judicii. Tertia gravissima in inferno ²⁰ : « Dimitte me, ut plangam, » etc., usque : « terram miseriæ et tenebrarum. »

De quarto, Psalmista ²¹ : « Exurgat Deus, et dissipentur, » etc. Fugiant dæmones, fugiant æquitatem (b), qui fugerunt peditem animam Christi. De equo corporis descendens in morte dæmones fugavit. Cum ergo in resurrectione ad equum redierit, magis timeant et fugiant. Fugiant autem non solum dæ-

¹ Hymn. Passion., ad Laud. — ² Joan., xix, 26. — ³ Ibid., 27. — ⁴ Luc., xxii, 34. — ⁵ Ibid., 43. — ⁶ Joan., xix, 28. — ⁷ Ibid., 30. — ⁸ Matth., xxvii, 46. — ⁹ Luc., xxiii, 46. — ¹⁰ Psal. ci, 14-15. — ¹¹ IV Reg., xxii, 6. — ¹² Joan., ii, 19. — ¹³ I Petr., i, 18. —

¹⁴ Aug. — ¹⁵ Id. — ¹⁶ Exod., xv, 5. — ¹⁷ Psal. xi, 6. — ¹⁸ Job, x, 15. — ¹⁹ Sophon., i, 15. — ²⁰ Job, x, 20. — ²¹ Psal. lxxvii, 1. — (a) Leg. suis. — (b) Item equitem.

mones, sed etiam eorum armigeri homines impii et infideles. Fugiant certe gehennam, et pœnitentiam ¹ : « A voce equitis et mittentis sagittam fugit omnis civitas. » Eques est Christus; civitas, mundus; sagitta, damnationis sententia de arcu iudicii super impios mittenda. Psalmista ² : « Ut fugiant a facie, » etc.

SERMO III.

Fac mecum signum in bonum ³. Verbum istud est Filii ad Patrem pro sua resurrectione monentis. O mi sancte Pater, fac mecum signum Jonæ prophetæ, quod jam factum est in capite, et adhuc fiet in membris. Bonum signum est resurrectio Christi. Est enim signum gloriæ ejus in cœlo, signum misericordiæ in mundo, signum victoriæ in inferno, signum justitiæ in iudicio.

Resurrectio itaque Christi signum est glorificationis ejus, et nostræ per ipsum. ⁴ « Refer (a) virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut servetur in signum. » Nota quomodo, magorum virgis in ariditate permanentibus, virga Aaron cito floruit : unde et ipse et filii ejus exaltati fuerunt. Quod exponit Gregorius ⁵ in Glossa de Christi resurrectione. Virga enim arida fuit caro Christi in morte. Arida utique propter sanguinis extractionem, et spiritus emissionem. In flore autem gloria corporis resurgentis significatur. Psalmista ⁶ : « Refloruit caro mea. » Bene potest autem Christus dicere ⁷ : « Ego flos campi. » Flos horti clausus est; flos campi communis est. Ita Christus communis est omnibus. Quidam tamen dicunt quod flos campi dicitur quidam parvus flos valde rubicundus habens quinque folia, sicut Christus quinque vulnera rubicunda. Aaron autem Christum significat summum sacerdotem. Virga igitur arida floruit, quando caro Christi mortua

resurrexit. Et hoc est signum exaltationis Aaron, et filiorum ejus, id est, Christi et Christianorum in æterna gloria. Virgæ autem reliquæ corda nostra significare possunt, quæ usque ad diem novissimum permanent in ariditate incinerationis ⁸ : « Ossa arida, » etc.; sed in die novissimo pulcherrime florebunt per gloriam resurrectionis. Psalmista ⁹ : « Justus ut palma florebit. » Augustinus ¹⁰ : « Videte (b), fratres, si plantati estis in domo Domini, si vultis florere sicut palma, et multiplicari sicut cedrus Libani, et non arescere sicut fœnum, sole cadente, sicut ii, qui videntur florere, sole absente. » Heu! tunc de istorum virgis, id est de majorum corporibus non flores, sed quasi serpentes et dracones fient, quando mali plus, quam serpentes et dracones, abominabiles et horribiles resurgent.

De secundo ¹¹ : « Sicut fuit Jonas signum Ninivitis, ita erit filius hominis generationi isti. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus noctibus, » etc., usque : « in corde terræ, » id est, in inferno. Unde super illud ¹² : *Projecisti me in profundum in corde maris*, etc., Glossa interlinearis : « Id est, in inferno : » pro quo in Evangelio habetur *in corde terræ*, id est, in inferno, et ita infernus in medio terræ esse perhibetur. Unde terræ amatores, qui per avaritiam in corde glutunt, ipsi tandem a corde terræ, id est, in inferno glutentur. Per ventrem ergo ceti abyssus inferni significatur. Et bene : sicut enim multa millia alosarum sunt in ventre ceti, ita multa millia animarum in inferno ¹³ : « Dilatavit infernus animam suam, » etc. Custodiat nos Deus, ne in istum ventrem horrendum veniamus. De hoc ventre post triduum Jonas evomitur in aridam, et tertio die Christus ab inferis ad immortalitatem resurrexit. Et certe non solum de ventre inferni hodie egrediatur, sed omnium justorum animæ, quæ per multa annorum millia

¹ Jerem., IV, 29. — ² Psal. LIX, 6. — ³ Psal. LXXXV, 17. — ⁴ Num., XVII, 10. — ⁵ Greg., Moral., lib. XIV, c. LV, al. XXVII, n. 68. — ⁶ Psal. XXVII, 7. — ⁷ Cant., II, 1. — ⁸ Ezech., XXVIII, 4. — ⁹ Psal. XCI, 13. —

¹⁰ Aug. Enarr. in Psal. xci, n. 14. — ¹¹ Matth., XII, 39-40. — ¹² Jon., II, 4. — ¹³ Isa., V, 14.

(a) Cort. edit. Refert. — (b) Apud Aug. Attendite.

devoratae in hunc ventrem descenderant, hodie cum Christo evomuntur, et magna pars vacua relinquitur. Unde de diabolo dici potest illud ¹: « Divitias, quas devoravit, etiam evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus, » id est, de inferno. Gregorius ²: « Descendit ad inferos, solos illos per gratiam suam liberavit, qui eum et venturum esse crediderunt, et praecepta ejus vivendo tenuerunt. » Sicut autem post signum in Jona factum, Ninive per Jonam conversa est, ita post resurrectionem Christi mundus, qui per Ninive significatur, per Christum, et ejus Apostolos conversus fuit. Ex hoc enim mundus in eum credere et sperare vere potuit, quia ipsum tam potenter resurrexisse audierunt. Unde super dictum verbum: *Fac mecum signum in bonum*, dicit Glossa: « Resurrectio Christi signum est, quo virtus Dei declaratur, spes credentium confirmatur. »

SERMO IV ³.

Fac mecum signum in bonum ⁴, Sicut hodie dictum fuit, resurrectio Christi non solum sic est signum gloriae ejus in caelo, vel misericordiae in mundo, sed etiam victoriae in inferno. Quomodo enim tam potenter de inferno ad resurgendum exivisset, nisi tyrannos inferni primus vicisset? De hoc tertio signo ⁵: « Ipse est liberator atque salvator, faciens signum in caelo et in terra, qui liberavit Danielem de lacu leonum. » Daniel Christum significat, interpretatur enim *judicans*, Christus enim pro peccatis hominum fecit Deo patri iudicium satisfactionis in cruce, et faciet iudicium condemnationis in fine ⁶: « Omne iudicium dedit (Pater) Filio. » Per lacum infernus significatur ⁷: « Tu in sanguine Testamenti emisisti vinctos de lacu, in quo non est aqua. » Glossa: « In quo non est ulla refrigerans misericordia: » quam dives quaerebat ⁸:

¹ Job, xx, 45. — ² Greg., *Epist.* lib. VI, c. 170. — ³ Continuatio est praecedentis. — ⁴ *Psal.* LXXV, 17. — ⁵ *Dan.*, vi, 27. — ⁶ *Joan.*, v, 22. — ⁷ *Zach.*, ix, 11. — ⁸ *Luc.*, xvi, 24. — ⁹ *Petr.*, v, 8. — ¹⁰ Greg.,

« Intingat extremum digiti sui in aquam, » etc. Septem leones vero sunt daemones ⁹: « Tanquam leo rugiens, » etc. Septem leones dicuntur, quia (a) per septem vitia capitalia hominibus dominantur. Descendente ergo Daniele, id est Christo, in lacum inferni, sicut agnus coram leone, ita isti leones coram agno tremuerunt, neque Danielem Christum invadere praesumpserunt. Ecce ergo magnum signum: Daniel de lacu leonum victor exivit, et Christus ab inferis victor daemorum resurrexit. Non solum certe de lacu exivit, sed etiam vinctos secum duxit. Gregorius ¹⁰: « Illos ex inferni claustris rapuit, quos suos in fide et actibus recognovit. » Sed nota quod damnum, quod per Danielem leones habuerunt, in persecutoribus Danielis in lacum missis ferocissime vindicaverunt. Cave ergo, persecutor Danielis nostri: cave, peccator, inimice Jesu Christi: cave penitendo in hoc mundo, ne leones infernales damnum eis per Christum illatum atrocissime in te vindicent in inferno.

De quarto nota, quod resurrectio Christi signum est justitiae in iudicio. Unde cum, sub figura futuri iudicii, flagello de funiculis facto Christus eiecisset vendentes et ementes de templo, dixerunt Judaei ¹¹: « Quod signum ostendis nobis, quia haec facis? Respondit Jesus, et dixit eis: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. » Ecce reaedificationem templi in triduo, signum dicit esse iudicii sui, quod fiet in flagello. Templum ergo corpus Christi, de quo ¹²: « Portae fluviorum apertae sunt, templum ad solum dirutum est. » Portae autem fluviorum sunt vulnera Christi, e quibus fluxit sanguis Christi, et salus mundi. De illa autem media porta duo fluvii venerabiles exierunt, videlicet de porta vulneris in latere ¹³: « Continuo exivit sanguis et aqua. » Templum ergo ad solum dirutum fuit, quando corpus Christi flagellis et spinis,

in *Evang.*, hom. XXII, n. 6. — ¹¹ *Joan.*, ii, 48, 19. — ¹² *Nah.*, ii, 6. — ¹³ *Joan.*, xix, 34.

(a) *Cæt. edit.* qui.

clavis et lancea laceratum extitit : et sic solutum fuit miserabili solutione templum corporis Christi in ejus passione. Sed reædificatum est tertio die resurrectionis. Illud ergo idem templum, et non aliud, illud idem corpus, quod solutum fuit tam miserabiliter, idem reædificatum fuit tertio die mirabiliter. Augustinus ¹ : « Ille qui flagellatus est, qui consputus est, ille qui spinis coronatus est, ille qui colaphis cæsus, ille qui in ligno suspensus est, ille qui in cruce mortuus est, ille qui in lancea percussus, ille qui sepultus, ille est qui resurrexit. » Et hæc festina, et mirabilis, et potentissima reædificatio signum est potestatis ejus in judicio. Qui quia cum tanta potentia resurrexit de sepulchro, signum est quod cum magna potestate veniet de cælo : tunc flagello suæ districtiōnis ejiciet reprobos, præcipue simoniacos. Funiculi autem, ex quibus hoc flagellum paratur, peccata hominum sunt. Psalmus ² : « Funes peccatorum circumplexi sunt me. » Quasi funiculos ad seipsos flagellandos Domino ministrant, qui peccatorum restes faciunt : quos non faciunt nisi insani. Nunc ergo, charissimi, quaeramus bene vivendo Dominum tam mitem in sua resurrectione, ne inveniamus ipsum tam severum in nostra resurrectione. Bernardus ³ : « Vitam vestram, fratres, componite : qui mitis resurrexit ex morte, quam districtus judex veniat, prævidete. »

SERMO V.

Jesum queritis Nazarenum crucifixum : surrexit, non est hic ⁴. Commemoratio hic fit passionis Christi, et resurrectionis. Sed de resurrectione videamus, de qua dicit Angelus : *Surrexit, non est hic*. Surrexit autem gloriosissime, verissime, potentissime, utilissime.

De primo ⁵ : « Dormivit autem Samson usque ad medium noctis, et inde consurgens

apprehendit ambas portæ fores, et portavit ad verticem montis. » Samson interpretatur *sol eorum*, et significat Christum, qui etiam corpore sole clarior fuit in resurrectione. Quid mirum? omnes enim justi claritatem solis habebunt ⁶ : « Tunc justi fulgebunt sicut sol, » etc. Anselmus ⁷ : « In illa vita pulchritudo justorum solis plenitudini, quæ septemplex quam modo sit, splendidior erit, adæquabitur. » Nota ergo quod in splendore solis significatur dos claritatis, in perpetuitate solis dos impassibilitatis, in virtute solis activa (solenim penetrat integrum vitrum) dos subtilitatis; in celeritate solis, dos agilitatis; imo sole celeriores erunt sancti. Anselmus ⁸ : « Velocitas agilitatis tanta nos concomitabitur, ut ipsis angelis Dei æque celeres simus, qui a cælo ad terras, et e contrario (a) dicto citius dilabuntur. » Samson igitur noster Christus dormivit somno mortis, a quo in resurrectione surrexit, qui non totam civitatem infernalem, sed tantum fores, id est eos, qui in limbo, quasi in foribus erant, secum in montem cæli tulit. Ambas quoque fores tulit, quia justos utriusque sexus secum duxit.

De secundo ⁹ : « Invenere congregatos undecim, et qui cum ipsis erant, dicentes, quod surrexit Dominus vere, » etc. Dicunt, *vere*. Sed unde hanc veritatem sciebant? Certe Christum audiendo ¹⁰ : « Ego sum, nolite timere. » Item videndo ¹¹ : « Tunc aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum. » Item tangendo ¹² : « Infer digitum tuum huc. » Gregorius ¹³ : « Ille dubitando cicatrices vulnerum tetigit, et a nostro pectore dubietatis vulnus amputavit. » Item corde sentiendo ¹⁴ : « Nonne cor nostrum ardens erat, » etc. Unde ¹⁵ : « Quod audivimus, et vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, et vita manifestata est, » scilicet

— ⁸ Id., *ibid.*, II. — ⁹ *Luc.*, XXIV, 33-34. — ¹⁰ *Ibid.*, 36. — ¹¹ *Ibid.*, 31. — ¹² *Juan.*, XX, 27. — ¹³ *Greg.*, in *Evang.*, hom. XXIX, n. 1. — ¹⁴ *Luc.*, XXIV, 32. — ¹⁵ *I. Joan.*, I, 1.

(a) *Apud Anselm.* a terris in cælum.

¹ *Aug.* — ² *Psal.* cxviii, 61. — ³ *Bern.* — ⁴ *Marc.*, xvi, 6. — ⁵ *Judic.*, xvi, 3. — ⁶ *Matth.*, xiii, 43. — ⁷ *Anselm.*, in *Op. Eadmer.*, de *Beatit. Col. Patr.*, c. 1, inter *Op. S. Anselm.*, tom. II, col. 339, edit. Migne.

cordi (a). Tu vero fac, ut cum apostolis Christum resurgentem audias, verbo ejus obediendo; videas, per fidem cognoscendo; tangas, operibus attingendo; sentias, corde diligendo.

De tertio scribitur¹, ubi dicitur quod surrexit Judas Machabæus, et ostenditur quam potenter surrexerit Judas, et inter cætera dicitur²: « Similis factus leoni in operibus suis; et sicut catulus leonis, » etc. Judas Machabæus Christum significat. Judas enim *glorificans*, Machabæus *percutiens* interpretatur. Christus autem glorificat bonos, percutit malos³: « Quicumque honorificaverit (b) me, ego glorificabo eum, » etc. Christus autem leo fuit inferos invadendo, et catulus leonis in resurgendo. Unde⁴: « Requiescens accubisti ut leo, » et ut catulus leonis, secundum aliam litteram Glossæ. Dicunt physici, quod catulus leonis cum fuerit natus, tribus diebus et tribus noctibus dormit, deinde patris fremitu tremescens cubilis locus excitat dormientem⁵. Sic Christus in cubili sepulchri paterna virtute excitatur⁶: « Ecce vieit leo de tribu Juda. » Unde etiam de illis sanctis quatuor animalibus, quæ vidit Joannes⁷, Christus significatur, scilicet in homine, vitulo, leone, aquila. Deus est homo, nascendo; est leo, resurgendo; est vitulus, patiendo; est avis, alta petendo.

De quarto, Psalmista⁸: « Surge, Domine, in requiem tuam, » etc. Augustinus⁹: « Area ejus Ecclesia est. Surrexit prior; surgat Ecclesia: non auderet sibi in resurrectione corpus promittere, nisi prius exurgeret caput. » Ecce ex verbis Augustini patet utilitas resurrectionis Jesu Christi. Et bene per arcam significatur: sicut enim arca auro tegebatur, et vestiebatur, ita Ecclesia auro immortalitatis et æternæ claritatis in resurrectione vestiatur. Sicut enim arca, quando

castra movenda erant, in quatuor angulis per circulos aureos elevabatur quasi ad surgendum; ita Ecclesia secundum fidem quatuor evangelistarum surget a quatuor plagis mundi¹⁰: « Mittet Filius hominis angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabit electos ejus a quatuor ventis cœli. »

SERMO VI.

*Ego sum resurrectio et vita*¹¹. Hoc verbum convenit festivitati hodiernæ resurrectionis Dominicæ. Christus enim Jesus, virtute divinitatis et merito humanitatis, est resurrectio sua et aliorum effective. Est autem resurrectio sua corporalis, fidelium spiritalis, omnium generalis.

De prima¹²: « Recordamini qualiter locutus est, » etc. usque: « et tertia die resurget. » Verba ista sunt duorum angelorum. Unde nota, quod angeli resurrectionem Christi denuntiant, et significant quadrupliciter, videlicet per habitum, per verbum, per factum, per situm. Per habitum; unde ibi duo angeli apparuerunt in veste fulgenti, ad significandam gloriam humanitatis, qua in resurrectione vestitus est Filius Dei. Quod etiam significatur in transfiguratione, de qua dicitur¹³: « Vestitus ejus albus refulgens. » Gregorius¹⁴: « Candor enim vestis splendorem nostræ denuntiat solemnitatis. » Item per verbum; unde dicunt: *Recordamini*, etc.¹⁵ « Surrexit, non est hic. » Item per factum; unde angelus revolvit lapidem, ut videndo, non solum audiendo, certificentur de resurrectione. Mystice autem significatur, quod quando lapis infidelitatis de corde tollitur, resurrectio verius creditur. Item per situm¹⁶: « Viderunt juvenem sedentem a dexteris. » Dicitur¹⁷ de duobus angelis, quod unus ad caput, et unus ad pedes sedit: in quo significatur quod ille, cujus resurrectionem nuntiabant, jam non

¹ 1 Mach., III, 1. — ² Ibid., 4. — ³ Matth., x, 22. — ⁴ Gen., XLIX, 9. — ⁵ Idem dixerat supra, p. 210, col. 1, in Sabb. sanct., serm. II. — ⁶ Apoc., v, 5. — ⁷ Ibid., IV, 7. — ⁸ Psal. CXXXI, 8. — ⁹ August., Enarr. in Psal. CXXXI, n. 15. — ¹⁰ Matth., XXIV, 31. — ¹¹ Joan., XI, 25. —

¹² Luc., XXIV, 6. — ¹³ Luc., IX, 29. — ¹⁴ Gregor., in Evang., hom. XXI, n. 2. — ¹⁵ Marc., XVI, 6. — ¹⁶ Ibid., 5. — ¹⁷ Joan., XX, 12.

(a) Cat. edit. cordis. — (b) Vulg. confitebitur. — (c) Vulg. confitebor.

in sinistra transitoriae vitæ, sed in dextera vitæ perpetuæ est, et simul ibi est cum capite divinitatis, et pedibus humanitatis.

De secunda ¹ : « Ecce hic positus est in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel. » Resurrectio ista fit a morte culpæ. Debet autem fieri ad imitationem resurrectionis Christi, cujus resurrectio fuit matutinalis, integralis, socialis, immortalis. Fuit itaque matutinalis ² : « Surgens Jesus mane, » etc. Sic tu non sero, sed mane resurge a peccatis. ³ « Qui mane vigilabunt ad me, » etc. ⁴ « Ne tardes converti ad Dominum, » etc. Item integralis ; unde neque manum, neque pedem reliquit Christus in sepulcro, imo post resurrectionem ostendit manus et pedes : sic tu a peccatis totus resurgas ⁵ : « Totum hominem sanum feci in sabbato. » Qui ergo adhuc manus operum, vel pedes affectuum mortuos habet, vel qui conversus injusta bona, vel odium, vel aliud vitium non reliquit, nondum resurrexit. Deus enim nullum resuscitat, nisi integraliter. Augustinus ⁶ : « Nunquam Dominus aliquem sanavit, quem omnino non liberavit : totum enim hominem vere sanavit in sabbato. Item socialis ⁷ : « Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. » Sic et merita tua per peccatum extincta tecum resurgent in conversione. Augustinus ⁸ : « Pœnitentia non dimittit peccata, sed etiam restituit ablata. » Sicut autem cum Christo non omnia corpora, sed multa surrexerunt, ita tecum non omnia, sed in charitate facta bona opera vivificantur. Versus :

Ille reviviscunt, quæ a vivis facta fuerunt.

Vel aliter potest dici quod localis dicitur resurrectio animæ, quia socios culpæ, imo quoslibet familiares secum trahere debet ad vitam, sicut Noe, Loth, Moab suas familias salvavit. Augustinus ⁹ : « Rape ad Deum

quot potes, et dic eis : Tunc amemus. » Item immortalis ¹⁰ : « Resurgens ex mortuis jam non moritur : » sic et tu perseveranter resurgas in conversione, ut de cætero non moriaris transgressione. Psalmista ¹¹ : « Non moriar, sed vivam. » ¹² « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit (a) in æternum. »

De tertia ¹³ : « Per hominem mors, per hominem resurrectio mortuorum. » Qualiter autem futura sit resurrectio, dicitur ibidem ¹⁴ : « Omnes resurgemus, » etc. : ubi ostenditur quod mortui resurgent universaliter, dissimiliter, celeriter, integraliter. Resurgent utique universaliter ; unde ait : *Omnes quidem resurgemus.* ¹⁵ « Vidi mortuos magnos et pusillos, stantes in conspectu throni. » Item dissimiliter ; unde sequitur ¹⁶ : « Sed non omnes immutabimur, » scilicet per gloriam resurrectionis. ¹⁶ « Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, » etc. Item celeriter ; unde sequitur ¹⁷ : « In momento, in ictu oculi, » etc. Item integraliter ; unde sequitur, quod « mortui resurgent incorrupti, » id est, sine diminutione membrorum, integri. ¹⁸ « Qui multiplicat gentes, et perdit eas, et subversas in integrum restituit. » Perdit per mortem, restituit per resurrectionem.

FERIA II POST PASCHA.

SERMO PRIMUS.

Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit ¹⁹. Libenter manent homines, ubi habent amicos ; item, ubi rogantur ; item, ubi epulentur, et est hospitium ; item, ubi pax est et securitas. Ita Christus ad manendum nobiscum allicitur per charitatis amicitiam, per orationis instantiam, per mentis opulentiam, per pacis confidentiam. De primo ²⁰ : « Si quis diligit me, sermonem meum, »

¹ Luc., II, 34. — ² Marc., XVI, 9. — ³ Prov., VIII, 17. — ⁴ Eccli., V, 8. — ⁵ Joan., VII, 23. — ⁶ Imo auctor, quisquis sit, lib. de ver. et fals. Pœnit., c. IX, n. 24. — ⁷ Matth., XXVII, 52. — ⁸ Aug. — ⁹ Id. — ¹⁰ Rom., VI, 9. — ¹¹ Psal. CXVII, 17. — ¹² Joan., VIII,

51. — ¹³ I Cor., XV, 21. — ¹⁴ Ibid., 51. — ¹⁵ Apoc., XX, 12. — ¹⁶ Joan., V, 19. — ¹⁷ I Cor., XV, 52. — ¹⁸ Job, XII, 23. — ¹⁹ Luc., XXIV, 29. — ²⁰ Joan., XIV, 23.

(a) Vulg. videbit.

etc., « et Pater., » etc. usque : « et mansio-
nem apud eum faciemus. » Magna promissio.
Si Papa, vel Imperator apud te mansio-
nem per diem facturus esset, quanta sollicitudine
te, et domum tuam ad hoc præparares? Ecce
si diligis Deum, Deus tecum manet. Si etiam
diligis proximum, omne odium relinquendo,
neque factis, neque verbis proximo nocendo,
Deus tecum manet¹ : « Si diligamus invi-
cem, Deus manet in nobis. » Hic est Chri-
stus, qui cum Maria et Martha libenter man-
sit, quæ enim tantum dilexerunt. In Maria
est charitas, qua Deo inhæretur; in Martha
vero charitas, qua proximo ministratur.
unde bene dicitur² : « Qui manet in chari-
tate, in Deo manet, et Deus in eo, » etc. Igi-
tur sicut nullus ibi manere posset, ubi se-
denti nullus locus daretur, sic nec Christus
sine charitate in nobis manet. Charitas enim
et sedem, et locum sedendi in anima præ-
parat Deo. Augustinus³ : « Charitas Christi
cor pacificat, mentem in tentationibus robo-
rat, et ut sedes sapientiæ sit in anima justi,
quietem tribuit, et locum præparat. »

De secundo dicitur hic : *Coegerunt illum,
dicentes : Mane nobiscum, Domine, quo-
niam advesperascit,* etc. Quando finis vitæ
nostræ appropinquat, tunc advesperascit.
Sicut mane principium, meridies medium,
ita vespera finis vitæ. Mane juvenus, meri-
dies virilitas, vespera est senectus. Omnibus
his temporibus si Dominum invitaremus,
ipse libenter exaudiret. Psalmista⁴ : « Ves-
pere et mane, et meridie narrabo, et an-
nuntiabo (a), et exaudiet vocem meam. »
Si ergo neglexisti eum invitare mane, invita
vespere, etc. Certe multi credunt mane vel
meridie esse, quibus jam vespera est. Unde
non decipiat quemquam flos juventutis, qui
tam cito arescit vespere. Psalmista⁵ : « Ma-
ne floreat, et transeat; vespere, » etc. Au-
gustinus⁶ : « Decidat in morte, et durescat
in cadavere, areseat in pulvere. » Dicamus

ergo orantes mane, et rogemus nos : *Mane
nobiscum*, Christum, ut Christus roget no-
biscum manere Spiritum summ⁷ : « Ego
rogabo Patrem, » etc. Sed certe non solum
est oratione invitandus, sed etiam lacrymis
cogendus. Dicitur hic enim : *Et coegerunt il-
lum*. Unde super hoc dicit quædam Glossa :
« Oratio Dominum linit, lacryma cogit : hæc
ungit, illa pungit. »

De tertio⁸ : « Hodie in domo tua oportet
me manere. » Zachæus, cui hoc dicitur, erat
princeps publicanorum : et illud bene scivit
Dominus, quod apud divites bonum hospiti-
um est. Dives hospitium est mens virtuti-
bus opulenta. Veræ (b) enim divitiæ sunt
timor Domini, justitia, misericordia, humi-
litas, castitas, patientia, etc. Talibus divitiis
beata Virgo super quamlibet animam puri
hominis abundavit⁹ : « Multæ filiæ congre-
gaverunt divitias, » etc. Et ideo in ejus hos-
pitiis Dominus libenter mansit. Si has divi-
tias habes, multos per ipsas habebis amicos,
scilicet Patrem, Filium et Spiritum sanctum,
et angelos.¹⁰ « Divitiæ addunt amicos pluri-
mos; a paupere autem, et hi, quos habuit,
separantur. » Signum est divitis hospitii,
ubi multa ad portam pauperibus dantur : et
ibi libenter manet Dominus; alioqui non.
Unde¹¹ : « Qui habet substantiam hujus
mundi, » etc., usque : « quomodo charitas
Dei manet in eo? »

De quarto¹² : « Quærebant Jesum Judæi
apprehendere; et exivit de manibus eorum :
et abiit iterum trans Jordanem in eum lo-
cum, ubi erat Joannes baptizans primum,
et mansit illic. » Ecce fugit persecutores, et
inimicos suos, et manet ubi securus videtur,
in loco baptismi, in Bethania, quæ interpre-
tatur *domus obedientiæ*. In illis enim bapti-
zatis, qui obediunt prælati et Dei mandatis,
manet Dominus, unde inimici sui diabolus
et mundus eum non ejiciant, vel ubi domum
mentis per ignem luxuriæ vel avaritiæ su-

¹ I *Joan.*, IV, 12. — ² *Ibid.*, 15. — ³ *Aug.* — ⁴ *Psal.*
LIV, 18. — ⁵ *Psal.* LXXXIX, 6. — ⁶ *Aug.*, *Enarr. in*
Psal. LXXXIX, D. 6. — ⁷ *Joan.*, XIV, 16. — ⁸ *Luc.*,

XIX, 5. — ⁹ *Prov.*, XXXI, 29. — ¹⁰ *Prov.*, XIX, 4. —
¹¹ I *Joan.*, IV, 17. — ¹² *Joan.*, X, 39-40.

(a) *Cæc. edit.* annuntiabit. — (b) *Item Vere.*

per caput suum non crement, vel odio seu iracundia pacem pectoris non turbent. ¹ « Remansit puer Jesus in Jerusalem, » quod interpretatur *pacifica*. In pace libenter manet Jesus; Psalmus ²: « In pace factus est locus ejus. » Sed pacificam et securam non habet mansionem in pectore illo, ubi bona sua in continuo sunt periculo. Bernardus ³: « Periclitatur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequam sæculo. »

SERMO II.

Nonne cor nostrum ardens erat in nobis ⁴? Quid mirum, si cor ardebat, quod Christum in via socium habebat? Cor enim amantis caminus est Dei inflammantis. Sicut enim cor est speculum Dei, area Dei, ager Dei, ita et caminus Dei. Unde et cor justum, tanquam speculum, debet esse mundum; ut area, opulentum; tanquam caminus, accensum; tanquam ager, fructiferum. Cor debet esse mundum innocentia, dives virtutum opulentia, ardens amoris vehementia, fructiferum honorum operum vehementia.

De primo ⁵: « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » Videbunt certe, et tanto melius, quanto speculum cordis fuerit mundius. Psalmista ⁶: « Videbitur Deus deorum in Sion: » quod interpretatur *speculum*. O stultitia mirabilis! mundat homo faciem, manus, pedes, imo etiam calceos mundat; et miserum cor non mundat, cum tamen, nisi mundum sit, stare in conspectu Dei perpetuo non possit. Psalmista ⁷: « Quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, et mundo corde. » Item, quod plus est, purgant se corpora naturaliter, sicut mare mortuos expellendo, vinum fæces eijciendo, corpus humanum per os, per nares, per alias vias immunda expellendo; sed miserum cor se non mundat, sed plus sordes con-

gregat, cum tamen per munditiam consequeretur divinam amicitiam ⁸: « Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. » O quam cor mundum abominatur sordes peccatorum! Anselmus ⁹: « Mallem purus a peccatis, et innocens gehennam intrare, quam sorde pollutus cœlorum regna tenere: cum constet solos malos torqueri, et bonos in cœlesti beatitudine foveri. »

De secundo ¹⁰: « Bonus homo de bono thesauro cordis, » etc. Thesauri cordis sunt virtutes, quas hic enumera. Isti sunt regales thesauri regi Christo offerendi ¹¹: « Apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum » dilectionis, « thus » orationis, « myrram » contritionis. Psalmus ¹²: « Cor contritum et humiliatum, » etc. Quicumque thesauros habet, a latronibus caveat, id est, dæmonibus. Gregorius ¹³: « Tentari (a) desiderat, qui thesauros publice in via portat. » Caveant ergo sibi de peregrinatione et eleemosynis, et aliis bonis operibus, de quibus solent gloriari. Thesauri enim virtutum in area cordis claudendi sunt sera humilitatis. Ambrosius ¹⁴: « Custos virtutum est humilitas. » Hanc seram imitando acquire a filio fabri Jesu Christo ¹⁵: « Discite a me, quia mitis sum et humilis, » etc. Clavos etiam ad confirmandam seram ab ipso accipe, quibus humiliter cruci affixus fuit.

De tertio dicitur hic: *Nonne cor nostrum ardens*, etc. Ardor dilectionis fornacem, sive caminum cordis impleat totaliter ¹⁶: « Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, » etc. Item perseveranter ¹⁷: « Ignis in altari, » id est in corde, « semper ardebit, quem nutrit sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies. » Ligna sunt Dei beneficia. O quanta naturalia beneficia corporis et animæ contulit tibi Deus! Nota quod quidam a principe exoculari jussus, petivit unum sibi oeu-

¹ Luc., II, 43. — ² Psal. LXXV, 3. — ³ Bern. — ⁴ Luc., XXIV, 32. — ⁵ Matth., V, 8. — ⁶ Psal. LXXXIV, 8. — ⁷ Psal. XXIII, 3-4. — ⁸ Prov., XXII, 11. — ⁹ Anselm. — ¹⁰ Matth., XII, 35. — ¹¹ Matth., II, 11. — ¹² Psal. L, 19. — ¹³ Greg., in *Evang.*, hom. XI, II, 1.

— ¹⁴ Ambros. — ¹⁵ Matth., XI, 29. — ¹⁶ Matth., XXII, 37. — ¹⁷ Levit., VI, 12.

(a) *Ley. deprædarii.*

lum relinqui, asserens quod tunc dicere posset, nunquam principem aliquem tam magnum donum dedisse. Quid ergo nos dicemus, cum non solum oculos, sed omnia membra, et ipsam animam nobis Deus dederit? Ligna vero sunt Christi naturalia in morte pro nobis tradita, et per ipsa alia, scilicet sacramentalia, spiritualia, et redemptionalia, et æterna, quæ sacerdos Christus per singulos dies subjicit, dum quotidie beneficia nobis expendit, vel impensa, vel impendenda ad mentem nobis reducit. Hæc ergo sunt ligna, hi sunt carbones vivi, quibus cor tuum ardere debet per dilectionem, imo et fumare debet per contritionem¹: « Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus demoniorum. »

De quarto²: « Quod autem in terram bonam, hi sunt qui in corde bono et optimo, » etc. Fructus boni cordis sunt bona opera³: « In omni opere bono fructificantes. » Sed vae terræ cordis humani, quæ non fructus meritorum, sed spinas profert peccatorum⁴: « Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, et germinans herbam opportunam illis, a quibus colligitur, accipit benedictionem a Deo; proferens autem spinas et tribulos, reproba, et maledicto proxima. » Hæc est benedictio, quæ misericordibus dabitur in judicio, sicut⁵: « Esurivi enim, et dedistis mihi, » etc. Quid ergo de proferentibus spinas nequitiae, cum maledicatur qui non habet ficus misericordiae? Quæ maledictio significata est⁶, ubi ficus maledicatur.

SERMO III.

*Surrexit Dominus vere*⁷. Notabile est quod discipuli dicunt *vere*. Et juxta hoc notandum, quod in Scriptura sub attestatiōe veritatis nobis insinuantur quatuor de Deo, videlicet potentia, sapientia, clementia, providentia divina.

¹ Tob., vi, 8. — ² Luc., viii, 15. — ³ Coloss., i, 10. — ⁴ Hebr., vi, 7-8. — ⁵ Matth., xxv, 35. — ⁶ Matth.,

De primo nota quod Heliodorus⁸, cum thesaurum ærarii templi Jerosolymitani auferre vellet, per militis cujusdam, aurea arma habentis, priores equi calces illis fuit. Unde interrogatus a rege, qui eum miserat: « Quisquam esset aptus adhuc semel Jerosolymam mitti? » ait: « Siquidem habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illuc, et flagellatum eum recipies, si tamen evaserit: » subjungens: « Eo quod in loco illo vere sit Dei quædam virtus, » etc. Timeant invasores locorum sacrorum. Mystice autem rex iste diabolus est⁹: « Ipse est rex, » etc. Homo vero, Dei templum¹⁰: « Templum Dei estis vos, et Spiritus sanctus habitat in vobis. » Ærarium est cor justii, in quo sunt thesauri virtutum et meritorum¹¹: « Bonus homo de bono thesauro cordis sui, » etc. Nuntii ejus diaboli sunt homines perversi, qui thesaurum istum auferre conantur, dum bonos ad peccatum factis, vel verbis pertrahunt. Alliciendo enim te ad luxuriam, auferunt thesaurum continentiae; si lædunt te verbis et factis, auferunt thesaurum charitatis, dum eos odis. Gregorius¹²: « Non curat antiquus hostis, ut temporalia tollat, sed ut charitatem in nobis finiat. » Per equitem autem significatur Christus, cujus equus est caro: de quo descendit in mortem, dum anima separata fuit a carne. Vere autem ad equum suum rediit in resurrectione: *Surrexit enim Dominus vere*. Nam ipse certissime est Dei virtus. Aurea vero arma sunt immortalitatis donum; et alia dona, corporis indumenta. Hic equus illidit maleficientes in præsentii corripiendo, vel in futuro damnando.

De secundo, nota quod cum Danielsomnium de statua, et de lapide abscisso de monte sine manibus et statuam conterente, exposuisset Nabuchodonosori, ipse Nabuchodonosor ait¹³:

« Vere Deus vester Deus deorum est, et Dominus regum, revelans mysteria. » Vere magna

xxi, 19. — ⁷ Luc., xxiv, 31. — ⁸ II Mach., iii, 25 et seq. — ⁹ Job, xli, 23. — ¹⁰ I Cor., iii, 16. — ¹¹ Luc., vi, 45. — ¹² Greg., in Ezech., hom. viii, n. 6-8, quoad sensum. — ¹³ Dan., ii, 47.

Dei sapientia apparet in hujus mysterii revelatione, et maxime in significatione, videlicet in incarnatione Christi, et mundi conversione, quæ in eodem mysterio significantur. Statua enim regnum mundi significat, qui ad modum statuæ ædificatur. Fuit autem ex auro et argento, in quibus opulentia; item ex ære et ferro, in quibus potentia; et ex luto, et re fictili, in quibus concupiscentia significatur. Ex his tribus constat statua mundanæ vanitatis¹: « Omne quod est in mundo, » etc. Hæc statua per lapidem, id est, Christum, sine manibus amplexus virilis, de monte excellentissimæ Virginis abscissum, est contrita in mundi conversione, et horribiliter conteretur in malorum damnatione²: « Qui ceciderit super lapidem, » etc., usque: « conteret. »

De tertio³: « Vere languores nostros ipse tulit. » Inter omnia divinæ clementiæ indicia maximum est passio Christi, quæ animarum nostrarum languores tulit. Unde cantat Ecclesia⁴:

Quæ te vicit clementia, etc.
Super omnia reddit te amabilem, etc.

Bernardus: require in sermone *Spiritus oris mei*⁵.

Sed nota quod languor vitiorum humanum genus totum infecerat⁶: « Omne caput languidum: » Glossa interlinearis: Id est, princeps: « et omne cor mœrens, » id est, sapiens, quia in corde est sapientia. « A planta pedis, » etc., id est, a minimis usque ad summos. » Hieronymus: « Christus dolores nostros portavit in capite spinis coronatus, in corde lancea vulneratus, in pedibus clavis confossus, et breviter a planta pedis usque ad verticem capitis non fuit in eo sanitas. »⁷ « O vos omnes, » etc. O vos superiores, qui estis caput aliorum, attendite caput pro vobis spinatum. O vos inferiores, qui estis pedes in corpore Ecclesiæ, atten-

dite pedes pro vobis confessos clavis. O vos sapientes, qui estis cor, attendite cor et latus pro vobis transfixum. Bernardus: « O quam vehementi amplexu, » etc. Require in sermone *Colligite fragmenta ne pereant*, in tertio membro⁸. Caput tamen per arundinem, per colaphos, per spinas, plura passum est, quia superiores in plurimis offenduntur.

De quarto⁹: « Cum Jacob angelos in scala vidisset, et Dominum, dicit: Vere Dominus est in loco isto. » Certe in omni loco est Dominus¹⁰: « Cælum et terram ego impleo; » specialiter tamen præsens est per gratiam, mediante scala fidei, cujus duo ligna extensa, ac principalia, sunt fides divinitatis et humanitatis Christi; ligna vero gradalia sunt singuli fidei articuli. Per hanc scalam in cælum ascendunt, qui angeli per sanctitatem sunt. Sed, bone Deus, scala est jam plena dæmonibus. Qui enim non peccant, angeli sunt; qui peccant et penitent, homines sunt; qui peccant et non penitent, diaboli sunt, sive dæmones. Sed dicis: Quomodo diabolus sum, cum fidem habeam? Respondeo¹¹: « Et dæmones credunt, et contremiscunt. »

FERIA III POST PASCHA.

SERMO PRIMUS.

*Stetit Jesu in medio*¹², etc. Dominus est in medio Ecclesiæ, et fidelis animæ, ad quatuor, videlicet ad confortandum per gratiam, ad illuminandum per sapientiam, ad vindicandum per justitiam, ad beatificandum per gloriam.

De primo, Psalmus¹³: « Fluminis impetus, etc., usque: « Deus in medio ejus non commovebitur, » etc. Civitas hæc est Ecclesiâ, vel fidelis anima; fluminis impetus est virtus gratiæ Spiritus sancti¹⁴: « Qui credit in me, flumina, » etc. Per istud flumen est

¹ 1 Joan., II, 16. — ² Matth., XXI, 44. — ³ Isa., LIII, 4. — ⁴ Hymn. ad Laud. in *Ascens. Dom.* — ⁵ Vid. supra, in *Parasceve*, serm. IV, pag. 204. — ⁶ Isa., I, 5. — ⁷ Thren., I, 12. — ⁸ Vid. supra, in *Parasceve*,

serm. V, p. 206, col. 1. — ⁹ Gen., XXVIII, 16. — ¹⁰ Jerem., XXIII, 24. — ¹¹ Jac., II, 19. — ¹² Luc., XXIV, 36. — ¹³ Psal., XLV, 5-6. — ¹⁴ Joan., VII, 38.

Dominus in medio civitatis, id est Ecclesiae, vel animae: et ideo ipsa non commovebitur ad malum, quæ per gratiam conservatur. Sicut enim lignum vitæ in medio paradisi vitam naturæ, sic Christus vitam gratiæ conservat¹: « Lignum vitæ in medio paradisi. » Hoc lignum vitæ non gustant quicumque in paradiso cæli non sunt per mundam vitam, sed potius in stabulo diaboli sunt per putridam vitam²: « Computruerunt jumenta in stercore suo, » etc.

De secundo³: « Vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis. » Septem candelabra aurea septem status in Ecclesia significare possunt. Primus est parvulorum baptizatorum; secundus, conjugatorum; tertius, viduarum; quartus, virginum electorum; quintus, clericorum minorum; sextus, prælatorum; septimus, religiosorum. In his statibus boni in Ecclesia illuminantur, et illuminant proximos, unde et candelabra dicuntur; illuminantur a Deo, unde facies ejus, qui in medio candelabrorum videbatur, *sicut sol*⁴ fuit. Revera sol illuminans bonos, Christus est. Sed, heu! sol iste per tres horas occubuit in passione Christi. Per tres horas, tres ætates hominum significari possunt, juvenilis, virilis, senilis. Quicumque ergo per tres horas, id est per tres ætates, in tenebris vitiorum sunt, signum est, quod in eis Christus crucifigatur. Boni ergo sunt, in quorum medio sol iste non occubuit⁵: « Stetit utique sol in medio cæli, non festinavit occumbere, » etc. Sol in medio cæli stans omnibus est communis: sic et Christus. Bernardus⁶: « Non dissimulemus, non excusemus: in medio est, omnibus se Christus offerens. »

De tertio, Psalmus⁷: « In medio autem Deos dijudicat. » Glossa: « Discernit vasa alia in honorem, alia in contumeliam, ubi dii dijudicantur. » Timendum est angelis;

magis autem timendum est hominibus; maxime autem dæmonibus. Angeli sunt, qui boni sunt per gratiam; homines, qui peccant per ignorantiam; dæmones, qui peccant per malitiam. Dii autem non solum perfecti intelligi possunt, Psalmus⁸: « Ego dixi: Dii estis, » sed etiam perfecti apparentes, et potentes, et sapientes, et divites, quos in mundo isto homines ut deos venerantur, quos dæmones igne iniquitatis sæpe succendunt⁹: « Dederunt deos eorum igni. » Deus ergo, et hic, et in futuro, in medio deos dividat, dum bonos a malis discernit. Unde¹⁰: « Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. » Per firmamentum Christus, Psalmus¹¹: « Firmamentum est Dominus timentibus se; » per aquas superiores, boni; per inferiores, mali significantur. Judica, homo, temetipsum, ne judicaris. Gregorius¹²: « Justi viri cum distractionem futuri judicis contemplantur, peccata sua ad memoriam reducunt, deflent quæ commiserunt, districte se judicant, ne judicentur. »

De quarto¹³: « In gloria ero in medio ejus: » loquitur Dominus Jerusalem, et significat illam quæ sursum est. Unde Christus in medio sanctorum et angelorum est divinitate et humanitate. Unde¹⁴: « Introduxerunt arcam Dei, et posuerunt eam in locum suum in medio tabernaculi. » Arca corpus Christi, urna aurea anima (a) Christi, manna divinitatem significat. Propter prædicta bene invenitur Christus in medio animalium, sicut pabulum, ad confortandum per gratiam; in medio doctorum, ad illuminandum per sapientiam; item in medio latronum, ad judicandum per justitiam, quod iudicium in eisdem latronibus apparuit; item in medio discipulorum, ad beatificandum in gloria: in medio enim illorum stetit post evasionem omnis miseræ. Possunt etiam significari hæc quatuor in Filio hominis,

¹ Gen., II, 9. — ² Joel., I, 17. — ³ Apoc. I, 13. — ⁴ Ibid., 16. — ⁵ Jos., X, 13. — ⁶ Bern. — ⁷ Psal LXXXI, 1. — ⁸ Ibid., 6. — ⁹ Isa., XXXVII, 19. — ¹⁰ Gen., I, 6. — ¹¹ Psal. XXIV, 44. — ¹² Gregor., Moral., lib. XXV,

c. VII, al. VI, n. 13, quoad sensum. — ¹³ Zach., II, 5. — ¹⁴ II Reg., VI, 17.

(a) Leg. animam.

quem in medio candelabrorum vidit Joannes : posuit enim manum ¹ super Joannem ad confortandum. Item facies ejus erat sicut sol, ad illuminandum ; item gladius in ore ejus, ad dimicandum ; item septem stellæ in dextera ejus, ad beatificandum. Stellæ enim in dextera, sunt beatorum animæ in gloria ² : « Justorum animæ in manu Dei sunt. »

SERMO II.

Pax vobis ³. Per peccatum habuit homo inimicitias cum Deo, cum angelis, cum irrationabilibus. ⁴ « Et cum inimici essemus, Deo reconciliati sumus per mortem filii ejus. » Ideo nunc per Christum offertur fidelibus pax trium personarum divinarum, pax potestatum angelicarum, pax creaturarum humanarum, pax irrationabilium creaturarum.

De primo ⁵ : « Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, » etc. Non solum a Filio, sed a tota Trinitate datur hæc pax, scilicet a Patre, et a Filio, et Spiritu sancto ⁶ : « Gratia vobis et pax a Deo, qui est, et qui erat, et qui venturus est, et a septem spiritibus, qui in conspectu throni sunt, et a Jesu Christo. » Anima, secundum Augustinum ⁷, est ad imaginem Patris per memoriam, Filii per rationem, Spiritus sancti per voluntatem. Si ergo in memoria nihil mali retineas, in ratione nihil mali sentias, in voluntate nihil mali cupias, per quæ pax violetur, cum (a) pace gaudebis Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Legitur ⁸ ter Christum dixisse discipulis suis : *Pax vobis*. Væ eis, qui pacem Patris, et Filii, et Spiritus sancti non servant. Augustinus ⁹ : « Qui in pace non fuerit inventus, abdicatur a Patre, exhereditatur a Filio, nihilominus a Spiritu sancto efficitur alienus ; neque poterit ad hæreditatem Domini pervenire, qui testamentum ejus noluit ob-

servare. » Sed nota quod pacem a septem spiritibus non possunt habere, qui pacem cum septem spiritibus diaboli habere volunt, de quibus ¹⁰ : « Tunc vadit, et assumit septem spiritus nequiores se. » Augustinus ¹¹ : « Qui pacem suscipit Salvatoris, et inimicitias contrahit mundi, nihil (b) discordaverit a diabolo, pacem non habebit cum Christo. »

De secundo ¹² : « Pacificans per sanguinem ejus, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt, » scilicet angelos et homines. Angeli enim inimici fuerunt homini propter offensam Creatoris, specialiter autem per luxuriam, sicut patet in duobus angelis, quos misit Dominus ¹³ subvertere Sodomam et Gomorrhæam ; item propter superbiam, sicut patet in angelo ¹⁴ percussente septuaginta millia hominum propter superbiam David populum numerantis ; item propter avaritiam et blasphemiam, ut patet in angelo, qui percussit de exercitu Sennacherib ¹⁵ centum octoginta quinque millia. Qui hujus vitia non sequuntur, sed ab ipsis convertuntur, pacem habent cum angelis. Unde pacem angeli talibus nuntiant ¹⁶ : « Pax hominibus, » sed certe « bonæ voluntatis. »

De tertio ¹⁷ : « Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. » Igitur cum inimicis, imo cum omnibus hominibus est pax habenda ¹⁸ : « Si fieri potest, quod ex vobis est, cum (c) hominibus pacem habentes. Pacem utique cum bonis ¹⁹ : « Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos. » Isidorus ²⁰ : « Pacem cum bonis, et bellum cum vitiosis semper habeamus : mala siquidem hominum impiorum odio habenda sunt. » Item cum malis, Psalmus ²¹ : « Cum iis, qui oderunt pacem, eram pacificus. » Item a mortuis, de quibus ²² : « Illi autem sunt in pace. » Pacem autem mortuis non dat, qui adhuc mortuos detrahendo, et odiendo impugnat, et maxime sanctos, quorum

¹ *Apoc.*, I, 17. — ² *Sap.*, III, 1. — ³ *Luc.*, XXIV, 36. — ⁴ *Rom.*, V, 10. — ⁵ *Joan.*, XIV, 27. — ⁶ *Apoc.*, I, 4. — ⁷ *Aug.*, *de Trinit.*, lib. X, c. XII. — ⁸ *Joan.*, XX, 21, 26. — ⁹ August. — ¹⁰ *Luc.*, XI, 26. — ¹¹ August. — ¹² *Coloss.*, I, 20. — ¹³ *Gen.*, XVIII. — ¹⁴ II *Reg.*,

XXIV. — ¹⁵ IV *Reg.*, XIX. — ¹⁶ *Luc.*, II, 14. — ¹⁷ *Prov.*, XVI, 7. — ¹⁸ *Rom.*, XII, 18. — ¹⁹ *Marc.*, IX, 49. — ²⁰ Isid. — ²¹ *Psal.*, CXIX, 7. — ²² *Sap.*, III, 3. — (a) *Leg.* tam. — (b) *Forte leg. nisi.* — (c) *Suppl. omnibus.*

ecclesias spoliant, similes militi, qui sua lancea Dominum mortuum perforavit.

De quarto ¹: « Bestiæ terræ erunt pacificæ tibi, ut scias quia tabernaculum tuum pacem habeat. » Hæc enim pax cum bestiis irrationabilibus perdita est per peccatum. Sicut enim dicit Isidorus ²: « Si homo non peccasset, nullus eum ignis ureret, nulla aqua submergeret, nulla bestia noceret. » Ex dono autem speciali adhuc creaturæ pacem servant cum sanctis: sicut ignis ³ cum tribus pueris; sicut aqua ⁴ cum filiis Israel in mari Rubro; sicut leones ⁵ cum Daniele. Sed qualem creaturæ cum hominibus pacem habebunt in novissimo tempore, ostendetur, quia, sicut dicitur ⁶, « pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos. » Nobiscum modo bene ageretur, si bestia avaritiæ, si aqua luxuriæ, et ignis superbiæ animas nostras non læderent. Natura ignis est ascendere: sic et superbis (a). Psalmus ⁷: « Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. » Per bestiam quoque avaritia significatur: sicut enim bestiæ devorantes sunt, sic et avaritia ⁸: « Facti sunt greges mei in rapinam, et in devorationem omnium bestiarum agri. » Et sicut in aquis porci submerguntur, sic et in aquis luxuriæ homines porcorum more viventes.

SERMO III.

Pax vobis ⁹, etc. Bonis hominibus est pax in mundo, pax in extremo, pax in iudicio, pax in cælo.

De primo ¹⁰: « Si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace super terram. » Ecce duæ sunt viæ: diaboli una, altera Dei. In prima nunquam aliquis pacem habuit, quia spoliaretur vel occideretur. Per hanc descendit homo ab Jerusalem in Jerico, ut dicitur ¹¹. Jerusalem *pacifica* interpretatur; Jerico, *luna*. Luna enim instabilitatem præ-

sentis vitæ, vel mundi significat. Qui ergo veram cum Deo pacem postponit, et ad mundum se convertit, ab Jerusalem in Jerico venit, et in latrones, scilicet dæmones, incidit, a quibus spoliatur gratia, et vulneratur in natura. Psalmus ¹²: « Contritio et infelicitas, » etc. In secunda via semper pax est interior, licet non semper exterior ¹³: « Omnes semitæ illius pacificæ, » etc. Psalmista ¹⁴: « Pax multa diligentibus legem, » etc. Insania ergo est ire per viam, in qua nunquam homo evasit, et relinquere viam, in qua nunquam homo periit, licet forte ista planior, et illa asperior videatur. Beda ¹⁵: « Felicius est duci per asperam viam ad regnum, quam per planam et amœnam ad supplicium. »

De secundo ¹⁶: « Nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum misericordiam, et præcipe in pace recipi spiritum meum. » Vere bona pace indiget homo in exitu de corpore, quia tunc inimici maxime insidiantur. Unde ¹⁷: « In tempore illo non erit pax et egredienti et ingredienti (b), sed terrores undique in cunctis habitatoribus (c) terrarum. » Sicut viri spirituales dicuntur habitatores cæli ¹⁸: « Nostra conversatio est in cælis; » carnales et mali terrenis (d) vitiis, voluntate, opere et consuetudine, dicuntur terræ habitatores. ¹⁹ « Væ, væ, væ habitantibus in terra. » Væ pro voluntate; væ pro opere; væ pro consuetudine. Talibus in tempore mortis non est pax egrediendi et ingrediendi. Sine pace ingredimur infernum; unde ²⁰: « Inimici, » scilicet dæmones, « circumdabunt te, » scilicet exitum tuum observando, « coangustabunt te, » animam de corpore rapiendo, prosternent te ad terram ²¹ « tenebrosam et opertam mortis caligine, » ubi animam projicient.

De tertio ²²: « Quis rex iturus, » etc. us-

¹⁵ Bed. — ¹⁶ Tob., xv, 8. — ¹⁷ II Paral., xv, 5. — ¹⁸ Philip., iii, 20. — ¹⁹ Apoc., viii, 13. — ²⁰ Luc., xix, 44. — ²¹ Job, x, 21. — ²² Luc., xiv, 31-32.

(a) Leg. superbiæ. — (b) Cæt. edit. deest et egredienti. — (c) Cæt. edit. habitationibus. — (d) Leg. terreni.

¹ Job, v, 24. — ² Isid., — ³ Dan., iii, 23. — ⁴ Exod., xiv, 22. — ⁵ Dan., vi, 16. — ⁶ Sap., v, 21. — ⁷ Psal. lxxiii, 23. — ⁸ Ezech., xxxiv, 8. — ⁹ Luc., xxiv, 36. — ¹⁰ Bar., iii, 13. — ¹¹ Luc., x, 30. — ¹² Psal. xlii, 3. — ¹³ Prov., iii, 17. — ¹⁴ Psal. cxviii, 163. —

que : « rogat ea quæ pacis sunt, » etc. Rex est homo regens suos : si bene rexerit, coronam in cœlo portabit, accipiet coronam vitæ. Rex autem contra hunc veniens ad iudicium est Christus. Glossa : « Cum decem millibus occurrit Domino, qui offert opera decem mandatorum, quæ exterius gessit ; sed Dominus quasi duplicato numero contra eum convenit, cum præparatum in solo opere, discurrit ac discutit simul de opere et voluntate : et ideo adhuc longe, cum dilatione iudicii, nos nostram insufficientiam attendentes, ad impetrandam severi iudicis pacem, debemus præmittere legationem lacrymarum, bonorum operum et purorum affectuum. Vere bona pace indigemus in die iudicii, quando sic dicitur ¹ : « Accipiet armaturam zelus Domini, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum, » etc. Anselmus ² : « O angustia ! Hinc erunt accusantia peccata, inde terrens justitia, subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus iudex, intus urens conscientia, foris ardens mundus. Si justus vix salvabitur, peccator sic deprehensus in quam partem se premet constrictus ? ubi latebit (a) ? ubi apparebo ? latere erit impossibile, apparere intolerabile. » Licet autem mali angustias, boni tamen pacem habebunt ³ : « Ignis hostes tuos devorat ; Domine, dabis pacem nobis. »

De quarto ⁴ : « Sedebit populus meus (b) in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, » etc. De hac pace æterna ait Augustinus ⁵ : « Cœlestis civitatis est ordinatissima societas fruendi Deo, et invicem in Deo. » In hac pace sedet populus meus in cœlo. In mundo in pace debemus ambulare ⁶ : « Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. » In cœlo autem sedere debemus *in tabernaculis*, id est in ordinibus angelorum. Qui (c) dicuntur *fiducie* : magna enim fiducia pacis est in tabernaculo, quando hostis intrare non potest propter munitionem. Hæc utique

in prima est ; Psalmista ⁷ : « Confortavit seras portarum, » etc, usque : « fines tuos pacem. » Augustinus ⁸ : « Quis non (d) desideret illam pacem, ubi amicus non deerit, quo inimicus non intrat, ubi nullus deprædator adest, nullus seditiosus, nullus deridens Ecclesiam ? »

FERIA IV POST PASCHA.

SERMO PRIMUS.

Erant simul Simon Petrus, et Thomas ⁹, etc. Bonum est bonos simul esse in bono, quia mali sæpe simul sunt in malo. Considerandum est ergo quod diverso modo habent homines esse simul. Sunt enim homines simul in mundo, simul in inferno, simul in iudicio, simul in cœlo, seu in cœli palatio. Simul in mundo sunt boni et mali ; sed Christus, tanquam dux belli, suis mitilibus ait ¹⁰ : « Stemus simul : quis est adversarius, » etc. quasi dicat : Multi sunt qui impugnant, pauci qui adjuvant : stemus ergo simul in hoc mundo. Simul ergo nos dæmones invadunt, simul reprobi fugiunt, simul sancti resistunt. Simul nos dæmones invadunt ; unde ¹¹ : « Simul venerunt latrones ejus, et fecerunt sibi viam per me. » Latrones sævissimi sunt dæmones : expoliant, vulnerant, et jugulant. Expoliant nos gratuitis, vulnerant in naturalibus, jugulant in pœnis gehennalibus. Isti sunt latrones, in quos incidit homo descendens de Jerusalem in Jericho ¹², etc. Simul ergo veniunt impugnando. Viam per hominem faciunt impugnantes comminando. Simul etiam reprobi fugiunt ¹³ : « Mercenarii quoque ejus, qui versabantur in medio ejus, quasi vituli saginati, versi sunt, ut fugerent simul. » Mercenarii sunt, qui pro bonis operibus gloriam humanam, vel temporalia quærunt, de quibus ¹⁴ : « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. » Vel

¹² Luc., x, 30. — ¹³ Jerem., XLVI, 21. — ¹⁴ Matth., vi, 2.

(a) Al. latebo. — (b) Cœl. edit. Dominus. — (c) Forte leg. Quæ. — (d) Cœl. edit. Quisue.

¹ Sap., v, 18. — ² Anselm., *Medit.* II, pag. 208. — ³ Isa., XXVI, 11-12. — ⁴ Isa., XXXII, 18. — ⁵ Aug. — ⁶ Luc., I, 79. — ⁷ Psal. CXLVII, 13-14. — ⁸ Aug. — ⁹ Joan., XXI, 2. — ¹⁰ Isa., L, 8. — ¹¹ Job, XIX, 12. —

mercenarii sunt, qui in cura animarum mercedem temporalem, non æternalem quærunt. Isti, quasi vituli saginati, lascivi sunt, et simul fugiunt ¹: « Mercenarius autem, » etc. Simul reprobis fugiunt, etc. Fugiunt autem simul ad iniquitates, Psalmus ²: « Simul inutiles facti sunt, » etc. Simul quoque sunt electi, sicut hic dicitur: *Erant simul Simon Petrus*, etc. ³ « Stemus simul. » Standum est in acie, non cadendum ⁴: « Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. » Arma nostra virtutes sunt. Non solum autem simul standum, sed etiam currendum ⁵: « Currebant duo simul. » Stant, qui malo resistunt fortiter; at vero illi bene currunt, qui in bono proficiunt ferventer. Bernardus ⁶: « Currite, fratres, quia non solum angeli, sed ipse Creator angelorum nos expectat. »

De secundo, simul etiam mali sunt in inferno, ut æternaliter pereant; Psalmus ⁷: « Simul insipiens, et stultus peribunt, et relinquent alienis divitias suas; » scilicet quoniam per eas nihil boni pro animabus suis de ipsis faciunt. Simul autem sunt damnati tripliciter, scilicet cum immundis vermibus, simul cum damnatis peccatoribus, simul cum crudelibus dæmonibus. Simul cum immundis vermibus in sepulcro ⁸: « Iste moritur dives, sanus, et robustus, » etc., usque: « Simul in pulvere dormient, et vermes operient eos. » Corpus nunc opertum pulchris vestibus, in sepulcro operietur vermibus. Caro nunc tam florida, tam lasciva, putredine et vermibus consumetur. ⁹ « Putredini dixi, » etc. Bernardus ¹⁰:

Post hominem vermis, post vermem fœtor et horror.
Sic in hominem vertitur omnis homo.

Simul quoque sunt damnati cum damnatis hominibus; quorum simul societatem abhorrens propheta, clamat ad Dominum ¹¹: « Ne simul trahas (a) me cum peccatoribus, » etc.

¹ Joan., x, 12. — ² Psal. xiii, 3. — ³ Job, xix, 12. — ⁴ Ephes., vi, 13. — ⁵ Joan., xx, 4. — ⁶ Bern. — ⁷ Psal. xlviii, 10-11. — ⁸ Job, xxi, 23-26. — ⁹ Job, xvii, 14. — ¹⁰ Bern. — ¹¹ Psal. xxvii, 3. — ¹² Matth.,

Quia enim hic simul colligati sunt in pœna ¹²: « Colligite zizaniam, et alligate eam (b) in fasciculos ad comburendum. » Hic socii culparum, ibi socii pœnarum. Vis ergo non simul esse cum damnatis in inferno in pœnis? non sis hic simul cum eis in culpis. Simul insuper sunt damnati cum crudelissimis dæmonibus ¹³: « Abscidentur, excutientur et relinquentur simul avibus montium, et bestiis terræ. » Abscidentur in monte damnati ab amicis et omnibus temporalibus; excutientur eorum animæ de cordibus (c); relinquentur simul avibus, id est, dæmonibus. Propter hoc ait Bernardus ¹⁴: « *Mors peccatorum pessima* ¹⁵. Mala quidem, quando ab his, quæ hic dilexerunt, separantur; pejor, quando eorum animæ a malignis spiritibus torquentur; pessima, quando corpus et anima simul æternis ignibus addicuntur. » Aves, propter velocitatem; bestię, propter crudelitatem: quia in separatione peccatrici animæ a corde (d) eorum, velocitatem dæmonum effugere impossibile est, crudelitatem sustinere intolerabile ¹⁶: « Devorabunt eos aves morsu amarissimo. » Dentes bestiarum innuit Psalmus ¹⁷: Ne tradas bestiis, » etc.

SERMO II.

Erant simul Simon Petrus ¹⁸, etc. Hodie dictum fuit quod simul sunt homines in mundo, simul in inferno, simul in iudicio, simul in cœlo. Prima duo hodie exposita sunt, de aliis duobus videamus.

Tertio igitur simul erunt in iudicio, et boni, et mali ¹⁹: « Simul ad iudicium propinquemus. » Ut autem de bonis taceamus, mali miserabiliter erunt ibi simul tripliciter: simul erunt confusi, simul stupidi, simul absorpti. Simul confusi mali, universaliter in omnium præsentia; simul stupidi, in communi audientia; simul absorpti, a fero-

xiii, 30. — ¹³ Isa., xviii, 5. — ¹⁴ Bern., Sent., 6. — ¹⁵ Psal. xxxiii, 22. — ¹⁶ Deut., xxxii, 24. — ¹⁷ Psal. lxxiii, 19. — ¹⁸ Joan., xxi, 2. — ¹⁹ Isa., xli, 1.

(a) Cœt. edit. tradas. — (b) Vulg. zizania.. etc. — (c) Leg. corporibus. — (d) Leg. corpore.

cissima sententia. In iudicio damnandi simul erunt confusi in omnium præsentia ¹ : « Convenient omnes, et stabunt, et pavebunt, et confundentur simul. » Convenient, inquam, universaliter, stabunt præsentialiter, pavebunt mentaliter, confundentur simul æternaliter. Sed unde erit ille pavor, nisi de omnibus peccatis? Gregorius ² : « Nunc cuncta peccata simul ante oculos redeunt; ibi omnia, quæ cum delectatione facta sunt, ad memoriam cum pavore revocantur. » Simul etiam erunt reprobi stupidi, et quasi muti in publica audientia ³ : « Accedant et tunc loquantur, simul ad iudicium propinquemus. » Ecce quod audientia non negatur eis, patet, cum dicitur : *Tunc loquantur*, quasi dicat Dominus per Prophetam : Modo reprobi satis se excusant; modo dicunt : Non possumus hæc vel illa peccata dimittere, non valemus hæc vel illa bona facere. Modo satis loquantur; sed certe tunc parum loqui poterunt, tanquam stupentes et obmutescentes ⁴ : « At ille obmutuit. » Simul quoque erunt reprobi absorpti a voracissima sententia ⁵ : « Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar : dissipabo et absorbebo, simul desertos faciam montes, » id est, superbos peccatores. Dominus nunc tacet ad tuas fœdas cogitationes, scilicet ad tuas malas locutiones, patiens est ad tuas iniquas operationes; sed sicut parturiens loquitur ⁶ : « Ite, maledicti, in ignem æternum : » et tunc dissipabuntur malorum consilia, absorbebuntur omnes a voracissima sententia, simul deserti erunt ab omni auxilio et gratia. Propter has reproborum angustias in iudicio, ait Anselmus : « O angustia, » etc. Require in sermone : *Pax vobis*, ut supra ⁷.

Quarto modo erunt homines boni simul in cœli palatio. ⁸ « Simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion. » Non solum Sion militan-

tem, sed etiam triumphantem Ecclesiam significat. Nam sicut illa in tenebris suis convertitur de culpa ad gratiam, ita ista de miseria ad gloriam. Ibi oculo ad oculum, facie ad faciem videbimus Deum. Simul autem boni erunt in tribus : in animarum felicitate, in angelorum societate, in corporali immortalitate. Simul erunt boni in animarum felicitate, quæ maxime consistit in Dei visione : propter hoc dicitur : *Simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt.* ⁹ « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » Sed quomodo videtur Deus? Augustinus ¹⁰ : « Ita est Deus notus atque conspicuus, ut videatur a nobis singulis, in nobis videatur, ab altero in altero videatur, vel seipso videatur in cœlo novo, et in terra nova. » Sed, heu ! istum oculum, quo videre debent Deum deorum in Sion, multi turbant, multi excæcant pulvere avaritiæ ¹¹ : « Neque accipies munera, quæ excæcant etiam prudentes, et subvertunt verba justorum. » Unde et Tobias excæcatus stercore hirundinum ¹² fuit. Simul erunt beati angelorum societate, quia ordinum ipsorum ruinam instaurabunt. Unde subjungitur ¹³ : « Gaudete, et laudate simul, deserta Jerusalem. » Deserta cœlestis Jerusalem dici possunt ordines vel mansiones, quas desertores angeli deseruerunt. Propter hoc cœlum dicitur desertum ¹⁴ : « Quis ex vobis homo habet centum oves in deserto? » Qui ergo cœlorum deserta habitabunt cum angelis, simul laudabunt. Augustinus ¹⁵ : « Cum transierit gemitus, mox una in voce, uno in populo, in una patria erimus millia hominum conjuncta in psallentibus angelorum choris cœlestium, perpetuo in una civitate viventium. » Simul insuper erunt beati in corporum immortalitate ¹⁶ : « Simul rapiemur cum illis, » etc., « et sic semper cum Domino erimus. » Sed rapti corpore, semper cum ipso erimus : ergo immortales erimus.

¹ Isa., XLIV, 11. — ² Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. LIII, al. XXXII, n. 90, quoad sensum. — ³ Isa., XLI, 1. — ⁴ *Matth.*, XXII, 12. — ⁵ Isa., XLII, 14. — ⁶ *Matth.*, XXV, 41. — ⁷ Vid., sup., fer. tert. in Pasch., serm. III, p. 228,

col. 1. — ⁸ Isa., LII, 8. — ⁹ *Matth.*, V, 8. — ¹⁰ August. — ¹¹ *Ezod.*, XXXIII, 8. — ¹² *Tob.*, I, 11. — ¹³ Isa., LII, 9. — ¹⁴ *Luc.*, XV, 4. — ¹⁵ Aug. — ¹⁶ *1 Thess.*, IV, 16.

DOMINICA IN OCTAVA PASCHÆ.

SERMO PRIMUS.

*Pax vobis*¹. Commendabilis et servanda est hæc pax propter principis auctoritatem, propter fœderis firmitatem, propter judicis severitatem, propter pacis utilitatem.

De primo, quia principis est dare pacem, ideo de Christo dicit²: « Pater futuri sæculi, princeps pacis, multiplicabitur ejus imperium, » etc. O quam magna auctoritate nobis indicitur pax! auctoritate utique Patris, et Filii, et Spiritus sancti³: « Gratia vobis et pax a Deo, qui est, et qui erat, » etc., « et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt, ab Jesu Christo, » etc. Unde etiam in Ævangelio dicitur ter: *Pax vobis*, etc. Sed nota quod Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas attribuitur. Pacem Patris violat peccans ex infirmitate (a), sicut Petrus negans⁴ timore mortis; pacem Filii, peccans ex ignorantia, sicut Paulus persequens⁵ fideles⁶: « Ignorans feci; » pacem Spiritus sancti, peccans ex malignitate, sicut Judas⁷. De secundo⁸: « Percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis. » Sicut enim manu in manum percutitur ad pactum pacis, sic Christus in cruce manus extendit, quia pacem promittens, firmavit eam tripliciter, videlicet: manu, facto, pacto, promisso, ut dictum est; item oris osculo, unde⁹: « Inclinato capite tradidit spiritum. » Tunc faciem suam quasi ad osculum pacis dandum inclinavit¹⁰: « Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. » Bernardus¹¹: « Vide caput inclinatum ad osculandum, brachia extenta ad amplexandum, manus perforatas ad largiendum, latus apertum ad diligendum, totius corporis dispositionem ad se totum im-

pendendum. » Hinc est quod etiam osculum Judæ¹² dedit, ut nullus peccator de pace Dei desperet, ex quo traditori osculum non negavit. Item sanguinis sacramento¹³: « Pacificans per sanguinem crucis ejus, » etc. Nota quod gentiles sanguinem animalis mundi, et aquam, in confirmatione pacis ostendere solebant, significantes quod sic ejus sanguis et vita effundi deberent, qui pacem violaret. Sed Christus ut pacem inter Deum et hominem firmaret, utrumque effudit¹⁴: « Continuo exivit sanguis et aqua. » Væ ergo illis, qui per luxuriam, invidiam, avaritiam, et alia crimina, pacem violant tantis fœderibus firmatam.

De tertio¹⁵: « Susurro et bilinguis maledictus, multos turbavit pacem habentes. » Maledictus utique illa maledictione, de qua¹⁶: « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. » Si ergo severitas judicii cogit homines pacem servare, quanto potius judicii Dei? Et certe qui hanc severitatem non timet in mundo, inveniet in judicio et in inferno.¹⁷ « Quis dabit me spinam, et veprem in prælio? » Dominus enim contra animam peccatricem quasi præliatur, dum spina tribulationis eam pungit, ut convertatur. Sed infelix anima in hoc prælio non vincitur, dum castigatione non corrigitur. Item in judicio; unde de anima peccatrice subjungit¹⁸, dicens: « Gradiar super eam, » scilicet cum gladio evaginato sententiæ condemnationis finalis. Item in inferno; unde subdit¹⁹: « Succendam eam, » scilicet igne gehennali. Ibi dabitur violatoribus pacis quod meruerunt²⁰: « Loquuntur pacem cum proximo, » etc., usque: « Da illis secundum opera eorum. »

De quarto²⁰: « Acquiesce ergo ei, et habeto pacem cum eo, et per hoc habebis fructus optimos. » Vere optimos, per pacem enim habemus interius securitatem: bona enim

¹ Luc., xxiv, 36. — ² Isa., ix, 6. — ³ Apoc., i, 4-5. — ⁴ Matth., xxvi, 70. — ⁵ Act. Apost., ix, 1. — ⁶ I Tim., i, 13. — ⁷ Matth., xxvi, 15. — ⁸ Ezech., xxxvii, 26. — ⁹ Joan., xix, 30. — ¹⁰ Num., vi, 26. — ¹¹ Bern. — ¹² Matth., xxvi, 49. — ¹³ Coloss., i, 20.

— ¹⁴ Joan., xix, 34. — ¹⁵ Eccl., xxviii, 15. — ¹⁶ Matth., xxv, 41. — ¹⁷ Isa., xxvii, 4. — ¹⁸ Ibid. — ¹⁹ Psal. xxvii, 3-4. — ²⁰ Job, xxii, 24.

(a) Cæt. edit. ignorantia. — (b) Item hic add. De primo præter ordinem.

est securitas, ubi bona est custodia ¹: « Pax Dei quæ superat omnem sensum, » etc. Item exterius unitatem cum proximo ²: « Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. » Item superius hæreditatem ³: « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. » ⁴ « Si autem filii, et hæredes. » Qui ergo sunt pacifici in hoc mundo, tanquam filii hæreditabunt pacem Dei in cælo. Erit pax purgata in filiis Dei se animantibus et se videntibus plenos Deo, cum erit omnia in omnibus; commune speculum habemus; communem possessionem habemus Deum.

SERMO II ⁵.

Gavisi sunt discipuli, viso Domino ⁶. Quoniam de cujus amissione magna est desolatio, in ejus recuperatione magna est consolatio; hinc est quod apostoli dolentes de amissione præsentiae Filii Dei, quem super se et super omnia diligebant, cum jam eum cernunt visu corporeo a mortuis resurrexisse, gavisi sunt gaudio magno. Sed quia homo, nisi primo habeat timorem filialis reverentiæ, deinde splendorem cælestis intelligentiæ, non potest experiri gaudium et dulcedinem spiritualis lætitiæ; ideo ad hoc, ut recto ordine littera construatur, primo in verbo proposito notatur subjectio reverentiæ et humilitatis; secundo contemplatio divinæ majestatis; tertio oblectatio internæ jucunditatis. Subjectio reverentiæ et humilitatis notatur, cum dicitur: *Discipuli*, non magistri, non domini, non socii. Contemplatio divinæ majestatis notatur, cum subdit: *Viso Domino*. Oblectatio internæ jucunditatis notatur, cum subinfertur: *Gavisi sunt*.

Primo ergo notatur in proposito verbo subjectio reverentiæ et humilitatis, cum dicitur: *Discipuli*. Illi autem sunt reverentes et discipuli subjecti Christo, qui per Christum et ejus exemplar, et secundum ejus

doctrinam vivunt, et vitam salutarem regulant. Vita et doctrina boni magistri Jesus Christi docet quemlibet suum discipulum habere, primo humilitatem fidelis obedientiæ, respectu mundi contemnendi; secundo confœderationem charitatis et benevolentiam, respectu proximi diligendi; tertio perpetuationem finalis perseverantiæ, respectu inchoati boni continuandi. Et hæc tria necessaria sunt cuilibet adulto ad salutem. Primo esse in discipulo oportet humiliationem fidelis obedientiæ, respectu mundi contemnendi ⁷: « Omnis ex vobis, qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. » Magister sapiens Christus dat necessariam salutis cuilibet Christiano doctrinam, cum dicit: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Et licet non teneamur omnia quæ possidemus relinquere, sive pauperibus erogare, et ad exemplum Christi ostiatim mendicare, sive in monasterio Deo servire, nisi perfecti, qui constricti sunt voto paupertatis; tamen omnes tenemur renuntiare omnibus, quæ possidemus, affectu, secundum illud Psalmi ⁸: « Divitiæ si affluent, nolite cor apponere: » ut sic extirpata de corde cupiditate, quæ est ⁹ « radix omnium malorum, » plantetur paupertas, quæ est primarium fundamentum omnium virtutum. Secundo, in discipulo Christi debet esse confœderatio charitatis et benevolentiam, respectu proximi diligendi. Et de hoc dicit Dominus ¹⁰: « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. » Mandatum de dilectione, licet sit vetus quantum ad lationis antiquitatem, dicitur tamen novum quantum ad obligationis firmitatem. Unde ne crederetur dispensabile propter antiquitatem lationis, addidit Dominus novitatem obligationis, cum dicit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invi-*

¹ *Philip.*, IV, 7. — ² *Ephes.*, IV, 3. — ³ *Matth.*, V, 9. — ⁴ *Rom.*, VIII, 17. — ⁵ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ⁶ *Joan.*, XX, 20. — ⁷ *Luc.*, XIV, 26. —

⁸ *Psal.*, LXI, 11. — ⁹ *I Tim.*, VI, 10. — ¹⁰ *Joan.*, XIII, 34-35.

cem, sicut dilexi vos : quia majus signum dilectionis non potuit nobis dare, quam ut pro nobis animam suam poneret. Sed quia signum veri discipuli imitantis Christum est confœderatio nimie dilectionis, ideo addidit : *In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli eritis, si dilectionem ad invicem habueritis.* Illud quidem mandatum, sive præceptum, adeo Dominus de novo firmavit, ut ratione suæ firmæ obligationis cum nullo dispensetur. Unde Bernardus ¹, in tertio *de Consideratione*, dicit quod ratio dispensationis in præceptis est evidens necessitas vel communis utilitas : « Ubi autem necessitas urget, dispensatio est excusabilis. » Cum ergo habere odium nulli sit utile, sed nocivum et mortale peccatum, nec unquam in veritate de diligendis inimicis, propter aliquam necessitatem, potest aliquis se excusare, secundum beatum Augustinum ² : « Qui non generat capiti vertiginem, non dolorem, non stomacho torsionem vel constipationem, sive aliquam passionem, non corporis debilitatem, sicut forte faceret vigilia vel jejunium, non inducit egestatem, sicut posset facere abrenuntiatio mundanæ prosperitatis : ideo non fuit conveniens ut cum aliquo dispensaretur, sed omnes tenemur invicem diligere. » Tertio in discipulo Christi esse debet perpetuatio finalis perseverantiæ, respectu inchoati boni continuandi. Et de hoc dicitur ³ : « Si manseritis in meo sermone, vere discipuli mei estis : et vos cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. » Ille verus est discipulus Christi, qui semper manet in ejus doctrina et sermone, nec unquam per aliquam tentationem separatur ab ejus dilectione, nec unquam quibuslibet damnis, opprobriis, et suppliciis illatis, cessat ab ejus nominis confessione, quia tunc meretur illuminari a prima veritate. Et de hoc est quod dicit : *Cognoscetis veritatem*, adjuvati a divina virtute, sive potestate ; et hoc est quod subdit : *Veritas liberabit vos* ab omni

adversitate : et nihilominus meretur præmiari ab ista dilectione.

Secundo sequitur contemplatio divinæ veritatis, cum subditur : *Viso Domino.* Viderunt, sive contemplati sunt apostoli divinam majestatem triplici modo. Nam primo viderunt in mundana creatura Dominum eminentem proprietatibus ; secundo viderunt Dominum in propria assumpta natura resurgentem cum eicatricibus ; tertio viderunt Dominum in propria conscientia regnantem in cœlestibus. Per primam visionem (appropriate loquendo) illuminati fuerunt ænigmatica cognitione, ad intelligendam (a) divinam potentiam esse omnium creatricem. Per secundam visionem illuminati et informati fuerunt interna revelatione, ad credendum divinam sapientiam esse omnium reparatricem. Per tertiam visionem elevati fuerunt ecclesiastica dilectione, ad diligendum (b) divinam clementiam esse omnium remuneratricem. Primo viderunt Dominum Christum Creatorem in mundana creatura, eminentem proprietatibus. Et de hoc dicitur ⁴ : « A magnitudine enim speciei creaturæ cognoscibiliter poterat Creator horum videri. » Videmus enim ⁵ « invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, » cum elevamur a cognitione creaturæ ad cognitionem Dei, quasi per scalam mediam, secundum Bernardum ⁶ : magnitudo enim et pulchritudo creaturæ clamat magnitudinem et speciem Creatoris. Nam sapientia artificis manifestatur in opere, et relucet in effectu. Unde David ⁷ : « Cœli enarrant gloriam Dei, » non voce, quæ auribus audiatur sensibilibus ; sed ex propria magnitudine Conditoris virtutes ostenduntur : quorum pulchritudinem excogitantes, factorem sicut optimum artificem admiramur et glorificamus. Et propter hoc non est sistendum in pulchritudine creaturæ, sed per eam est tendendum in suum Creatorem ; alioquin faceret de via ter-

20. — ⁶ Bern., *de Consid.*, lib. V, c. 1, n. 1. — ⁷ *Psal.* XVIII, 2.

¹ Bern., *de Consid.*, lib. III, c. IV, n. 18. — ² Aug. — ³ *Joan.*, VIII, 36. — ⁴ *Sap.*, XIII, 5. — ⁵ *Rom.*, I,

(a) *Leg.* intelligendum. — (b) *Leg.* videndum.

minum : quod est summa perversio et abusio. Unde Hugo (a), *de libero Arbitrio*¹ : « Væ illis qui dereliquerunt te ducem, et aberrant in vestigiis tuis ; qui nutus tuos propter se (b) amant, et obliviscuntur quod (c) innuant (d). » Secundo viderunt Dominum Jesum Christum Redemptorem omnium in natura assumpta, resurgentem cum cicatricibus. Et de hoc dicitur² : « Videte manus meas, quia ego ipse sum. » Dominus noster Jesus ad hoc voluit divina dispensatione cicatrices, quas in passione recepit, retinere post glorificationem in suo corpore, et discipulis demonstrare, ut probaret identitatem sui corporis patientis, et resurgentis. Nam si idem servatur accidens, sive cicatrices, necesse est idem esse corpus, sive subjectum. Impossibile est enim accidens mutare substantiam. Et propter hoc Dominus primo proponebat ad videndum manus, in quibus servatæ erant cicatrices, cum dicebat : *Videte manus meas*. Deinde concluderebat ut probaret identitatem corporis patientis et resurgentis, cum addebat : *Quia ego ipse sum* qui passus fui, et non alius. De illa visione similiter dicitur³ : « Infer digitum tuum huc, vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis. » Unde dicit Gregorius⁴ : « Minus mihi profuit Maria Magdalene quæ citius credidit, quam Thomas qui diu dubitavit. Ille enim dubitando cicatrices tetigit, et de nostro pectore dubietatis vulnus amputavit : » quia⁵ *beati qui non viderunt et crediderunt*. Tertio viderunt Dominum Jesum Christum omnium remuneratorem, in propria conscientia, regnantem in cœlestibus. Et de hoc dicitur⁶ : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » Ecce quod ad videndum Deum in propria conscientia requiritur puritas conscientia. Unde Augustinus, *de Trinitate*⁷ : « In agnitione Dei justitia est necessaria,

quia qui veritatem sanctitatis de die in diem renovat, transfert amorem a temporalibus ad æterna, a carnalibus ad spiritualia, a visibilibus ad invisibilia. » Et non solum ad divinam visionem requiritur purgatio a peccato, sed etiam abstractio ab amore mundano, secundum illud Psalmi⁸ : « Vacate et videte, quoniam suavis est Dominus. » *Vacate* ab operibus et desideriis sæcularibus, per quietationem mentis. *Et videte* Dominum in propria conscientia, per excelsum (e) contemplationis : *quoniam suavis est Dominus*, propter dulcedinem sapientialis oblectationis. Quam quidem dulcedinem experitur anima, quando ejus affectus est purgatus a peccatorum fœditatibus, ejus intellectus abstractus a sensibilibus speciebus, a phantasticis imaginibus, et philosophicis rationibus. Unde Augustinus, *de Trinitate*⁹ : « Hæc visio rapit sui desiderio omnem animam tanto ardentior, quanto ad spiritualia assurgentem, et carnalibus morientem. »

Tertio notatur internæ jucunditatis oblectatio, cum subinfertur : *Gavisi sunt*. Quia illud gaudium sapientiæ oblectationis nullus potest experiri, nisi primo, appropriate loquendo, a sapientia Filii illuminetur, deinde a potentia Patris in filium adoptetur, et postea deliciis Spiritus sancti repleatur ; ideo apostoli, et ejus imitatores, ad hoc ut haberent perfectum gaudium internæ oblectationis, gavisi sunt primo de cognitione (f) primæ veritatis ; secundo, de acquisitione perpetuæ hæreditatis ; tertio, de gustatione divinæ suavitatis. Ratione primi, eorum gaudium fuit verum per amotionem falsi ; ratione secundi, eorum gaudium fuit perpetuum per exclusionem termini ; ratione tertii, eorum gaudium fuit plenum propter completionem desiderii. Primo gavisi sunt veraciter sine admitione falsi in cognitione primæ veritatis ; et de hoc dicitur¹⁰ : « Fac-

s. — ⁷ Aug., *de Trinit.* — ⁸ *Psal.* XLV, 11. — ⁹ Aug., *de Trinit.* — ¹⁰ *Jerem.*, XV, 16.

¹ Aug., *de Lib. Arb.*, lib. II, n. 43. — ² *Luc.*, XXIV, 39. — ³ *Joan.*, XX, 27. — ⁴ Gregor., *in Evang.*, hom. XXIX, n. 1. — ⁵ *Joan.*, XX, 29. — ⁶ *Matth.*, V,

(a) *Leg.* Augustinus. — (b) *Leg.* pro te. — (c) *Leg.* quid. — (d) *Al.* innuas. — (e) *Forle leg.* excessum. — (f) *Cat. edit.* cognitione.

tum est verbum tuum in gaudium et lætiti-
 am cordis mei. » Verbum divinum post-
 quam perfecta fide creditur, ita miro modo
 delectat, cum intelligitur, ut fiat in gaudium
 et lætitiā cordis intelligentis. Unde Bernardus¹ : « Nihil libentius intelligimus, quam
 quod credimus fide ; » cum tamen homo non
 assentiat primæ veritati propter rationem,
 sed solum propter ejus timorem, quia tunc
 ratio humana non evacuat meritum, sed
 evacuat cordis solatium. Secundo gavisī sunt
 perpetualiter, sine præfixione termini, de
 acquisitione perpetuæ hæreditatis. Et de hoc
 dicitur² : « Gaudete et exultate, quoniam
 nomina vestra sunt scripta in cœlo. » Glos-
 sa : « Sive cœlestia, sive terrestria opera
 quis gesserit, per hæc quasi litteris annota-
 tus apostolus, Dei memoria (a) est affixus. »
 Cum ergo discipuli Christi gerant opera cœ-
 lestia, nam³ « eorum conversatio in cœlis
 est, » merito attribuuntur regno perpetuo
 ad Dei memoriam : tota anima gaudet in
 præsentī secundum rectitudinem fidei, et
 expectationem spei : odor enim illius super-
 næ hæreditatis omnem animam ad gauden-
 dum trahit, eo quod in ea concupiscentias
 excitat æternales. Tertio gavisī sunt super-
 essentialiter in completionē desiderii, in de-
 gustatione divinæ suavitatis. Et de hoc dicitur⁴ : « Gaudete cum Hierusalem gaudio,
 qui lugebatis (b) super eam, ut sugatis (c),
 et repleamini ab uberibus consolationis ejus,
 ut mulgeatis, et deliciis affluatis. » Qui
 enim volunt devenire ad excelsum contem-
 plationis, primo debent se per lamenta pœ-
 nitentiæ exercere in statu actionis, quia tunc
 anima repleta tanta dulcedine gratiæ,
 suget ab uberibus consolationis Spiritus
 sancti, ut tota repleta et perfüsa, super lu-
 mina in cœlestibus elevetur, ut supra seip-
 sam in sublimitatibus suspendatur, et a
 seipsa alienetur, et tanto interno tripudio
 delectetur et jucundetur, ut magis ebria,

quam sobria videatur. Unde et sacra Scrip-
 tura quandoque illam dulcedinem gustum
 appellat, quandoque ebrietatem vocat. Ideo
 Deus si modica scintilla de illo torrente tan-
 tæ dulcedinis, dilapsa et distillata menti hu-
 manæ, ita perfecte inebriat, quod erit quando
 anima totaliter absorbebitur, et inebriabitur
 in illo pelago infinitæ felicitatis. Cum ergo
 in una gutta perfecte anima liquescit, dulco-
 rat jucunditati, ut non possit exprimi neque
 narrari, multo minus tota abyssus poterit
 cognosci. Unde Chrysostomus⁵ : « Gaudeamus nos meriti magnitudine donorum, quæ
 hic accipimus, et quæ illuc expectamus. »
 Rogemus ergo, etc.

SERMO III.

*Accipite Spiritum sanctum*⁶. O quam
 magna licentia quod dicit : *Accipite!* O quam
 magna gratia, quod dedit non aurum, non
 argentum, sed Spiritum sanctum! Considerandum autem, quod Jesus Christus quatuor
 accipienda valde notabilia proposuit nobis in
 Evangelio, videlicet crucem in castigatione
 corporali, corpus suum in communionē sa-
 cramentali, Spiritum sanctum in unctione
 mentali, denarium in remuneratione æter-
 nali.

Quatuor
 accipien-
 da nobis
 a Christo
 propo-
 nuntur.

De primo⁷ : « Qui non accipit crucem, et
 sequitur me. Crux est carnis mortificatio⁸ :
 « Qui Christi sunt, carnem suam crucifixe-
 runt cum concupiscentiis. » Crucem accipit,
 qui pœnitentiam vel religionem accipit, qui
 per mare sæculi in terram sanctam, scilicet
 viventium, transire intendit : accipit autem
 remissionem omnium peccatorum. Ad hanc
 crucem accipiendam quatuor sunt cogentia.
 Primum est exemplum irrefutabile Domini
 nostri Jesu Christi⁹ : « Si quis vult post me
 venire, abneget, » etc. Gloriosum enim est
 servis Domino configurari. Secundum est
 adjutorium invincibile : Dominus enim ad-
 jutor est cruce signatorum. Psalmista¹⁰ :
 « Tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus

¹ Bern. — ² Luc., vi, 23. — ³ Philip., i, 20. —
⁴ Isa., LXVI, 10-11. — ⁵ Chrysost. — ⁶ Joan., xx, 20.
 — ⁷ Matth., x, 38. — ⁸ Galat., v, 24. — ⁹ Matth.,
 xvi, 24. — ¹⁰ Psal. LXXXV, 17.

(a) Leg. memoriæ. — (b) Vulg. lugetis. — (c) Cæt.
 edit. sugetis.

es me. » *Adjuvisti me* contra malum culpæ, *et consolatus es me* contra malum pœnæ. Unde in templo, ubi signum crucis apparet, unctio olei subest, quia in nobis debet esse triumphus exterior, et unctio interior. Bernardus ¹: « Multi vident nostram crucem, sed non vident unctionem. » Tertium est privilegium inviolabile: cruce signati solent ex privilegio esse in tuitione Papæ. Sed hæc multoties violatur; et non sic in hac cruce ²: « Super quem videritis Thau, ne occidatis. » ³ « De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. » Quartum est præmium inamissibile. Multi de sancta terra redeunt, et negligendo et male vivendo præmium amittunt; secus est in his signatis ⁴: « Signati ex omni tribu erant stantes ante thronum. » In hac cruce pendere, o anima christiana, continue debes, sicut Christus, qui vivens nunquam descendere voluit: sic nec tu de pœnitentia, vel de ordine. Bernardus ⁵: « Neminem audiamus, fratres, non sanguinem, non spiritum quemlibet descensum a cruce suadentem; persistamus in cruce, moriamur in cruce, deponamur aliorum manibus, non nostris, exemplo illius, qui in cruce dicit ⁶: *Consummatum est.* » Sic et tu finaliter stes in cruce, et sic in fine vitæ tuæ, quando exspirare debes, potes dicere: *Consummatum est*: regulam quam vovi observavi; obedientiam, pœnitentiam, præcepta Dei, totum consummavi, juxta illud ⁷: « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, etc.

De secundo ⁸: « Accipite et comedite, hoc est corpus meum. » Quomodo accipiendum sit corpus Jesu, dicitur ⁹: « Accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda. » Illo ergo fervore, et devotione, corpus Jesu accipere debes de altari, quo illud corpus accepit Joseph de cruce. Altare quatuor cornibus crucem significat: sic autem accep-

tum sindone involvas. Glossa ¹⁰: « In sindone munda Jesum involvit, qui mente pura eum suscipit. » Bene autem munditia per sindonem, quod est genus lini candidissimum, significatur, quoniam candidi in animabus esse debemus. Dicitur ¹¹: « Candidiores Nazaræi ejus myrrha (a), nitidiores lacte. » Munditia cordis est lac, quo Deus et angeli delectantur. In lacte cito apparet musca, vel pulvis: ita in conscientia munda latere non potest qualiscumque macula; et sicut de lacte cito ejicitur musca a comedente, ita de pura conscientia abjicitur musca volatilis cogitationis pravæ. Multum displicet diabolo, et placet Deo et angelis, quando muscam diaboli cito ejicis de lacte cordis. Bernardus ¹²: « Dæmonum est cogitationes malas ingerere; nostrum est illis non consentire. » Nam quoties resistimus, diabolum superamus, angelos glorificamus, Deum honoramus. Non est dictu possibile, quantum gaudium capiant angeli de nostra (b) ad Deum mentis conversione; sic contra exprimi non potest quantam tristitiam de eadem dæmones accipiant, qui semper insidiantur saluti nostræ.

De tertio dicitur hic: *Accipite Spiritum sanctum*. Datus est Spiritus sanctus hic discipulis, clausis foribus; sic oleum, clausis ostiis, multiplicatum est ¹³ in vasis petitis a vicinis. Nota historiam. Oleum est gratia Spiritus sancti; Psalmista ¹⁴: « Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, » etc. Vasa manu levata sunt virtutes et exempla, quæ a sanctis nunc conversantibus in mundo attendimus, et in domum mentis nostræ colligimus, quasi a vicinis vasa accipimus; sed vasa in nobis vacua sunt, si exempla illa sanctorum per gratiam Spiritus sancti non imitamur. Contra quod « prudentes virgines acceperunt oleum in vasis, » etc., sicut dicitur ¹⁵. Ostia sunt sensus nostri, visus, gustus, auditus, tactus, olfactus; et os tuum est

Altare
crucem
significat.

¹ Bern., in *Dedic. Eccl.*, serm. 1, n. 5. — ² *Ezech.*, IX, 6. — ³ *Galat.*, VI, 17. — ⁴ *Apoc.*, VII, 9. — ⁵ Bern. — ⁶ *Joan.*, XIX, 30. — ⁷ II *Tim.*, IV, 7. — ⁸ *Matth.*, XXVI, 26. — ⁹ *Matth.*, XXVII, 59. — ¹⁰ *Ex Bed.*, in *Matth.*, lib. IV, c. XXVII. — ¹¹ *Thren.*, IV, 7. —

¹² Bern. — ¹³ IV *Reg.*, IV, 5. — ¹⁴ *Psal.*, XLIV, 8. — ¹⁵ *Matth.*, XXV, 4.

(a) *Vulg. nive.* — (b) *Forte leg. nostræ.*

ostium. Hæ fores nisi ab illicitis cogitationibus clausæ fuerint, oleum gratiæ in domum mentis tuæ in vasis non multiplicatur. Anselmus ¹ : « Intra in cubiculum mentis tuæ, et claude super te ostium contra omnia, præter Dominum, et quæ juvant ad quærendum illum. »

De quarto (a) ² : « Acceperunt et ipsi singulos denarios. » Denarius est vita æterna: qui non datur nisi operantibus in vinea, id est, pœnitentia vel religione : in qua vinea non solum laborandum est, sed etiam triumphandum de leone diabolo, quod significatum est in Samsone, ubi dicitur ³ : « Cumque venisset ad vineas oppidi, apparuit ei catulus leonis : » quem vicit, ac postea in ore ejus mel invenit. Mel est dulcedo consolationis Spiritus sancti ⁴ : « Spiritus meus super mel dulcis. » Vides ergo quod mel gratiæ non datur nisi pugnantibus, neque denarius gloriæ nisi laborantibus in vinea.

SERMO IV.

Affer manum tuam, et mitte in latus meum ⁵. O Thoma, felicem habes licentiam a Salvatore tuo, ut manum mittas in latus, in quo salus nostra consistit : hujus enim lateris beneficio ab ira salvamur, in gratia regeneramur, a culpa sanamur, in gloria sublimamur.

De primo ⁶ : « Ostium arcae pones in latere deorsum, » id est, « vulnus in latere Christi, » dicit interlinearis. Arca enim est Christus. Sicut enim tunc mundo pereunte per diluvium, nullus evadere potuit nisi in arca, ita nunc mortem æternalem nullus evadere potest, nisi in Christo per fidem maneat et amorem : et sicut in arcam non solum (b) immunda animalia collecta sunt, ita Christus non solum justos, sed etiam peccatores colligit ⁷ : « Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. » In arcam autem venire non pos-

semus, nisi ostium haberet. Ostium ergo nobis Dominus in arca fecit, quando latus suum perforari voluit ⁸ : « Unus militum lancea latus ejus perforavit, » etc. Augustinus ⁹ in Glossa : « Ecce ostium in latere arcae, quo intrant animalia non peritura in diluvio. » Gratias ergo agamus Christo pro lateris sui ostio : licet enim angustum sit, tamen multi intrare possunt. Augustinus ¹⁰ : « Quid angustius illo foramine, quod unus militum in latere Domini aperuit? et tamen per illas angustas portas fere totus mundus intravit. »

De secundo ¹¹ : « Filiæ tuæ de latere surgent. » Filiæ istæ sunt animæ credentium, quæ de latere Christi generatæ surgunt, dum per vulnus lateris ejus ad vitam veniunt. Mirabilis est virtus hujus lateris, unde non solum filiæ, sed etiam sponsa formatur, scilicet Ecclesia, sicut significatum est, ubi de dormientis Adæ costa formatur Eva. Augustinus ⁹ : « Dormit Adam, ut fiat Eva : moritur Christus, ut dormiente Christo in cruce, fiat Ecclesia. Facta est Ecclesia de latere : percussum est enim latus pendentis a lancea, et fluxerunt sacramenta. » Dilige ergo, anima Christiana, talem sponsum, ex cujus latere inter membra Ecclesiæ processisti. Noli propter vilem carbonarium talis sponsi fidem violare, diaboli voluntatem faciendo, qui carbones inferni ministrat. ¹² « Ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, » etc. Gratias agamus Christo pro lateris sui beneficio.

De tertio ¹³ : « Ecce aquæ redundantes ex latere dextro. » Loquitur de templo, quod significat corpus Christi ¹⁴ : « Solvite templum hoc, » etc. Corpus enim Christi solutum fuit in morte, excitatum in resurrectione : de cujus latere dextro aqua saluberrima profluxit ⁸ : « Continuo exivit, » etc. Aqua enim valde sanativa erat, quæ de latere templi exivit, sicut legitur ibidem ¹⁵ : « Erunt

¹ Anselm. — ² *Matth.*, xx, 10. — ³ *Judic.*, xiv, 5. — ⁴ *Eccli.*, xxiv, 27. — ⁵ *Joan.*, xx, 27. — ⁶ *Gen.*, vi, 16. — ⁷ *Luc.*, v, 32. — ⁸ *Joan.*, xix, 34. — ⁹ Ex Aug., in *Joan.*, tract. cxx, n. 2. — ¹⁰ Id. — ¹¹ *Isa.*, lv, 4.

— ¹² *Isa.*, liv, 16. — ¹³ *Ezech.*, xlvii, 2. — ¹⁴ *Joan.*, ii, 19. — ¹⁵ *Ezech.*, xlviii, 9.

(a) *Cet. edit.* quarta. — (b) *Suppl.* munda, sed et.

pisces multi satis, postquam venerint (a) illuc aquæ istæ, et sanabuntur et vivent omnia, ad quæ venerit torrens. » Pisces ergo, id est fideles, qui in hoc torrente baptismi capiuntur, valde sani sunt. Unde de torrente baptismi in torrentem gaudii transponentur, de quo Psalmista ¹ : « Torrente voluptatis tuæ potabis eos, quia apud te est fons vitæ. » Pisces autem diaboli, homines perversi, qui in paludibus vitiorum nutriuntur, sani non sunt. Unde dicitur ibidem ² : « In littoribus ejus, et palustribus, non sanabuntur. » In littoribus sunt impii per cupiditates terrenorum; in paludibus autem, per corruptionem carnalium voluptatum : unde tanquam pisces diaboli assabuntur perpetuo super prunas inferni. Gratias ergo agant omnes beati Christi, pro lateris sui beneficio.

De quarto dicitur hic : *Affer manum tuam, et mitte*, etc. Hic ostenditur ejus latus, et manus. Glorificatus ergo Christus ostendit latus, quasi diceret : Ad hanc resurrectionis gloriam hujus lateris beneficio pervenitur. Hoc significatum est ³, ubi dicitur, quod tulit Samuel lenticulam olei, et inunxit Saul in regem. Lenticula, ut dicit Glossa, est fictile vas, quadrangulum habens foramen in latere. Vas fictile Christi corpus est, quod est quadrangulum per quadrifariam distensionem in cruce. Bernardus ⁴ : « Astat Jesus in medio quadrifida sui parte distensus, ut omnibus ex omni parte ad se venientibus amplissimum suæ misericordiæ sinum ostendat. » Foramen in latere vulnus est lateris. Ex hoc foramine oleum gratiæ emanavit, per quod populus Dei ad regnum gloriæ cœlestis inungitur. Unde etiam qui ad hoc latus pendebat, audivit ⁵ : « Hodie mecum eris in paradiso. » Gratias ergo agamus Christo pro tam multiplici lateris beneficio.

DOMINICA I POST OCTAVAM PASCHÆ.

SERMO PRIMUS ⁶.

Ego sum Pastor bonus : bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis ⁷. Dominus

noster Jesus Christus, Pastor triumphantis, et militantis Ecclesiæ, ad modum cujuslibet boni pastoris, amissa ove humana, collocans angelicum gregem in deserto divinæ oblectabilitatis, induit vestimentum humanæ carnis, et tamdiu perditam ovem visibiliter quæsivit, quousque inter hiatum dæmonum invenit. Ut eam a morsibus eorum liberaret, proprium corpus morti exponit, ut sic inventam et liberatam ad ovile cœlestis patriæ reduceret, et una cum grege angelico in quiete gloriæ collocaret. Sed quia ad bonum pastorem pertinet erga suum gregem primo habere sollicitudinem vigilantiam in custodiendo, deinde effectum benevolentiam in fovendo vel nutriendo, postea discretionem prudentiam in ovibus propriis sumptibus expendendo : ideo in verbo proposito ostenditur nobis bonus pastor Christus imitabilis et commendabilis a tribus prædictis conditionibus. Primo namque commendatur a sollicitudine vigilantiam in executione pastoralis officii; secundo, a latitudine benevolentiam in expositione corporis proprii; tertio, a discretionem prudentiam in liberatione sui gregis, non alieni. Primo commendatur bonus pastor Christus a sollicitudine vigilantiam in executione pastoralis officii, cum dicitur : *Pastor bonus*. Bonitas enim pastoris ostenditur, cum sollicite vigilat, et custodit gregem suum. Secundo commendatur a latitudine benevolentiam in expositione corporis proprii, cum subdit : *Animam suam ponit*. Majus enim signum dilectionis et benevolentiam non potest pastor erga suum gregem ostendere, quam ut, pro ejus defensione et liberatione, proprium corpus morti exponatur. Tertio commendatur a discretionem prudentiam in defensione et liberatione sui gregis, non alieni, cum subinfert : *Pro ovibus suis*, per conformitatem imitationis (b); non alieni (c), per infidelitatem erroris.

¹ *Psal.* xxxv, 9-10. — ² *Ezech.*, xlvii, 42. — ³ *1 Reg.*, x, 1. — ⁴ *Bern.* — ⁵ *Luc.*, xiiii, 43. — ⁶ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ⁷ *Joan.*, x, 11.— (a) *Cat. edit.* venerunt.— (b) *Item* imitantis.— (c) *Leg.* alienis.

Dicit ergo : *Bonus pastor* : ubi commendatur a diligenti executione pastoralis officii. Ille enim pastor diligenter suam officium exercet, secundum quod evidentia facti manifestat, qui sua animalia primo erudit et domesticat exteriori verbo, secundo pascit et sustentat corporali subsidio, tertio custodit et defensat virili præsidio. Per hunc modum bonus pastor Ecclesiæ Christus humanum gregem primo erudit documento salutaris eruditionis vel prædicationis ; secundo pascit subsidio sacramentalis refectionis ; tertio defendit præsidio virilis protectionis. Per primum autem illuminatur quantum ad intellectivam ; per secundum dulcoratur quantum ad affectivam ; per tertium roboratur quantum ad effectivam. Primo pastor Christus erudit utili documento salutaris prædicationis illuminando intellectivam. Et de hoc dicitur ¹ : « Qui misericordiam habet, docet et erudit quasi pastor gregem suum. » Quia Domini nostri Jesu Christi doctrina debet esse tota ad benignitatem misericordiæ et charitatem benevolentiae, ideo est facilis ad intelligendum, brevis et utilis ad faciendum. Unde Dominus noster Jesus Christus, propter nimiam dulcedinem summæ misericordiæ, et charitatem benevolentiae, quam habet erga suum gregem, docet eum verbo doctrinæ, et erudit exemplo vitæ. Et hoc, quia docere solo verbo est vanum, erudire solo exemplo est parum ; sed utroque modo est perfectum. Doctrina enim hujus pastoris debet imprimi cordibus prælatorum, sicut forma sigilli imprimitur cæræ, ut postea verbo et exemplo sit in cordibus subditorum. Unde de bonis prælatis dicitur ² : « Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. » Tunc prælati præsentunt secundum divinæ voluntatis beneplacitum, quando pascent gregem suum scientia quantum ad verbum, doctrina quantum ad exemplum, quia plus movent ope-

rum exempla quam verborum. Unde Gregorius ³ : « Actione rector præcipuus, ut vitæ (a) subditis (b) denuntiet, et grex qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius quam per verba gradietur (c). » Secundo pastor Christus pascit nos oblectabili subsidio sapientialis refectionis, dulcorando affectivam. Unde licet Christus, in quantum Verbum increatum supportans universa, pascat sacramentaliter sublimando ad sapientiam ; tamen in quantum Verbum inspiratum sustentans intellectualia, pascit spiritualiter, reformando ad justitiam ; et in quantum Verbum incarnatum restaurans humana, pascit sacramentaliter, reficiendo per gratiam. Et iste triplex pastus est necessarius homini ad hoc ut perfecte pascatur. Nam in homine est Spiritus, motus et sensus. Ad hoc enim ut homo reficiatur spiritualiter, necesse est eum habere spiritum vitæ in reformatione gratiæ, motum in exercitatione justitiæ, et sensum in contemplatione sapientiæ. Et de hoc pastu sacramentali dicitur Eliæ in figura ⁴ : « Præcepi corvis ut pascant te ; » sequitur : « Corvi deferebant ei panem et carnes mane, similiter panem et carnes vesperi. » Corvi dicuntur sacerdotes, qui ad modum corvi debent nigrescere (d) per pœnitentiam, spernere per lotionem momentaneam, et attractare ⁵ eras, eras, annuntiando futuram gloriam. Istis vero præcepit Deus ut pascant Eliam, id est, quemlibet bonum christianum, deferendo ei panem et carnes, id est, carnem Christi sub specie panis, non excocctum igne materiali, sed sola cruce passionis, et coctum in igne dilectionis. Dicuntur autem mane deferre panem et carnes corvi Eliæ, eo quod mane sacerdotes debent carnem Christi jejuno populo sub specie panis ministrare, et vesperi reducendo ad memoriam quod sub specie panis carnem suam post cœnam Christus apostolis dedit. Tertio Christus defendit nos insuperabili præsidio

¹ *Eccli.*, XVIII, 13. — ² *Jerem.*, III, 15. — ³ *Greg., Pastor. Cur.*, part II, c. III, al. XIV. — ⁴ *III Reg.*, XVII, 4, 5. — ⁵ *Locus corruptus.*

(a) *Suppl. viam.* — (b) *Suppl. vivendo.* — (c) *Leg. gradiatur.* — (d) *Cæt. edit. ignoscere.*

virilis protectionis, roborando effectivam. Unde dicitur ¹: « Sicut pastor visitat gregem suum in die quando fuerit in medio ovium dissipatarum, sic visitabo oves meas, et liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant. » Dominus Jesus Christus in modum pastoris boni voluit visibiliter visitare suas dispersas oves per devia quæque vitiorum, a morsibus dæmonum, sanguine testamenti æterni liberativo, et eorum vulnera oleo pietatis et misericordiæ alligata et sanata ad ovile unitatis fidei congregativæ, et etiam ut eorum debilitatem multiplici virtute corroborativa (a) consolidaret.

Secundo commendatur Christus a latitudine benevolentiae in expositione corporis proprii, cum subdit: *Animam suam ponit*. Propter charitatem nimiam benevolentiae, quam habuit Christus erga suum gregem, posuit animam suam, id est, vitam corporalem, primo in pretium (b) humanæ redemptionis, ad liberandum captivos; secundo in (c) argumentum præcipuæ dilectionis, ad inflammandum tepidos; tertio in exemplum virtuosæ imitationis, ad animandum timidos. Primo posuit animam suam in pretium (b) humanæ redemptionis ad liberandum captivos: et de hoc dicitur ²: « Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longævum, et voluntas Dei in manu (d) ejus dirigetur: » sequitur: « Pro eo quod tradidit animam suam in mortem, et cum sceleratis deputatus est, et ideo ipse peccata multorum tulit. » Divina sapientia Christus habens duplicem thesaurum, id est, supercælestem et subcælestem, quasi facto scrutinio, in utroque sumpsit (e) quod erat utrobique nobiliter et pretiosius, quod (f) supercælesti excellentia deitatis, (g) de subcælesti in notitiam (h) humanitatis. Hos ergo duos thesauros in unitate personæ compactos, et statera crucis appensos pro redemptione hu-

mani generis expendit, cum non ex obligatione, sed ex dignatione mortem pro salute humani generis cum desiderio suscepit, et sic debito soluto primæ prævaricationis, quando cum sceleratis reputatus (i) est, peccata multorum tulit, et satisfacto rigore divinæ justitiæ, voluntas Dei in manu, id est, opere ejus completa est. Et propter hoc Dominus dicebat ³: « Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam in redemptionem pro multis. » Pro multis dicitur quantum ad efficaciam, licet pro omnibus fuerit datus quantum ad sufficientiam. Unde licet passio Christi sit sufficiens omnibus ad salutem, tamen salutem non efficit nisi in illis, quorum fides operatur per dilectionem. Secundo posuit animam in argumentum præcipuæ dilectionis ad inflammandum tepidos; et per hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ⁴: « ille animam suam pro nobis posuit. » Et de hoc dicitur ⁵: « Majorem dilectionem nemo habet hac, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » Filius Dei in signum vehementissimi amoris, et ad similitudinem quorundam aquatilium, de quibus dicit Ambrosius ⁶, quod quædam belluæ marinæ sunt quæ, quando insidias contra catulos suos præsen- serint, viscera sua mox aperiunt, natosque suos integros recipiunt, et tamdiu eos portant, donec ad securitatem deserant, ut ab ictu proprii corporis defendant: hoc modo Christus in argumentum vehementissimi amoris voluit aperire pedes, manus fenestrari et latus, ut nos reciperet intra viscera charitatis suæ, et ab hoste maligno tueretur et defenderet. Et propter hoc, charissime, cum insurget diaboli fraudulentia, ingredi in petram, id est Christum, imponendo meditationes, cogitationes, et affectiones: quia nunquam potest diabolus melius vinei, quam in memoria passionis Christi. Unde Bernardus ⁷: « Nullus unquam dæ-

¹ Ezech., xxxiv, 12. — ² Isa., liii, 10, 12. — ³ Math., xx, 28. — ⁴ Joan., iii, 16. — ⁵ Joan., xv, 13. — ⁶ Ambros., Hexaem., lib. V, c. iii, n. 7. — ⁷ Bern.

(a) *Cæt. edit.* corroborativo. — (b) *Item* pretio. — (c) *Item* deest in. — (d) *Cæt. edit.* manus. — (e) *Item* subsit. — (f) *Leg. de.* — (g) *Suppl. et.* — (h) *Forte leg. subcælesti* innocentia. — (i) *Cæt. edit.* deputatus.

monum stare poterit, videns gladium in quo devictus fuit. » Sic cum insurgit molestia tentationis, maxime carnis, « absconde te (a) ¹ in fossa humo, » id est in corpore Christi multiplici vulnere confosso, non per corporis præsentiam, sed per meditationem assiduam, et quod deest tibi, usurpa de visceribus Christi, quia de vulneribus ejus corporis ad modum botri in torculari compressi (b), non desunt fluentia gratiarum, quibus inflammatus et confortatus, faciliter de diaboli fraudulentia, de mundi molestia, et de carnis illecebris triumphabis. Tertio posuit animam suam in exemplum virtuosæ imitationis ad animandum timidos; unde ² : « Ille animam suam posuit pro nobis, et nos debemus pro fratribus animas ponere. » Unde Dominus dicit ³ : « Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. Qui invenit animam suam, perdet eam; et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. » Ille accipit crucem suam, et sequitur Christum, qui crucis mortificationem jugiter in suo corpore gerit, ut et vita Jesu (c) in ipso per imitationem manifestetur: talis, cum perdidit animam suam cum vitiis et concupiscentiis in præsentia, inveniet eam per deiformis gloriæ acquisitionem in futuro, quia qui socii sunt tribulationum, erunt et consolationum.

Tertio commendatur Christus a discretionem prudentiæ in liberatione gregis proprii, non alieni, cum subinfert: *Pro ovibus suis*, imitantibus eum in vita et moribus. Unde Dominus, tanquam prudens pastor, non posuit animam suam pro ovibus alienis per dissimilitudinem vitæ, ut eas liberaret; sed pro ovibus suis, quæ Christum sequuntur secundum triplicem propriam ovis. Nam ovis habet simplicitatem innocentiam in non lædendo, tractabilitatem patientiam in sustinendo, et fecunditatem multiplicem in fructificando. Per istum modum

istæ sunt oves suæ, pro quarum liberatione (d) prudens pastor Christus posuit animam suam, quæ habent (e) triplicem proprietatem prædictam: primo, simplicitatem innocentiam, per rectitudinem intentionis; secundo, tractabilitatem patientiam, per tolerationem omnimodæ tribulationis; tertio, fecunditatem multiplicem, per multiplicationem bonæ operationis. Primo ergo Christus liberat oves suas, quæ habent simplicitatem innocentiam per rectitudinem puræ intentionis. Illa enim anima est quasi ovis, quæ, ad modum ovis innocentis, nulla habet arma ad impugnandum, non cornua superbiæ, non calces violentiam, non dentes crudelitatis, non unguis rapacitatis, non venenum malignitatis. Propter hoc, ratione istius proprietatis innocentiam, dicebat David de populo suo ⁴ : « Isti qui oves sunt, quid fecerunt? » quasi dicat: Nihil mali commiserunt. Et hoc est, quando homo habet puritatem in affectione, veritatem in operatione, ut nulla duplicitas sit interius, nulla falsitas exterius. Secundo Christus liberavit oves suas, quæ habent tractabilitatem patientiam per tolerantiam omnimodæ tribulationis. Unde ⁵ : « Sicut ovis ad occisionem ductus est. » Sicut enim ovis quæ (f) ducitur ad macellum, non recalcitrat pede, non mordet dente, non impetit cornu; sic verus patients ad exemplum Christi, positus in tribulatione, non debet murmurare in corde, non obloqui in ore, nec repugnare in opere, ut impleatur in eo illud in *Psalmo* ⁶ : « Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. » Tertio liberat Christus oves suas, quæ habent fecunditatem multiplicem bonæ operationis. Unde bonus christianus debet esse fecundus bonis operibus ad modum ovis, dare pastori suo Christo lac mundæ affectionis, caseum bonæ operationis, et lanam honestæ conversationis, ut possit dici de eis: « Oves fetosæ

Ovis proprietates

¹ *Isa.*, II, 10. — ² *I Joan.*, III, 16. — ³ *Matth.*, X, 38-39. — ⁴ *II Reg.*, XXIV, 17. — ⁵ *Isa.*, LIII, 7. — ⁶ *Psal.* XLIII, 22.

(a) *Forte leg.* abscondere, ut in *Vulgata*. — (b) *Cæt. edit.* compressit. — (c) *Item Jesus*. — (d) *Item per* quarum liberationem. — (e) *Item qui habet*. — (f) *Cæt. edit.* deest quæ.

abundantes in gressibus suis, » secundum quod dicitur in Psalmo ¹. Rogemus ergo, etc.

SERMO II ².

Ego sum pastor bonus ³. Bonitas pastoris nostri Jesu Christi in Evangelio quadrupliciter commendatur, videlicet in pascendo, in defendendo, in cognoscendo, in uniendo.

Christus
pastor
bonus.

Primo commendatur bonitas in pascendo; unde ait : *Ego sum pastor bonus*. Pastores enim a *pascendo* dicuntur. Pascit autem oves suas Christus per doctrinam, per gratiam, per Eucharistiam. Pascit utique suos per doctrinam ⁴ : « In pascuis uberrimis pascam eos, in montibus excelsis. » Scripturarum altitudines quasi montes pascuæ sunt. Pascit autem Christus suos non solum per se, sed etiam per alios docendo ⁵ : « Dabo pastores vobis secundum cor meum, et pascent vos in (a) scientia, et doctrina. » Item per gratiam, quod significatum est ⁶, ubi dicitur quod « Moyses pascebat oves, et minavit ad interiora deserti, » ubi Dominus in rubo apparuit. Moyses est Christus, vel prælatus, per quos oves ad interiora deserti in pastum veniunt, quando exteriorem consolationem relinquunt, interiorem vero quærunt, ubi Dominus in rubo ardenti, id est in corde ferventi est ⁷ : « Nonne cor nostrum ardens, » etc. Item per Eucharistiam : hoc significatum est in ovicula pauperis, id est Christi, de qua dicitur ⁸ quod erat « de pane illius comedens, et de calice bibens. » Bernardus ⁹ : « Bonus pastor, qui dat carnem in cibum, sanguinem in potum, animam in pretium. »

Secundo commendatur bonitas pastoris nostri Jesu Christi in defendendo, cum dicitur : *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*, defendendo contra scilicet lupum, sicut hic dicitur, et contra leonem et ursum. Unde David, qui Christum significat, ait ¹⁰ :

¹ *Psalm.* cxxliii, 13. — ² Hinc et quatuor seq. habet quoque edil. Paris. an. 1521. — ³ *Joan.*, x, 11. — ⁴ *Ezech.*, xxiv, 14. — ⁵ *Jerem.*, iii, 15. — ⁶ *Erod.*, iii, 4. — ⁷ *Luc.*, xxiv, 32. — ⁸ *II Reg.*, xii, 3. — ⁹ Bern. — ¹⁰ *I Reg.*, xvii, 36. — ¹¹ *I Petr.*, v, 8. —

« Leonem et ursum interfeci ego : » invaserant enim oves ejus. In leone significatur diabolus ¹¹ : « Tanquam leo rugiens, » etc. In urso autem caro significatur : sequitur enim mel, sicut caro voluptatem. Debilis etiam est in capite, fortis in brachiis : sic et carnis impetus debilis est (b), scilicet cogitatione, unde ibi est resistendum ; fortis autem in brachiis delectationis consensus (c) ¹² : « Bestia alia similis urso : tres ordines in ore ejus, » scilicet cogitatio, delectatio, consensus. In lupo autem mundus significatur propter avaritiam et crudelitatem ; imo tot sunt lupi, quot homines perversi ¹³ : « Mitto vos sicut oves inter lupos. » Et Gregorius ¹⁴ : « Sicut agni inter lupos mittimur, ut scutum servantes innocentiae, morsum malitiae non habeamus. » Talis agnus fuit Apostolus, qui ait ¹⁵ : « Maledicimur, et benedicimus ; persecutionem patimur, et sustinemus. »

Tertio commendatur bonitas pastoris nostri Jesu in cognoscendo, cum ait : *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ*. Ecce quales Dominus approbando cognoscit, id est, se cognoscentes oculo animæ, fide vera. Sed Dominus conqueritur ¹⁶ : « Cognovit bos possessorem suum, » etc. Sed vae non cognoscenti pium Dominum in mundo, quia cognosceat severum ¹⁷ : « Dominus justitiam faciens, » qui nunc ignoratur misericordiam quærens. Item cognoscit sibi obedientes ¹⁸ : « Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas : » vocem utique præceptorum, et docerinae meæ, vel clamoris in cruce. Psalmista ¹⁹ : « Nos oves pascuæ ejus, » vel « oves manus ejus. Hodie si vocem ejus audieritis, » etc. Sed, heu ! Dominus conqueritur in Psalmo ²⁰ : « Non audit populus meus vocem, » etc. Item cognoscit Dominus sequentes ¹⁸ : « Cognosco meas, et

¹² *Dan.*, vii, 5. — ¹³ *Luc.*, x, 3. — ¹⁴ *Greg.*, in *Evang.*, hom. xvii, ii, 4. — ¹⁵ *I Cor.*, iv, 12. — ¹⁶ *Isa.*, i, 3. — ¹⁷ *Jerem.*, xxiii, 5, quoad sensum. — ¹⁸ *Joan.*, x, 27. — ¹⁹ *Psalm.* xciv, 7-8. — ²⁰ *Psalm.* lxxx, 12.

(a) *Vulg.* non habet in. — (b) *Suppl.* in capite. — (c) *Leg.* consensu.

sequuntur me, » scilicet per bonam vitam. Dominus enim cognoscit colore, sicut significatum est ¹, ubi legitur quod Jacob oves suas colore discrevit: variæ enim erant oves ejus, nigræ autem et albæ Laban. Jacob Christum significat; nigræ oves sunt opera peccatorum; albæ sunt simulatores ²: « Similes estis sepulcris dealbatis; » variæ autem pœnitentes, qui et albi sunt per justificationem, et nigri per suam reputationem, dum se peccatores reputant, apud Deum sunt albi, apud se nigri ³: « Nigra sum, sed formosa, » etc.

Quarto commendatur bonitas pastoris in uniendo, sive in congregando, cum dicit: *Alias oves habeo*, etc. usque: *Fiet unum ovile, et unus pastor*. Congregat autem et unit oves sibi in mundo, et hoc per fidem et charitatem, de quibus hic dicitur: *Fiet unum ovile, et unus pastor*. Certe qui in ovile Ecclesiæ non intrat (a) per ostium fidei, sed ascendit aliunde per hæresim, ille fur est et latro. Item congregabit oves in judicio ⁴: « Statuet oves quidam a dextris. » Item in cœlo; unde legitur ⁵, quando reduxit ovem unam perditam in desertum, id est, ad novem ordines angelorum.

SERMO III.

Animam meam pono pro ovibus meis ⁶. Bonus pastor Christus pro nobis posuit et dedit animam suam in pretium redemptionis, in signum dilectionis, in monumentum recordationis, in exemplum imitationis.

De primo ⁷: « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, » etc. usque: « pro multis. » O quanta dignatio! Ministrat et servit nobis, cui ministrant angeli. Si igitur fraudando servum tuum mercede unius anni peccas, quanto magis subtrahendo Dei Filio animam tuam, pro qua triginta tribus annis servivit, pro qua animam suam in tuo servitio dedit? ⁸ « Ne lædas servum in veritate

operantem, neque mercenarium dantem animam suam, » dantem, inquam, animam in redemptionem pro multis ⁹: « Non corruptilibus auro, vel argento, » etc. Qui ergo mercedem sanguinis, hoc est animam propriam tali mercenario subtrahit per luxuriam, vel per avaritiam, vel per odium, vel per alia vitia, similis est eis, qui in cruce ejus sanguinem effuderunt ¹⁰: « Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. » Quid ergo de miseris, qui non tantum animam propriam, sed tot Christo animas auferunt, quas per peccatum auferunt? Bernardus ¹¹: « Si Dominus proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur ab eo graviolem sustinere persecutionem, qui suggestionem mala, exemplo perniciosi (b), scandali occasione avertit ab eo animas, quas redemit, quam ab illo qui sanguinem Jesu fudit? »

De secundo ¹²: « Majorem charitatem hac, » etc. Si enim te incipiente submergi jam in mari, amicus tuus scienter se submergeret, ut suo evaderes adjutorio, o quanta esset illa dilectio! Sic pro nobis fecit Christus: quod optime significatum est in Jona ¹³, qui se pro salute aliorum in mare præcipitari fecit. Nota historiam, et expone, ut per mare significetur mundus, per cetum mors, per Jonam Christus. Ecce quomodo Christus animam suam posuit pro amicis suis, imo, quod mirabilius est, pro inimicis ¹⁴: « Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus. » Nonne Dei inimici sunt, qui domum Domini cum familia, id est, cor cum virtutibus igne vitiorum scienter incendunt? Psalmista ¹⁵: « Incenderunt igni sanctuarium tuum. » Item, qui filium suum, id est spiritum vel animam, occidunt? ¹⁶ « Qui offert sacrificium de substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. »

¹¹ Bern. — ¹² Joan., xv, 13. — ¹³ Jon., 11, 12. — ¹⁴ Rom., v, 10. — ¹⁵ Psal. LXXIII, 7. — ¹⁶ Eccli., xxxiv, 24.

(a) *Cæt. cedit*. intrant. — (b) *Leg. perditionis, vel pernicioso.*

¹ Gen., xxx, 32. — ² Matth., xxiii, 27. — ³ Cant., 1, 44. — ⁴ Matth., xxv, 33. — ⁵ Luc., xv, 4. — ⁶ Joan., x, 11. — ⁷ Matth., xx, 28. — ⁸ Eccli., vii, 22. — ⁹ I Petr., 1, 18. — ¹⁰ Eccli., xxxiv, 7. —

Quam maximum dilectionis Dei beneficium est, quod pro hujusmodi pro inimicis moritur Christus! Augustinus ¹: « Quod tam beneficium, quam sanguinem justī delere chirographum peccatoris? »

De tertio, quod in monumentum recordationis dedit animam suam, ut nunquam sui obliviscamur, dicitur ²: « Gratiam fidejussoris tui ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam. » Fidejussor noster Christus est. Totus mundus persententiam Dei Patris damnatus fuit; compatiens autem Dei Filius fidejussit pro nobis. Potest autem homo pro tam magna re fidejubere, quod oporteat eum propter hoc quandoque relinquere domum, quandoque totam hæreditatem suam, quandoque etiam vitam suam. Sic et (a) fidejussor noster fecit Christus ³: « Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum ejus. » Domus est cælum; hæreditas, synagoga. Psalmus ⁴: « Restitues hæreditatem meam mihi. » Hæreditas sua Christo restituetur, quando Judæi convertentur ⁵: « Cæcitas ex parte contigit (b) in Israel, donec plenitudo gentium subintraret, et sic omnis Israel salvus fieret. » Non solum autem fuit Christus fidejussor hominis ad Patrem, sed etiam Patris et hominis (c) tanquam fidelissimus mediator. Augustinus ⁶: « Quia incredibile videbitur hominibus? » Require in sermone supra: *Si veritatem dico* ⁷.

De quarto ⁸: « Ille pro nobis animam suam posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam mundi hujus, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? » Ecce si pro fratribus debes ponere animam, quanto magis temporalem substantiam? Exemplo autem Christi non solum pro fratribus, imo pro Christo animam ponere debemus, sicut ipse pro nobis eam posuit; sicut Petrus voluit,

quando dixit ⁹: « Animam meam pono pro te: » qui licet postea negaverit, tamen gallo cantante flevit amare. O quot cum Petro quotidie negant Christum, si non ore, tamen opere! ¹⁰ « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. » Et non tantum ter Christum, sicut Petrus; imo millies aliqui facinoribus suis negaverunt, et tamen cum Petro non flent. Gallus enim prædicator est ¹¹: « Quis dedit gallo intelligentiam? »

SERMO IV.

Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere ¹². Istæ oves fuerunt gentes credituræ in Christum, quæ non fuerunt de ovili Ecclesiæ, quas adduxit per fidem, et unum ovile per unam Ecclesiam de Judæis et gentibus fecit. O felices, qui merentur esse oves Christi, non porci diaboli! O felices, qui per Christum adducuntur, et non per diabolum seducuntur! Considerandum ergo quod Christus oves suas adducit, deducit, perducit, educit, inducit. Adducit enim pœnitentes, deducit perficientes, perducit consummantes, educit decedentes, inducit pervenientes, scilicet ad Patrem.

De primo hic dicitur: *Illas oportet me adducere*, scilicet per conversionem ¹³: Ignoras quod benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit? etc. De modo autem adducendi dicitur ¹⁴: « Elevavit me spiritus inter cælum et terram, et adduxit me in Hierusalem. » Qui ergo in cœlestem Hierusalem voluerit venire, adduci debet per Spiritum sanctum, et sic, quod neque cælum per præsumptionem, neque terram per desperationem tangat; vel sic, (d) neque cælum tangat per superbiam ¹⁵: « Si ascenderit in cælum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine perdetur: » neque terram per avaritiam, vel concupiscentiam ¹⁶: « Væ, væ, væ habitantibus in terra. »

XXXVIII, 36. — ¹² Joan., x, 16. — ¹³ Rom., II, 4. — ¹⁴ Ezech., VIII, 3. — ¹⁵ Job, XX, 6. — ¹⁶ Apoc., VIII, 13.

(a) Leg. sicut. — (b) Cæc. edit. contingit. — (c) Leg. ad hominem. — (d) Suppl. quod.

¹ Aug. — ² Eccli., xxix, 20. — ³ Jerem., xii, 7. — ⁴ Psal. xv, 5. — ⁵ Rom., xi, 25. — ⁶ Aug. — ⁷ Vid. sup., in *Passione*, serm. II, p. 179, col. 2. — ⁸ I Joan., III, 16, 17. — ⁹ Joan., XIII, 37. — ¹⁰ Tit., I, 16. — ¹¹ Job,

De secundo, Psalmus ¹ : « Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi, et Aaron. » Hæc deductio fit per quotidianum in proficiendo bonorum operum augmentum. Psalmista ² : « Deducis velut ovem Josephi, » quod interpretatur augmentum. Per manum Moysi, et Aaron potestas Ecclesiarum, et sæcularium iudicium significatur. Legitur autem de manibus Moysi ³, quod licet graves essent, dum tamen elevabantur, vincebat Israel; dum remittebantur, Israel vincebatur: quia quando auctoritas judicialis levatur in correctione, subditi contra hostes infernales proficiunt; si autem per negligentiam remittitur, deficiunt et vincuntur. Sed, heu! hæc manus sæpe percutit innocentes ⁴ : « Misit Herodes rex manus, » etc.

De tertio, Psalmista ⁵ : « Perduxit eos tanquam gregem in deserto. » Glossa : « De Ægypto. » Ægyptus autem mundum significat; desertum vero, religionem, vel justam vitam, qualem Christus et Joannes habuerunt in deserto. Psalmus ⁶ : « Interrupit mare, et perduxit, » etc. Perduxit, id est, ad perfectum duxit. Perducuntur autem electi per angelum, de quo legitur ⁷ : « Mensus est mille cubitos, et traduxit (a) me per aquam usque ad talos. Rursumque mensus est mille, et traduxit me per aquam usque ad genua. Et mensus est mille, et traduxit, » id est perduxit, « me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille per torrentem, quem non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari. Et dixit ad me : Certe vidisti, fili hominis. Et eduxit me, et convertit ad ripam torrentis, » etc. Aqua hæc est gratia Spiritus Sancti, in qua incipientes minus profunde, proficientes profundius, perfecti profundissime sunt. Vel de conjugatis, et viduis, et virginibus intelligi potest. Torrentis autem, qui transvadari non potest, est

profunditas gratiæ in beatis, quam mortalis homo attingere non potest. Angelus autem mensurans et traducens est Christus, qui mensurat gratiam in meritis, et gloriam in præmiis gratiæ.

De quarto ⁸ : *Proprias oves vocat nominatim, et educit eas*, inter vineas de Ægypto in doctrinam, sive ad regnum, etc. Ecce quotidie Dominus nominatim et singulariter vocat electos suos in morte ad seipsum, sicut in ordinibus vocantur ordinandi ad Episcopum. Habet enim Dominus nomina eorum in scripto ⁹ : « Nomina vestra scripta sunt in cælis. » Vocat illos Dominus nominatim de cælis, qui non vocaverunt nomina sua in terris. Beatus est ejus nomen dignatur noscere Deus. Augustinus ¹⁰ : « Ut noverit Deus nomina nostra, hoc optare debemus, hoc agere, hoc satagere, quantum possumus. » Vocat ergo electos, ut educat de carcere ad regnum, de miseria ad gloriam. Psalmista ¹¹ : « Eduxit me de lacu miseriæ, » id est, de mundo, « et de luto fæcis, » id est, de carcere.

De quinto, Dominus loquens de ovibus suis, ait ¹² : « Inducam eas in terram suam, et pascam eas in montibus Israel in rivis, et in cunctis sedibus terræ. » Montes sunt ordines angelorum. Psalmus ¹³ : « Fundamenta ejus in montibus sanctis. » Rivi sunt delectationes de fonte summi boni effluentes, a quibus quilibet perversus longe erit ¹⁴ : « Non videat rivos fluminis torrentis mellis, et butyri. » In melle dulcedo divinitatis, in butyro humanitatis Christi significatur. Sedes autem mansiones, de quibus ¹⁵ : « In domo patris mei mansiones, » etc. Sic ergo Dominus humiles oves suas multipliciter ducit, et in uno ovili per charitatem proximi, et uni pastori Christo per charitatem Dei unit, ut sic fiat unum ovile, et unus pastor. Unde in libro *de Spiritu et Anima* dicitur ¹⁶ : « Animam,

¹ Psal. LXXVI, 21. — ² Psal. LXXIX, 2. — ³ Exod., XVII, 21. — ⁴ Act. Apost., XII, 1. — ⁵ Psal. LXXVII, 52. — ⁶ Psal. LXXVII, 13. — ⁷ Ezech., XLVII, 3-6. — ⁸ Joan., x, 3. — ⁹ Luc., x, 20. — ¹⁰ Aug. — ¹¹ Psal.

XXXIX, 3. — ¹² Ezech., XXXIV, 13. — ¹³ Psal. LXXXVI, 1. — ¹⁴ Job, XX, 17. — ¹⁵ Joan., XIV, 1. — ¹⁶ De Spir. et Anim., c. XXXVI, inter Oper. August., Append. tom. VI.

(a) Cæt. edit. hic add. et perduxit,

quam Dei pietas respicit, humilitas subjicit, pœnitentia reducit, justitia deducit, obedientia conducit, perseverantia perducit, devotio introducit, puritas jungit, charitas unit. »

DOMINICA II POST OCTAVAM PASCHÆ.

SERMO PRIMUS.

Iterum modicum, et videbitis me ¹. Modicum, et non viderunt Deum discipuli, quando fuit in sepulchro; et iterum modicum, et viderunt eum post resurrectionem, usque ad ascensionem aliquoties. Sed nunc considerandum, quomodo Deus videatur in mundo a credentibus, in extremo a decedentibus, in cœlo a fruentibus, in judicio a resurgentibus.

De primo mystice intelligi potest quod dicitur hic: *Modicum, et videbitis*. Modicum enim non tam duratione, quam cognitione: imperfecta est enim visio fidei respectu visionis æternæ. Modice enim et imperfecte videtur, quidquid modo tantum in imagine, et a tergo a longe videtur. Videmus enim Deum non in se, sed per imaginem representatam in creaturis ²: « Vidimus nunc per speculum. » Glossa: « per imaginem obscuram. » Videmus enim aliquas creaturas, in quibus aliqua similitudo Dei relucet. Vel videmus non facie, sed a tergo incarnationis ³: « Videbis posteriora mea, faciem autem meam non videbis. » Posteriora sunt humiliora quæ in carne gessit. Item videmus Deum non in lumine, sed quasi in voce obscuræ cognitionis, et intelligentiæ humanæ ⁴: « Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, » etc. Tam obscura enim sunt naturalia, quod quidquid de Deo cognoscimus, quasi in nocte videmus. De hac nocte dicitur ⁵: « Per noctem quæsi vi quem diligit anima mea. » Gregorius ⁶: « Per noctem quærimus, quia etsi jam in illo meus vigilat, tamen oculus

adhuc caligat. » Item videmus nunc Deum non prope, sed quasi a longe per distantiam dissimilitudinis, vel aversionis ⁷: « Videbo eum, sed non modo; intuebor illum, sed non prope. »

De secundo ⁸: « Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem, » quasi paratum ad suscipiendam animam meam: sicut de multis sanctis legitur, qui viderunt Deum in extremis. Quomodo autem mereatur videre Deum, significatum est ⁹, ubi legitur quod Jacob supponens lapidem capiti, dormivit, et vidit scalam tangentem cœlos, et Dominum innixum scalæ. » Attende quid de lapide, et de scala, et de angelis, et de Domino dicitur hic. Lapis duram et gravem pœnitentiam significat. Hunc lapidem diabolus in panem consolationis carnalis vult verti ¹⁰: « Die ut lapides isti panes fiant. » Dormitio mortem significat; Psalmus ¹¹: « In pace in idipsum dormiam, et requiescam. » Super lapidem ergo dormit, qui in pœnitentia dura decedit. Per scalam virtutum gradus significatur. In scala duo ligna principalia sunt, amor Dei, et proximi; gradus vero, omnes aliæ virtutes. Si hanc scalam fabricaveris dum vivis, tunc in somno mortis eam habebis, et angelos pro tua salute ascendentes, et Dominum tuam animam suscipientem videbis. Sicut autem pii quandoque vident in morte sua Dominum, sic et impii quandoque in morte sua vident dominum, scilicet diabolum. Unde de quodam beato Gregorius ait ¹²: « Ecce juvenis parvus draconem vidit, cui servivit in vita. »

De tertio ¹³: « Beati mundo corde, » etc. Augustinus ¹⁴: « Tota merces est visio. » Notate, charissimi, si tam ardentissime diligitur Deus in præsentibus ab electis suis, quod ferrum, et ignem, et omne genus tormentorum parati sunt sustinere pro ipso, quod tamen nunc tam modicum videtur, quid erit in cœlo, ubi non per speculum, sed per

¹ *Joh.*, xvi, 16. — ² *1 Cor.*, xiii, 12. — ³ *Exod.*, xxxiii, 23. — ⁴ *Dan.*, vii, 13. — ⁵ *Cant.*, iii, 1. — ⁶ *Greg.*, in *Evang.*, hom. xxv, n. 2. — ⁷ *Num.*, xiiii, 17. — ⁸ *Act.*, vii, 55. — ⁹ *Gen.*, xxviii, 11. —

¹⁰ *Matth.*, iv, 3. — ¹¹ *Psal.*, iv, 9. — ¹² *Greg.*, in *Evang.*, hom. xix, n. 7. — ¹³ *Matth.*, v, 8. — ¹⁴ *Aug.*, in *Psal.*, xc, conc. ii, n. 13.

seipsum videtur?¹ «Videbimus eum sicuti est.» Item non ubi a tergo, sed facie videbimus² : «Tunc autem facie ad faciem.»³ «Vidi te, Domine, quasi angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es, Domine, et facies tua plena est gratiarum.» Item ubi non in tenebris, sed in luce clarissima videbitur; Psalmista⁴ : «In lumine tuo videbimus lumen,» etc. Item ubi de non longinquo, sed de propinquo videbitur, quia electi non in remoto, sed in eodem loco cum ipso erunt⁵ : «Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, illic sint mecum, ut videant claritatem meam.» Pensate ex prædictis quam incomprehensibilis dulcedinis sit ista visio gloriæ. Unde Fulgentius ait⁶ : «Dei faciem si omnes damnati in inferno viderent, nullum dolorem, nullam pœnam, nullam tristitiam sentirent.»

De quarto⁷ : «Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt :» certe oculus adulteri, et superbi, et immundi, invidi, et aliorum perversorum. Hæc autem visio plenius nobis ostenditur in illa visione, de qua⁸ : «Accipiebam in visione, donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus. Millia millium ministrabant ei; et decies centena millia assistebant ei. Judicium sedit, et libri aperti sunt,» etc. Significatur enim ibi, per positionem thronorum, judicum assessorum auctoritas; per fluvium igneum, sententiæ extremæ severitas; per millia millium ministrantium, executorum copiositas; per apertionem librorum, conscientiarum nuditas.

SERMO II.

*Iterum autem videbitis me*⁹, etc. Valde consolatorium est hoc verbum. Considerandum autem quod Dominus videt omnes sim-

plici notitia generali, bonos in gratia spiritali, malos in ira judiciali, beatos in gloria æternali. Videt omnes communiter, bonos amicabiliter, malos terribiliter, beatos ineffabiliter.

De primo, Psalmista¹⁰ : «De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum» terræ, scilicet bonos et malos, in tenebris et in luce, in angulo et in publico, bene vel male agentes¹¹ : «Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus,» etc. O si sol esset oculus, quanta videret in hoc mundo! Et certe oculi Domini sole clariores sunt in infinitum¹² : «Oculi Domini multo lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profunditatem abyssi, et hominum corda, intuentes in absconditas partes.» Væ ergo illis, qui occultas nequitas suas credunt celari posse Domino! Contra quos Psalmus¹³ : «Non videbit Dominus,» etc. usque : «qui finxit oculos, non considerat?» etc. Impii autem non attendunt Dominum videre mala omnia, quia statim non vindicat. Videt utique omnia Deus sapientissimus; sed non statim vindicat omnia patientissimus. Gregorius¹⁴ : «Conditor noster mira dispensatione consilii, et culpas respicit, et vivendi tempora impendit, ut longiora vitæ temporalis spatia, aut converso fiant ad adjutorium inuneris, aut non converso ad augmentum damnationis.»

De secundo¹⁵ : «Vidit Jesus sedentem in throno,» etc.¹⁶ «Vidit duos fratres,» etc. : et hoc per respectum gratiæ. Unde secuti sunt eum. Ergo est virtus Domini, quam statim sequuntur discipuli. O si vos videret Dominus hoc misericordiæ suæ oculo, utique Deus vestris oculis lacrymas educeret pro peccatis. Unde cum, gallo cantante, Petrus respexit Dominus¹⁷ : «Petrus flevit amare.» Nihil enim cantus galli, nihil clamor prædicatoris prodest, nisi respectus oculi misericordiæ divinæ cor tangat, nisi

¹ I Joan., III, 2. — ² I Cor., XIII, 12. — ³ Esth., XV, 16-17. — ⁴ Psal. XXXV, 10. — ⁵ Joan., XVII, 24. — ⁶ Fulg., — ⁷ Apoc., I, 7. — ⁸ Dan., VII, 9, 10. — ⁹ Joan., XVI, 16. — ¹⁰ Psal. XXXII, 13. — ¹¹ Hebr., IV, 13. — ¹² Eccli., XXVIII, 28. — ¹³ Psal. XCIII, 9. —

¹⁴ Gregor., Moral., lib. XVII, c. v, al. III, n. 7. — ¹⁵ Matth., IX, 9. — ¹⁶ Ibid., IV, 18. — ¹⁷ Matth., XXVI, 75.

paternis oculis benigne filium suum reverentem pater respiciat ¹ : « Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, » etc. Ecce gratia hujus visus, quo pater misericordia motus tria facit : Accurrit, per gratiam prævenientem ; super collum cadit, per gratiam subsequentem ; osculatur, per fiduciam de peccatorum remissione consolantem.

De tertio ² : « Vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, » etc. Vestis nuptialis est bona vita ³ : « Omni tempore vestimenta tua sint candida. » Bona enim vita melius vestit hominem omni purpura, et panno pretioso. Sed quidam habent pretiosas, quidam omnino sordidas, quidam interceisas, qui partim Deo, partim diabolo serviunt. Ili dominorum suorum vestes accipiunt, cum tamen nisi alteri eorum deservire non possunt ⁴ : « Nemo potest duobus dominis servire ; aut enim unum, » etc. Terribili ergo visu, carentes pretiosa veste, videbit Dominus in judicio. O quam ardentibus oculis ! ⁵ « Oculi ejus tanquam flamma ignis. » Hunc visum faciunt crudelem scelera hominum ⁶ : « Videns autem Deus quod multa malitia esset in terra, » etc. Infra : « Delebo, inquit, hominem. » Sicut autem in diluvio aquam nullus evasit, nisi per arcam, ita in judicio ignem nullus evadet, nisi per arcam, id est, Ecclesiam : qui scilicet in ipsa fuerit non tantum in numero, sed etiam merito.

De quarto ⁷ : *Vos quidem nunc tristitiam habetis, iterum autem videbo vos*, etc. Visionis hujus gaudium non potest tolli. Visio hæc est tantum in patria. Bernardus ⁸ : « Illud solum est verum gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur : quod cum possederis, nemo tollet a te : cui comparata omnis aliunde jucunditas, mæror est ; omnis suavitas, dolor ; omne dulce, amarum ; omne decorum, fœdum ; omne postremo quod delectare posset, molestum. »

¹ Luc., xv, 20. — ² Matth., xxii, 11. — ³ Eccle., ix, 8. — ⁴ Matth., vi, 24. — ⁵ Apoc., i, 24. — ⁶ Gen., vi, 5, 7. — ⁷ Joan., xvi, 22. — ⁸ Bern., ad Sanctimon., epist. cxiv, n. 1. — ⁹ Eccli., xxxiv, 19, juxta LXX :

Videbo, inquit, vos, etc. O quam dilectores suos jucunde videbit, ubi nil in eis videbit, quod oculis displicebit ! ⁹ « Oculi Dei videbunt diligentes se (a). » Quod non solum (b) gratiæ, sed etiam gloriæ potest intelligi. Quanto ergo plus diligimus Deum, tanto plus dilectissimi oculi Dei in nos, et certe oculi nostri erunt in ipsum. Augustinus ¹⁰ : « Amore Dei nihil suavius, nihil dulcius, nihil dignius : quo (c) quanto quis fuerit ferventior, tanto ejus visio erit suavior ; quanto nunc desideramus ardentius, tanto ipsum intuebimur clarius. »

SERMO III ¹¹.

Mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium ¹. Quia opposita juxta se posita magis elucescunt, ideo Dominus in verbo proposito aperit statum religiositatis apostolicæ per oppositum mundanæ lubricitatis, cum dicit : *Mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini*. In quo quidem verbo, primo notatur illicita delectatio humanæ lubricitatis ; secundo temporanea tribulatio apostolicæ religiositatis ; tertio futura consolatio æternæ jucunditatis. Primo notatur illicita delectatio mundanæ lubricitatis, cum dicit : *Mundus gaudebit* ; secundo temporanea tribulatio apostolicæ religiositatis, cum subdit : *Vos autem contristabimini* ; tertio futura consolatio æternæ jucunditatis, cum subinfert : *Sed tristitia vestra vertetur in gaudium*. Mira dispensatio divinæ bonitatis, quod non datur dulcedo sapientiæ, nisi prævia amaritudine pœnitentiæ, quoniam per luctum tribulationis et angustiae, exemplo Christi, oportet intrare in regnum felicitatis æternæ.

Dicit ergo : *Mundus gaudebit* : ubi notatur illicita delectatio mundanæ lubricitatis. Tota vero delectatio, sive gaudium, mun-

Οἱ ὀρθολογοὶ Κυρίου ἐπὶ τοὺς ἀγαπῶντας αὐτόν. — ¹⁰ Aug. — ¹¹ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521.

(a) Vulg. super timentes eum. — (b) Suppl. de statu. — (c) Cæt. edit. quod.

danæ lubricitatis potest comprehendere sub triplici differentia hominum, secundum quod innuitur ¹ : « Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, » faciens lubricos et luxuriosos; aut « concupiscentia oculorum, » faciens avaros et pecuniosos; aut « superbia vitæ, » faciens magnificos, et ambitiosos. Unde secundum istam triplicem differentiam hominum, ex qua pullulant omnia genera peccatorum, in qua consistit totum gaudium mundanum, potest dici, quod primo gaudent luxuriosi in experientia carnalis lasciviæ; secundo gaudent avari in copia insatiabilis pecuniæ; tertio gaudent ambitiosi, sive superbi, in excellentia honoris, et jactantiæ. Ratione primi, illud gaudium depravat naturam propriam; ratione secundi, obligat ad pœnam æternam; ratione tertii, provoecat divinam offensam. Primo gaudent luxuriosi in experientia carnalis lasciviæ, depravantis naturam propriam. Et de hoc dicitur ² : « Et ecce gaudium et lætitia (a) occidere vitulos, et jugulare arietes, et comedere carnes, et bibere vinum. » Quia lubrici homines non intendunt vacare nisi lasciviæ, gulæ et luxuriæ. Nam vitium gulæ attrahit luxuriam: ideo dicitur: *Ecce gaudium occidere vitulos*, etc. (b), *comedere carnes*, quantum ad lasciviam gulæ; *et lætitia (a) bibere vinum*, quantum ad luxuriam: nam ³ « luxuriosa res est vinum. » Illa enim duplex lascivia in anima, quæ a Deo avertitur, ut amisso honore castitatis et munditiæ, et brutis animalibus ⁴ « quibus non est intellectus, » comparetur, eo quod in eis pervertitur ordo naturalis, quando cogunt spiritum ancillari, et carnem dominari, et ad similitudinem porci non intendunt nisi curationi cutis. Secundo gaudent avari in copia insatiabilis pecuniæ, et obligantis ad pœnam æternam; unde ⁵ : « Tollam ab eis fortitudinem eorum, et gaudium dignitatis eorum, et desiderium ocu-

lorum suorum, quibus requiescunt animæ eorum. » Quia avari, in quibus est terrenum desiderium, et concupiscentia oculorum, ponunt finem lætitiæ, et spem dilectionis (c) in divitiis suis, in quarum multitudine gloriantur et requiescunt, quasi ultimo fine: ideo Dominus minatur eis tollere divitias in præsentem, et nihilominus punire eos in futuro pœna infernali, eo quod maximam injuriam sibi intulerunt, cum præposuerunt (d) Creatori æterno, et bono incommutabili creaturam temporalem et caducam. Unde avaritia ab Apostolo appellatur « idolorum servitus. » Bernardus ⁷ super illud ⁸ : *Tu vero cruciaris* : « Quid ergo dicemus ad hæc, si talis est exitus, si tale iudicium, ut ⁹ *extrema gaudii luctus occupet?* » Tertio gaudent ambitiosi in excellentia honoris, et jactantiæ, provoecantis divinam offensam. Unde ¹⁰ : « Gaudium hypocritæ ad instar puneti: si ascendit usque ad cælum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine perdetur. » Quia gaudium ambitiosi est vanum, eo quod ad modum hypocrisis non habet existentiam, sed tantum apparentiam. Ideo dicitur *gaudium hypocritæ*; sed additur *ad instar puncti*, quia tale gaudium est quasi momentaneum, et ejus finis interitus. Sed quia ambitiosus et superbus per suam reputationem quasi elevatur usque in cælum, præferendo se omnibus, ideo secundum rectam divinæ justitiæ regulam deprimetur usque ad profundum abyssi, secundum veritatem, quoniam, in fine mortis suæ, quasi vile sterquilinum perdetur.

Secundo notatur temporanea tribulatio religiositatis, eum subdit: *Vos autem contristabimini*. Apostoli namque, tanquam viri religiosi, secundum Deum triplicem habuerunt tribulationem, sive tristitiam. Primo habuerunt tristitiam lacrymosæ contritionis, in propriæ transgressionis recordatione; secundo, dolorosæ compassionis, in

¹ I Joan., II, 16. — ² Isa., XXII, 13. — ³ Prov., XX, 1. — ⁴ Psal., XXXI, 9. — ⁵ Ezech., XXIV, 25. — ⁶ Ephes., V, 5. — ⁷ Bern. — ⁸ Luc., XVI, 25. — ⁹ Prov., X'V, 13. — ¹⁰ Job, XX, 5, 7.

(a) Cæd. edit. lætitiæ. — (b) Item mauc. — (c) Forte leg. delectationis. — (d) Cæd. edit. proposuerunt.

dominicæ passionis meditatione ; tertio , afflictionem desolationis , in Christi præsentia corporalis privatione. Primo habuerunt tristitiam lacrymosæ contritionis, ex propria transgressionis recordatione. Unde ¹ : « Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. » Ille namque, exemplo apostolorum, contristatur secundum Deum, qui cum cogitat propter suum peccatum Deum offendisse, ita dolet intime, et colaphizatur dure interius, ut prorumpat in lacrymas exterius, exemplo principis apostolorum Petri, qui cum negaret Christum, præ nimia tristitia ² « flevit amare : » et talis tristitia operatur pœnitentiam in salutem æternam (a), eo quod meretur veniam omnium peccatorum, quibus obligabatur ad pœnam æternam. Unde in Psalmo ³ : « Tota die ingrediebar contristatus. » Amovet ipsum continue terminandum, ne aliquod peccatum in mea conscientia lateret ⁴. Unde Bernardus ⁵ super illud ⁶ : *Tempus putationis advenit* : « Parum est semel putasse ; sæpe putandum est, imo, si fieri potest, semper : quia semper quod putari oporteat (si non dissimulas) invenis. Quantumlibet in hoc tempore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua, et non magis suppressa. Velis, nolis, intra fines tuos habitat Jëbusæus. » Unde Gregorius ⁷ super illud ⁸ : *Parata ad tempus statutum* : « Tempore igitur misericordiæ deflenda est humiliter culpa, ne in tempore justitiæ miserabiliter deploretur acerbitas pœnæ. » Secundo habuerunt tristitiam dolorosæ compassionis in dominicæ passionis meditatione ; unde in Psalmis ⁹ : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus? quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? » Et respondet parum inferius : « Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum. » Quilibet verus Christianus, cum dicitur sibi

a prædicatore, quod Deus tuus fuit in cruce crudeliter vulneratus, turpiter exprobratus, et viliter abjectus, debet in tantum gemere, vel geminare voces doloris, et latius inundare lacrymarum torrentes, ut possit dicere cum fidei David : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus?* Sed et præ nimia admiratione de exhibitione tantæ benignitatis, debet seipsum examinare, et interrogare, dicens : *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* Et postea rationem reddere sibiipsi subjungendo : *Abyssus* compassionis Christi *invocat abyssum* compassionis Christiani, quia non alium habitum debet prætere Christianus, nisi qualem veritas professionis exprimit a Christo. *In voce cataractarum tuarum*, id est plagarum, *omnia excelsa tua, et fluctus tui*, id est opprobria, dolores et tormenta, indicibili compassione in propriam personam retorquens, sentiendo quod et in ipso Jesu, *super me transierunt*. Istam tristitiam continue habebat Paulus, cum dicebat ¹⁰ : « Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. » Sic et omnes apostoli : nam præ nimia tristitia dolorosæ compassionis de Domini passione, transformati erant in crucifixi effigiem (b) per conformitatem. Tertio habuerunt tristitiam afflictæ desolationis in præsentia (c) Christi corporalis amissione ; unde ¹¹ : « Vado ad eum qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. » Dominus noster Jesus Christus, tanquam benignus magister, propter nimiam dilectionem, qua dilexit nos discipulos suos, et maxime in finem (d), non solum sollicitavit eos ad inquirendum beneficium suæ passionis : *Nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis?* imo sine inquisitione prædicat eis suam mortem, quam voluntarie

Moral. lib. X, c. xvi, al. xxxi, n. 54, quoad sensum. — ⁸ *Job*, xii, 5. — ⁹ *Psal.* xli, 4-5. 8. — ¹⁰ *Gal.*, vi, 17. — ¹¹ *Joan.*, xvi, 5.

¹ II *Cor.*, vii, 10. — ² *Matth.*, xxvi, 7, 5. — ³ *Psal.* xxxvii, 7. — ⁴ Locus corruptus. — ⁵ Bern., in *Cant.*, serm. LVIII, n. 10. — ⁶ *Cant.*, ii, 12. — ⁷ Gregor.,

(a) *Cert. edit.* Salute æterna. — (b) *Item* effigie. — (c) *Item* pœnitentiæ. — (d) *Forte leg.* fine.

in proximo erat recepturus pro redemptione humani generis, cum addit : « Vado ad eum qui misit me. » Sed quia de morte ejus discipuli vehementer desolabantur, ideo sequitur : « Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. » Si ergo sola imaginatio de privatione Christi societatis tantum dolorem inflixit, ut tristitia impleret cor eorum, propter hoc pro certo multum additur experientia facti. Unde de eis cantatur ¹ :

Tristes erant Apostoli,
De nece sui Domini.

Tertio notatur futura consolatio æternæ jucunditatis, cum subinfertur : *Sed tristitia vestra vertetur in gaudium*. Triplicem consolationem sive gaudium habuerunt apostoli, secundum prædictam triplicem tristitiam. Nam primo, tristitia lacrymosæ contritionis de propriæ transgressionis recordatione, vertitur in gaudium internæ dilectionis, propter evasionem mortis æternæ; secundo, tristitia dolorosæ compassionis de dominicæ passionis meditatione, vertetur in gaudium mutuae congratulationis propter cohæredationem cœlestis patriæ; tertio, tristitia afflictæ desolationis de corporalis Christi præsentiae (a) amissione, vertetur in gaudium lætitiæ et consolationis, propter visionem resurgentis sapientiæ. Primo lacrymosæ contritionis tristitia de peccati recordatione versa est in gaudium lætitiæ et exultationis, propter evasionem mortis æternæ; unde ² : « Gaudium et lætitiæ obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus, quia ego ipse consolabor vos. » *Gaudium et lætitiæ* dulcorantis gratiæ *obtinebunt*, qui habuerunt tristitiam contritionis de suæ iniquitatis commissione; insuper *fugiet dolor et gemitus* mortis æternæ, quia *ipse ego Dominus consolabor vos*, remittendo omnia peccata. Et de hoc similiter dicitur in Psalmo ³ : « Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti

saccum meum, et circumdediti, » etc. Secundo habuerunt tristitiam dolorosæ compassionis de morte Christi, quæ versa est in gaudium mutuae congratulationis propter cœlestis gloriæ participationem. Conveniens enim est, ut qui condolent Christo per compassionem, congaudeant cum eo per gloriæ participationem, ut qui sunt socii passionum, sint similiter et consolationum. Unde ⁴ : « Communicantes Christi passionibus gaudeate, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. » Tertio, tristitia afflictæ desolationis de amissione Christi versa est in gaudium lætitiæ et consolationis, propter visionem resurgentis sapientiæ; unde in Psalmo ⁵ : « Lætificabis me in gaudio cum vultu tuo : » quod fuit adimpletum, quando Christum resurrexisse apostoli visu cernunt corporeo. De primo gaudio similiter dicitur ⁶ : *Videbitis et gaudebit cor vestrum*, et sequitur ⁷ : « Videbunt gloriam meam, et ponam in eis signum, et mittam ex eis, qui salvati fuerint (b) ad gentes in mare, in Africam et Lybiam tendentes (c) sagittam, in Italiam, et Græciam, et insulas longe, ad eos, qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam, et annuntiabunt gloriam meam. » Apostoli namque postquam viderunt gloriam Christi resurgentis, et postquam fuerunt signati signaculo Trinitatis, *tenentes sagittam* prædicationis, missi fuerunt tanquam veri testes per univertum mundum, ut annuntiarent gloriam Dei, quam suis oculis conspexerunt. Rogemus, etc.

SERMO IV ⁸.

Tristitia vestra vertetur in gaudium ⁹. Magna consolatio est ista. Considerare autem hic possumus quadruplicem versionem : vertitur enim quandoque tristitia in lætitiæ, lætitia in tristitiam, tristitia in tristitiam, lætitia in lætitiæ.

De primo dicitur hic : *Tristitia vestra*

¹ Hymn. temp. pasch., ad Vesp. Apost.— ² Isa., xv, 10.— ³ Psal. xxix, 11-12.— ⁴ 1 Petr., iv, 13.— ⁵ Psal. xx, 7.— ⁶ Joan., xvi, 22.— ⁷ Isa., lxvi, 10.—

⁸ Hunc et duos seq. habet quoque edit. Paris. an. 1521.— ⁹ Joim., x'i, 22.

(a) Cæl. ed. t. pœnitentiæ.— (b) fuerunt.— (c) teneus.

vertetur in gaudium. Hoc significatum est in aquis amaris, de quibus ¹: « Ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. » Aquæ amaræ tristitiæ sunt, vel lacrymæ tribulationis, vel pœnitentiæ ²: « Egressus foras flevit amare. » Amaritudo ergo præsentis adversitatis per lignum crucis vertetur nobis in dulcedinem æternæ jucunditatis. Hæc est dulcedo, de qua ³: « Ecce examen in ore leonis erat, ac favus mellis. » Leo est quilibet persecutor, vel turbator proximorum. Apes aculeatae sunt verba pungentia et turbantia proximorum. Quanto autem plures fuerint apes, tanto plus de melle habebis dulcedinis æternæ. Vult ergo nos sustinere Deus apes in mundo, ut dulcedinem habere possimus in cœlo. Augustinus ⁴: « Ideo Deus terrenis felicitatibus amaritudinem admisceat, ne alia aliqua felicitas quæeratur, cujus dulcedo nos fallat. » Ecce pulchra versio ⁵: « Noluit Dominus Deus tuus audire Balaam; sed vertit maledictionem suam in benedictionem tuam. »

De secundo ⁶: « Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum. » Si panis vertitur gulosis in tantam tristitiam, quid erit de voluptuosissimis cibariis? Certe non solum in tristitiam gehennæ, vel pœnitentiæ, vertitur voluptatis gustus, sed etiam auditus ⁷: « Versa est in luctum cithara mea, » etc., « et organum meum in vocem flentium. » Quidam vero detractiones, turpia verba, mala consilia audiunt ita delectabiliter, sicut citharam: sed in luctum vertetur hæc cithara. Item voluptas visus ⁸: « Respiciensque uxor Loth post se, versa est in statuum salis. » Quid erit de iis, qui toties nequissimo visu peccant, ex quo semel respiciens est ita punita? Per panem igitur, qui in fel aspidum convertitur, potest quælibet malorum consolatio, vel voluptas significari. In

hunc enim panem lapides, id est, duritias pœnitentiæ verti vult diabolus; Dominus autem non lapides duræ pœnitentiæ in panes voluptatis, sed voluptatis panes vertit in fel aspidum æternæ amaritudinis. Bernardus ⁹: « Via iniquitatis ingredientibus, mel sophisticum; progredientibus fel et acetum; egredientibus, execrabile venenum aspidum. » Qui hos panes comederit, omnes micæ, id est, cogitationes et desideria, in fel tristitiæ illi vertentur ¹⁰: « Omnis pulvis terræ versus est in ciniphes. » Et quia pungunt, remorsiones conscientiarum æternas significare possunt. Vides ergo quomodo, sicut dicitur ¹¹, « risus dolore miscebitur (a). »

De tertio significatum est, ubi virga Moysi versa est in colubrum. Hæc est virga divinæ correptionis; Psalmista ¹²: « Visitabo in virga, » etc. Virga sæpe de corde lapideo aquam contritionis et lacrymarum educit, sicut in virga qua (b) petra bis percuitur, sicut significatum est ¹³; per colubrum autem horror damnationis significatur. Unde de vino carnalis delectationis dicitur ¹⁴: « In novissimo mordebit ut coluber. » Virga ergo in colubrum vertitur, quando in obstinatis præsentem tribulationem horror damnationis sequitur, quando hic et in futuro affligimur, sicut de Antiocho legitur ¹⁵, et de Herode ¹⁶. Nota historias. Gregorius ¹⁷: « Pœna præsens si afflicti animum convertit, finis est culpæ præcedentis; si tamen ad timorem minime convertit, initium est pœnæ sequentis. » Sed e contrario legitur de virga Aaron arida, quæ flores et fructus habuit ¹⁸, quia castigatio electorum flores virtutum in præsentem, et fructus præmiorum producit in futuro.

De quarto ¹⁹: « Parvus fons crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit. » Fons est charitas, vel consolatio Spiritus sancti ²⁰:

¹ Exod., xv, 25. — ² Matth., xxvi, 75. — ³ Judic., xiv, 8. — ⁴ Aug., Enarr. in Psal. xciii, v. 24, quoad sensum. — ⁵ Deut., xxiii, 25. — ⁶ Job, xx, 14. — ⁷ Job, xxxviii, 31. — ⁸ Gen., xix, 26. — ⁹ Bern. — ¹⁰ Exod., viii, 17. — ¹¹ Prov., xiv, 13. — ¹² Psal.

lxxxviii, 33. — ¹³ Num., xv, 11. — ¹⁴ Prov., xxii, 32. — ¹⁵ II Mach., ix, 13. — ¹⁶ Act., xii, 23. — ¹⁷ Greg., ad Venant., Epist. lib. xi, c. xxx, al. xxv. — ¹⁸ Num., xvii, 8. — ¹⁹ Esth., x, 6. — ²⁰ Joan., iv, 14.

(a) Cæt. edit. misceatur. — (b) Item quæ.

« Fiet in eo fons, » etc. Omne autem gaudium spirituale quod habetur hic in amore Dei et proximi, et in consolationibus Spiritus sancti, exiguum est respectu consolationis æternæ : ideo dicitur *fons parvus*. Per *fluvium* autem abundantia voluptatum æternarum significatur ; Psalmista ¹ : « Torrente voluptatis potabis (a) eos. » Per lucem vero, splendor animarum ² : « Implebit splendoribus animam tuam. » Per solem, claritas corporum ³ : « Tunc justi fulgebunt sicut sol. » Per aquas plurimas, omnium gaudiorum accidentalium copia significatur.

DOMINICA III POST OCTAVAM PASCHÆ.

SERMO PRIMUS.

Cum autem venerit ille, arguet mundum de peccato ⁴. Qui non vult argui de peccato, sequitur (b) illum, qui ait ⁵ : « Quis ex vobis arguet me de peccato ? » Considerandum autem quod arguitur peccatum corde, ore, opere.

Arguitur in corde quadrupliciter, videlicet interius, exterius, inferius, superius. Interius, per conscientiam ; Psalmista ⁶ : « Arguam te, et statuam contra te faciem tuam. » Glossa : « Primo ostendam te tibi, et displicebis tibi. » Sicut serpens et quælibet horribilis bestia displicet homini, et fugit, dum eam videt ; sic peccator animam propriam abhorreret, si eam videret ; est enim serpente horribilior. ⁷ « Serpentes, genimina viperarum, » etc. Quare ergo seipsum non fugit pœnitendo, nisi quia se non videt, et se ante faciem non habet, sed a tergo ? Augustinus ⁸ : « Omnis, qui non videt peccata sua, post dorsum se (c) ponit. » Item exterius per scripturam ⁹ : « Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, et arguendum, » etc. O quomodo superbos, avaros,

fornicadores, et alios perversos terribiliter arguit Scriptura ! Item inferius, per infamiam ¹⁰ : « Arguet te malitia, » etc. Verecundia infamiae ex malitia proveniens sæpe arguit impios, et hanc sæpe argutionem timeant et fugiant homines, plusquam Deum ¹¹ : « Qui male agit, » etc., usque : « non arguantur opera ejus. » Item superius, per gratiam, sive per inspirationem divinam per Spiritum sanctum. Unde hic dicitur : *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato*, quod commiserunt ; *de justitia*, quam neglexerunt, *et de judicio*, quod non timeverunt. Iste Spiritus arguit Magdalenam, et Petrum, et multos alios pœnitentes, ita dure, quod fleverunt.

Arguitur etiam peccatum ore quadrupliciter, videlicet ore jumentino, humano, angelico, et divino. Jumentino, ut de Balaam dicitur ¹² : « Correptionem habuit vesaniæ suæ subjugale, mutum animal hominis voce loquens, et prohibuit prophetæ insipientiam, » etc. Vere magna verecundia, quod asina arguit peccatorem. Item ore humano ¹³ : « Argue, increpa, obsecra, » etc., sicut arguebat Herodem Joannes pro incestu. Augustinus ¹⁴ : « Qui errantem non corripuerit, de negligentia judicabitur. Qui pro eo non oraverit, de perditione judicabitur. » Hæc argutio ad prælatos pertinet ex auctoritate. Unde Heli, qui non arguit filios, fractis cervicibus ¹⁵ expiravit. Ad omnes autem pertinet ex charitate ¹⁶ : « Si peccaverit in te frater tuus, » etc. Item ore angelico ; unde Jacob ad Laban ait ¹⁷ : « Afflictionem meam et laborem meum respexit Dominus, et arguit te heri. » Nota quod dicit *heri*. Certe tu peccator non solum heri, imo quotidie ab angelo tuo posses argui. Neque mirum de angelo, cum etiam diabolus arguat impios, quod ad dolendum est. Arguit utique accusando ¹⁸ : « Projectus

¹ *Psal.* xxxv, 9. — ² *Isa.*, lviii, 11. — ³ *Matth.*, xiii, 43. — ⁴ *Joan.*, xvi, 8. — ⁵ *Joan.*, viii, 46. — ⁶ *Psal.* xlix, 21. — ⁷ *Matth.*, xxiii, 33. — ⁸ August., *Enarr. in Psal.* xlix, n. 28, quoad sensum ; item *serm.* xvii, al. xxviii, inter l hom., n. 9. — ⁹ *II Tim.*,

iii, 16. — ¹⁰ *Jerem.*, ii, 19. — ¹¹ *Joan.*, iii, 20. — ¹² *II Petr.*, ii, 16. — ¹³ *II Tim.*, iv, 1. — ¹⁴ August. — ¹⁵ *I Reg.*, iv, 18. — ¹⁶ *Matth.*, xviii, 15. — ¹⁷ *Gen.*, xxxi, 42. — ¹⁸ *Apoc.*, xii, 10.

(a) *Cat. edit.* potavit. — (b) *Leg.* sequatur. — (c) *Leg.* suum ea.

est autem accusator, » etc. Gregorius ¹ : « Malignitas spiritus cogitationi, locutioni, atque operi nostro insistit frequenter : si fortasse quid inveniatur apud examen æterni iudicis, accusator existit. » Item in ore divino, scilicet Christi iudicio; in canonica ² : « Ecce veniet Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, et arguere omnes impios de operibus iniquitatis eorum, » etc. Ecce patet quod in iudicio arguentur impii de impia operatione (a). Item de impia locutione; unde sequitur ³ : « Et de omnibus, quæ locuti sunt. » Item de impia cogitatione ⁴ : « Quid nequius eo (b), quod excogitat caro et sanguis? Et ex (c) hoc arguetur. »

Arguitur etiam peccatum opere quadruplici, videlicet : opere correctionis in mundo ⁵ : « Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Certe non debes fatigari, quia signum est divinæ dilectionis ⁶ : « Ego quos amo, arguo et castigo. » Augustinus ⁷ : « Si exceptus es a passione flagellorum, exceptus es a numero filiorum. » Item opere passionis Christi in patibulo : non est utique qui utrumque valeat arguere, et ponere manus in ambobus, sicut olim conquerebatur Job ⁸; sed certe postea Christus in passione sua satisfaciendo arguit utrumque, scilicet pœnam, et culpam, et manum ambobus, scilicet in Patrem suum, et in hominem misit, ambos reconciliando. Vel *utrumque arguit*, scilicet diabolum et hominem : diabolum, tanquam deceptorem; hominem, tanquam transgressorem; *et manum in ambobus misit*, diabolum feriendo, hominem eripiendo. Item opere damnationis, ut in inferno; item correctionis in purgatorio. De utroque dicitur in Psalmo ⁹ : « Domine, ne in furore tuo arguas me, » scilicet in inferno, « neque in ira tua corripas me, » in purgatorio.

¹ Gregor., *Dialog.*, lib. III, c. XIX. — ² *Jud.*, 15. — ³ *Ibid.* — ⁴ *Ecclesi.*, XVII, 30. — ⁵ *Hebr.*, XII, 5. — ⁶ *Apoc.*, III, 49. — ⁷ Aug., serm. XLVI, al. *de Temp.*, CLIV, n. 11. — ⁸ *Job*, IX, 15. — ⁹ *Psal.*, VI, 1. — ¹⁰ *Joan.*, XVI, 11. — ¹¹ *Jerem.*, VI, 28. — ¹² Gregor.,

SERMO II.

Princeps mundi hujus jam iudicatus est ¹⁰. Princeps amator mundi diabolus est, sub cuius principatu sunt omnes iniqui. Qui quidem jam iudicatus est; et tamen quotidie operatur, unde gravius iudicetur. Cum autem princeps debeat esse fidelis, pacificus, clemens, justus, princeps tenebrarum totum contrarium habet. Fraudulentissimus est in promissione, inquietissimus in tentatione, crudelissimus in perditione, injustissimus in retributione.

Princeps
qualis
debeat
esse.

De primo ¹¹ : « Omnes isti principes declinant ambulantes fraudulenter, » etc. Principes isti sunt dæmones, qui vere fraudulentissimi sunt : promittendo enim dignitates, voluptates, divitias, longam vitam, finalem pœnitentiam, multos decipiunt. Gregorius ¹² : « Diabolus modo aliorum facta graviora, modo nihil esse quod perpetratum est, modo misericordem Deum loquitur, modo subsequens tempus ad pœnitentiam pollicetur, ut (d) per hoc decepta mens abducatur (e), ab intentione pœnitentiæ et (f) « suspendatur. » ¹³ « Consilia impiorum fraudulenta, » etc. O quanta fraudulentia! Cum maxime arriident homini in prosperitatibus, ut fallant lasciviis et vanitatibus, tunc maxime timendi sunt. Cyprianus ¹⁴ : « Diabolus blanditur, ut fallat; aridet, ut noceat; allicit, ut occidat. » Hoc significatur in Joab principe ¹⁵, qui Amasam osculando interfecit. Osculum diaboli, falsa securitas peccatoris. Libentius debere a Christo castigari, quam a diabolo osculari ¹⁶ : « Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula. » E contrario Christus princeps fidelissimus est, qui cogitationes fraudis nescit ¹⁷ : « Princeps vero (g) ea, quæ digna sunt principe, cogitabit. »

Pastor., part. III, c. XXIX. — ¹³ *Prov.*, XII, 5. — ¹⁴ Cyprian. — ¹⁵ *II Reg.*, XX, 9. — ¹⁶ *Prov.*, XVII, 6. — ¹⁷ *Isa.*, XXXII, 8.

(a) *Cet. edit.* oratione. — (b) *Vulg.* quam. — (c) *Vulg.* non habet ex. — (d) *Suppl. dum.* — (e) *Leg.* ducitur. — (f) *Del. et.* — (g) *Cet. edit.* vere.

De secundo ¹ : « Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, quia non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principes, et potestates, » etc. Bene indigemus ut armemur virtutibus, quia principes isti semper nos armati impugnant, sicut significatum est. Dicitur ² : « Omnes principes principum et nominati ascensores equorum instructi veniunt super te, et instructi curru, et tota multitudo populorum lorica, et clypeo, et galea armabuntur contra te undique. » Principes principum sunt principes (a) dæmonum. Equi autem dæmonum sunt perversi, quos de vitio ad vitium nunc equitant, donec simul in infernum cadant ³ : « Equum et ascensorem projecit in mare. » Currus autem diaboli est mala societas, quæ voluntate et operatione, et consuetudine, et obstinatione corrupta, quasi quatuor rotis simul currit. Multitudo populorum est multitudo impiorum, per quos diabolus animas impugnat : qui armati sunt lorica malæ consuetudinis, clypeo obdurationis, galea præsumptionis : qui præsumunt nimis de Dei misericordia, vel finali pœnitentia. E contrario Christus est princeps pacificus ⁴ : « Factus est principatus, » etc. usque : « princeps pacis. »

De tertio ⁵ : « Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem. » Peccatores vero sunt pauperes virtutibus et bonis operibus : ideo paucos habent amicos animæ ⁶ : « Fratres hominis pauperis oderunt eum, et insuper amici procul recesserunt ab eo. » Etiam proximo suo pauper odiosus est. Nota ergo qui (b) fratres, et amici, et proximus spernentes semper pauperem virtutibus. Fratres sunt sancti ; amici sunt angelî ; proximus Christus. Talibus pauperibus est diabolus sicut leo rugiens, et ursus esuriens in morte. Gregorius ⁷ : « Ma-

gnis quotidie fletibus cogitandum est, quam severus, quam terribilis in die nostri exitus princeps hujus mundi veniat, qui etiam ad Dominum in carne morientem venit. » E contrario Christus princeps elementissimus est ⁸ : « Princeps regum terræ, qui dilexit, » etc.

De quarto ⁹ : « Est malum quod vidi sub sole, per errorem egrediens a facie principis, positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum. » Stulti enim sunt peccatores, qui per principem malum simoniis, usuris, rapinis, et aliis injustis modis in honoribus et rebus exaltantur ; et divites virtutibus humiliantur, sicut Job sedens in sterquilinio. Item princeps iste maxime servientes sibi ad maxima tormenta rapit in futuro : quod licet justum sit ex parte hominis patientis, injustum tamen est ex parte diaboli agentis : agit enim hoc non justitia, sed invidiæ zelo. Unde gravissimum est ipsi servire. Augustinus ¹⁰ : « Grave est offenso servire, qui nullo placatur obsequio. » E contra Christus princeps justissimus, qui sibi servientes juste remunerat in futuro ¹¹ : « Cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. » Nota de apparitione, quod in ea David satietatem ¹², Joannes similitudinem ¹³, Paulus vitam ¹⁴, Petrus coronam immarcessibilem promittunt. Ipse erit nobis corona in æternitate, vita in charitate, similitudo in cognitione, satietas in fruitione.

SERMO III ¹⁵.

Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem ¹⁶. Videns Dominus noster Jesus Christus discipulos suos desolari de sua absentia corporali, in remedium desolationis in verbo proposito promittit eis regale xenium, imperiale donum, scilicet Spiritum sanctum, quo habito non est locus desolationis et mœstitiæ, imo consolationis et lætitiæ. Ut autem eorum animos in ejus

¹ Ephes., VI, 11-12. — ² Ezech., XXIII, 23. — ³ Exod., XV, 1. — ⁴ Isa., IX, 6. — ⁵ Prov., XXVIII, 13. — ⁶ Prov., XIX, 7. — ⁷ Greg. — ⁸ Apoc., I, 5. — ⁹ Eccl., X, 5-6. — ¹⁰ Aug. — ¹¹ I Petr., V, 4. — ¹² Psal. XVI, 15. — ¹³ I Joan., III, 2. — ¹⁴ Coloss., III, 4. —

¹⁵ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ¹⁶ Joan., XVI, 13.

(a) Cæl. ult. princeps. — (b) Item quid.

concupiscentiam provocet, describit eum quantum ad triplicem proprietatem, quæ omnem animam desiderio sui in amorem trahit.

Primo describit eum quantum ad benignitatem, propter communicativam præsentiam majestatis altissimæ; secundo, quantum ad nobilitatem propter excellentiam dignitatis personæ; tertio, quantum ad liberalitatem, propter redundantiam copiositatis doctrinæ. Primo describit eum ut benignissimum, propter communicativam præsentiam altissimæ majestatis, cum dicit: *Cum venerit*. Vere magna benignitas, quia talis et tantus doctor non dedignatur venire ad suos discipulos, contra consuetudinem aliorum magistrorum. Secundo describit eum ut nobilissimum, propter excellentiam dignitatis personæ, cum subdit: *Ille Spiritus veritatis*. Nihil enim excellentius, nihil pretiosius, nihil nobilius Spiritu sancto. Tertio describit eum ut liberalissimum, propter redundantiam copiositatis doctrinæ, cum subinfert: *Docebit vos omnem veritatem*. De isto tam fortissimo doctore omnes rivi sapientiæ, et scientiæ derivantur.

Dicit ergo: *Cum venerit*. Ubi describit eum quantum ad benignitatem propter communicativam præsentiam altissimæ majestatis. Si quæretur ratio quare ille benignissimus Spiritus dignatur ad suos discipulos venire, optime respondetur quod sua benignitas est ratio præcipua. Nam ratione benignitatis suæ venit iste Spiritus: primo ut medicus totius experienciæ, propter collationem spiritualis et corporalis vitæ; secundo ut magister totius sapientiæ, propter instructionem utilis doctrinæ; tertio ut rex totius opulentiæ, propter amotionem totalis indigentiae. Primum est respectu infirmorum; secundum respectu ignorantium; tertium respectu pauperum. Primo venit ut medicus totius experienciæ, propter collationem spiritualis et corporalis vitæ. O quam peritus est ille medicus, qui mortuos spiritualiter et corporaliter vivificat, et omnem

languorem curat sine ferro et sine igne, sed solo suæ voluntatis beneplacito: Unde¹: « Veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant, » scilicet a morte culpæ per collationem gratiæ. Unde sicut corpus est mortuum sine anima, sic et anima sine Spiritu sancto. Secundo venit ut magister totius sapientiæ, propter instructionem utilis doctrinæ. Ipse enim est fontale principium omnis scientiæ, et specialiter christianæ doctrinæ, sive prophetiæ, sive apostolicæ: docet enim rectam legem. Et propter hoc dicitur²: « Optavi, et datus est mihi sensus; et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ; et præposui illam regnis et sedibus; et divitias nihil esse duxi in comparatione illius. » Quia Spiritus sanctus, licet sit liberalis et largus in dando, quia etiam est prudens et discretus in dispensando, ideo ad hoc, ut aliquis ab ipso magnum beneficium impetret, requiritur convenientia debitæ dispositionis ex parte sui. Et propter hoc dicitur: *optavi* vehementi desiderio amoris, *et invocavi* cum devotione in oratione. Et tunc datus est mihi sensus discretionis, et prudentiæ, et *venit in me spiritus* illuminantis sapientiæ. *Et præposui illam* omnibus rebus temporalibus, eo quod *nihil* sunt in comparatione *illius*. Nam si Scriptura sileret, experientia doceret, quia cunctæ res non satiant appetitum animæ rationalis, eo quod homines his omnibus adeptis ardentes sunt in acquirendo: et ideo nihil manifestius, quam horum acquisitio, vel possessio, plus habet fatuitatis et indigentiae, quam soliditatis et sufficientiæ. Unde in eis nunquam sistit appetitus, quia non invenit soliditatem. Sed spiritus sapientiæ est totius animæ completivus et moderativus; ita enim inebriat animam, ut in omnibus operibus ducatur sobrie. Tertio venit ut rex totius opulentiæ, propter amotionem totius indigentiae. Unde³: « Factus est de cælo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam

¹ *Ezech.*, xxxvii, 9. — ² *Sap.*, vii, 7. — ³ *Act.*, ii, 2, 3.

domum, ubi erant sedentes. » Unde sequitur : « Repleti sunt omnes Spiritu sancto. » Ita enim Spiritus sanctus Apostolos virtutibus et donis et muneribus adimplevit, et opulentavit, ut in nullo egerent, cum eos constituit hæredes, et reges regni cœlorum, et principes fidei christianæ. Est enim qui ¹ *suscitat de terra avaritiæ avarum et inopem, et erigit de stercore immunditiæ peccatorem et pauperem*, ut opulentatus veris divitiis gratiæ, *sedeat cum apostolicis principibus, et solium gloriæ teneat* in cœlesti patria.

Sequitur : *Ille Spiritus veritatis* : ubi describit eum secundo principaliter quantum ad nobilitatem, propter excellentiam dignitatis personæ. Ille enim Spiritus, ratione suæ dignitatis et excellentiæ, est primo admirabilis in incipientibus, propter purgationem spiritualem omnium peccatorum; secundo venerabilis in proficientibus, propter fidelem dispensationem charismatum donorum; tertio desiderabilis in pervenientibus, propter mentalem refectionem suavium ciborum. Ratione primi, virtutis summæ; ratione secundi, æquitatis perfectæ; ratione tertii, bonitatis supremæ. Primo ille admirabilis Spiritus est in incipientibus, propter spiritualem purgationem omnium peccatorum; unde ² « sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem; si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem tulerit de medio ejus in spiritu judicii et spiritu ardoris. » Dicitur Spiritus sanctus *spiritus judicii*, in quantum imprimit in animam (a) timorem divinæ severitatis; sed *spiritus ardoris*, in quantum elevat ad amorem bonitatis. His ductus, scilicet timore et amore, *abluit Dominus sordes filiarum Sion et sanguinem Jerusalem*, id est, maculâs peccatorum spiritualium et carnalium. Ad illud balneum debent accedere omnes peccatores sordibus inquinati. Secundo est venerabilis in proficientibus, propter dispensationem

fidelem charismatum donorum; unde ³ : « Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus : » et post enumerationem donorum et gratiarum sequitur : « Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. » Spiritus sanctus distribuit omnia bona secundum nostrum meritum, et suam complacentiam. Unde licet diversi, distincti et multiplices rivuli a fonte egrediantur, tamen unus est fons, qui sine defectu se multiplicat. Sic ab uno fonte æterno, ab uno paradiso, ab uno Spiritu sancto, sine sui defectibilitate, egrediantur diversi rivuli gratiarum, donorum et beatitudinum. Tertio est desiderabilis in pervenientibus, propter mentalem refectionem suavium ciborum; unde possunt dicere sancti in patria ⁴ : « O quam bonus et suavis est spiritus tuus in nobis, Domine ! » Unde bene conjungitur bonum suavi : nam est bonum quod non est suave, sicut timor pœnæ; et est suave quod non est bonum, sicut voluptas lasciviæ. Sed totum bonum dixit, qui bonum suavi conjunxit, dicendo : *O quam bonus est et suavis !* Sed quia vix invenitur aliqua delectatio terrena, quæ non sit respersa amaritudine, vel præ frequenti assuetudine generet fastidium, ideo divina sapientia Christi dicit ⁵ : « Spiritus meus super mel dulcis. » Spiritus meus, qui a me procedit, super mel dulcis, id est, super omnem delectationem creaturæ : nam mel in genere creaturæ habet dulcedinem. Unde dulcedo Spiritus sancti sic dulciter reficit, ut perfecte animam satiet; nec generat fastidium, imo continuat desiderium.

Ultimo describit eum, quantum ab liberali redundantiam copiositatis doctrinæ, cum subinfertur : *Docebit vos omnem veritatem*. Ratione enim suæ redundantix, et copiositatis doctrinæ, docet iste Spiritus triplicem veritatem, ad quam omnis veritas potest reduci. Primo enim docet fugere deformitatem culpæ, propter timorem divinæ severitatis; secundo omnia facere sine acce-

¹ 1 Reg., II, 8; Psal. CXII, 7. — ² Isa., IV, 3-4. — ³ 1 Cor., XII, 4, 11. — ⁴ Sap., XII, 1. — ⁵ Eccli., XXIV, 27.

(a) Leg. anima.

ptione personæ, propter amorem justitiæ et æquitatis; tertio appetere inhabitationem cœlestis patriæ, propter visionem divinæ majestatis. Primum est respectu sui; secundum respectu proximi; tertium respectu Dei. Et sic, cum doceat iste Spiritus fugienda mala propter divinæ reverentiæ timorem, operanda (a) bona propter amorem justitiæ, et appetenda cœlestia propter fruitionem sapientiæ, et per hæc tria ordinetur homo ad seipsum, ad proximum et ad Deum: recte potest dici quod docet omnem veritatem. Primo docet fugere mala propter timorem divinæ reverentiæ; unde in Psalmis ¹: « Venite, filii, audite me: timorem Domini docebo vos. » Et sequitur: « Declina a malo et fac bonum, inquire pacem et persequere eam. » Quia timor Domini est initium, et primum fundamentum omnis boni, ideo Spiritus sanctus, tanquam verus magister, primo docet quemlibet suum discipulum timorem Domini, per quem declinat homo a malo, et facit bonum justitiæ, et inquit et sequitur bonum pacis in conversatione. Secundo docet facere bonum propter amorem justitiæ; unde ²: « Sobrietatem enim, et justitiam docet, virtutem (b) et prudentiam. » Quia duplex est justitia, id est, quantum ad seipsum, et quantum ad proximum; ideo Spiritus sanctus primo docet prudentiam, et sobrietatem modestiæ in utendo, quantum ad seipsum; secundo docet virtutem (b) justitiæ in reddendo, quantum ad proximum. His duobus nihil utilius est hominibus ad consummationem vitæ spiritualis. Tertio docet appetere cœlestia, propter degustationem divinæ sapientiæ ³: « Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet justum esse et humanum, et bonæ spei fecisti filios tuos. » Spiritualiter autem ista auctoritas intellecta, potest ad præsens sic exponi, ut dirigatur verbum ad Spiritum sanctum: *Docuisti populum tuum*, id est

christianum seu fidelem (c), *per talia opera* miraculosa, quomodo justum est et humanum, ut per effectum deveniamus in cognitionem causæ, et per visibilia ad invisibilia, tanquam animales et sensibiles, reducamur: eo quod vera cognitio in via incipit a posteriori, *et bonæ spei fecisti filios tuos* in expectando cum desiderio futuram gloriam. Spes enim cœlestis patriæ excitat in filiis Dei concupiscentias æternas. Et de hoc similiter dicitur ⁴: « Sicut docuit vos, manete in eo, ut, cum apparuerit, habeamus fiduciam, et non confundamur ab eo in adventu ejus. » Rogemus ergo, etc.

SERMO IV ⁵.

Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem ⁶. Attende quis, quos, quid doceat. Quis? non homo, non angelus, sed Spiritus sanctus. Quos? non bestias, non quoslibet indignos, sed vos apostolos, vos humiles. Quid? non falsum, non unam tantum, sed omnem veritatem.

Circa primum, nota quod Pater nos docet ⁷: « Erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me. » Si non vis discere a Patre æterno, discas saltem a vili vermiculo ⁸: « Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disces sapientiam, » etc. usque: « congregat in messe cibum sibi. » Sic et nos bona opera et bona merita congregare debemus, unde æternaliter cibemur. Item Filius nos docet ⁹: « Quotidie apud vos eram in templo docens. » Non docet in stabulo, nec in cloaca diaboli, id est in corde sordido; sed in *templo cordis devoti*, in quo adorationes ac oblationes votorum et desideriorum honorum fiunt. Hieronymus ¹⁰: « Bonum Christi templum est anima credentis: illam exorna, illam vesti, in illa offer donaria, in illam Christum suscipe. » Spiritus sanctus docet nos, sicut hic dicitur ¹¹: « Unctio ejus vos

¹ *Psal.* xxxiii, 12, 13. — ² *Sap.*, viii, 7. — ³ *Sap.*, xii, 19. — ⁴ *I Joan.*, ii, 27. — ⁵ Hunc habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁶ *Joan.*, xvi, 13. — ⁷ *Joan.*, vi, 45. — ⁸ *Prov.*, vi, 6. — ⁹ *Matth.*, xxvi, 55. —

¹⁰ Hieron., *ad Paulinum*, epist. xlix. — ¹¹ *I Joan.*, ii, 27.

(a) *Cat. edit.* operando. — (b) *Item veritatem.* — (c) *Item Christianum fidem.*

docet in omnibus. » Sed, heu! unctioem istam vanæ cogitationes, prava desideria, sæculares præoccupaciones sæpe impediunt¹: « Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. » Magna stultitia, pro musca dare columbam Spiritus sancti.

Circa secundum nota quod dicitur : *Docebit vos*. Vos, inquam, tam habiles, vos utique humiles contra prosperitatem, vos mites contra adversitatem, vos spirituales contra sensualitatem. De primo² : « Ubi est doctor parvulorum? » id est humilium. ³ Revelasti ea parvulis. » Psalmista⁴ : « Intellectum dat parvulis. » De secundo, Psalmista⁵ : « Docebit mites vias suas. » Spiritus sanctus in columba apparuit, quæ est avis mitissima. Discipulos ergo ejus etiam columbinos et mites esse oportet, non contentiosos, non iracundos. Sed certe non sufficit quod sis mitis ad tolerandum, nisi etiam sis fervens ad operandum : mitis sis contra injuriam, fervens ad justitiam. Gregorius⁶ : « Spiritus sanctus in igne demonstrari debuit et in columba, quia cor quod ejus gratia tingitur, et mansuetudinis lenitate tranquillum, et zelus justitiæ accensum facit. » De tertio⁷ : « Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus. » Lac est carnalis delectatio; duo ubera, duplex concupiscentia, scilicet exterior in sensu, et interior in affectu. De his lactantur peccatores⁸ : « Lamia nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos. » Lamia est sensualitas. Et dicitur *lamia*, quasi lania : dicitur enim laniare proprios catulos. Sic sensualitas carnalis. Vel catuli qui lactantur ab ubere exteriori sunt quinque sensus; qui autem de interiori, sunt desideria prava.

Circa tertium nota, quod docet triplicem veritatem, videlicet 1. doctrinæ; Psalmista⁹ :

¹ *Eccle.*, x, 1. — ² *Isa.*, xxxiii, 18. — ³ *Matth.*, x, 25. — ⁴ *Psal.* cxviii, 130. — ⁵ *Psal.* xxiv, 9. — ⁶ *Greg.*, *Pastor.*, part. III, c. xxi. — ⁷ *Isa.*, xxviii, 9. — ⁸ *Thren.*, iv, 3. — ⁹ *Psal.* xciii, 10. — ¹⁰ *Dan.*, xii, 3. — ¹¹ *Apoc.*, viii, 10. — ¹² *Sap.*, viii, 7. — ¹³ *Isid.*, *Origina.* sive *Etymol.*, lib. II, c. xxix. —

« Qui corripit gentes, » etc. Docet te, ut a te doceatur proximus¹⁰ : « Qui autem docti fuerint, » etc. Sicut autem qui ad justitiam erudiunt alios, erunt quasi stellæ lucentes in cælo, sic qui ad injustitiam erudiunt alios, quasi faculæ ardentes in inferno¹¹ : « Cecidit de cælo stella magna, ardens tanquam facula, » hic est malus hæreticus, vel malus consiliarius. 2. Item docet veritatem vitæ¹² : « Sobrietatem enim, et (a) prudentiam docet, et justitiam et virtutem (b), quibus nihil utilius est in vita hominibus. » *Sobrietatem* pro temperantia, *virtutem* pro fortitudine ponit. Hæ sunt virtutes cardinales, de quibus Isidorus¹³ : « Prudentia est bona virtus, qua bona a malis discernuntur. Fortitudo est, qua adversa æquanimiter tolerantur. Temperantia est, qua libido concupiscentiaque refrænantur. Justitia est, qua recto judicio sua cuique distribuuntur. » 3. Item docet veritatem justitiæ¹⁴ : « Lætamini in Domino, quia nobis dedit doctorem justitiæ. » Spiritus malignus docet calumnias et iniquitates, quæ in judiciis fiunt, non solum factis, sed etiam verbis¹⁵ : « Docuit iniquitas os tuum, » etc. Sed Spiritus sanctus docet justitias¹⁶ : « Dabis servo tuo cor docile, ut possit judicare, et discernere inter bonum et malum. » Item de doctrina hujus triplicis veritatis in Psalmis¹⁷ : « Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me. » Scientiam doctrinæ, bonitatem vitæ, disciplinam justitiæ.

DOMINICA IV POST OCTAVAM PASCHÆ.

SERMO PRIMUS¹⁸.

*Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit*¹⁹. Licet tantæ sit liberalitatis et diffusionis divina bonitas, ut etiam alios ad accipiendum quæque sua pretiosa invitet : tamen quia propter prudentiam discretionis,

¹⁴ *Joel.*, ii, 23. — ¹⁵ *Job.*, xv, 5. — ¹⁶ *III Reg.*, iii, 9. — ¹⁷ *Psal.* cxviii, 66. — ¹⁸ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ¹⁹ *Juan.*, xvi, 24.

(a) *Cæt. edit.* id est. — (b) *Item veritatem.*

quæ (a) insimul habet cum affluentia diffusionis, nulli dat sua pretiosa dona gratiæ, nisi diligenter se præparet; ideo Dominus noster Jesus Christus, ad hoc ut discipuli sui idonei essent ad recipiendum influentiam diffusivæ bonitatis, in verbo proposito eos, et in eis quemlibet nostrum invitat. Primo inducit ad convenientem congruentiam debitæ præparationis, ex parte nostri; secundo asserit liberalem affluentiam supernæ diffusionis, ex parte Dei; tertio aperit utilem efficaciam, ex parte doni. Primo convenientia debitæ præparationis ex parte nostri notatur, cum dicitur: *Petite*: nulla enim melior præparatio ad impetrandum divinam gratiam, quam petitio devotæ orationis. Secundo notatur affluentia supernæ diffusionis ex parte Dei, cum subditur: *Et accipietis*: quasi diceret: Tantæ liberalitatis et diffusionis est divina bonitas, ut in nobis sit accipere. Tertio notatur efficacia completæ perfectionis ex parte doni, cum subinfertur: *Ut gaudium vestrum plenum sit*.

Dicit ergo: *Petite*: ubi nos inducit ad convenientem congruentiam debitæ dispositionis ex parte nostri. Ille enim debite se disponit ad divinam gratiam quantum est de se, qui petit, primo, sinceriter, cum rectitudine conscientiæ in declinando mala; secundo, prudenter, cum discretione prudentiæ in eligendo bona; tertio, fiducialiter, cum certitudine confidentiæ in expectando futura. Primo, *petite* sinceriter, cum rectitudine conscientiæ in declinando mala; unde ¹: « Charissimi, si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus (b) ad Deum, et (c) quæcumque petierimus, accipiemus ab ipso. » Sicut enim sol, cum est aer depuratus per resolutionem nubium, mittit suos radios, et claritatem sui luminis per aera diffundit circumquaque, sic Deus sol justitiæ in cor mundum et rectum, in quo non est remorsus conscientiæ, infundit dona suæ gratiæ abundanter. Non est enim conve-

niens, ut cœleste aroma gratiæ ponatur in fœtido vase cordis. Secundo, *petite* prudenter, cum discretione prudentiæ in eligendo bona; unde de Salomone dicitur ²: « Quia postulasti verbum hoc, et non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti sapientiam tibi ad discernendum judicium, ecce feci secundum sermones tuos: » quasi dicat Deus: Quia non petisti diurnitatem vitæ, ut elevareris in superbiam; nec cupiditatem pecuniæ, ut deprimereris per avaritiam; nec impietatem vindictæ, ut pervertereris per invidiam, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum et eligendum bonum gratiæ a malo culpæ: ideo petitionem tuam effectui mancipavi. De hoc similiter potest exponi illud ³: « Quæ est petitio tua, Esther, et quid vis tibi fieri? Etiam si dimidiam partem regni mei petieris, dabo tibi. Et ait: Si inveni gratiam coram te, da mihi animam meam, et populum pro quo rogo. » Si ergo ista sapiens mulier præposuit (d) salutem corporis sui, et proximorum, regnis et se libus, multo fortius nos debemus præponere (e) salutem animæ omnibus bonis terrenis, ad quod plus est anima quam corpus, ⁴ « nec prodest quidquam homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum » mortis « patiat, » quia « nulla commutatio potest dari pro anima. » Tertio, *petite* fiducialiter cum certitudine confidentiæ, in expectando futura; unde ⁵: « Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quod quæcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audiet nos: et scimus, quia audiet nos, quæcumque petierimus. » Quando est aliquis naturaliter diffidens de sua impotentia, confidenter recurrit ad divinam elementiam: statim misericors Deus aures suæ pietatis ad exaudendum ejus preces clementer inclinat, dum tamen non petatur quod sit contrarium salutis suæ, vel proximi: quia talis petitio

Quomodo a Deo sit prehendendum.

¹ I Joan., III, 21. — ² III Reg., III, 12. — ³ Esth., VI, 2-3. — ⁴ Ex Math., XVI, 26. — ⁵ I Joan., V, 14.

(a) Leg. quam. — (b) Cœt. edit. habeamus. — (c) Item ut. — (d) proposuit. — (e) Item proponere.

displiceret oculis divinæ majestatis, nec inclinaret dulcedinem pietatis, imo irritaret rectitudinem æquitatis. Et propter hoc dicitur ¹: Petitis et non accipitis, eo quod male petatis. » Quod fit, quando petitur aliquid quod sit contrarium salutis suæ, vel proximi, quia adeo displicet Deo, sicut qui alicui regi peteret ut faceret sibi vituperium, vel opprobrium. Sed quia vitia sub specie virtutum aliquando offeruntur, et sub quadam similitudine, quæ mater est falsitatis, animus concitatur, ideo multi in sui petitione decipiuntur.

Sequitur: *Et accipietis*: ubi secundo asserit liberalem affluentiam supernæ diffusionis. Juxta triplicem enim dispositionem prædictam, accipient triplex donum ab affluentia divinæ liberalitatis. Nam primo petentes sinceriter, cum rectitudine conscientiæ in declinando malum, accipient claritatem sapientiæ dirigentis animam, quantum ad rationalem; secundo petentes prudenter, cum discretione prudentiæ in eligendo (a) bonum, accipient pretiositatem gratiæ divinitatis stabilientis animam, quantum ad concupiscibilem; tertio, petentes cum certitudine confidentiæ in expectando futura, accipient soliditatem constantiæ roborantis animam, quantum ad irascibilem: ut sic per ista tria dona configuretur anima secundum omnes sui potentias illi beatæ Trinitati. Primo *accipietis* (b) claritatem sapientiæ dirigentis animam, quantum ad rationalem; unde ²: « Accipite disciplinam meam, et non pecuniam; doctrinam magis, quam thesaurum eligit. Melior est sapientia cunctis opibus, et omne desiderabile ei non potest comparari. » Et quia verbum doctrinæ sine exemplo vitæ est vanum, et exemplum vitæ sine documento doctrinæ est parum, sed utrumque perfectum ³, ideo dicit: *Accipite* primo disciplinam vitæ, et postea magistrarium doctrinæ: et tunc doctrina intelligen-

tiæ, et vita disciplinæ, præponenda est cunctis opibus (c), quoniam istæ opes terrenæ non illuminant, imo adeo oculos avaræ mentis denigrant et obæcant, ut reputet esse in tenebris lucem. Unde Seneca ⁴: « Inflant divitiæ animi superbiam, pariunt invidiam, et contrahunt, et usque eo mentem alienant, ut nos etiam nocitura delectent. » Doctrina autem sapientiæ adeo animam perfecte illuminat et dirigit, ut cognoscat quanta sit distantia inter tenebras culpæ, et lucem gratiæ, « ut sciat reprobare malum, et eligere bonum ⁵. » Secundo *accipietis* (b) pretiositatem gratiæ divinitatis stabilientis animam, quantum ad concupiscibilem; unde ⁶: « Abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes, in vita regnabunt. » *Accipientes abundantiam gratiæ* in benigna adoptione, et *donationis* (d) in charismatum Spiritus sancti repletionem, et *justitiæ* in bonorum operum promotione, locupletati gratiæ abundantia, virtutibus et bonis operibus, *regnabunt* tanquam hæredes et reges regni cælorum *in vita* gloriæ. Tertio *accipietis* (b) soliditatem constantiæ roborantis animam, quantum ad irascibilem; unde ⁷: « Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo (c). » Non enim potest humana fragilitas, obtenta cognitione fidei in sanctificatione Dei, perseveranter resistere, nisi per virtutem constantiæ roboretur. Unde ne (f) humana infirmitas, intuitu fragilitatis, mollesceret per pusillanimitatem timoris in expectando futura, et in aggrediendo ardua, fracta anchora spei, naufragium intraret, ideo Apostolus invitat ad accipiendam armaturam constantiæ et fortitudinis, scilicet divinum adjutorium, quo præmuniti et protecti possunt faciliter resistere in die malo (c), et perseverare in omni bono. Insurgant ergo procellæ invidiæ, quia virtute hujus armaturæ effugantur astutiæ dæmonum, quia tegmine hujus adjutorii confundentur vio-

¹ Jac., IV, 3. — ² Prov., VIII, 10-11. — ³ Ex Bern., in Nativ. S. Joan. Bapt., serm., n. 3. — ⁴ Senec. — ⁵ Isa., VII, 15. — ⁶ Rom., V, 17. — ⁷ Ephes., VI, 13.

(a) Cæst. edit. providentiæ negligendo. — (b) Item accipientes. — (c) Item operibus. — (d) Item donationes. — (e) Item mala. — (f) Cæst. edit. deest ne.

lentiæ Ægyptiorum, quia fortitudine hujus patroni submerguntur pestilentiae inimicorum spiritualium.

Ultimo notatur efficacia completæ perfectionis ex parte Dei, cum subinfertur: *Ut gaudium vestrum plenum sit*. Tunc experiemur illam efficaciam completæ perfectionis, quando, juxta prædictum acceptum donum gratiæ, accipiemus triplex gaudium gloriæ, eo quod omne aliud gaudium nostrum potest ad hoc reduci, tanquam ad plenum et perfectum. Primo enim, accipientes claritatem sapientiæ illuminantis, gaudebunt veraciter de aperta visione primæ veritatis; secundo, accipientes pretiositatem gratiæ divinitatis, gaudebunt dulciter de quietâ fruitione supernæ deliciositatis; tertio, accipientes soliditatem constantiæ, gaudebunt perpetualiter de firma tentione divinæ immobilitatis. Et in istis tribus dotibus, in quibus imago gloriæ consistit, plenum et perfectum gaudium reperitur. Primo gaudebunt sancti veraciter de aperta visione primæ veritatis; unde in Psalmis¹: « Adimplebis me lætitia in gaudio cum vultu tuo. » Magna lætitia et gaudio adimplebitur anima, quando videbit Deum facie ad faciem: in quo modo videndi non potest error intervenire, sicut in modo videndi, qui est per speculum in ænigmate in via. Unde Augustinus, *de Trinitate*²: « Veritatem sine ulla difficultate videbimus, eaque clarissima, et certissima perfruemur, nec aliquid quæremus mente ratiocinante (a), sed cernemus (b) contemplaute. » De hoc similiter³: « Videbitis, et gaudebit cor vestrum. » Secundo gaudebunt sancti dulciter in quietâ fruitione fraternæ suavitatis; unde⁴: « Gaudete cum Jerusalem gaudio, qui lugebatis super eam, ut sugatis, et repleamini ab uberibus consolationis ejus, ut muceatis ac deliciis affluatis. » Quanto homo magis luget præ ni-

mio desiderio ex dilatione supernæ Jerusalem, tanto majorem dulcedinem gloriæ suget ab uberibus divinæ mulcebritatis: ex qua quidem dulcedine gloriæ anima repleta et perfusa, non tantum sauciat, imo inebriatur, et totaliter absorbetur. Unde Anselmus⁵: « In gaudium Dei introibit, quod si tantum saperet, et non mergeretur et absorberetur, adhuc posset insurgere appetitus ad amplius capiendum. » Tertio gaudebunt sancti perpetualiter in firma tentione divinæ immobilitatis; unde⁶: « Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium et exultationem obtinebunt. » Unde erit sempiterna illa lætitia, et perpetuum illud gaudium, quia tunc sancti adhærebunt vinculo indissolubili (c) per amorem summo et incommutabili bono. Et propter hoc dicebat Christus⁷: « Gaudium vestrum nemo tollet a vobis. » Rogemus ergo, etc.

SERMO II^s.

*Petite et accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit*⁸. Si plenitudinem gaudii cœlestis sentiremus, studiosissime eam peteremus. Nam si per petitionem plenum gaudium in cœlo quis non obtinebit, sine petitione plenum supplicium in inferno sustinebit. Considera ergo quadruplicem plenitudinem: plena enim misericordia in mundo; plena justitia in judicio; plena lætitia in cœlo; plena miseria in inferno.

Plenitudo quadruplex.

De primo, Psalmista¹⁰: « Misericordia Domini plena est terra. » Misericordia maxima nobis miseris in mundo, remissio est peccatorum: de qua Psalmista¹¹: « Miserere mei, Deus, » etc. Hac misericordia tam plena est terra, ut etiam nulli quantumcumque pleno peccatis denegetur, sicut patet in illo debitore decem millium talentorum¹²: « Misertus Dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei. » Augustinus¹³: « Nullus

¹ *Psal.* xv, 11. — ² *Aug.*, *de Trinit.*, lib. xv, c. xxv, n. 45. — ³ *Joan.*, xvi, 22. — ⁴ *Isa.*, lxxvi, 10. — ⁵ *Anselm.*, *Medit.*, xxi. — ⁶ *Isa.*, li, 11. — ⁷ *Joan.*, xv, 22. — ⁸ *Hunc et duos seq. habet quoque edit. Paris. an. 1521.* — ⁹ *Joan.*, xvi, 24. — ¹⁰ *Psal.*, xxxii,

5. — ¹¹ *Psal.* l, 1. — ¹² *Matth.*, xviii, 27. — ¹³ *Imo auctor lib. de Spir. et Anim.*, c. vi, inter Oper. Aug.

(a) *Cat. edit.* concionante. — (b) *Item tenemus.* — (c) *Item indissolubiliter.*

de misericordia Dei desperet (a). Major est ejus misericordia, quam nostra miseria. Tardius siquidem videtur ei veniam dare, quam peccatori accipere. » Hic dic quomodo in beneficiis naturalibus et temporalibus, et sacramentalibus et spiritualibus, et quomodo non solum justificando conversos, sed etiam in tolerando perversos, misericordia Domini plena est terra: plurimos enim toleravit, et adhuc tolerat in mundo, qui potius jam deberent ardere in inferno, si non misericordia Domini plena esset terra. Nonne et maligni spiritus passim homines jugulant, sicut olim septem viros Saræ¹, si non misericordia Domini plena esset terra? ² « Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. »

De secundo, Psalmista ³: « Justitia plena est dextera tua. » Justitia utique non solum impios damnare habet, sed etiam pios coronare⁴: « Reposita est mihi corona justitiæ, » etc., usque: « justus judex. » Quis coronabit justos? numquid Abraham, vel Petrus, aut Joannes? Non certe. Numquid ergo Gabriel, aut Michael? Non certe. Numquid Regina cæli? Non utique; imo *justus Judex* manu sua ⁵: « Accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini, » etc. Unde bene dicitur ⁶ de illo, qui vocabatur *fidelis et verax, et cum justitia judicat et pugnât*, quod « habebat diademata multa in capite, et gladium ex utraque parte acutum in ore, » etc. Require feria tertia post Pentecosten in expositione infra in sermone: *Oves illum.*

De tertio dicitur hic: *Ut gaudium vestrum sit plenum.* Hanc plenitudinem ⁷ « neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit. » Quam plenitudinem Propheta cognoscens, ait ⁸: « Replebimur in bonis domus tuæ. » O quantum (b) gaudium esset mendico, si daretur ei domus plena omnibus bonis, quæ optare vellet! Et

vere sic in cælo. Unde (c) intransibus terram promissionis dicitur ⁹: « Possederunt domos plenas omnibus bonis. » Domos intellige illas, de quibus ¹⁰: « In domo Patris mei mansiones multæ sunt. » Nota quod dicitur *cunctis bonis*, id est, bonis totius Trinitatis, maxime bonis angelorum, bonis prophetarum et apostolorum, bonis martyrum, confessorum, bonis virginum, pleni erimus ¹¹: « Super omnia bona constituet eum. » Tunc ergo erit plenum gaudium. Anselmus ¹²: « Pleno corde, plena anima, pleno toto homine illo gaudio, adhuc superest gaudium. »

De quarto ¹³: « Tollent omnes labores tuos, et dimittent te nudam, et ignominia plenam, » etc., et infra: « Dolore repleberis, calice mæroris et tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ. » Unde dicitur: *Tollent omnes labores tuos*, id est, bona tuo labore congregata. Res enim tollent hæredes; corpus, vermes; animam, dæmones: sola enim peccata animæ remanebunt. Nudus quoque dimittetur homo, (d) peccatorum tegumento tegetur, quod est ignominia et confusio: bene ergo erit ignominia et confusione plena. Væ, væ, væ animæ damnandæ de calice ignominia de quolibet in inferno. Psalmista ¹⁴: « Ignis, sulphur, » etc. Duæ autem sorores sunt anima et caro, quæ simul in utero unius matris fuerunt: unde una soror, scilicet anima damnata, bibet de calice mæroris, usque in diem judicii; alia soror, scilicet caro, post resurrectionem incipiet bibere de horribili calice cum sorore. Tunc infelices sorores, anima et caro, bibent generaliter in pœna quod simul perpetrarunt, seu commiserunt in culpa.

SERMO III.

Ipsæ enim Pater amat vos ¹⁵, etc. Si hoc dixisset nobis propheta, vel angelus, vel mater Christi, magna consolatio esset; sed

¹ Tob., III, 10. — ² Thren., III, 1. — ³ Psal. XLVII, 11. — ⁴ II Tim., IV, 8. — ⁵ Sap., V, 17. — ⁶ Apoc., XIX, 15. — ⁷ I Cor., II, 9. — ⁸ Psal. LXIV, 5. — ⁹ II Esdr., IX, 25. — ¹⁰ Joan., XIV, 2. — ¹¹ Matth.,

XXIV, 47. — ¹² Anselm. — ¹³ Ezech., XXIII, 29, 33. — ¹⁴ Psal. X, 7. — ¹⁵ Joan., XVI, 27.

(a) Apud Aug. de Dei pietate diffidat. — (b) Cæt. edit. quam. — (c) Suppl. de. — (d) immo.

ecce Filius exiens de corde Patris (Psal-
mista¹ : *Eructavit cor meum verbum bo-
num*), Filius, inquam, totum cor Patris
sciens, ait : *Ipsæ Pater amat vos*. Hunc Pa-
trem, sicut ipse Filius testatus est, habemus
propitiatorem in mundo, susceptorem in ex-
tremo, glorificatorem in cœlo, amatorem ab
æterno.

De primo² : « Si dimiseritis hominibus
peccata eorum, dimittet vobis, » etc. Ut au-
tem Pater iste dimittat nobis, Filius Patrem
pro nobis interpellat³ : « Advocatum in cœlo
habemus apud Patrem. » Gregorius⁴ : « Non
in fletibus, non in actibus nostris confida-
mus, sed in advocati nostri allegatione. »
Quid mirum si Patrem exoret pro nobis in
cœlo, qui pro crucifixoribus oravit in pati-
bulo? ⁵ « Pater, dimitte illis, quia nesciunt
quid faciunt. » De hoc verbo ait Augusti-
nus⁶ : « Quem petit? pro quibus? ubi? Petit
Patrem Filius, pro impiis crucifixus, inter
ipsas injurias mortis illatæ, pendens in cruce. »
In his tibi datur exemplum quam integre,
quam magna voluntate, quam cito debeas
indulgere peccantibus in te. Integre,
quia amicos tuos, volentes te vindicare,
oportet te rogare, ut dimittant, sicut Chri-
stus rogavit Patrem. Magna voluntate, quia
in mortis illatione. Cito, quia in eodem
loco, ubi mortem patris, vel aliam injuriam
accipis.

De secundo⁷ : « Pater, in manus tuas
commendo Spiritum meum. » Hoc non solum
in morte, sed omni die orare debes. Se-
curissimæ sunt animæ, quæ hac manu sus-
cipiuntur in morte⁸ : « Nemo potest rapere
de manu Patris mei. » Sed attende quod de-
bent esse lucidi per gratiam, qui manu Dei
suscipiendi sunt ad gloriam. Unde bene sep-
tem stellæ in manu habuit, quem B. Joannes⁹
in medio candelabrorum aureorum vi-
dit. Quicumque enim sunt tanquam cande-
labra lucentia per justitiam in mundo,

eorum animæ erunt tanquam stellæ claris-
simæ in manu Dei in cœlo¹⁰ : « Justorum
animæ in manu Dei sunt. » Quare autem
septem stellæ dicuntur, require supra¹¹ in
sermone : *Stetit Jesus*. E contrario septem
alia per septem vitia capitalia perversorum¹² :
« Tradam Ægyptum in manu dominorum
crudelium. »

De tertio¹³ : « Sedere autem ad dexteram,
vel ad sinistram, non est meum, » etc. Se-
dent ad dexteram in contemplatione divini-
tatis, ad sinistram vero, in contemplatione
humanitatis Christi. Et quia una sine alia
non est, ideo bene dicitur¹⁴ : « Nescitis quid
petatis, » cum per potum calicis, id est tole-
rantiam passionum et adversitatum, ad hanc
sessionem veniatur. Et ideo dicit¹⁵ : « Potes-
tis bibere calicem, » etc. « Illud enim¹⁶ quod
in præsentem est momentaneum, et leve tri-
bulationis, » etc. Leve ergo erit, fratres,
quidquid in adversis et pœnitentiis sustine-
mus, si gloriam istius sessionis attendimus.
Bernardus¹⁷ : « Non sunt condignæ passio-
nes hujus temporis ad præteritam culpam,
quæ remittitur; ad præsentem gratiam, quæ
immittitur; ad futuram gloriam, quæ pro-
mittitur. »

De quarto, dicitur hic : *Ipsæ enim Pater
amat vos; quare? Quia vos me amastis*. Un-
de¹⁸ : « Ego diligentes me diligo. » Hæc di-
lectio Dei Patris optima perpendi potest per
hanc parabolam : Quidam pater habuit duos
filios, unum innocentem, alium insolentem.
Iste insolens pro furto ducebatur ad patibu-
lum. Pater illius tradidit bonum filium sus-
pendio pro malo : qui stans sub patibulo, in
quo frater suus pro ipso suspendebatur, ite-
rum furabatur. (Nota *ad patibulum*.) Nota :
iste Pater, Deus Pater; duo filii sunt Chri-
stus et homo. Sed homo pro scelere suo du-
cebatur ad patibulum inferni. Unde Deus
Pater amans ineffabiliter hominem, miser-
tus, Christum pro homine tradidit in pati-

¹ *Psal.*, XLIV, 1. — ² *Matth.*, v, 11. — ³ *Jean.*, II, 1. — ⁴ *Greg.* — ⁵ *Luc.*, XXIII, 34. — ⁶ *Aug.* — ⁷ *Luc.*, XXIII, 46. — ⁸ *Jean.*, X, 29. — ⁹ *Apo.*, II, 1. — ¹⁰ *Sap.*, III, 1. — ¹¹ *Vid. sup.*, *serm.* III, *post Pasch.*,

serm. I, pag. 225 et 226, col. 1. — ¹² *Isa.*, XIX, 1. — ¹³ *Matth.*, x, 23. — ¹⁴ *Ibid.*, 22. — ¹⁵ *Ibid.* — ¹⁶ *I Cor.*, IV, 17. — ¹⁷ *Bern.* — ¹⁸ *Prov.*, VIII, 17.

bulo crucis ¹ : « Sic Deus dilexit mundum , ut unigenitum daret , » etc. Augustinus ² : « Suspendendus erat : debitum est solutum pro eo, liberatus dicitur de suspendio. » Et quia alte pendeat in cruce, alte levatur corpus ejus in Missa, ubi quasi patibulum representant brachia sacerdotis ipsum levantia. Et tu, peccator, ibi stans cum odio, usura et aliis vitiis, quæ non relinquis, iterum furaris animam tuam, et fidem et amorem quibus teneris Deo : et ideo in patibulo gehennæ suspenderis. Talis frater merito diligendus est nobis, ut nos Pater diligat ³ : « Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo. »

SERMO IV.

Nunc scimus, quia scis omnia ⁴. Discipuli Domino loquuntur hic de duplici scientia, videlicet humana, dum dicunt : *Nunc scimus*; et divina, cum addunt : *Quia scis omnia*. Considera ergo quinque, quæ homo de Deo, et quinque, quæ Deus de homine scit.

Scit homo, vel scire debet Dei potestatem, Dei veritatem, Dei bonitatem, Dei voluntatem, Dei severitatem. De primo ⁵ : « Certamen forte dedit illi, ut vinceret, et sciret quoniam potentior est sapientia, » scilicet Christus, omnium utique cœlestium, terrestrium et infernorum vere potentior. Omnes enim potentes non possent creare unum vermiculum, vel oculum. Scitote ergo, quod maxima est illa potestas, qua omnia bona condidit (a), Psalmista ⁶ : « Scitote quoniam Dominus ipse est Deus; » et qua (b) infinita mala destruuntur ⁷ : « Ut autem sciatis quod Filius hominis habet potestatem, » etc. De secundo ⁸ : « Magister, scimus quia verax, » etc., imo veritas « es. » ⁹ « Ego sum via, veritas et vita. » Hæc veritas omnia novit. Unde hic dicitur : *Nunc scimus*,

quia scis omnia. Nulla ergo bona, nulla mala, veritatem vel scientiam Dei latere vel fallere possunt ¹⁰ : « Omnia videt oculus illius, » etc. De tertio ¹¹ : « Scio quia tu, Deus, clemens et misericors, patiens et multæ misericordiæ, et ignoscens super malitiâ (c). » Scire autem possumus bonitatem non solum ex propitiatione peccatorum, sed etiam ex redemptione eunctorum vitiorum ¹² : « Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est, » etc. Item ex remuneratione electorum ¹³ : « Scio cui credidi, » etc. De quarto ¹⁴ : « Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te : » sciam credenda, sciam decem mandata, sciam tuam in aliis voluntatem. ¹⁵ « Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. » Sed væ scienti, et non facienti; ait enim Joannes Chrysostomus ¹⁶ : « Non potest esse iis excusatio damnationis, ignorantia veritatis (d), quibus fuit inveniendi facultas, si fuisset quærendi voluntas. » Væ etiam scienti et non facienti ¹⁷ : « Servus sciens (e) voluntatem domini, » etc. De quinto ¹⁸ : « Sciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem. » Gladius est sententia damnationis, qui de vagina misericordiæ educitur, cum ulterius peccatori non parcitur. ¹⁹ « Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. » Vides ergo nunc, homo, quæ scienda sunt tibi. Sed Bernardus ait ²⁰ : « Multa scienda non sciuntur, aut sciendi inenuria, aut discendi desidia, aut verecundia inquirendi. Et quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem. »

Circa secundum attende, quod Deus scit adversa quæ sustinemus, necessaria quibus indigemus, merita quæ habemus, tempora quæ timemus, stipendia quæ recipiemus.

¹ Joan., III, 16. — ² Aug. — ³ Joan., XIV, 21. — ⁴ Joan., XVI, 30. — ⁵ Sap., x, 12. — ⁶ Psal. XCIX, 3. — ⁷ Matth., IX, 6. — ⁸ Matth., XXII, 16. — ⁹ Joan., XIV, 6. — ¹⁰ Eccli., XXIII, 27. — ¹¹ Jon., IV, 2. — ¹² II Cor., VIII, 9. — ¹³ II Tim., I, 12. — ¹⁴ Sap., IX,

10. — ¹⁵ Joan., XIII, 47. — ¹⁶ Chrysost. — ¹⁷ Luc., XII, 47. — ¹⁸ Ezech., XXI, 5. — ¹⁹ Job, IX, 28. — ²⁰ Bern., ad Hugon., de Bapt., c. 1, n. 3.

(a) *Læg.* condita sunt. — (b) *Cæt. edit.* quia. — (c) *Item* malitiam. — (d) *virtutis.* — (e) *Vulg.* qui cognovit.

De primo ¹ : « Scio tribulationem tuam , et paupertatem tuam ; sed dives , » etc. In omnibus quæ pateris manifeste et occulte , scit Dominus quanta , quare , quo modo patiaris. Scit enim an dura , an suavia , an juste , an injuste , an impatienter , an patienter pateris. Unde Eleazarus ait ² : « Domine , qui sanctam habes scientiam , » etc. De secundo ³ : « Scit enim Pater vester , quia his omnibus indigetis. » Scit utique non solum quæ corpori , sed etiam quæ animæ sunt necessaria. Scit quis fide , quis pœnitentia , quis patientia , quis charitate , et hujusmodi indigeat ⁴ : « Scit enim omnia illa , et intelligit. » De tertio ⁵ : « Tu scis quia amo te. » Non solum si amas , verum omnia merita cordis et operis scit Deus. Scit quoque mala merita ; Psalmus ⁶ : « Tu scis insipientiam. ⁷ « Scio opera tua , quia neque frigidus , neque calidus , » etc. Scit certe non solum operationes , sed etiam cogitationes malas ; Psalmista ⁸ : « Dominus scit cogitationes hominum. » Unde bene ait Bernardus ⁹ : « Noli falli , novit te Dominus tuus , et sic te novit , ut capillos tuos habeat numeratos. » De quarto ¹⁰ : « De die autem illa , et hora , nemo scit , neque angeli cœlorum , sed solus Pater. » Cum non solum diem et horam judicii , sed etiam mortis nesciatis , (a) ac si in illa die morituros vos sciatis ¹¹ : « Hoc autem scitote , quoniam si sciret , » etc. De quinto ¹² : « Signa et monstra scit , antequam fiant. » Scit Deus omnia signa gloriæ , quæ justi in cœlo , et omnia monstruosa tormenta , quæ impii habebunt in inferno.

IN DIEBUS ROGATIONUM.

SERMO PRIMUS ¹³.

Esther regina confugit ad Dominum , pavens periculum ¹⁴. Secundum Scripturas fuerunt aliqui philosophi ita excellentis ingenii , habentes intellectum ita clarum , quod deve-

nerunt in cognitionem Dei , ponentes unum primum principium , causam omnium rerum ; verumtamen propter defectum luminis fidei erraverunt in hoc , quod omnium providentiam Deo negaverunt , dicentes eum nullam de rebus habere providentiam. Licet enim omnia concederent esse a Deo , tamen negabant eum omnia providere , regere et gubernare ; sed dicebant omnia a casu et fortuna evenire. Sed isti erraverunt , quia , si sic esset , non oporteret negotiari , vel de aliquo consiliari , nec Deum orando rogare , quia omnia æque bene necessario evenirent.

Sed ¹⁵ « mentita est iniquitas sibi , » quia sicut ¹⁶ « in principio creavit Deus cœlum et terram , » sic omnia regit , et ad proprios fines perducit : et ideo quidquid nobis accidit , sive pestilentia , sive fames , sive tempestates , sive quodcumque aliud malum , totum est ex providentia divina , ut suam justitiam ostendat , malos corrigendo et puniendo , et bonos per easdem tribulationes probando et purgando , ut tandem æternaliter coronet. Et ideo cum jam simus in periculo , confugiamus ad ipsum , juxta illud Apostoli ¹⁷ : « Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum , quoniam ipsi cura est de vobis : » sicut fecit illa sancta mulier , quæ videns periculum populi sui , confugit ad Dominum per orationem. Per quem etiam modum non videntes periculum temporis imminere , debemus ad Deum confugere , devotissime orando , sicut et jam de facto incœpimus , ducti exemplo hujus mulieris , de qua dicitur verbum assumptum : *Esther regina confugit ad Dominum , pavens periculum* : ubi tanguntur tria ad impetrandum aliquid a Domino requisita. Primo enim requiritur conscientia bene ordinata , quia *Esther regina* ; secundo requiritur quod illa conscientia sit per fidem elevata , quia *confugit ad Dominum* ; tertio causa et ratio manifesta , quia *pavens periculum*. Non enim

Tria requisita ad impetrandum aliquid a Domino.

¹ Apoc., II, 9. — ² II Mach., VI, 30. — ³ Matth., VI, 8. — ⁴ Sap., IX, 11. — ⁵ Joan., XXI, 15. — ⁶ Psal. LXXIII, 6. — ⁷ Apoc., II, 2. — ⁸ Psal. XCIII, 11. — ⁹ Bern. — ¹⁰ Matth., XXIV, 36. — ¹¹ Matth., XXIV, 43.

— ¹² Sap., VIII, 8. — ¹³ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ¹⁴ Esth., XIV, 1. — ¹⁵ Psal. XXVI, 12. — ¹⁶ Gen., I, 1. — ¹⁷ I Petr., V, 17. — (a) Suppl. vigilate.

Deus debet pro inutilibus et vanis invocari, sed pro utilibus et necessariis. Et sic possum dicere, quod tria tanguntur in verbis assumptis. Causa nostræ congregationis apparens et manifesta, quia pavens periculum.

Quantum ad primum, nota quod Esther interpretatur *abscondita*, vel *abscondens*: per quod intelligimus conscientiam bene ordinatam, et in domo clausam; non deordinatam, non discurrentem, non fronte elevatam, per vicus et plateas transvadentem, quia talis non potest aliquid impetrare a Deo, quia talis conscientia, seu talis homo, est sicut imagines in foribus ecclesiarum, quæ non possunt in sua pulchritudine permanere, eo quod exponuntur ventis et pluviis. Sic talis homo discurrrens exponit se per suos discursus ventis tentationum, et pluviis voluptatum; se per peccatum deturpat: et hoc, ex eo quod se et alios ad peccatum trahit. Sed imagines intra ecclesiam bene absconsæ in sua pulchritudine bene custodiuntur, et diu in ea permanent: sic persona, seu conscientia bene ordinata, conclusa, non discurrrens, pulchritudinem suæ innocentiae potest custodire, et sic a Deo quidquid voluerit impetrare. Istum autem discursum non solum intelligo per pedes corporis, sed potius per pedes mentis et affectionis: licet enim aliqui corpore non discurrant, mente tamen non modicum vagantur. Sed quomodo veniet anima ad Dominum pro petitione facienda? Certe veniat præparata. Unde Esther interpretatur *præparata*: ipsa enim, sicut legitur ¹, primo disposuit vestimenta planctui et luctui apta. Et per hunc modum, qui sumus hic congregati ad petitionem nostram impetrandam, debemus deponere vestes regias, id est, superfluitatem omnem et curiositatem ²: « Depone omnem magnitudinem. » Sicut enim limax, quando exaltatur, extendit cornua, sed quando percutitur, restringit ea; sic (a)

pavo, videns turpitudinem pedum, gloriam caudæ deponit: sic multi, quando eis adulari dicendo eis: Vos estis talis et talis, extendunt cornua sua, se dilatando in pretiositate vestium, et in multis aliis superfluitatibus, ut sic dicatur: Quam magnus potens est talis? Quando ergo sic erectis cornulis procedimus, tunc citius a Domino percutimur, aut tempestate, aut infirmitate: tunc certe exemplo limacis citissime humiliemus animas nostras. Exemplo etiam pavonis debemus respicere pedes, id est, finem nostrum, quando, velimus nolimus, oportet omnia hæc deponere et dimittere. Unde bene tunc in morte assimilabimur simiæ, quæ duos fœtus (b) habens, fugiendo venatores, minus charum ponit versus dorsum, chariorem brachiis circumfovet; sed, appropinquante venatore cum canibus, chariorem primo cogitur projicere, alium vero dorso hærentem, et ipsam fortissime, ne effugere valeat, stringentem, libenter projiceret, sed non potest, et sic miserabiliter cum eo capitur. Sic de nobis, nam in peccato duo sunt, scilicet delectatio præsens, et pœna sequens: peccatores vero modo amplectuntur delectationem, quam diligunt, volentes dimittere pœnam quam odiunt; sed ³ « non sic impii, non sic, » imo e contra, quia in morte oportebit dimittere delectationem, pœnam vero æternam, velint nolint, secum portare super humeros oportebit. Psalmista ⁴: « Domini (c), Domini (c) exitus mortis. » Nota: bis dicit *Domini (c)*, quia Dominus malos puniens, et bonos præmians. Dicit ergo figura nostra, quod Esther accepit vestimenta luctui apta, et humiliavit se coram Domino: sic et nos faciamus, quia sicut videmus, quod montes impediunt cursum aquarum pluvialium, et descendunt semper in vallibus; sic spiritualiter loquendo elati, qui per montes intelliguntur, impediunt aquam gratiæ. Unde et per David maledicti sunt montes Gelboe ⁵: « Nee ros nec pluvia, » etc., scilicet sicut cur-

¹ *Esth.*, XIV, 2. — ² *Job*, XXXVI, 19. — ³ *Psal.* I, 4. — ⁴ *Psal.* LXVII, 21. — ⁵ *II Reg.*, I, 21.

(a) *Leg.* sicut etiam. — (b) *Cæt. edit.* fœtos. — (c) *Item* Domine.

runt ad vallem, etc. Unde et Axa patri, qui sedebat super asinam, per quam intelligimus animam habentem dominium corporis, dicebat ¹ flens patri, ut daret irriguum inferius et superius, id est, pluviam gratiæ et gloriæ, vel irriguum mentis et corporis, vel irriguum temporale in hoc tempore siccitatis, et spirituale. Sic Elias humilians se coram Domino ²: « Et ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari. » Sequitur: « Et facta est pluvia grandis. »

Secundo requiritur quod sit elevata ad Dominum, quia *confugit ad Dominum*. In omni congregatione bene ordinata est unus princeps, qui habet dominium super alios, et principatum, sicut videmus in congregatione apum, quod una est, quæ alias regit, non habens aculeum. Ecclesia est congregatio fidelium; Christus est caput, qui omnes gubernat, non habens aculeum peccati: ideo non restat nisi confugere ad ipsum, sicut fecit Esther. Unde Apostolus ³: « Fortissimum solatium habemus, quo confugimus ad tenendam nobis propositam spem, quam sicut anchoram habemus tutam et firmam. » Nota: aliud est de solatio divino, et humano, quia solatium humanum est momentaneum, unde comparatur musto, quod incestat hominem, sed quando depuratum est, tunc est parvum: sic solatium mundi in fervore suo incestat hominem, id est, absorbet rationem hominis, et usum ejus, sed tale solatium defæcatum (*a*) reputabitur. Illo solatio potatus est primus homo, Loth, Noe, et divites hujus mundi. Sed solatium divinum fortissimum est, quia semper durat, et est maximum. Unde sic est de solatio quod accipit homo a Deo, sicut est solatium quod accipit homo nobilis in ave prædiali, et avis in præda. Nam aliter solatiatur homo in præda, aliter avis, quia quando avis accipit prædam, ubicumque eam insequitur, sed

quando accipit tenendo eam, solatium suum cessat, sed homo habet solatium in prosecutione ejus. Sic est de Deo: quando Deus ostendit se alicui (*b*), conscientiæ, tunc sequitur eam (*c*) toto affectu cum desiderio, sed quando tenet eum, tunc habet suum solatium: sed Deus delectatur in prosecutione, scilicet quando homo insequitur eum toto desiderio et affectu. Fortissimum ergo solatium habemus, quando confugimus ad Dominum, ponendo quasi anchoram, et tunc existimus tuti et firmi, quando navis est in mari, firmata anchora, quia tunc (*d*) est timendum tempestates, ventos et turbines. Ille mundus est quasi quoddam mare magnum, in quo pisces magni, id est, potentes et nobiles comedunt minores, ut de hoc conqueratur ⁴: « Quare non respicis super inique agentes, et taces, devorante impio justiorum se? et facies homines quasi pisces maris? O quantum jam iniqui sua potentia et malitia devorant justos! unde et tot tentationes et venti, et persecutiones jam insurrexerunt, quod valde necesse est spem nostram in Deo anchorare, et sic ⁵ « non conturbabit (*e*) justum quidquid acciderit ei. »

Tertio tangitur nostræ congregationis causa manifesta, *parens periculum*, cum simus in periculo siccitatis, tempestatis, etc.: propter cujus periculi evasionem sumus congregati, ut Deus liberet nos; pericula autem magna sunt in mari, juxta illud ⁶: « Facientes operationes in mari enarrant (*f*) pericula ejus. » Et licet sint ibi multa pericula, tamen quando ventus est propitius, et nullæ insurgunt tempestates, transeunt mare multum suaviter, et modico tempore multum spatium; sed quando est eis ventus contrarius, transeunt cum timore. Sic in isto mundo, qui dicitur mare, aliqui transeunt quiete et suaviter, sicut divites quibus ventus fortunæ est propitius, nec aliquas sentiunt tribulationes, et in modico tempore transeunt

¹ Jos., xv, 19. — ² III Reg., xviii, 41, 45. — ³ Hebr., vi, 18, 19. — ⁴ Habac., i, 13-14. — ⁵ Prov., xii, 21. — ⁶ Eccli., xliii, 26.

(a) *Add.* pro minimo, vel aliquid simile. *Cæt. edit.* defædatum, nullo sensu. — (b) *Forte leg.* alienus. — (c) *Item eum.* — (d) *Suppl. non.* — (e) *Vulg.* contritabit. — (f) *Vulg.* enarrant.

multum, nescientes Deo reddere rationem in die iudicii. Aliis vero, scilicet pauperibus, ventus fortunæ semper contrarius est, et isti transeunt mundum in magna amaritudine. Unde bene conqueritur Paulus in persona eorum ¹ : « Periculis fluminum, periculis in mari, » etc. Sed in his omnibus hoc nobis remanet solatium, ut « cum ignoremus quid agere debeamus ², hoc solum residuum habemus, ut oculos nostros dirigamus ad te, » Domine, qui in cælis es, etc.

SERMO II ³.

Confitemini alterutrum peccata vestra ⁴.

Confessio debet esse propria, vera, pura, integra, munda, pia. Propria, ut tua, non alterius peccata confitearis. Psalmista ⁵ : « Dixi : Confitebor adversum me, » non adversus alium, « injustitiam meam, » non alterius. Non ergo viro vel fœminæ imponas peccata tua, sed tibi ipsi. Noli confiteri sicut Adam et Eva in paradiso ⁶ : Adam enim peccatum Evæ, Eva vero serpentis culpam confessa. Ita adhuc sæpe fit quod homo in hominem, vel diabolum, serpentem antiquum, refundit culpam suam, quando dicit confessori : Diabolus induxit me ad hoc malum. Augustinus ⁷ : « Dimitte satanam accusare, ut accusatione tua Dei misericordiam merearis. » Parce illum accusare, qui non habet veniam; te accusa, et accipis indulgentiam. » Item vera : in confessione non mentiaris; nec de peccatis, nec de peccatorum circumstantiis, requisitus a confessore, deneges veritatem. Valde enim ineruditus est, qui in confessione mentitur ⁸ : « De mendacio ineruditionis tuæ confundere. Non confundaris confiteri peccata tua. » Eruditus utique homo magis de mendacio, quam de veritate deberet confundi. Sive ergo propter verecundiam peccatum negando vel attenuando, sive propter humilitatem culpam

fingendo, vel false aggravando mentiaris, inerudita et inutilis est tua confessio. Noli ergo confiteri sicut Cain, qui dum fratricidium humiliter debuit confiteri, requirenti Domino ⁹ : « Ubi est Abel frater tuus? » respondit : « Nescio, numquid custos fratris mei sum ego? » Item pura, ut in confessione tua intendas dimittere et emendare peccata tua, et facere de cætero quod Deo placet. Unde ¹⁰ : « Vos transgressi estis, » etc. « Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, et facite placitum ejus. » Si ergo ante Pascha confiteris quod tamen post intendis facere sicut ante, vel si infirmitate flagellatus a Domino, non intendis, si evaseris, Dei placitum facere, sed tuum, tunc tua confessio impura est. Noli ergo confiteri sicut Pharao, qui flagellatus dicit ¹¹ : « Peccavi, et nunc Dominus justus; ego autem et populus meus impii. » Hæc tamen pietas obedire non intendebat. Item integra, ut effundas in confessione quidquid culparum habes in corde. Psalmus ¹² : « Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo : » quod non solum de confessione laudis, sed etiam peccatorum accipi potest. Si ergo nullam quantumcumque verecundam culpam in corde retinueris, tunc in toto corde confiteris ¹³ : « Effunde sicut aquam cor tuum. » Non dicit : Effunde sicut oleum, vel sicut sanguinem, vel sicut lac, vel sicut vinum : in his enim aliquid remanet de substantia, vel de colore, vel de sapore, vel de odore, dum effunduntur. (a) *Effunde* integraliter *sicut aquam*. Integritas etiam confessionis in hoc attenditur, quod non dividatur. Unde Augustinus ¹⁴ : « Quidam uni celant, quod alii manifestandum conservant : quod est se laudare, et ad hypocrisim tendere. » Noli ergo confiteri sicut Achor ¹⁵ : « Vere ego peccavi Domino Deo Israel, » etc. Confessus quidem fuit furtum; sed quod propter hoc

¹ II Cor., XI, 26. — ² II Paral., XX, 12. — ³ Hunc et seq. usque ad serm. IX, exclusive, in die Pentec., habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁴ Jac., V, 16. — ⁵ Psal., XXXI, 5. — ⁶ Gen., III, 12, 13. — ⁷ Aug. — ⁸ Eccli., IV, 30-31. — ⁹ Gen., IV, 9. — ¹⁰ I Esdr.,

X, 10-11. — ¹¹ Exod., IX, 27. — ¹² Psal., CX, 1. — ¹³ Thren., II, 19. — ¹⁴ Iuno actor lib. de ver. et fals. Penit., XV, 31, inter Oper. Aug., Append. tom. VI. — ¹⁵ Jos., VII, 20.

(a) *Suppl. Sed.*

occisi erant triginta sex homines, tacuit. Item nuda ¹ : « Qui abscondit scelera sua, non dirigitur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur. » Non debet ergo abscondere peccata, neque excusare; sed nude confiteri, et factum, et circumstantias aggravantes, tamen absque turpibus verbis et indecentibus. Unde Augustinus ² : « Os tuum, si ostium est, et aperiatur, et claudatur : aperiatur ad peccati accusationem nudam; claudatur ad peccati excusationem. » Noli ergo facere pallium peccatis tuis. Noli confiteri sicut Saul : inculpatus enim a Samuele de transgressione mandati Domini, quo (a) præceptum fuit non parcere Amalechitis et peccatoribus, quando debuit avaritiam, vel inobedientiam suam confiteri, culpam palliavit dicens ³ : « Peperit populus melioribus ovibus et armentis, ut immolarent Domino Deo tuo. » Item pia, ut cum spe veniæ confitearis. Confessio enim multis remissionem obtinuit peccatorum; unde ⁴ : « Si confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est, ut remittat nobis peccata nostra. » Noli, miser, confiteri, sicut Judas, qui, sicut dicitur ⁵, « pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, dicens : Peccavi tradens sanguinem justum. » Vera fuit hæc confessio, sed impia propter desperationem, propter quam et laqueo se suspendit.

SERMO III.

Petite, et dabitur vobis ⁶. O quam magna promissio, magna hic fiducia orandi! Sed circa petitiones orationum nostrarum attendere debemus nostram necessitatem, petitionis dignitatem, divinam largitatem.

Circa primum notandum est, quod homines orare nesciunt, quia proprias necessitates ignorant. Consideranda est triplex necessitas. Prima est hostis severissima impu-

gnatio. Hæc figurata est in Holoferne obsidente filios Israel, sicut dicitur ⁷ : « Per totam noctem intrans ecclesiam oravit, petens auxilium a Domino Israel. » Sicut obsessi ergo a Tartaris vel a ferocissimis inimicis, sic instantissime oremus, quia obsessi sumus a dæmonibus in vili castello corporis. Secunda est hominis vilissima defectio, et paupertas, quia neque hospitium habet homo, nisi petat; Psalmista ⁸ : « Unam petii a Domino hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini. » Item neque panem vitæ et gratiæ habet homo, nisi petat; Psalmista ⁹ : « Vitam petiit a te. » ¹⁰ « Quis ex vobis patrem petit panem, » etc. Neque alias necessitates animæ habet, nisi petat non solum a Deo, sed etiam ab hominibus ingredientibus templum gloriæ cœlestis, id est, a sanctis : sicut significatum est in claudo illo, de quo ¹¹ : « Quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus templum, » etc. Sicut ergo qui mendicant ante fores ecclesiarum, omnem dolorem et deformitatem, quam habent in corpore, ostendunt, sic et tu Domino, et angelis ejus, infirmitatem animæ tuæ ostendas in oratione, ostendas in confessione. Tertia est iudicis gravissima offensio. Unde sicut aliquis suspendendus, stans coram iudice, instantissime peteret vitam corporis, ita tu cum maxima instantia vitam animæ petere debes. Psalmus ¹² : « Vitam petiit a te : » vitam utique spirituales, et æternalem. Sed attende quod Gregorius ¹³ : « Æternam vitam si ore petimus, nec corde desideramus, clamantes tacemus (b). »

Circa secundum nota, quod petitionis congruitas est in tribus, videlicet, ut congruus congrua congrue, dignus digna digne petat. Primo ergo dignus debet esse petens ¹⁴ : Charissimi, si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum, ut quæ-

¹ *Prov.*, xxviii, 17. — ² *Aug.*, *Enarr. in Psal.* cxi, n. 6. — ³ *1 Reg.*, xv, 15. — ⁴ *1 Joan.*, i, 9. — ⁵ *Matth.*, xxvii, 3-4. — ⁶ *Luc.*, xi, 9. — ⁷ *Judith*, vi, 21. — ⁸ *Psal.* xxvi, 4. — ⁹ *Psal.* xx, 5. — ¹⁰ *Luc.*, xi, 11. — ¹¹ *Act.* iii, 2. — ¹² *Psal.* xx, 5. — ¹³ *Greg.*,

Moral., lib. xxii, c. xiii, al. xvii, n. 43. — ¹⁴ *1 Joan.*, iii, 22.

(a) *Cat. colii.* quod. — (b) *Item* tacemus.

cumque petimus, accipiamus a Deo. » Unde quem reprehendit cor de omissis bonis, vel commissis vitiis, quæ non vult relinquere, non est dignus exaudiri. Psalmista ¹ : « Iniquitatem si aspexi, » etc. Gregorius ² : « Cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur petere (a), animus irati ad duriora provocatur, et maxime qui est in odio. » ³ « Ipse cum caro sit, servat iram, et a Deo petit propitiationem! » Secundo digna et congrua debet petere ⁴ : « Quæcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audiet nos. » Salutem animæ tuæ, et ea quæ ad salutem fiunt (b), petere debes : talia enim secundum voluntatem Dei sunt. Qui autem petit alii malum, et hujusmodi, incongrua petit. Augustinus ⁵ : « Qui de divitiis, aut honoribus sæculi, aut certe de inimici morte sollicitus obsecrat, ipse in infimis jacens viles ad cælum preces mittit. » Unde Dominus ait Salomoni ⁶ : « Quia postulasti verbum hoc, et non petisti tibi dies multos, aut divitias, aut animas inimicorum tuorum, » etc. Tertio, congrue et digne petendum est, id est attente ; Psalmus ⁷ : « Dabit tibi petitiones cordis tui. » Bene dicit *petitiones cordis tui*, non tantum oris. Isidorus ⁸ : « Verba deprecantis Deus non intendit, sed orantis cor despicit. »

De tertio ⁹ : « Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. » Magna largitas : *Omnia* dicit, spiritualia, temporalia, æternalia. Revera temporalia ; Psalmista ¹⁰ : « Petierunt, et venit coturnix, et pane cæli saturavit eos. » Panis cæli, victus qui juste ; panis inferni, qui injuste acquiritur. ¹¹ « Panis illius in utero illius vertetur in felaspidis intrinsecus. » Item spiritualia ¹² : « Si ergo vos cum sitis mali, » etc., usque : « dabit spiritum bonum petentibus se! » Miserabile est ! Si siccitas unius anni fieret in terris, ardentissime pluviam peteres ; modo

siccitas gratiæ fuit tibi viginti, vel triginta annis, et pluviam gratiarum Spiritus sancti, vel lacrymarum non petis? ¹³ « Petite pluviam a Domino. » Item æternalia, sicut significatum est, ubi Assuerus, postquam incaluerat vino, dixit ad Esther ¹⁴ : « Si dimidiam partem mei regni petieris, impetrabis. » Sic anima devota postquam Christum vino compunctionis, dilectionis, devotionis et lacrymarum inebriavit, regnum gloriæ le facili impetrabit. Alioqui dicitur regnum petentibus ¹⁵ : « Nescitis quid petatis. »

SERMO IV.

Petite, et dabitur vobis ¹⁶. Quid dabitur ? Respondet Propheta ¹⁷ : « Gratiam et gloriam dabit Dominus. » Dabit, inquam, certissime, copiosissime, prudentissime, frequentissime. Dabit indubitanter, prudenter, incessanter.

De primo dicitur ¹⁸ : « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. » Et hic dicitur : *Petite, et dabitur vobis*. Ecce quis potest dubitare, quin detur quod veritas dandum promisit? Quis ergo non peteret? Joannes Chrysostomus ¹⁹ : « Petentis negligentia reprehenditur, si de dantis misericordia (c) dubitatur : » maxime cum non solum promissit dare, sed etiam juravit ²⁰ : « Juravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis. » Si tamen hoc non datur quod petis, non tepescas. Bernardus ait ²¹ : « Nemo parvipendat orationem suam. Dico enim vobis, antequam exeat de ore vestro, ille conscribi facit in libro suo, et unum ex duobus indubitanter sperare debemus, quia aut dabit quod petimus, aut quod nobis scit esse utilius. »

De secundo ²² : « Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei. » E contrario vero diabolus modica dat, et multa im-

¹ *Psal.* LXV, 28. — ² *Greg.*, *Pastor.*, part. I, c. x. — ³ *Ecdi.*, XXVIII, 5. — ⁴ *I Joan.*, v, 14. — ⁵ *Aug.* — ⁶ *III Reg.*, III, 11. — ⁷ *Psal.* XXXVI, 4. — ⁸ *Isid.* — ⁹ *Matth.*, XXI, 22. — ¹⁰ *Psal.* CIV, 40. — ¹¹ *Job*, XX, 14. — ¹² *Luc.*, XI, 13. — ¹³ *Zach.*, X, 1. — ¹⁴ *Esth.*, v, 3. —

¹⁵ *Matth.*, XX, 22. — ¹⁶ *Luc.*, XI, 9. — ¹⁷ *Psal.* LXXXIII, 12. — ¹⁸ *Joan.*, XVI, 23. — ¹⁹ *Chrysost.* — ²⁰ *Luc.*, I, 73. — ²¹ *Bern.*, in *Quadrages.*, serm. V, n. 5. — ²² *Jac.*, I, 5.

(a) *Del.* petere. — (b) *Leg.* faciunt. — (c) *Cæt. edit.* præmitt. non.

perat ¹ : « Exigua dabit, et multa imperabit : » Exigua dabit in delectatione, et multa imperabit in exactione pœnæ. Gregorius ² : « Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat. » Bene autem dicit *affluenter*, plus enim sæpe dat, quam petere præsumamus ³ : « Potens est enim omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus. » Hoc patet in petitione filii prodigi : majora enim et plura accepit, quam petivit. Et certe, quod superabundans, et affluens dator sit Deus, patet his versibus :

Plus dare quam tollat, rogitetur, polliceatur,
Salomone Deus, virga florente probatur.

De Job patet ⁴ : « Dominus conversus est ad pœnitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis, et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job, duplicia. » Require in præcedenti sermone, de Salomone ⁵. De Aaron virga legitur ⁶ quod tantum promisit Dominus germinare; sed postea et geminasse, et floruisse, et fructificasse inventa est. Ecce quam liberalissimus dator est Dominus. Vide ergo apertius : si Dominus daret tibi omnia creata, quæ in cœlo et in terra sunt, tunc videretur utique liberalissimus tibi ; et certe plus dedit, cum seipsum dedit. Augustinus ⁷ : « Nolumus omnia quæ dedit, si non dat seipsum, qui omnia dedit. »

De tertio ⁸ : « Uni dedit quinque talenta, alii duo, alii unum : unicuique secundum propriam virtutem. » Quam sapienter dat Dominus, apparet ex hoc, quia, ad lœra meritum augenda, dat *bona sua* ⁹, unde et ille servus, qui talentum Domini sibi Deo collatum sine lucro tenuit, damnatus fuit ; vel ex hoc, quia dat *unicuique secundum propriam virtutem*. Scit enim cui dandum, cui non dandum, cui plus, cui minus dandum. Si enim illi daret quinque, cui dat unum, et sic (a) negligeret quinque sicut unum, major esset ejus damnatio. Nota ergo

¹ *Eccli.*, XX, 15. — ² Greg. — ³ *Ephes.*, III, 20. — ⁴ *Job*, XLII, 10. — ⁵ Vid. sup., pag. 271, col. 1. — ⁶ *Num.*, XVII, 5, 8. — ⁷ Aug., *Enarr. in Psal.* LXXXV, II, 11. — ⁸ *Matth.*, XXV, 15. — ⁹ *Ibid.*, 14. — ¹⁰ *Isa.*,

hic quinque data Dei, quibus homo, quasi Quinque
data Dei. quinque talentis, lucra spiritualia cumulare debet. Primum est naturæ ¹⁰ : « Hæc dicit Dominus Deus creans cœlos, et extendens eos, firmans terram, et quæ germinant ex ea, dans flatum populo, qui est super eam, et spiritum calcantibus eam. » Dat utique Dominus flatum, et omnia bona naturalia corporis et animæ. Secundum est datum fortunæ, scilicet temporalia ¹¹ : « Dominus dedit, Dominus abstulit. » Tertium est datum potentiae mundanæ, et ecclesiasticæ ¹² : « Data est potestas a Domino vobis (b), » etc. Quartum est datum scientiæ ; Psalmista ¹³ : « Intellectum tibi dabo, » etc. Quintum est datum gratiæ ¹⁴ : « Humilibus autem dat gratiam. »

De quarto ¹⁵ : « Numerum dierum, et tempus dedit illi. » Quis tibi dat diem quo hodie vivis, vel omnes dies quibus adhuc vives, vel vixisti, nisi solus Deus? Quot ergo dies, aut horas vixeris, tot data Dei recipis. Quid ergo dicam de bonis, quæ per omnes dies et horas vitæ tuæ tibi dantur? De bonis, inquam, naturalibus, quæ et in anima et in corpore, et in omnibus membris tibi dantur, et de temporalibus, et spiritualibus, et de sacramentalibus. Quotidie enim corpus suum dat pro te offerendo ¹⁶ : « Domine, semper da nobis panem hunc. » O dator, æterne Deus! quanta, putatis, dabit in cœlo, qui tanta dat in mundo? Augustinus ¹⁷ : « Qui peccatori mortem donavit Filii sui, quid servat salvato per mortem Filii sui? » Dominus ergo non cessat dare, si tu non cesses petere, sicut dicitur hic : *Petite, et dabitur vobis*. Item, si non cessas habere, scilicet bona merita ¹⁸ : « Omni habenti dabitur, » etc.

SERMO V.

Confitemini alterutrum peccata vestra ¹⁹.
Charissime, ut eo libentius confitearis tuas

XLI, 5. — ¹¹ *Job*, I, 21. — ¹² *Sap.*, VI, 4. — ¹³ *Psal.* XXXI, 8. — ¹⁴ *Jac.*, IV, 6. — ¹⁵ *Eccli.*, XVII, 3. — ¹⁶ *Joan.*, VI, 31. — ¹⁷ Aug. — ¹⁸ *Matth.*, XXV, 29. — ¹⁹ *Jac.*, V, 16.

(a) *Leg.* hic. — (b) *Cat. edit.* nobis.

Confessionis utilitas. iniquitates, pensare debes confessionis utilitates. Attende ergo, quod per confessionem a malo liberamur, in bonum adjuvamus, in cœlo glorificamur.

Per confessionem liberamur a malo spirituali, a malo temporali, a malo æternali. Liberamur, inquam, a malo culpæ, miseriæ, gehennæ. De primo ¹: « Si confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. » O quam stultus esset leprosus, qui se propriis verbis curare posset, et non faceret? Et certe peccator leprosus est coram Deo et angelis, qui propria confessione curatur, et quandoque desiderio confitendi ²: « Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. » De secundo ³: « Propter peccata patrum suorum et, sua affligentur, donec confiteantur iniquitates suas, » etc. Unde afflictis per infirmitates, et alias quascumque adversitates, semper consulendum est in principio, ut confiteantur sincere peccata sua: sæpe enim propter peccata affliguntur. Confessio autem non solum contra infirmitates corporis, sed etiam animæ valet, videlicet, contra tentationes, desperationes, varias animæ tristitias. Psalmus ⁴: « Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? » etc. usque: « confitebor illi. » De tertio, Psalmus ⁵: « Ne tradas bestiis animas confitentes tibi. » Debent ergo confiteri salubriter, qui nolunt tradi bestiis infernalibus, scilicet dæmonibus, æternaliter. Confiteantur sincere, qui pœnam æternam, et quandoque temporalem volunt evadere. Augustinus ⁶: « Peccata tua, sive magna, sive parva sint, impunita esse non possunt, quia vel homine pœnitente, vel Deo vindicante plectuntur. Cessat autem divina vindicta, si confessio præcurrat humana. »

Circa secundum nota: per confessionem adjuvamus in bono, adjuvamus utique in

tentatione ad triumphandum, in oratione ad impetrandum, in operatione ad fructificandum. De primo, Psalmus ⁷: « Ex voluntate mea confitebor illi. » Et in medio sequitur ⁸: « Dominus fortitudo plebis suæ. » Ac si aperte dicat: Ex voluntaria confessione recipitur. Unde bene legitur quod Judas Machabæus, et Judith victoriosi. Judas *confitens* interpretatur: confessione enim vincimus diabolum. Augustinus ⁹: « Neque facilius ab inimico devincimur, quam cum superbiendo ipsum imitamur; neque vehementius eum prosternimus, quam cum humilitate Deum consequimur; neque ei dolores acriores infligimus, quam cum plagas peccatorum nostrorum confitendo et pœnitendo sanamus. » De secundo ¹⁰: « Cumque adhuc loquerer, et orarem, et confiterer peccata mea, ecce vir Gabriel, » etc., ubi ostenditur quod per angelum in oratione consolatur, qui peccata confitetur. Gregorius ¹¹: « Qui promereri vult bonum quod expetit, debet malum confiteri quod fecit. » De tertio ¹²: « Arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob. Seminate vobis in justitia, et metite in ore misericordiæ. » Judas interpretatur *confitens*: arare ergo est confessionis, confringere contritionis, seminare satisfactionis, et metere operationis. Si ergo fructum vitæ æternæ multiplicare vis semine boni operis, oportet quod terra cordis in principio aperiatur vomere confessionis. Augustinus ¹³: « Initium operum bonorum, est confessio malorum operum. »

Circa tertium considera quo modo per confessionem glorificamur. Per confessionem enim invenimus faciem Christi placatam, portam cœli reseratam, coronam regni magnificatam. De primo, Psalmus ¹⁴: « Præoccupemus faciem ejus in confessione, » id est, in conspectu futuri judicis. Bene dicit, *Præoccupemus faciem ejus*. Glossa: « Ne inimicus accusando præveniat nos, et ne id tunc sit discutiendum. » Joannes Chrysosto-

¹ 1 Joan., 1, 8. — ² Luc., XVII, 14. — ³ Levit., XXVI, 39. — ⁴ Psal., XLI, 12. — ⁵ Psal., LXXIII, 19. — ⁶ Aug. — ⁷ Psal., XXVII, 7. — ⁸ Ibid., 8. — ⁹ Aug. — ¹⁰ Dan.,

IX, 20. — ¹¹ Greg. — ¹² Ose., X, 11-12. — ¹³ Aug., in Joan. Evang., tract. XII, n. 13. — ¹⁴ Psal., xciv, 2.

mus ¹ : « Habes accusatorem acerbissimum : propra sponte confitendo delicta. » De secundo, Psalmus ² : « Introite portas ejus in confessione. » Portam cœli apertam invenies ad introeundum in evolatione, si porta cordis tui os tuum nunc plene apertum fuerit in confessione. Augustinus ³ : « Ostium aperiatur, et claudatur. Aperiatur ad confessionem peccati, claudatur ad excusationem peccati. » Per confessionem ergo peccati introibimus ad portam cœli. De tertio, Psalmus ⁴ : « Confessio et pulchritudo, » etc. Glossa : « In confitendo fit homo pulcher. » Bernardus ⁵ : « Ubi confessio, ibi et pulchritudo, ibi decor. Peccata in confessione lavantur, bona opera in confessione mundantur (a). » Notentur tria, quæ hic in confessione inveniuntur, videlicet pulchritudo, sanctimonia et magnificentia. Per confessionem enim consequimur pulchritudinem animæ, sanctimoniam vitæ, magnificentiam gloriæ.

SERMO VI.

Quærite, et invenietis ⁶. Quid quæremus ? Respondet Propheta ⁷ : « Quærite Dominum, et confirmamini. » Et ⁸ : « Primum quærite regnum Dei. » Deum ergo et regnum suum quædere bene vivendo debemus. Alliciunt autem nos ad quærendum temporis opportunitas, loci amœnitas, quærendæ rei pretiositas, inveniendi securitas.

De primo ⁹ : « Quærite Dominum, dum inveniri potest. » Quis enim in hyeme florem, in nocte solem, in tenebris faciem in speculo quæreret ? Hyems autem et nox et (b) tenebræ erunt peccatoribus in morte post hanc vitam ; et jam (c) hyems et nox sunt in corde gelido, et tenebroso peccatoris. In die ergo et æstate hujus vitæ, vel bonæ vitæ, quæremus solem justitiæ, flores virtutum ¹⁰ : « Jam hyems, » id est refrigeratio,

« transiit, » id est congelatio infidelitatis : « Imber abiit et recessit, » id est persecutio : « Flores apparuerunt in terra nostra, » flores, inquam, virtutum et bonorum operum. « Surge igitur amica mea, et veni, » quod pro te fluctus sedavi, scilicet in cruce pro te moriendo. Item ad quærendam faciem in speculo, temporis opportunitas ¹¹ : « Fientes properabunt, et Dominum suum quærent in Sion : » quod interpretatur *speculum*, et significat cor mundum, in quo facies Dei quærenda est. Psalmus ¹² : « Quærite faciem ejus semper. » Opportunitas temporis ex ordine consideranda est ⁸ : « Primum quærite regnum Dei. » Noli ergo tempus opportunum quærendi negligere, ne forte contingat te frustra quædere. Bernardus ¹³ : « Quærentes frustrari solent, aut cum non in tempore debito quærent (d), aut ubi non oportet. » De secundo ¹⁴ : « Quo abiit dilectus tuus (e), o pulcherrima mulierum (f), » etc. usque ¹⁵ : « Dilectus meus descendit (g) in hortum. » Scilicet pulchra multum est Ecclesia plena fide, pulchrior spe, pulcherrima charitate. Vel aliter, pulchra in conjugatis, pulchrior in viduis, pulcherrima in virginibus. Vel aliter, pulchra in incipientibus, pulchrior in proficientibus, pulcherrima in perfectis. Hortus autem est cor virtutibus floridum, et operibus luciferum. Delectabilius est quædere in horto, quam in cloaca, in corde sordido. In horto ergo virtuosus cordis quærendus est Christus. Ubi enim quærendus est hortulanus, nisi in horto ? ¹⁶ « Mulier, quid ploras ? quem quæris ? Illa existimans quod hortulanus esset, » etc. Gregorius ¹⁷ : « An non ei spiritualiter hortulanus erat, qui in ejus pectore per amoris sui semina virtutum virentia plantavit ? » Item ubi quærendus est sponsus, nisi in thalamo ? ¹⁸ « In lectulo meo per noctem, » etc. Item ubi quærendus

¹ Chrysost. — ² Psal. xcix, 4. — ³ Aug., Enarr. in Psal. cxl, n. 6. — ⁴ Psal. xcv, 6. — ⁵ Bernard., ad Soph. virg., epist. cxiii, n. 4. — ⁶ Luc., xi, 9. — ⁷ Psal. civ, 4. — ⁸ Matth., vi, 33. — ⁹ Isa., lv, 6. — ¹⁰ Cant., ii, 11, 13. — ¹¹ Jerem., l, 4. — ¹² Psal. civ, 4. — ¹³ Bern., in Cant, serm. lxxv, n. 3. — ¹⁴ Cant.,

v, 17. — ¹⁵ Cant., vi, 1. — ¹⁶ Joan., xx, 15. — ¹⁷ Greg., in Evang., hom. xxv, n. 4. — ¹⁸ Cant., iii, 1. —

(a) *Mahill.* commendantur. — (b) *Cæt. edit. deest* et. — (c) *Cæt. edit. etiam.* — (d) *Suppl.* aut non sicut oportet. — (e) *Cæt. edit. meus.* — (f) *Cæt. edit. deest* o pulcherrima mulierum. — (g) *Cæt. edit. ascendit.*

est sacerdos, nisi in templo? ¹ « Dolentes quærebamus te. » In templo autem invenerunt. Cor autem nostrum hortus est honorum operum in fructificatione, thalamus in dilectione, templum in oratione. In templo enim orandum est.

De tertio ² : « Simile est regnum cœlorum homini quærenti, » etc. Pretiosa margarita est Christus, qui tanto pretiosior esse cognoscitur, quanto veracius quærat. Gregorius ³ : « Sancti viri omnis præsentis vitæ copiam reputant inopiam, quia nihil extra Deum menti sufficit, qui veraciter Deum quærit. » Libenter et diligenter quæreret homo gemmam valentem mille marchas; quanto magis quærere decet hanc margaritam, quæ melior est toto mundo? Bene dicit hic ⁴ : *Sua dedit omnia, et comparavit eam.* Pro dilectione enim Dei totus mundus contemnitur ⁵ : « Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. » Sicut autem in mobilibus (a) nihil pretiosius vita, ita nihil pretiosius quærere possumus gemmis virtutum, de quibus hic dicitur : « Quærenti bonas margaritas. » Item regnum gloriæ ⁶ : « Primum quærite regnum Dei. » Item vitam animæ, quæ est Christus. Psalmus ⁷ : « Quærite Dominum, et vivet anima vestra, » id est, quærite panem, ut vivat anima vestra.

De quarto dicitur hic : *Quærite, et invenietis.* Aurum quæritur libenter, ubi citius invenitur. Et ecce gratia Dei, imo Deus omni auro pretiosior, certissime invenitur, si pure, si integre, si congrue quæritur. Pure, sine fictione ⁸ : « In simplicitate cordis quærite illum, quoniam invenietur. » Item integre, sine dimidiatione, ut non partim Deo, partim mundo, vel carni, vel diabolo serviatur, sed totaliter Deo ⁹ : « Quærelis me, et invenietis, cum quæsieritis me

in toto corde vestro. » Item continue, sine derelictione ¹⁰ : « Invenitur ab his, qui quærunt illum. » Et ¹¹ : « Si quæsieritis eum, invenietis; sin autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. »

SERMO VII.

Quærite, et invenietis ¹². Si quæritis meditando, seu desiderando, orando, bene agendo, invenietis in mundo gratiam, in iudicio justitiam, in cœlo gloriam. Unde ¹³ : « Qui sequitur justitiam et misericordiam, inveniet vitam, justitiam et gloriam. »

De primo ¹⁴ : « Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. » Triplex autem est inventio gratiæ. Inveniunt enim boni quærentes peccatorum indulgentiam ¹⁵ : « Ante iudicium interroga teipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem. » Interrogat seipsum homo in conscientiæ discussione, arguens seipsum quare istas, vel alias iniquitates fecerit. Facit enim sic iudicium in corde suo. Gregorius ¹⁶ : « Conscientia accusat, ratio iudicat, timor ligat, dolor cruciat. » Interrogat quoque vicarius Dei in confessione; interrogat et Deus in extrema examinatione ¹⁷ : « Interrogabit opera nostra, » etc. Inveniunt virtutum opulentiam ¹⁸ : « Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, » etc. Thesaurus in agro, est opulentia virtutum in corde. Iste thesaurus etiam in sepulchro religionis invenitur, et pœnitentiæ ¹⁹ : « Quasi effodientes thesaurum, gaudent vehementer cum inveniunt sepulchrum. » Item inveniunt cognoscendorum sapientiam, quod etiam de sapientia increata, quæ est Christus, intelligi potest, qui per stellam veræ cognitionis inveniri potest ²⁰ : « Invenerunt puerum cum Maria matre ejus. » Sicut autem nec sol in nocte, nec rosa in stabulo, sic nec

¹ Luc., II, 48. — ² Matth., XIII, 45. — ³ Gregor., Moral., lib. XXII, c. III, n. 5. — ⁴ Matth., XIII, 46. — ⁵ Cant., VIII, 7. — ⁶ Matth., VI, 33. — ⁷ Psal. LXVIII, 33. — ⁸ Sap., I, 1. — ⁹ Jerem., XIV, 13. — ¹⁰ Sap., VI, 13. — ¹¹ II Paral., XV, 2. — ¹² Luc., XI,

9. — ¹³ Prov., XVI, 21. — ¹⁴ Hebr., IV, 16. — ¹⁵ Eccli., XVIII, 20. — ¹⁶ Greg. — ¹⁷ Sap., VI, 4. — ¹⁸ Matth., XIII, 44. — ¹⁹ Job, III, 21. — ²⁰ Matth., II, 11.

(a) Forte leg. naturalibus

Christus in carnali anima invenitur ¹ : « Non invenitur in terra suaviter viventium. » Bernardus ² : « Circuire possem cœlum, terram, mare et aridam, et nusquam te inveniam nisi in cruce : ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie. »

De secundo ³ : « Qui timent Deum, invenient justum judicium. » Illic viduæ et pauperes, et Deum timentes raroveniunt justitiam; ibi autem invenitur. Augustinus ⁴ : « Ferto injurias, securus esto, faciet enim Dominus misericordias et judicium omnibus injuriam patientibus. » Sed attende in die novissimo triplicem inventionem timentibus Deum. Invenient enim membra sua in resurrectione, sive lupi, sive canes, sive vermes comederent ea ⁵ : « Alii distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. » Invenient opera bona in manifestatione ⁶ : « Mitte panem tuum super transeuntes aquas, et post multa tempora invenies illum. » Invenies certe panem eleemosynarum tuarum, quando dicetur tibi illud ⁷ : « Esurivi, et dedisti mihi ad manducandum, » etc. Sic et alia bona ibi invenies. E contrario de quibusdam dicitur a Psalmista (a) ⁸ : « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. » In resurrectione enim de somno mortis surgent, et nihil invenient in manibus suis. Augustinus ⁹ : « Vis aliud invenire in manibus tuis postea? noli contemnere modo manum pauperis; et respice (b) manus inanes, si vis habere manus plenas. » Item invenitur justitia in retributione ¹⁰ : « Bene fac justo, et invenies retributionem magnam, et si non ab ipso, certe a Domino. » E contrario impij invenient malam retributionem. Psalmus ¹¹ : « Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis. »

De tertio ¹² : « Mulier gratiosa, » id est,

anima sancta, « inveniet gloriam. » In hac gloria invenient justisuper se opulentiam, et divinitatem ¹³ : « Qui mane vigilaverint ad me, invenient me. Mecum sunt divitiæ, et gloria, et opes supernæ, et justitia (c). » Bernardus ¹⁴ : « Additur justitia, quia in mundo divitiæ, et gloria, et opes sæpe cum injustitia habentur. » Unde injusti divites justos æternos attingere non possunt ¹⁵ : « Facilius est camelum, » etc. Item invenient intra in se gratissimam jucunditatem ¹⁶ : « Gaudium et lætitia invenientur in ea, gratiarum actio et vox laudis. » Unde dicit utrumque, scilicet gaudium et lætitiã, propter utramque stolam, sive gloriam corporis et animæ. Qui e contrario hic gaudent contra Deum, ibi gaudere in Deo non possunt ¹⁷ : « Extrema gaudij luctus occupat. » Item invenient extra se jucunditatem, scilicet angelorum et hominum ¹⁸ : « Ingredietur, et pascua inveniet. » Sicut in pascuis multæ sunt herbæ, quibus oves reficiuntur, sic intra nos tot erunt herbæ, quot merita nostra; extra nos tot herbæ, quot sancti, vel potius, quot sanctorum merita et præmia, quibus æternaliter reficiemur ¹⁹ : « In montibus excelsis Israel erunt pascua eorum, ibi requiescent in herbis virentibus. » Montes excelsi, sunt ordines angelorum.

SERMO VIII.

Confitemini alterutrum peccata vestra ²⁰. Beatus Isidorus ²¹ : « Confessio sanat, confessio justificat, confessio peccati veniam dat, omnis spes in confessione consistit, in confessione misericordia est (d). » Quia ergo tam necessaria est confessio, considerandum est cui, quid, quando, quomodo tu debeas confiteri. Attende ergo confessionis auctoritatem, sceleris fœditatem, temporis congruitatem, confessionis qualitatem.

¹ Job, XXVIII, 13. — ² Bern. — ³ Eccli., XXXII, 20. — ⁴ Aug., Enarr. in Psal. CII, n. 14. — ⁵ Hebr., XI, 35. — ⁶ Eccli., XI, 1. — ⁷ Matth., XXV, 35. — ⁸ Psal. LXXV, 6. — ⁹ August., Enarr. in Psal. CII, n. 14. — ¹⁰ Eccli., XII, 2. — ¹¹ Psal. XX, 9. — ¹² Prov., XI, 16. — ¹³ Prov., VIII, 17-18. — ¹⁴ Bern. — ¹⁵ Matth., XIX,

24. — ¹⁶ Isa., LI, 3. — ¹⁷ Prov., XIV, 13. — ¹⁸ Joan., X, 9. — ¹⁹ Ezech., XXXIV, 14. — ²⁰ Jac., V, 16. — ²¹ Isid., *Synonym.*, lib. I, pag. m. 310, col. 2.

(a) *Cat. edit.* dicitur Psalmus. — (b) *Item* respicere. — (c) *Item* justitiæ. — (d) *Cat. edit.* consistit in misericordia.

De primo ¹ : « Ite , ostendite vos sacerdotibus. » Augustinus ² : « Præveniat homo iudicium Dei per confessionem : præcepit enim Dominus mundatis , ut ostenderent se sacerdotibus. » Sacerdos ergo debet esse cui confitendum est , et talis sacerdos , qui tibi sciat dare consilium. Quidam autem , si in eadem parochia sciant sedentes decem sacerdotes , libentius accedunt ad simplicio rem. Contra quos ait Augustinus ³ : « Qui confiteri vult peccata , ut inveniat gratiam , quærat sacerdotem scientem solvere et ligare , ne cum (a) negligens circa se extiterit , negligatur ab eo , qui misericorditer monet et petit , ne ambo in foveam cadant. » Confitendum ergo est habenti auctoritatem et scientiam. In necessitate tamen laico confitendum , si sacerdos haberi non possit. Augustinus ⁴ : « Fit dignus venia ex sacerdotis desiderio , qui crimen confitetur socio. » Si autem nec laicum habere possis , confitearis Domino confessori summo. Psalmus ⁵ : « Dixi : Confitebor Domino. »

De secundo ⁶ : « Qui abscondit scelera sua , non dirigetur ; qui autem confessus fuerit , et reliquerit ea , misericordiam consequetur. » Ecce *scelera* debet confiteri homo , et *sua* , non alterius scelera. Psalmista ⁶ : *Confitebor adversum me* , etc. Non solum autem scelera mortalia , sed etiam venialia peccata sunt confitenda. Augustinus ⁷ : « Ista assidua peccata , et quodam modo necessaria , assidue laventur in confessione , assidua restarentur jubilatione. » Item super illum locum ⁸ : *Confitemini alterutrum peccata vestra* , ait Beda ⁹ : « Cœequalibus quotidiana et levia , et graviora (c) sacerdotibus pandimus (d). » Melius tamen est , et levia , et graviora sacerdotibus confiteri : potest autem homo confiteri scelera sua secundum trans-

gressiones decem mandatorum , vel secundum ordinem septem mortalium vitiorum , et filiarum eorum. Confiteri quoque debet circumstantias peccatorum , de quibus

Circumstantia peccatorum,

Aggravat ordo , locus , perfecta scientia , tempus , Ætas , conditio , numerus , mora , copia , causa , Et modus in culpa , status altus , lucta pusilla.

De tertio ¹⁰ : « Vivus et sanus confiteberis. » Ecce tempus confessionis dicitur *vivus* (e) in mundo , quia non potest (f) confiteri in inferno. Psalmus ¹¹ : « In inferno autem quis confitebitur tibi ? » Maxime autem tempus confessionis est , dum *sanus* es , dum pœnitentiam facere potes. Confitendum est ergo hujus vitæ tempore , non tempore uno , sed multis temporibus ¹² : « Confitebantur peccata sua , » etc. usque : « quater in die , et quater in nocte confitebantur. » O si modo quater in anno confiteri velles ! Semel quilibet tenetur , postquam ad annos discretionis venerit , et recipere corpus Domini ; alioquin , sicut dicit canon ¹³ , « ab ingressu ecclesiæ arceatur , et moriens ecclesiastica careat sepultura. » Quanto ergo sæpius , et etiam pluribus homo confitetur , tanto melius est. Augustinus ¹⁴ : « Quanto pluribus confitetur in spe veniæ turpitudinem criminis , tanto facilius consequitur gratiam remissionis. »

De quarto , require primum in primo sermone : *Confitemini alterutrum peccata vestra* , per totum ¹⁵ , ubi satis invenies qualiter homo debeat confiteri. De quo etiam nota versus :

Sit simplex , humilis confessio , pura , fidelis. Vera sit , accusans , fortis , parere parata ¹⁶.

O peccator , si confitearis , ad confessionem quoque te alliciat quod ait Augustinus ¹⁷ : « Credendum quod omnes eleemosynæ , ope-

tem. VI. — ¹⁵ Vid. sup. , pag. 269-270. — ¹⁶ Idem fere visus in *Centiloq.* , part. III , sect. 31 , huj. edit. tom. VII , pag. 423 , col. 2. — ¹⁷ Aug.

(a) *Car. edit.* Ne ut si. — (b) Item consistit in misericordia. — (c) *Apud Bed.* gravioris lepiæ inunditiam. — (d) *Ibid.* juxta legem sacerdotii (*Leg. sacerdoti*) pandamus. — (e) *Leg.* dum vivus es. — (f) *Leg.* poteris.

¹ *Luc.* , XVII , 14. — ² Aug. — ³ Imo auctor lib. *de ver. et fals. Pœnit.* , c. x , n. 25. — ⁴ *Ibid.* — ⁵ *Psal.* , XXXI , 5. — ⁶ *Prov.* , XXVIII , 13. — ⁷ Aug. — ⁸ *Jac.* , v , 16. — ⁹ *Bed.* , in *Epist. Jac.* , c. v. — ¹⁰ *Eccli.* , XVII , 27. — ¹¹ *Psal.* , VI , 6. — ¹² *II Esdr.* , IX , 2 , 3. — ¹³ *Omnia utriusque sexus* , De Pœnit. et remiss. , ex conc. Later. IV. — ¹⁴ Imo auctor lib. *de ver. et fals. Pœnit.* , x , 25 , inter. Oper. August. , Append.

ra justitiæ, et operationes misericordiæ succurrant recognoscenti mortem suam ad conversionem. »

SERMO IX.

Pulsate, et aperietur vobis ¹. Magna gratia! Ille hoc dicit, qui, sicut dicitur in Apocalypsi ², « habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit, » etc. Considerandum autem quod est pulsatio divina, humana, diabolica. Pulsat Deus, pulsat homo, pulsat diabolus.

De primo ³: « Ego sto ad ostium, et pulso, » etc. usque: « cœnabo cum illo. » Ostium cordis est liberum arbitrium, ad quod pulsat Deus baculo crucis, tintinnabulo prædicationis, malleo timoris damnationis. O infelix obstinatio peccatoris! Statim aperis ostium amico, et non vis aperire Deo tuo stanti ad ostium. Intromittis adulterum turpissimum, scilicet diabolum, et non pulsantem Sponsam speciosissimam. Audivit autem hunc Sponsam illa sancta anima, quæ ait ⁴: « Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, et immaculata mea. » Quæcumque anima sic pulsantem Dominum non audit, mortua est. Bernardus ⁵: « Pulsat Dominus voluntatem, et invenit eam mortuam, utpote veneno sæcularis delectationis suffocatam: pulsat sensualitatem, et invenit insanam. Sed quia non auditur pulsans suaviter, pulsat tandem et graviter per infirmitates, et adversitates. » ⁶ « Vos similes hominibus, » etc. usque: « cum venerit, et pulsaverit, » etc. Glossa ⁷: « Per ægritudines mortem propinquam demonstrando. »

De secundo, dicitur hic: *Pulsate, et aperietur vobis*. Pulsandum est desideriis, et suspiriis, lacrymis, orationibus, castigationibus, ad ostium divinæ misericordiæ. Diu autem et alte pulsandum est propter distantiam ostiarii, scilicet Christi, de quo ⁸: « Huic

ostiarius aperit. » A quo homo tanto plus distat, quanto plus peccat. Psalmus ⁹: « Longe a peccatoribus salus. » Augustinus ¹⁰: « Non regionibus longe est quisque a Deo, sed affectibus. Amas Deum, prope es (a): odisti Deum, longe es (a). » ¹¹ « Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris. » Item propter periculum pulsantis, quoniam hostes ad occidendum sequuntur ¹²: « Omnis Israel pari mente, et obsecratione clamavit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet. » ¹³ Esther quoque regina confugit ad Dominum, pavens ad periculum, quod imminerebat. » Nota historiam. Esther est anima; Aman est diabolus, quo persequente fugiendum est, pulsandum est in oratione ad Dominum ¹⁴: « Clamabunt a facie tribulantis. » Pulsate nunc, charissimi, quandiu dies est misericordiæ, ostium non est clausum; alioquin pulsabitis post mortem, vel in iudicio, inutiliter ¹⁵: « Cum autem intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ad ostium, » etc. Glossa ¹⁶: « Claudet ostium, cum reprobus locum pœnitentiæ tollet, qui foris stantes pulsabant, id est, a justis segregati, misericordiam, quam contempserunt, frustra implorant. »

De tertio ¹⁷: « Nullus audebat cubiculum, » id est tabernaculum, « virtutis Assyriorum pulsando, vel intrando aperire. » Ex hoc patet quod alia tabernacula bene pulsabant Assyrii. Ex quo accipitur quod Assyrii sunt dæmones, qui in negotiationibus frequenter nos circumveniunt. In tempore enim negotiationis pro vili pretio emunt animas. Quidam enim vendunt eis animas suas pro temporalibus, quidam pro luxuriis, quidam pro aliis vitiis ¹⁸: « Puellam, » id est animam, « vendiderunt pro vino, ut biberent, » pro vino carnalis scilicet voluptatis. O quam in-

¹ Luc., XI, 9. — ² Apoc., III, 7. — ³ Ibid., 20. — ⁴ Cant., V, 2. — ⁵ Bern. — ⁶ Luc., XII, 56. — ⁷ Gloss. ex Greg., in Evang., hom. XIII, n. 3. — ⁸ Joan., X, 3. — ⁹ Psal., CXXIII, 155. — ¹⁰ Aug., Enarr. in Psal. LXXXIV,

n. 11. — ¹¹ Isa., LV, 9. — ¹² Esth., XIII, 18. — ¹³ Ibid., XIV, 1. — ¹⁴ Isa., XIV, 20. — ¹⁵ Luc., XIII, 25. — ¹⁶ Gloss. ex Bed. in Luc., c. XIII, paucis mutatis. — ¹⁷ Judith, XIV, 10. — ¹⁸ Joel., III, 3.

(a) Cat. edit. est.

felix mercator! o quam gloriosum est quod amittitur! quam grave quod mercatur! quam vile quod appetitur! quam infelix commercium, fœda voluptate ardorem mercari sempiternum! Tabernacula dæmonum sunt peccatores¹: « Abundant tabernacula prædonum, » id est dæmonum, qui prædantur animam ab omni bono, ut crucietur in æterno supplicio. Tabernaculum virtutis eorum est magnus exercitus peccatorum et obstinatus, et multos ad decipiendum trahens peccatores. Pulsatio Assyriorum est impugnatio dæmonum, qui non solum delectationibus pulsant, sed quandoque adversitatibus. Sed quia capitalem quemlibet peccatorem inquietare per adversitatem dæmones quandoque non audent, ne forte ad flagellum convertatur: ideo ad tabernaculum virtutis non pulsatur; vel quia non adeo securi sunt propter illud²: « Ducunt in bonis dies suos, » etc., unde de nullis, quantumque magni peccatores fuerint, nisi desperent, prosperantur. De iis autem, qui ob successus securi sunt, dici potest illud Gregorii³: « Continuus successus rerum temporalium certissimum æternæ damnationis est indicium. »

SERMO X.

*Pulsate, et aperietur vobis*⁴. O quanta consolatio esset, si carcer captivo, thesaurus mendico, palatium expulso, sepulchrum mortuo, aperiretur! o quam libenter tales pulsarent pro apertione! Et ecce hic dicitur: *Et aperietur vobis*. Aperietur utique carcer culpæ ad evadendum, thesaurus gratiæ ad accipiendum, palatium gloriæ ad ingrediendum, sepulchrum miseriæ ad resurgendum.

De primo⁵: « Spiritus Domini super me, » etc. usque: « eo quod unxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem. »

Mederi ad contritionem, *apertio* ad confessionem, *indulgentia* ad satisfactionem referri potest. Nota quod dicit: *Ut mederer*: medetur enim Deus animabus per contritionem et pœnitentiam. O insania ægroti! Anima tua languet in peccatis usque ad mortem æternam, et non quæris medelam? Primo die quæris corporis medelam, et non animæ e triginta vel quadraginta annis languentis. Joannes Chrysostomus⁶: « Si forte in corpore parvum aliquid morbi pulsaverit, statim medicos adhibemus, et pecuniam profundimus; anima vero quotidie cum vulnere, cum per singula lanietur, uratur, præcipitetur, et modis omnibus patitur, ne parva quidem pro ea nos cura sollicitat. » Item nota quod ait: *Prædicarem captivis indulgentiam*. Solet maxime indulgentia dedicationi templi, vel altaris, vel accipientibus crucem prædicari. Sic certe si templum animæ tuæ, et altare cordis Deo dedicatur, et si crucem pœnitentiæ acceperis, indulgentiam magnam habebis⁷: « Indulgentiam ejus cum lacrymis postulemus. » Item nota quod ait: *Clausis apertionem*. Diabolus tenet peccatorem clausum; sed ecce Christus clavem ad aperiendum de cœlo portavit, et amico tuo reliquit⁸: « Tibi clavēs, » etc. Sed, heu! diabolus cavet, ne aperiat⁹: « Vincis ejus non aperuit carcerem. »

De secundo¹⁰: « Domine Deus, audi clamorem populi hujus, et aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ. » Certe *thesaurum* dicit, non aurum, non argentum, sed *fontem aque vivæ*. Aquæ sunt irrigationes gratiarum Spiritus sancti¹¹: « Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. » Aperit ergo Christus thesaurum suum, ut tu aperias ei thesaurum tuum¹²: « Apertis thesauris suis, » etc. Solent reges aperire thesaurum tempore belli: sic et Christus militibus suis thesaurum gratiarum ad danda stipen-

¹ Job, XII, 6. — ² Job, XXI, 13. — ³ Greg. — ⁴ Luc., XI, 9. — ⁵ Isa., LXI, 1. — ⁶ Chrysost., ad Theodor.

lapsus, epist. I, 15. — ⁷ Judith, VIII, 14. — ⁸ Matth., XVI, 19. — ⁹ Isa., XIV, 17. — ¹⁰ Num., XX, 6. — ¹¹ Joan., IV, 14. — ¹² Matth., II, 11.

dia aperit, quos fideles in bellis contra hostes animæ noscit. Psalmus ¹ : « Aperis tu manum tuam, » etc. Augustinus ² : « Mirabiliter suorum fidelium pauperiem ditavit, et indeficientibus bonis thesaurus plenus ipse permansit. » Sed, heu! e contrario diabolus suis militibus, scilicet superbis, avaris, luxuriosis, aperit thesauros illos, de quibus ³ : « Nil proderunt thesauri impietatis. » Unde de Antiocho, qui diabolus significat ⁴ : « Aperuit ærarium suum, et dedit stipendia exercitui. »

De tertio, Psalmista ⁵ : « Aperite mihi portas justitiæ, » etc. usque : « justi intrabunt in eam. » Hæc autem apertio facta est per clavem crucis Christi, de qua ⁶ : « Dominus David, dabo clavem super humerum ejus : et aperiet, et non erit qui claudat, » scilicet ante diem judicii. O gratia magna! anima de proprio domicilio corporis expellitur, ut palatium cœli ei aperiat, sicut patet de Stephano ⁷ : « Video cœlos apertos, » etc. Sequitur ⁸ : « Et claudet, et non erit qui aperiat, » scilicet post diem judicii. Nulli enim postea aperietur; unde ⁹ : « Domine, Domine, aperi nobis, » etc. usque : « nescio vos. » Gregorius ⁹ : « Tunc regni janualugentibus claudetur, quæ modo quotidie aperitur. Sed heu! sicut cœlum apertum est prudentibus, et infernus fatuis et charitatem non habentibus est apertum ¹⁰ : « Dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino. »

De quarto ¹¹ : « Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos in terram Israel, » id est, in patriam cœlestem. Quidam sunt, quorum sunt corpora in sepulchro, sed animæ in inferno. Clavem autem ad aperiendum quod mors clauserat in sepulchro, et diabolus in inferno, sibi retinuit Christus ¹² : « Habeo claves mortis et inferni. » Tunc certe aperietur terra ad iudicium resurgen-

tibus, quæ aperta est quandoque ad infernum descendentibus. Psalmus ¹³ : « Aperta est terra, et deglutivit Datan. »

IN ASCENSIONE DOMINI.

SERMO PRIMUS.

Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum ¹⁴? Aquila Christum significat, qui hodie elevatus ad cœlos ascendendo, in arduis nidum suum posuit ad dexteram Patris sedendo. Bene autem Christus aquilæ comparatur propter sanctissimam communionem, propter gloriosissimam resurrectionem, propter subtilissimam ascensionem, propter limpidissimam cognitionem.

De primo ¹⁵ : « Pulli aquilæ lambunt sanguinem. » Lambunt fideles sanguinem de calice ¹⁶ : « Bibite ex hoc omnes : hic est sanguis (a), » etc. Lambunt etiam in devota passionis Christi recordatione. Certe nunquam fuit aquila ita liberalis, sicut aquila nostra Christus : aquila enim licet sit tantæ liberalitatis, quod escam suam communicet aliis avibus, non tamen propriam carnem, vel sanguinem corporis sui communicat : quod utique Christus facit ; hic enim sanguis non solum pullos pascit, sed etiam pullos liberat, sicut struthio liberavit pullum suum. Require supra in sermone : *Si sanguis (b) hircorum* ¹⁷. Hic sanguis hircorum non solum pullos passit, non solum pullos liberat; sed etiam pullos vivificat, sicut de sanguine pellicani dicitur quod pullos suos mortuos tertia die vivificat. Pellicanus noster est Christus; Psalmus ¹⁸ : « Similis factus sum pellicano, » etc.

De secundo, Psalmus ¹⁹ : « Renovabitur ut aquilæ juvenus tua. » Aquila nostra, scilicet Christus renovatus est ²⁰ : « Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum cor-

Christus
aquilæ
comparatur.

Aquila
liberalis,
sed liberalior
Christus

¹ *Psal.*, CXLIV, 16. — ² *Aug.* — ³ *Prov.*, X, 2. — ⁴ *I. Mach.*, III, 28. — ⁵ *Psal.*, CXVII, 19. — ⁶ *Isa.*, XLII, 22. — ⁷ *Act.*, VII, 55. — ⁸ *Matth.*, XXV, 41. — ⁹ *Greg.*, in *Evang.*, hom. XII, n. 4. — ¹⁰ *Isa.*, V, 14. — ¹¹ *Ezech.*, XXXVII, 12. — ¹² *Apoc.*, I, 18. — ¹³ *Psal.*

cv, 17. — ¹⁴ *Job*, XXXIX, 27. — ¹⁵ *Job*, XXXIX, 30. — ¹⁶ *Matth.*, XXVI, 28. — ¹⁷ *Vid. sup.*, *Dom. in Pass.*, serm. 1, pag. 177, col. 2, et 178, col. 1. — ¹⁸ *Psal.*, CI, 8. — ¹⁹ *Psal.*, CII, 5. — ²⁰ *Philip.*, III, 21.

(a) *Cat. edit. deest* sanguis. — (b) *Item* Si.

pori claritatis suæ. » Tunc plumas antiquas miseriarum præsentium projiciemus; tunc per dotem agilitatis celeriores omni aquila erimus ¹ : « Assument pennas ut aquilæ; current, et non laborabunt, » etc. Revera enim corpus gloriificatum citius transiret mille milliaria, quam aquila unum passum. Anselmus ² : « Velocitas agilitasque tanta nos concomitabitur, ut ipsis angelis Dei æque celeres simus, qui de cælo ad terras, et e converso, dicto citius delabuntur. » Nota quod aquila, quia senectute præ nimia curvato rostro cibum sumere non valet, languescit : unde, cogente inedia, tandem unicum rostri ad petram decutit, et tunc sumens cibum renovatur. Sed certe si renovari vis per gloriosam resurrectionem, oportet te ad duram et gravem pœnitentiæ petram curvitatē rostri, id est detractiones, perjuriam, mendaciam, et alia peccata labiorum deponere, imo omnium peccatorum curvitatē ³ : « Deponentes omnem malitiam : » sic enim cibum doctrinæ et eucharistiæ spiritualiter sumere poteris.

De tertio dicitur hic : *Numquid ad præceptum tuum*, etc. Elevatus utique fuit Christus super novem choros angelorum ⁴ : « Ascendit super Cherubin, » etc. Nidum, sive sedem, habet ad dexteram majestatis in excelsis. Pulli hujus debent addiscere alte volare pennis virtutum : ad hoc enim aquila nostra Christus nos invitans super nos volavit ⁵ : « Sicut aquila provocans, » etc. Alæ autem, quibus volandum est, sunt charitas Dei, et proximi. Augustinus ⁶ : « Quisquis dilexerit Deum et proximum, animam suam habet pennatam, liberis alis, sancto scilicet amore volantem (a) ad Dominum. » Quicumque (b) alarum istarum carueris, ad cælum non volabis. His autem alis non solum volamus ad Dominum, sed etiam effugimus diabolus ⁷ : « Datae sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, » etc. His alis draconem

septem capita habentem, id est diabolus, cum septem capitalibus vitiis evadis.

De quarto nota, quod aquila acute videt ⁸ : « De longe oculi ejus prospiciunt. » Ita Christus acutissime videt ⁹ : « Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus. » Unde neque in tenebris, neque in angulis occultissimis aliquid fit, quod non videat : imo et cogitationes cordis nostri. Item sicut ille, qui malum non (c) videt, et detestatur, quandoque dicit facienti : *Væ tibi, quid facis?* sic Christus acutissime videns mala hominum in terra, clamat peccatoribus *væ, væ, væ* ¹⁰ : « Audivi vocem aquilæ volantis per medium cœli dicentis magna voce : *Væ.* » Aquila est Christus; habitantes in terra, terreni peccatores sunt, quibus dicit : *Væ* pro peccato cordis; *væ* pro peccato oris; *væ* pro peccato operis. Vel *væ* in mortis extremo; *væ* in iudicio; *væ* in inferno.

SERMO II.

Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum ¹¹, etc. Considerandum est quando ierit in cœlum Jesus; et sic videbimus quomodo in die novissimo veniet, quemadmodum ivit in cœlum. Ivit ergo in cœlum hodie Jesus in voce tubæ, et suscipiente nube, et comitatu tubæ, et data benedictione. Sic utique veniet cum tuba judicandos excitante, cum nube iudicium approbante, cum benedictione electos lætificante.

De primo ¹² : « Ascendit (Jesus) in jubilo, » etc. Vocem tubæ, vocem angelorum credimus Deum laudantium : sic utique veniet in tuba. ¹³ « Ipse Dominus in jussu, et in voce, » etc. Glossa : « Tuba magna Dei erit vox angelorum. » Item, secundum Glossam, ideo ait : *in tuba*, quia sicut tuba utimur in bellis et in festis, ita in iudicio inimicis Domini, scilicet peccatoribus grave bellum instabit.

¹⁴ « Accuet iram diram in lancea, et pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos, »

¹ Isa., XL, 31. — ² Anselm. — ³ I Petr., II, 1. — ⁴ Psal. XVII, 11. — ⁵ Deut., XXXII, 11. — ⁶ August., Enarr. in Psal. CIII, II, 13. — ⁷ Apoc., XII, 14. — ⁸ Job, XXXIX, 29. — ⁹ Hebr., IV, 13. — ¹⁰ Apoc., VIII,

13. — ¹¹ Act., I, 11. — ¹² Psal. XLVI, 6. — ¹³ I Thess., IV, 15. — ¹⁴ Supp., V, 41.

(a) *Cælit. edit.* volante. — (b) *Suppl.* alterutra. — (c) *Del.* non.

etc. Vere insensati sunt peccatores. Item in iudicio amicis Domini, scilicet bonis, instat æterna solemnitas in cœlesti Sion¹: « Respice, Sion, solemnitalis nostræ civitatem, » etc. O felices qui ad hanc perveniunt solemnitatem! Bernardus²: « Æterna omnium bonorum erit solemnitas, facie ad faciem intueri, ejus dulcedine sine fastidio satiari, ejus visione sine defectu perfrui. »

De secundo³: « Nubes suscepit cum ab oculis eorum. » Ita ad iudicium revertetur in nube⁴: « Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute magna et majestate. » Nubes protegit ab æstu solis: in nube ergo Dominus veniet, quoniam bonos ab ardore iudicii obumbrabit. Unde et boni umbram nubium intrabunt⁵: « Simul rapiemur cum illis in nubibus, » etc. Væ tunc impiis, qui non in obumbratione, sed in ardore erunt, sicut significatum est⁶, ubi legitur quod « Dominus præcedet Israel in die in columna nubis, in nocte in columna ignis, » etc. Dies est vita justi; nox vero, vita peccatoris⁷: « Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. » In die ergo in nube, in nocte vero in igne apparuit Dominus, quia ipse in iudicio proteget bonos, et uret malos. Unde et legitur⁸, quod vidit ipse Daniel « thronum igneum, et nubem, in qua venit Dominus, » id est, Filium hominis.

De tertio, Psalmista⁹: « Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in Sina in sancto. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem. » Currus Dei ascendentis dici potest exercitus angelorum, currus utique non necessitatis, sed dignitatis. Augustinus: « Sublatus est Christus, » etc. Require supra in sermone: *Tunc assumpsit*¹⁰. Quod autem dicit *decem millibus*, hoc ad angelos; quod dicit *millia lætantium*, hoc ad animas cum Christo ascendentes referri potest. An autem ad litteram decem

millia cum Christo ascenderint angelorum, an numerus certus pro incerto ponatur, Deo committamus. Cum multis, cum millibus lætantium angelorum et animarum Christus ascendit, ita utique ad iudicium cum multis millibus veniet. Unde in Canonica Judæ¹¹: « Ecce veniet Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, et redarguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, » etc. Multa erunt millia quæ adducet Dominus, ut ipsis præsentibus et approbantibus faciat iudicium: multa certe millia, quæ adducet Dominus non solum sanctorum, sed et angelorum custodum animarum nostrarum, qui transgressionum testes esse possunt, et vitiorum¹²: « Millia millium, » etc. Notabile est quod in ascensione decem millia describuntur. Gregorius¹³: « Ardente cœlo, ardente terra, coruscantibus electis cum Angelis, et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cum Principibus et Potestatibus, tremendus iudex apparebit. »

De quarto¹⁴: « Elevatis manibus benedixit eis: et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum. » Ita utique veniet ad iudicium cum benedictione¹⁵: Venite, benedicti Patris mei, » etc. Benedixit illis, super quos levavit manum dexteram ad benedicendum. Væ illis, super quos elevabit sinistram manum ad percutiendum, quam jam levavit ad percutiendum paratus¹⁶: « Ego levabo manum meam, ut gentes, quæ in circuitu vestro sunt, et ipsæ confusionem suam portent. » Scitis autem, quanto altius manus levatur, tanto fortius percutit. Quam horribiliter ergo putas in iudicio Dominum percussurum, qui tam altissime levavit manum¹⁷: « Levabo ad cœlum manus meas! »

SERMO III.

Homo quidam nobilis abiit in regionem

¹ Isa., XXXIII, 10. — ² Bernard. — Act., I, 9. — ³ Matth., XXIV, 30. — ⁴ I Thess., I, 10. — ⁵ Exod., XII, 11. — ⁶ Ephes., V, 8. — ⁷ Deut., VII, 13. — ⁸ Psal., LXXVII, 18-19. — ⁹ Vid. sup., Dom. I, in qua-

drag. serm. V, pag. 153, col. 2. — ¹¹ Jud., 15. — ¹² Dan., VII, 10. — ¹³ Greg. — ¹⁴ Luc., XXIV, 50-51. — ¹⁵ Matth., XXV, 31. — ¹⁶ Ezech., XXXVI, 7. — ¹⁷ Deut., XXXI, 10.

longinquam accipere sibi regnum, et reverti ¹. Pulcherrime in verbis Christi ad cælum ascensio, et Christi ad iudicium reversio ostenditur: primum in verbo abeundi, secundum in verbo redeundi.

De primo, nota quod abiit Christus ad regnum accipiendum, abiit ad hospitium dispenendum, abiit ad Spiritum sanctum emitendum, abiit ad desiderium accendendum. De primo dicitur hic: *Homo quidam nobilis*, etc. Nobilis est Christus, etc. Augustinus ²: « Nobilitas fuit nascentis in virginitate parientis; nobilitas autem parientis in divinitate nascentis. » Nobilis est Christus secundum carnem, nobilior secundum animam, nobilissimus secundum divinitatem. Iste nobilis abiit, in ascensione, in regionem longinquam patriæ cœlestis, accipere super Angelos et Archangelos, et omnes Sanctos et Sanctas regnum gloriæ, et ita accepit regnum, quod omnes de manu ejus accipiant ³: « Accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini. » Merito super omnes est exaltatus, qui fuit super omnes vivificatus ⁴: « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, » etc. O vere felices hujus regni hæredes, cujus pulchritudo tam incomprehensibilis! Augustinus ⁵: « In pulchritudine hujus sæculi prope jam ineffabili vivunt tecum mures, serpentes et vermiculi; quale ergo decus est illius regni, ubi tecum non vivent nisi angeli? » Nobilis autem iste accepto tam nobili, et glorioso regno, revertetur cum senatoribus suis apostolis in die novissimo ⁶: « Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. » O vere bona sponsa Ecclesia, bona anima, quæ tam nobilem habet virum! Cives qui oderunt istum nobilem, non solum Judæi, sed etiam Christiani sunt, qui bene cives ejus sunt, quia in civitate ejus, id est in Ecclesia, morantur. Ii perfidam legatio-

nem peccatorum mittunt, quibus Dominum suum Christum abjiciunt, et super se regnare nolunt. Quot enim mala faciunt opera, tot nuntiis Christo contradicunt. Sed Christus ad iudicium revertens ipsos interfici faciet.

De secundo ⁷: « Si abiero et præparavero vobis locum, iterum veniam, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis. » Quamvis enim locus gloriæ ab æterno sit electis præparatus ⁸: « Venite, benedicti, » etc.; tamen Christus specialiter locum præparavit quantum ad effectum, quia obstaculum removet, quia placavit Patris offensam, mundavit nostram conscientiam, et aperuit cœli januam. In hoc loco non omnes cum ipso erunt, quia non nisi electi. Unde de reprobis dicitur ⁹: « Ubi sunt, qui in avibus cœli ludunt? » etc. Quære in sermone: *Volo, Pater* ¹⁰. Si omnis amœnitas, et oblectatio, quam in locis omnibus habent pisces in mari et in aquis, volucres in aere et ramis, animalia in sylvis et pascuis, homines in hortis et in cellariis, et in choreis, et in omni loco, quibus homo in mundo unquam fuit, libentius simul et semel esset in uno loco, o quam delectatio ingens esset! o quanto ingentior erit cuilibet oblectatio ex colle cœli deliciosissimo, in quo jucundius est manere uno die, quam omnibus diebus sæculi in loco prædicto! Psalmista ¹¹: « Melior est dies una in atriis tuis super millia. » Augustinus: « Tanta est pulchritudo justitiæ, » etc. Require supra in sermone: *Catelli edunt de micis* ¹². Nec certe arctus erit habitatoribus locus iste ¹³: « O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! Magnus est, et non habens finem, excelsus et immensus. » Nec solum paratus locus, imo ¹⁴ « parata omnia. » Væ vobis miseris. Quære in sermone: *Venite ad me* ¹⁵. Ibi paratus est locus spatiosus, cibus deliciosus, cœtus copiosus. Væ autem illis, quibus paratus est locus in inferno, de quo ¹⁶: « Rogo

¹ *Luc.*, xix, 12. — ² *August.*, serm. cc, al. xxx, de tempore, n. 2. — ³ *Sap.*, v, 17. — ⁴ *Philip.*, i, 8. — ⁵ *Aug.* — ⁶ *Prov.*, xxxi, 23. — ⁷ *Joan.*, xiv, 3. — ⁸ *Matth.*, xxv, 34. — ⁹ *Bar.*, iii, 17. — ¹⁰ Non reperitur inter Sermones editos. — ¹¹ *Psal.* lxxxiii, 12.

— ¹² *Vid. sup.*, Dom. ii in Quadrage., serm. 3, p. 163, col. 4. — ¹³ *Bar.*, ii, 24. — ¹⁴ *Matth.*, xxii, 4. — ¹⁵ Non reperitur inter Sermones editos. — ¹⁶ *Luc.*, xvi, 27-28.

igitur te, Pater, ut mittas Lazarum in domum patris mei : habeo enim quinque fratres : ut testetur illis, ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum. » Dives ille in inferno nuntium habere non potuit ad quinque fratres suos. Quilibet ergo in hac vita amicum suum præmoneat, quem in periculo videt, qui in inferno non potest succurren-tem alique invenire.

De tertio ¹ : « Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. » Ac si diceret : Nisi dederitis quod amatis, non habebitis quod desideratis. ² « Date, et dabitur vobis. » Bernardus ³ : « Gratum quoddam commercium inter cælum et terram existit celebratum, ut illis daretur caro Christi, istis consolatio Paracliti (a), essetque in terra spiritus, caro in cælis, ac deinceps omnia essent communia in æternum. » Nota quod dixit : *Nisi ego abiero*. Non enim ante ascensionem suam misit eis Paraclitum, non propter suam impotentiam, sed quia ipsi corporali præsentia Christi contenti erant. Bernardus ⁴ : « Delicata est divina consolatio, non datur omnino admittentibus (b) alienam. » Item non decuit ipsum miserum dotare servos suos secundum Glossam in Joannem ⁵ : *Spiritus nondum*, etc. *Si autem abiero*, non enim ante, *mittam eum ad vos*. Ac si aliquis diceret : Si non abiero in cellarium, non habebitis vinum. Gratia enim Spiritus sancti vinum est ⁶ : « Musto pleni sunt isti. » Item ac si diceretur : Si nubes non ascenderit, pluvia non descendet, scilicet gratia Spiritus sancti. ⁷ « Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari, » id est humilis caro Christi de mundo. Item ac si diceretur : Si sol non abierit in altum, non senties calorem. Calor autem est virtus Spiritus sancti; Psalmus ⁸ : « Occursus ejus usque ad summum, » etc. Dicit : *Non est qui se abscondat*, quod est signum præsentiae ejus. Bernardus ⁹ : « Nullum signum certius

præsentiae Spiritus sancti, quam desiderium amplioris boni. » Item ex motu cordis ejus intellexi præsentiam ejus. Cœpi enim evellere, et destruere, plantare et ædificare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare. Hoc mihi signum, videlicet ascendens : tristis, inquam, fit anima mea, donec revertatur in terram suam, et solito incalescat cor meum.

De quarto ¹⁰ : « Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum ? quo declinavit dilectus tuus, et quæremus eum tecum ? » Pulchra fuit Ecclesia illa ante legem; pulchrior illa sub lege; pulcherrima ista sub Evangelio, post legem et tempore gratiæ. Hujus sponsus dilectus, duleis, nobilis, pretiosus abiit in ascensione. ¹¹ « Non est vir in domo, » id est, Christus per præsentiam visibilem. Abiit via longissima in ascensione; longa super primam hierarchiam, longior super secundam, longissima super tertiam. Saccum pœnitentiæ, scilicet corpus in quo est, divinitas secum tulit, in die plenæ lunæ reversurus, hoc est, in die judicii, quando luna, id est Ecclesia, erit plena completo numero salvandorum. De tali dilecto dicitur ¹² : « Et quæremus eum tecum. » Talis dilectus, ex quo abiit, est majori desiderio quærendus. Bernardus : « Occultat se Deus, ut ardentius quærat. » Require supra in sermone : *Pater tuus, et ego* ¹³, etc.

SERMO IV.

Ascendit Deus in jubilatione (c) ¹⁴, etc. Invenimus in Scripturis, quod ascendit Deus, angelus, homo, diabolus. Ascendit Deus gloriose, angelus officiose, homo deliciose, diabolus præsumptuose. Ascendit Deus in jubilatione, angelus in ministracione, homo in evolatione, diabolus in ambitione.

De primo, Psalmus ¹⁵ : « Psallite Deo nostro, psallite, » etc. Charissimi, ascendente

7. — ² Bern. — ¹⁰ Cant., v, 17. — ¹¹ Prov., vii, 19. — ¹² Vid. sup., in *Dominic. octav. Epiph.*, serm. vi, pag. 85, col. 2. — ¹³ Psal. XLVI, 6. — ¹⁴ Ibid., 7.

(a) *Apud Bern.* vinum cœli. — (b) *Cœl. edit.* admittendus. — (c) *Vulg. jubilo.*

¹ Joan., xvi, 7. — ² Luc., vi, 38. — ³ Bern., in fest. Pentec., serm. iii, n. 2. — ⁴ Id., in Psal. *Qui habitat*, serm. ix, n. 6, quoad sensum. — ⁵ Joan., vii, 39. — ⁶ Act., ii, 13. — ⁷ III Reg., xviii, 44. — ⁸ Psal. xviii,

Deo, psallite; psallendo, cum ipso corde ascendite. Psalmus ¹ : « Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum. » Sed nota, quod ascendit Deus in passione ² : « Ascendam in palmam, » etc. Item in resurrectione; Psalmus ³ : « Iter facite ei, qui ascendit super occasum, » id est, super mortem. Item in ascensione; Psalmus ⁴ : « Ascendit super Cherubim, » etc. Primo modo ascendit Deus Judæis insultantibus; secundo, dæmonibus trepidantibus; tertio, angelis jubilantibus, apostolis admirantibus, liberatis comitantibus (a). Psalmista ⁵ : « Ascendit in altum, captivam duxit, » etc.

De secundo figuratum est ⁶, ubi legitur, quod Jacob vidit angelos Dei ascendentes per scalam. Nota historiam. Angeli ascendunt, ea, quæ nostra sunt, ad Deum offerentes (b); descendunt autem ad ea, quæ Dei sunt, ad nos deferentes. Patet hoc in Raphaelæ, qui cum ascendit, dixit ⁷ : « Quando orabas cum lacrymis, » etc. Nota quæ ibi dicuntur. Propter hoc bene dicitur ⁸ : « Videbitis cælum apertum, et angelos Dei ascendentes super Filium hominis, » scilicet qui est caput Ecclesiæ, cujus membra sunt omnes fideles. Ascendunt ergo angeli quotidie de membris ad caput, et descendunt de capite super membra, præcipue in morte cujuslibet justi, apud quem scalam virtutum inveniunt. Hujus scalæ duo ligna sunt principalia, amor Dei, et proximi. Gradus vero sunt timor, castitas, patientia, veritas, et cæteræ virtutes, per quas hic de misericordia ⁹ in hac scala Dominum innixum videbis, quando cum Jacob super lapidem duræ pœnitentiæ obdormieris, sicut etiam Stephanus, quando inter lapides obdormivit in Domino, vidit cælum apertum, et Jesum stantem ad sustinendum. Si sic ergo moriendo obdormieris, si talem scalam præparaveris, angelos pro anima tua descendentes

habebis. Bernardus ¹⁰ : « Non ambigo quin angeli gratanter in palatio colligant, quem dignanter in sterquilinio visitant. »

De tertio ¹¹ : « Ingredientur per portas civitatis hujus reges, et principes ascendentes in curribus et in equis. » Reges coronam portantes et principes, sunt omnes justi in civitate cælesti regnantes, per cujus portas deliciosæ ascendunt animæ volantes, sicut de illa sancta anima dicitur ¹² : « Quæ est ista, que ascendit de deserto, deliciis, » etc. Currus sunt boni fructus, et status bonorum hominum. Ascendunt ergo quidam in curru conjugali, quidam in viduali, quidam in virginali. Sed quatuor rotæ sunt necessariæ in curru ad ascendendum; de quibus Psalmista ¹³ : « Quis ascendet in montem Domini? » Certe *innocens manibus*, ecce una rota; *mundo corde*, ecce alia rota; *qui non accepit in vano animam suam*, ecce tertia; *nec juravit in dolo proximo suo*, ecce quarta. Oportet ergo currum bonæ vitæ igneum esse per dilectionem, ut legitur ¹⁴, quod Elias in curru igneo ascendit. Ascendunt ergo in curribus evolantes; in equis autem, re-sumptis corporibus surgentes. Omnes enim de equis, id est, corporibus ejiciemur in morte. Sed ad equos omnes rediemus in resurrectione, boni quidem ad albos ¹⁵ : « Sequēbamur eum in equis albis. »

De quarto ¹⁶ : « In cælum conscendam, super astra cœli exaltabo, » etc. Adhuc autem diabolus, et membra ejus, omnes superbi, ascendere quærunt per ambitionem. Psalmista ¹⁷ : « Superbia eorum (c) qui te oderunt ascendit semper. » Contra quod dicitur ¹⁸ : « Si ascenderit in cælum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine (d) perdetur. » Quantum enim ascenderunt mali per ambitionem in mundo, tantum descendent per damnationem in inferno. Psalmista ¹⁹ : « Ascendunt

¹ Psal. LXXXIII, 6. — ² Cant., VII, 8. — ³ Psal. LXVII, 5. — ⁴ Psal. XVII, 11. — ⁵ Psal. LXVII, 19; Ephes., IV, 8. — ⁶ Gen., XXVIII, 12. — ⁷ Tob., XII, 12. — ⁸ Joan., I, 51. — ⁹ Locus corruptus. — ¹⁰ Bern. — ¹¹ Jerem., VII, 25. — ¹² Cant., VIII, 1. — ¹³ Psal.

XXIII, 3. — ¹⁴ IV Reg., II, 11. — ¹⁵ Apoc., XIX, 14. — ¹⁶ Isa., XIV, 13. — ¹⁷ Psal. LXVIII, 23. — ¹⁸ Job, XX, 7. — ¹⁹ Psal. CVI, 26.

(a) Cæt. edit. in communicantibus. — (b) Forte leg. afferentes. — (c) Cæt. edit. enim. — (d) Item finem,

usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos, » etc. Et quantum nunc per triginta vel quadraginta annos ascendunt, tantum in momento descendunt. Bernardus : « Paulatim ascendes, sed non paulatim descendes. » ¹ « Videbam enim Satanam sicut fulgur cadentem de cœlo. »

DOMINICA INFRA OCT. ASCENSIONIS.

SERMO PRIMUS.

Vos testimonium perhibebitis ², etc. Perhibet homo testimonium de Christo, de seipso, de proximo. Primum est testimonium sapientiæ, secundum conscientiæ, tertium iustitiæ. De primo dicitur modo in Evangelio : *Cum autem venerit Paraclitus, etc.*, usque : *Et vos testimonium perhibebitis*. Quærit Dominus testimonium non propter se, sed propter mundum. Legimus autem Domino perhiberi testimonium suæ credibilis veritatis, honorabilis potestatis, amabilis pietatis, terribilis severitatis.

De primo ³ : « Hic venit in testimonium, ut testimonium, » etc. Luminis divinæ veritatis non solum doctores, sed etiam omnes fideles debent testes esse per fidem : unde fides catholica est illud altare mirificæ magnitudinis, quod vocabatur *testimonium nostrum, quod Dominus ipse sit Deus*, sicut dicitur ⁴. Hoc altare tot habet lapides, quot credentes. Et vere mirificæ magnitudinis est hoc altare, tam in longitudine, quam in latitudine et profunditate, quia ⁵ « fides attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, ipsam denique aternitatem suo illo latissimosinu quoquo modo circumcludit (a). » Si ergo, charissimi, testimonium perhibetis de lumine, non in tenebris, sed in lumine ambulate. Sed multi non luminis, sed tenebrarum, non veritatis, sed falsitatis testimonium Deo dant, qui inconvenientia de

Deo affirmant, sicut hæretici, sortilegi, blasphemi, perjuri, quæstuarii, et hujusmodi, qui non vera, sed falsa contra Deum testantur. Unde adhuc hodie dici potest Domino illud ⁶ : « Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? » Talibus testimoniis se lædunt, non Deum. Si pugno columnam ferias, te, non columnam lædes : sic quando blasphemia Deum percussis, teipsum dirumpis. Sed certe licet nunc Deus taceat, sicut in passione, ipse tamen verum testimonium feret contra impios in iudicio, qui falsum contra ipsum dicunt testimonium in mundo ⁷ : « Accedam ad vos in iudicio, et ero testis vobis in malis, et adulteris, » etc.

De secundo ⁸ : « Testimonium perhibebat ei turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a morte : propterea et obviam venit ei turba, » scilicet cum ramis. Magna certe potentia animam de inferis, corpus de mortuis educere. Multa certe majestatis divinæ habuit Christus testimonia, non solum adhibuit, sed adhuc infans, utpote a Joanne in utero, a Magis in stabulo, a Simeone in templo. Augustinus : « Hæc sunt testimonia tua, Domine Jesu Christe, antequam tibi substerneretur fluctus maris, campi cederent imperanti, antequam ventus te jubente siluisset, vel mortui te vocante resurrexissent, sol te moriente palluisset, te resurgente terra tremuisset, cœlum ascendente patuisset. » Nota, si ramis honoratur, qui a morte corporis suscitavit Lazarum, quanto magis ramis bonorum operum honorare debes eum qui a morte animæ suscitavit teipsum? Item si sic pro uno suscitato cum ramis obviam itur Christo, quantis ergo ramis bonorum operum necesse est ei obviam eatur, qui totum mundum in die novissimo suscitabit? Sed certe ramus boni operis acceptus Christo non est, nisi per Spiritum sanctum, sicut figuratur ⁹, ubi ramus per

¹ Luc., x, 18. — ² Joan., xv, 27. — ³ Joan., i, 7. — ⁴ Jos., xxii, 34. — ⁵ Bern., in Cant., serm. lxxxii,

n. 6. — ⁶ Matth., xxvii, 13. — ⁷ Malac., iii, 5. — ⁸ Joan., xii, 17. — ⁹ Gen., viii, 11. — (a) Cæc. edit. circumducit.

columbam, id est per Spiritum sanctum, offertur Noe, id est Christo.

De tertio ¹ : « Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua : et qui vidit, testimonium perhibuit, » etc. Ecce testimonium divinæ pietatis. Quæ enim major est pietas, quam mori pro impiis, et pia morte impios facere pios? Hujus autem pietatis, quæ est in justificatione impiorum, testimonium magnum est ² : « Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum recipere per nomen ejus omnes (a) qui credunt in illum : » qui credunt certe fide viva, non mortua ³ : « Fides sine operibus mortua est. » Nota : magna pietas esset, si uni ignosceres, qui domum tuam cremasset, filium tuum occidisset, sponsam tuam violasset. Hoc totum peccator spiritualiter fecit contra Deum. Ipse enim est Filius Dei, cor ejus domus Dei, anima ejus sponsa Dei; et tamen non unus de hujusmodi accipit remissionem, sed *omnes qui credunt in illum*.

De quarto ⁴ : « Deus Israel, cui tu testimonium dedisti quod ulciscatur de inimicis suis, » etc. Hanc ultionem et temporaliter, et æternaliter exercet Deus, non solum in testimonium suæ justitiæ, sed etiam in testimonium humanæ malitiæ, sicut in Sodomitis apparet ⁵ : « Quibus in testimonium nequitiae fumigabunda constat deserta terra, » etc.

SERMO II ⁶.

Vos testimonium perhibetis ⁷, etc. Diets hodie quomodo homo testimonium perhibeat Deo, nunc dicendum, quomodo sibi et proximo.

Perhibet ergo homo sibi testimonium per propriam conscientiam, et hoc tripliciter : apud Deum, in cognitione; apud sacerdotem, in confessione; apud omnes, in extrema examinatione.

De primo ⁸ : « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientie nostræ. » Sicut facies pulchra et ornata est gloria sponsæ apud sponsum, sic facies rugata est ignominia ⁹ : « Rugæ meæ testimonium contra me. » Rugæ animæ christianæ sunt duplices. Ruga prima est bonum ostendere, et malum intendere; bonum exterius ostendere, et malum et hypocrisim interius habere. Omnis, qui sic rugatur, turpis est, quia mendax est. Ambrosius ¹⁰ : « Mendacium est Christianum se dicere, et opera Christi non facere. » Secunda ruga est se confiteri quod non est, et maxime in illis, qui dati sunt in exemplum; unde Ambrosius ¹¹ : « Mendacium est se sacerdotem, vel clericum confiteri, et contraria huic ordini operari. » Sed hujusmodi rugas si in facie conscientie habueris, Christi sponsa non eris.

De secundo ¹² : « Ostende te sacerdoti, et offer munus tuum quod præcepit Moyses in testimonium illis. » Hoc munus est confessio, quæ est testimonium mundationis tuæ a lepra peccatorum. Hoc autem præceptum divinum, ut ostendat se sacerdoti, nihil aliud significat, nisi quod in confessione sua omnia, quæ commisit, plenarie pandat, habendo interius contritionem, pandendo exterius per oris apertionem, satisfaciendo posterius per debitam operationem; et tunc poterit dicere cum Psalmo ¹³ : « Mirabilia testimonia tua, » Domine, quæ hodie fecisti in me : « ideo scrutata est anima mea. »

De tertio ¹⁴ : « Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium (b), in die, cum judicabit Deus occulta hominum. » O quam gravissimum testimonium, quando scriptura propriæ conscientie convincet hominem coram omnibus! ¹⁵ : « Judicium sedit, et libri aperti

— ⁸ II Cor., I, 12. — ⁹ Job, XVI, 9. — ¹⁰ Ambros. — ¹¹ Id. — ¹² Matth., VIII, 4. — ¹³ Psal., CXVIII, 120. — ¹⁴ Rom., II, 15-16. — ¹⁵ Dan., VII, 10.

¹ Joan., XIV, 34-35. — ² Act., X, 43. — ³ Jac., II, 21. — ⁴ Judith, XIII, 27. — ⁵ Sap., X, 7. — ⁶ Vel potius altera pars Sermonis præced. — ⁷ Joan., XV, 27.

(a) *Cæt. edit. non habent omnes.* — (b) *Vulg. cogitationibus accusantibus... defendentibus.*

sunt, » id est, conscientiæ manifestæ erunt. Quid ergo de illis, qui non solum scripturam conscientiæ, sed etiam sapientiæ in corde contra seipsos tenent, sicut litterati, et alii, qui multa bona sciunt, et mala faciunt? Tales quanto meliorem habent sapientiam, tanto magis habent suæ damnationis testimonium. Unde ¹: « Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei nostri, ut sit tibi contra te testimonium. » Liber in arca, est sapientia in corde.

Perhibet homo quoque testimonium proximo triplex, videlicet causale, morale, finale. Primum perhibetur in causis quotidianis; secundum, bonæ opinionis; tertium iudicii finalis.

Primum in causis quotidianis; sed, heu! sæpe falsum ²: « Jaculum et gladius, et sagitta acuta, homo qui loquitur contra hominem falsum testimonium. » *Jaculum*, contra proximum; *gladius*, contra seipsum; *sagitta*, contra Deum. In hoc testimonio exigitur, non solum testimonii veritas, sed etiam testimonii pluralitas ³: « Non stabit testis unus contra aliquem. » Sed valde timendum est, quod Isidorus ait ⁴: « Ille apud Deum condemnatur, qui adversus innocentem falsum testimonium vel dicit, vel dicentibus credit. Nam non solum reus est, qui falsum de aliquo profert, sed is, qui cito aurem dat. »

Secundum est testimonium bonæ opinionis ⁵: « Considerate ergo ex vobis viros boni testimonii, » etc. Ecce quale testimonium habere debent, qui ad officia sumendi sunt. Si ergo prælatus, vel iudicem, si consulem, si uxorem, si maritum, si dominum tuum, si ancillam, si socium assumis, si boni testimonii sint attendas. Quidam enim valde turpe habent testimonium, sicut sunt mendaces, latrones, raptores, etc., de quibus ⁶: « Cretenses mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri: testimonium hoc verum est. »

Attendenda autem est non solum testimonii veritas, sed etiam testium honestas. Honestus testis fuit, qui dixit ⁷: « Testimonium perhibeo vobis, quod, si fieri posset, oculos eruissetis et dedissetis mihi. » Nam histriorum, et infamium, et persecutorum justitiæ et veritatis, parum curandum est testimonium. Sæpe enim laudant vituperandos, et vituperant laudandos ⁸: « Qui derelinquunt legem, laudant impium, » etc.

Tertium testimonium perhibebitur in iudicio finali angelis, et sanctis ⁹: « Instauras testes tuos contra me, » etc. Unde ¹⁰: « Et omnes angeli ejus. » Glossa: « Testes humanorum actuum, sub quorum custodia bene, vel male egerunt. » Non solum autem angelorum, sed et totius orbis terrarum testimonio confundentur reprobi ¹¹: « Pugnabit enim cum eo orbis terrarum contra insensatos. » In illo die nihil est quod respondeamus, ubi cælum et terra, aqua et sol, et luna, et dies, et noctes, et totus mundus stabit adversum nos in testimonium peccatorum nostrorum; et si omnia taceant, tamen ipsæ cogitationes, et opera ipsa stabunt specialiter ante oculos nostros, accusantes nos ante Deum. Non solum autem totius orbis, sed orbem iudicantis testimonio convincentur ¹²: « Ego testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris. »

SERMO III.

Ab initio mecum estis ¹³, etc. Christus olim dixit apostolis, qui secum erant corporaliter; sed certe bene quibus adhuc quotidie dicere potest: *Mecum estis*: mecum utique cohabitando spiritualiter, perseverando finaliter, congregando æternaliter.

Circa primum dic, quod beati sunt conversantes cum Domino, quibus potest dicere: *Mecum estis*. Mecum estis, inquam, convivando interius per devotionem, fructi-

¹ Deut., xxxi, 26. — ² Prov., xxv, 18. — ³ Deut., xix, 15. — ⁴ Isid., Sent. lib. III, c. LV. — ⁵ Act., vi, 3. — ⁶ Tit., i, 12-13. — ⁷ Gal., iv, 15. — ⁸ Prov.,

xxviii, 4. — ⁹ Job, x, 17. — ¹⁰ Matth., xxv, 31. — ¹¹ Sap., v, 21. — ¹² Malac., iii, 5. — ¹³ Joan., xv, 27.

(a) Cat. edit. relinquant.

fificando exterius per operationem, expectando superius per retributionem.

De primo ¹: « Ecce sto ad ostium, et pulso, » etc., usque: « cœnabo cum ipso, et ipse mecum. » Hæc est spiritualis cœna refectionis, in qua, sicut dicitur ², « Maria unxit » Jesum unguento devotionis. Cœnatur cum Deo non solum spiritualiter, sed etiam sacramentaliter. Sed etiam mali quandoque sunt in cœna, et tales similes sunt Judæ ³: « Ecce manus tradentis me mecum est in mensa. » Augustinus ⁴: « Quam multos Judas implet Satanas, indigne sumentes buccellam ad iudicium suum! »

De secundo, Psalmus ⁵: « Pulchritudo agri mecum, » etc. Pulcher ager est justus quilibet, qui fructum honorum operum affert. Ô Domine Deus, quanto labore colitur ager pro fructu temporali unius anni! quanto plus ager cordis pro fructu in æternum manente! ⁶ « Fructus vester manebit (a), » etc. E contrario ager diaboli, qui spinas et tribulos vitiorum profert, pulcher non est ⁷: « Per agrum hominis pigri transivi, » etc. Talis ergo non est tecum, Domine, sed tecum, diabole.

De tertio ⁸: « Nonne ex denario convenisti mecum? » Qui denarium æternæ mercedis affectat, in vinea Ecclesiæ, vel conscientiæ, laborare et botros meritorum colligere non negligat ⁹: « Qui non colligit mecum, dispergit (b), » etc.

Circa secundum, quod Dominus fateatur electos perseverare secum in conversione pœnitentiâ, in tribulatione temporali, in dilectione finali.

De primo ¹⁰: « Misereor turbæ, quia jam triduo perseverant mecum: » triduo, scilicet contritionis, confessionis, satisfactionis. Hoc triduo perseverare debet cum Domino, qui recedere vult a diabolo. Unde cum filii

Israel recedere vellent a Pharaone, qui diabolus significat, dixerunt ¹¹: « Ibumus viam trium dierum in solitudine. » Per hoc triduum Christus in corde pœnitentis, tanquam in sepulchro, quiescit.

De secundo ¹²: « Vos estis, qui permanistis mecum in tentationibus meis (c), » etc. Nota quod dicit: *Meis*: omnes enim tribulationes, quas fideles Christi sustinent, Christi sunt, Christo inferuntur. Unde qui viduas, vel pupillos, vel pauperes hic opprimunt, Christum persequuntur. Unde et Paulo non dicitur: Quid fideles meos, sed ¹³: « Quid me persequeris? » ¹⁴ « Cum ipso sum (d) in tribulatione, » etc. Require supra in sermone: *Cras egrediemini* ¹⁵, etc. Sed certe, si vis cum Christo perseverare in tentatione, debes valde vigilans esse in circumspectione, ne improperet tibi ¹⁶: « Non potestis una hora vigilare mecum? »

De tertio ¹⁷: « Fili, tu semper mecum es, » etc. Glossa ¹⁸: « In æterna beatitudine, et omnium singula, et singulorum omnia nostra sunt: superiora ad videndum, nostra; æqualia ad convivendum, nostra: inferiora ad dominandum, nostra, » etc. ¹⁹ « Omnia vestra, » etc. Si ergo omnia, ergo et angeli, et mater Christi: ergo civitas beata. Certe sic ²⁰: « Qui etiam proprio filio non pepercit, » etc., usque: « omnia nobis donavit? » Ecce enim Deus donavit homini omnia; et homo pro Deo non dat de omnibus modica, sicut patet in divite illo ²¹. Qui ergo omnia bona paterna habere voluerit, semper per amorem cum patre sit.

Circa tertium nota, quod fatetur Dominus electos fore secum in gloria celeriter, familiariter, honorabiliter. Dicat ergo Dominus: Mecum erunt electi celeriter ²²: « Hodie mecum eris in paradiso. » Ecce latro iste tarde ad conversionem, celeriter venit ad requiem.

¹ Apoc., III, 20. — ² Joan., XII, 3. — ³ Luc., XXII, 21. — ⁴ Aug., Enarr. in Psal. CXLII, n. 16. — ⁵ Psal. XLIX, 11. — ⁶ Joan., XV, 16. — ⁷ Prov., XXIV, 30. — ⁸ Matth., XX, 13. — ⁹ Luc., XI, 23. — ¹⁰ Matth., XV, 32. — ¹¹ Exod., III, 18. — ¹² Luc., XXII, 28. — ¹³ Act., IX, 4. — ¹⁴ Psal. XC, 15. — ¹⁵ Vid. sup., in Vig. Nativ. Dom., serm. IV, pag. 43, col. 2. — ¹⁶ Matth., XXVI, 46.

— ¹⁷ Luc., XV, 31. — ¹⁸ Gloss. ex Bed. in Luc., XV, c. LXIII. — ¹⁹ I Cor., III, 21. — ²⁰ Rom., VIII, 32. — ²¹ Luc., XVI, 21. — ²² Luc., XXIII, 43.

(a) Vulg. maneat. — (b) Cæt. edit. disperdit. — (c) Cæt. edit. non habent meis. — (d) Cæt. edit. certe si.

Augustinus ¹ : « De facinore ad iudicium, de iudicio in lignum (a), de ligno in paradisum venit. » Item familiariter ² : « Pater, quos dedisti mihi, volo ut, ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam. » Item honorabiliter ³ : « Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, » etc. Sed certe tunc cum Domino in omnibus prædictis non erit, qui modo a sordibus vitiorum lotus non fuerit ⁴ : « Si non laveris te, non habebis partem mecum. »

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

SERMO PRIMUS.

Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis ⁵. Vere nobilibus signis nobilis ille Spiritus sanctus nobiliter nos signavit. Et ideo nostrum signatorem nolimus contristare, id est, a nobis per mala opera fugare, sicut dicit Glossa. Signat autem Spiritus sanctus electos signo veritatis credendorum, signo honestatis morum, signo paupertatis terrenorum, signo charitatis Dei et proximorum.

De primo signo, quod est fidei, dicitur ⁶ : « Credentes signati estis Spiritu promissionis sancto. » Hoc signo discernuntur fideles ab infidelibus post baptismum, sicut significatum est ⁷, ubi transgressis filiis Israel Jordanem, præcepit duodecim viris quos elegerat de filiis Israel, singulos de singulis tribubus portare de Jordane sicco duodecim lapides in humeris suis, « ut sint, inquit, signum inter vos. » Duodecim lapides duodecim articulos fidei significant, qui in Symbolo continentur, qui duodecim dicuntur secundum traditionem duodecim apostolorum. Unde duodecim viri duodecim apostolos significant, qui articulos fidei per mundum prædicando portabant. Jordanis autem, in quo ipse Salvator baptizatus est, baptismum significat, in cuius transitu hu-

jusmodi signum et discretionem fideles accipiunt. Super hos duodecim Ecclesia fundatur, qui bene in humeris portari jubentur. In humeris enim onera gravia quæque portamus. Quicumque ergo onera laborum vel gravamina adversorum per fidem, seu per fidei articulos tolerant, ipsi quasi in humeris lapides Dei portant. Et sicut in humeris levius feruntur gravia, sic utique omnia gravamina feremus leviter, si fidem vivam habemus. Bernardus ⁸ : « Quid est quod non operamur etiam per medios enses, si oporteat declinare tantam miseriam et ad tantam accelerare gloriam? Aaron summus sacerdos duodecim lapides, scilicet gemmas in pectore portabat, sicut legitur ⁹. Apparet ergo quod duodecim lapides, hoc est duodecim fidei articulos, in pectore et in humeris, id est in corde et opere, portare debemus : in pectore quidem, ut corde recte sentiamus; in humeris autem, ut in laboribus et gravaminibus fidem ostendamus. Unde ¹⁰ : « Subjice humerum tuum, et porta illam, » scilicet sapientiam quæ est per fidem veram. Sed, heu! humeros proprios multi subtrahunt, et humeris alienis multa imponunt ¹¹ : « Alligant onera gravia, » etc.

Signantur etiam electi signo religiositatis, vel honestatis morum. Hoc signo mali a bonis designantur per opera ¹² : « In manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua. » In manu utique, id est in opere bono, apparet hoc signum, ut singuli operantes, et opera videntes, cognoscant opera sua, utrum scilicet a Deo, an a diabolo, utrum carnalia, an spiritualia sint. Glossa : « Fidei nostræ veritatem in vitæ nostræ consideratione oportet cognoscere. » Et quia « fides sine operibus mortua est ¹³, » ideo hoc signum semper debet esse annexum signo fidei. ¹⁴ « Signa eos, qui credunt (b), hæc sequentur : in nomine meo, » etc. Dæmonia sunt peccata, quæ de corde ejicere debemus.

¹ Aug., Enarr. in Psal. LV, n. 12. — ² Joan., XVII, 24. — ³ Apoc., III, 21. — ⁴ Joan., XIII, 8. — ⁵ Ephes., IV, 30. — ⁶ Ephes., I, 13. — ⁷ Jos., IV, 6. — ⁸ Bern. — ⁹ Erod., XXVIII, 30. — ¹⁰ Eccli., VI, 26. — ¹¹ Matth.,

XXIII, 4. — ¹² Job, XXXVII, 7. — ¹³ Jac., II, 21. — ¹⁴ Marc., XVI, 17.

(a) Cal. edit. ligno. — (b) Leg. crediderint.

Unde de Magdalena dejecta sunt septem dæmonia, id est, secundum Gregorium ¹, universa vitia atque peccata. «Linguis novis loquentur ².» Linguae novæ sunt verba ædificatoria et sancta. Linguae enim antiquæ fuerunt verba nociva et prava; sed ³: «Recedant vetera de ore vestro,» etc. Serpentes sunt motus, sive concupiscentiæ sensualitatis. Væ ei, qui serpenti consentit, quia paradisum perdit, sicut Eva et Adam. Serpentes ergo auferimus (a), quando concupiscentias restringimus. «Et si mortiferum quid biberint ⁴,» etc. Mortiferum est quodlibet scandalum, quælibet injuria, quæ non solum in facto, sed etiam dicto nobis inferitur. Uade de lingua dicitur ⁵: «Est enim inquietum malum, plena mortifero veneno.» Si ergo, accepta injuria, non inflammamur per superbiam, non suffocamur per invidiam, non disrumpimur per iracundiam, tunc mortiferum bibimus, et non nocet nobis. Bibe pro proximo, quod pro te bibit Christus. ⁶ «Potestis bibere,» etc. Gregorius ⁶: «Quidquid afflictionis terrena propinat adversitas, leve erit, si inspicimus quid bibit in crucis patibulo, qui nos invitat ad cælum.» Manus impositionis ⁷ sunt adjutoria charitatis, et remedia impietatis, ex quibus sæpe convalescunt, qui vel spiritualiter, vel corporaliter, ægri sunt. Vides ergo quod dæmonia sunt vitia voluntatis, linguae novæ sunt verba utilitatis, serpentes sunt concupiscentiæ sensualitatis, mortifera sunt injuria (b) adversitatis, manuum impositiones sunt adjuvatio charitatis.

SERMO II 7.

Nolite contristare Spiritum sanctum ⁸, etc. Nunc de tertio et quarto Spiritus sancti signo videamus. De tertio ⁹: «Ambulavit servus meus Isaias nudus et discalceatus: trium annorum signum et portentum erit.» Considerandum autem quod quidam nudi sunt,

et discalceati; quidam neque nudi, neque discalceati; quidam nudi, et non discalceati; quidam vero discalceati, sed non nudi. Nudus et discalceatus est, qui caret temporalium tegumento et affectione. Nudus quidem est qui caret rerum possessione; discalceatus autem, qui caret cupiditatis affectione. «Pedes enim ¹⁰ sunt animæ affectus.» Neque nudi, neque discalceati, sunt divites mundi, qui neque possessione rerum, neque cupiditatis affectu exuti sunt, et rebus abundant, et adhuc cupiditatibus inhiant. Nudi autem et non discalceati, sunt pauperes mundi, qui etiam si res non habent, cupiditate tamen habendi non carent. Discalceati vero sunt, et non nudi, divites boni, qui secundum Psalmistam ¹¹, cum eis divitiæ affluunt, ipsi (c) tamen per avaritiam cor non apponunt. Amicti quidam (d) sunt temporalibus; sed discalceati sunt cupiditatibus. Nudi, inquam, et discalceati sunt, qui et rebus et cupiditatibus exuti sunt, qui nec proprietatem in aliqua re, nec cupiditatem in corde habent. Ecce signum trium annorum. Prima perfectio renuntiationis temporalium est relinquere superflua, sed non necessaria, secundum Evangelium ¹²: «Habentes duas tunicas,» scilicet necessariam et superfluam, «dent» superfluam non «habenti.» Qui ad hanc perfectionem perveniunt, quasi unius anni signum habent. Secunda vero perfectio paupertatis est relinquere non solum superflua, sed etiam necessaria: relinquere, inquam, in speciali, sed non in communi, sicut multi religiosi, qui licet mansiones, et prædia, et multa bona habeant communiter, tamen non habent singulariter: et isti duorum annorum signum habent. Tertia perfectio, vel consummatio paupertatis est relinquere omnia superflua et necessaria, relinquere etiam in communi et (e) in speciali. Ista perfectio, fratres charissimi, ad nos pertinet secundum regulam: unde nobis est datum signum

Perfectio
paupertatis
triplex.

Paupertatis
perfectio
secunda.

Paupertatis
perfectio
tertia.

¹ Greg. — ² Marc., xvi, 17. — ³ I Reg., ii, 3. — ⁴ Jac., iii, 8. — ⁵ Matth., xx, 22. — ⁶ Greg. — ⁷ Vel potius altera pars præced. — ⁸ Ephes., iv, 30. —

⁹ Isa., xx, 3. — ¹⁰ Aug., Enarr. in Psal. xciv, n. 2. — ¹¹ Psal. lxi, 11. — ¹² Luc., iii, 11, quoad sensum. (a) Cæl. edit. ferimus. — (b) Forte leg. injuriæ. — (c) Item ipsis. — (d) quidem. — (e) Leg. ut.

trium annorum. Et certe usque ad tempora beati Francisci fere omnes in tertio signo defecerunt. Sed ecce servus Domini Franciscus ambulavit nudus et discalceatus, ut nobis trium annorum, hoc est, extremæ perfectionis paupertatis signum esset. Hoc utique paupertatis signum ipse Salvator in sua nativitate ostendit¹: « Hoc vobis signum: invenietis infantem, » etc.

De quarto signo accipi potest illud Psalmi²: « Fac mecum signum in bonum (a), ut videant qui me oderunt, et confundantur. » Qui nos oderunt, dæmones sunt, perversi homines. Quod autem est signum quo maxime odientes alios confundantur? Utique charitas est. Nam si tu benedicis ei, qui tibi maledicit, utique confunditur: si pro signis sui rancoris accipit signa tui amoris, utique confunditur. Hoc est signum salutis Raab, quod in funiculo coccineo in fenestra ligato accepit, sicut dicitur³. Quid in funiculo coccineo, qui ignei coloris est, nisi charitas significatur? Nam charitas ignea et ardens debet esse, et sicut funiculo naves ad portum trahuntur, ita charitatis vinculo trahuntur ad portum salutis æternæ⁴: « In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. » Pertrahemur utique ad portum, si funiculus amoris fortis fuerit⁵: « Funiculus triplex difficile rumpitur. » Triplex debet esse amoris funiculus, quia et Deum, et amicum, et inimicum debemus diligere. Gregorius⁶: « Una (b) et summa est probatio (c) charitatis, si et ipse diligitur, qui adversatur. » Hinc est quod Veritas et crucis patibulum sustinet, et tamen ipsis suis persecutoribus affectionem dilectionis impendit, dicens⁷: « Pater, ignosce (d) illis, » etc. Si non diligis inimicum, non habes hunc triplicem funiculum. Si ergo Jericho, id est mundo, damnatione æterna pereunte, id fenestra cordis

funiculum charitatis non habueris, tu similiter cum mundo peribis.

Ecce, charissimi, quibus virtutum signis nos signavit Spiritus sanctus. Si autem signa virtutum signa Spiritus sancti habetis, tunc nequaquam signo humilitatis caretis. Gregorius⁸: « Mens quæ divino Spiritu impletur, habet evidentissime signa sua, virtutes scilicet, humilitatem et charitatem (e), quæ si utraque una mente perfecte convenierint, liquet quod de præsentia Spiritus sancti testimonium ferunt. »

SERMO III.

*Nolite contristare Spiritum sanctum*⁹, etc. Contra prædicta quatuor signa Spiritus sancti significantur perversi quatuor signis spiritus maligni: signis utique infidelitatis, carnalitatis, cupiditatis, dolositatis. *Nolite ergo contristare Spiritum Dei, in quo signati estis*, ut pro signo Spiritus sancti accipiatis signum spiritus maligni; pro signo fidelitatis, signum infidelitatis, de quo¹⁰: « Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ. » Anima prostituitur, quando dolis vel erroribus corrumpitur: hoc autem signum ad omne caput viæ ponitur, quando error talis publicatur.

Item noli contristare Spiritum sanctum Dei accipiendo pro signo religiositatis signum carnalitatis, vel levitatis, de quo¹¹: « Nemo vestrum exors sit luxuriæ nostræ, ubique relinquamus signa lætitiæ nostræ. » Hen! quam miserabile verbum carnalitatis! *Ubique*, dicunt, *relinquamus signa*: quasi signa relinquunt, quocumque venerint. Tantum hoc utinam ab amicis, et non etiam inimicis perciperetur, ubique (f) in mundo, sed nunquam in cælo. Hieronymus¹²: « Difficile est, imo impossibile, ut præsentibus quis et futuris fruatur bonis: ut hic ventrem, ibi mentem impleat: ut de deliciis trauseat ad delicias: ut in utroque sæculo

¹ Luc., II, 12. — ² Psal. LXXXV, 47. — ³ Jos., II, 21. — ⁴ Ose., XI, 4. — ⁵ Eccle., IV, 12. — ⁶ Gregor., in *Evang.*, hom. XXVIII, n. 2. — ⁷ Luc., XXIII, 34. — ⁸ Greg., *Dialog.*, lib. I, c. I, pag. 155. — ⁹ Ephes., IV, 30. — ¹⁰ Ezech., XVI, 25. — ¹¹ Sap., II, 9. — ¹² Hieron., in *Psal.*, LXXXIII.

(a) *Cæt. edict. bono.* — (b) *Item luna.* — (c) *Item præparatio.* — (d) *Vulg. dimitte.* — (e) *Apud Greg. non legitur et charitatem, sed tantum virtutem scilicet et humilitatem, δύναιμις καὶ ταπεινοφροσύνη.* — (f) *Leg. utique.*

primus sit : ut et in cœlo et in terra appareat gloriosus. » Item noli contristare Spiritum sanctum Dei, accipiendo pro signo paupertatis signum cupiditatis, de quo ¹ : « Posuit signum Dominus in Cain, » hoc est signum avaritiæ, quod in cupida possessione vel acquisitione temporalium consistit. Cain *possessio* vel *acquisitio* interpretatur. Væ habentibus hoc signum! ² « Væ eis, qui in viam Cain abierunt. » Item *nolite* contravenire *Spiritui sancto Dei*, accipiendo pro signo charitatis signum dolositatis, de quo ³ : « Qui tradidit eum, dedit eis signum dicens, » etc. Heu! heu! quot adhuc sunt Judæ imitatores, qui in facie unguunt, a tergo pungunt, ore simulant amorem, corde tenent rancorem. Contra quos dicitur ⁴ : « Dilectio sine simulatione. » Hoc signo contristatur maxime Spiritus sanctus. Contra hæc signa quatuor spiritus maligni, signari debemus supradictis quatuor signis Spiritus sancti, quæ bene sunt significata, ubi dicitur ⁵ : « Signum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim, et in utero habens, et clamavit, ut pariat. » Bene magnum dicitur hoc signum, quod quatuor signa comprehendit. Mulier ergo ista sic signata Ecclesiam, vel perfectam animam significat. Signum autem credulitatis in corona stellarum duodecim significatur; corona enim stellarum est catholicæ Ecclesiæ fides, quam synagoga perdidit ⁶ : « Cecidit corona capitis nostri. » Duodecim stellæ duodecim articuli fidei sunt, qui supra per duodecim lapides signati sunt, qui tanquam stellæ lucidæ Ecclesiam illuminant. Signum autem claritatis morum in amictu solari significatur. Quid enim est sancta conversatio, nisi luminosus amictus? ⁷ « Vidi unum angelum stantem in sole. » Angelus in sole est spiritualis homo in lucida conversatione ⁸ : « Sic luceat lux vestra, » etc. Signum vero paupertatis

in luna sub pedibus significatur : luna enim, quæ crescit et decrescit, (a) eodem sistere nescit, temporalium instabilitatem significat; et sicut a luna intemperies, et turbatio aeris, tonitruum et grandinis generatio ducitur, ita et turbationis totius mundi causa sunt temporalia. Multi enim justitiam et pacem bene servant, donec temporalibus eorum pareatur, vel temporalia non auferantur. Psalmus ⁹ : « Orietur in diebus (Domini), » etc. Hæc luna est sub pedibus per contemptum omnium temporalium, quando conculcando tanquam vilia reputantur. Psalmista ¹⁰ : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus, » etc. Signum quoque charitatis cordis per hoc, quod dicitur *habens in utero*, significatur : quid enim est quod in utero cordis habendum est, quod ad pariendum cruciat, nisi amor? Nihil enim ad partum boni operis sic hominem urget, sicut amor Dei in cordis utero conceptus. Quia foetus ergo amoris non potest esse nisi in utero cordis, tanquam in utero virginali, ideo bene de hoc signo dicitur ¹¹ : « Dabit Dominus ipse vobis signum, » etc. Sic ergo, charissimi, per Spiritum sanctum significantur electi. Leo Papa ¹² : « Consignavit animas nostras proprio Spiritu, et membra corporis nostri suo sanguine pretioso. » *Nolite contristare Spiritum sanctum*, etc.

SERMO IV.

Ascendit ignis de petra ¹³. « Petra autem erat Christus ¹⁴. » Ignis ergo de petra ascendit, quando Spiritus sanctus in igne a Christo missus fuit discipulis : et bene dicitur ascendere, quia nos facit ascendere. Considerandum autem quod de petra aquam, oleum, ignem, mel legimus ministrata : quibus Spiritus sanctus figuratur, qui, per effectum gratiæ suæ, aqua est incipientibus, oleum proficientibus, ignis consummantibus, mel regnantibus. Aqua utique est gratia Spiritus

¹ Gen., IV, 13. — ² Jud., 11. — ³ Matth., XXVI, 48. — ⁴ Rom., XII, 9. — ⁵ Apoc., XII, 1-2. — ⁶ Thren., V, 16. — ⁷ Apoc., XIX, 17. — ⁸ Matth., V, 16. — ⁹ Psal.

LXXI, 7. — ¹⁰ Psal., VIII, 8. — ¹¹ Isa., VII, 14. — ¹² Leo. — ¹³ Judic., VI, 21. — ¹⁴ I Cor., X, 4.

(a) *Suppl.* et in statu.

sancti in justificatione, oleum in devotione, ignis in dilectione, mel in fruitione.

De primo Psalmus ¹: « Percussit petram, et fluxerunt aquæ. » Aquæ utique gratiæ Spiritus sancti ²: « Qui credit in me (sicut dicit Scriptura), flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu sancto, » etc. Aqua ista abluit incipientes a peccatis. Unde de Magdalena Gregorius ait ³: « Quia turpitudinis suæ maculas aspexit, lavanda ad fontem misericordiæ cucurrit. » Hujus enim fontis aqua per intrinsecus baptismum mundatur homo in anima ⁴: « Effundam super vos aquam mundam, » etc. Noli ergo in stercus carnis projicere animam tuam pretiosa aqua mundatam, etc. Sicut autem in deserto petra bis virga percussa aquam dedit ⁵, sic petra nostra dilecta, scilicet virga crucis, quæ bis percutitur, dum ligno crucis affigitur (a), ut sufficienter nobis aquæ Spiritus sanctus afflueret: in cujus figura aqua de Christi latere exivit ⁶.

De secundo ⁷: « Petra fundebat mihi rivos olei: » hoc est oleum Spiritus sancti, oleum gratiæ, quo in devotione unguuntur proficientium animæ. Psalmus ⁸: « Unxit te Deus, » etc. Rivi hujus olei sunt illi, de quibus ⁹: « Divisiones gratiarum sunt, » etc. Nota quod ex quo mollia semina ad dandum oleum tam fortiter comprimuntur, quanto magis petra ergo nostra fortissime compressa est in cruce, ut ex eo liquaretur oleum in nostram mentem? Hoc oleum non solum crucis tormento exprimitur, sed etiam crucis beneficio conservatur. Unde mulieri colligenti duo ligna dicit Elias ¹⁰: « Hydria farinæ non deficiet, et lecythus olei non minuetur, » etc. Mulier Ecclesiam, duo ligna crucem Christi, farina Eucharistiam, oleum gratiam significat. Ecclesiæ ergo colligenti fidem et devotionem, ligna, crucis Christi, nec corpus Domini, neque oleum gratiæ Spiritus sancti unquam deficiet.

De tertio dicitur hic: *Ascendit ignis de petra*: hic est ignis Spiritus sancti, qui hoc die super apostolos venit in linguis igneis, sicut legitur ¹¹. Hic ignis de petra Christo datur hominibus, quando non solum incipientes per aquam Spiritus lavantur a contagione peccatorum, non solum proficientes unguuntur oleo Spiritus sancti in devotione operum piorum, sed et perfecti inflammantur in amore æternorum: longe est ab isto igne, qui adhuc durus est in corde. Augustinus ¹²: « Nihil enim tam durum est atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. » Quid mirum, si hæc petra Christus dat ignem, cum sæpe videmus ferro vel chalybe ignem de petra excuti? Sic nimirum petra nostra Christus ferro lanceæ in latere, ferro clavorum in pedibus ac manibus percussus est, ut nobis ignem ministret. Sicut autem ignis appositione lignorum augetur et conservatur ne deficiat, sic nos ardorem ignis Spiritus sancti lignis crucis Christi per devotam et jugem recordationem conservare debemus, et nutrire ¹³: « Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies. » Altare cor, sacerdos spiritum, ligna crucem significant.

De quarto, Psalmus ¹⁴: « De petra melle saturavit eos, » hoc est mel dulcedinis Spiritus sancti, quem hæreditabunt electi in cælo ¹⁵: « Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas, » etc. Bene dicit: *super mel*. Si enim totius mellis quod in toto mundo, fuit, est et erit, dulcedo in ore, sive in gutture, in gustu tuo esset, o quanta esset! Et tamen super hanc dulcedinem inæstimabiliter est dulcedo æterna. Sed ad ipsam non poterimus venire, nisi per virgam crucis, per quam etiam nunc viri perfecti paululum hujus mellis dulcedinem prægustant, sicut significatum est ¹⁶, ubi legitur quod Jonathas, « intincta virga, gustavit de melle, et illuminati sunt oculi ejus. »

¹ Psal. LXXVII, 20. — ² Joan., VI, 28-39. — ³ Greg., in Evang., hom. XXXIII, n. 1. — ⁴ Ezech., XXXVI, 25. — ⁵ Num., XX, 11. — ⁶ Joan., XIX, 34. — ⁷ Job, XXIX, 6. — ⁸ Psal. XLV, 8. — ⁹ I Cor., XII, 1. — ¹⁰ III Reg.,

XVII, 14. — ¹¹ Act., II, 3. — ¹² Aug., de Morib. Eccl. cath., c. XXII, n. 11. — ¹³ Levit., VI, 12. — ¹⁴ Psal. LXXX, 17. — ¹⁵ Eccli., XXIV, 27. — ¹⁶ I Reg., XIV, 27.

(a) *Ort. edit.* affligitur.

SERMO V.

Factus est repente de cælo sonus ¹, etc., usque : *seditque supra singulos eorum*, etc. In his verbis Spiritus sanctus ostenditur repentinus, sonorus, validus, repletivus, linguosus, igneus, quietus. Est autem repentinus in festina conversione, sonorus in laude et oratione, validus in temporalium renuntiatione, repletivus in bona opinione, linguosus in facunda prædicatione, igneus in ardenti dilectione, quietus in sancta contemplatione.

Repentinus utique in conversione; unde dicitur : *Factus est repente*, etc. Ambrosius ² : « Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. » ³ « Ne tardes converti ad Dominum. » Suscipiamus ergo nunc repentinum spiritum ad conversionem, ne accipiamus repentinum interitum ad damnationem ⁴ : « Cum enim dixerint : Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. »

Secundo, sonorus in laude et oratione; unde dicitur : *De cælo sonus*. ⁵ « Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tua decora. » Facies animæ conscientia est; Psalmus ⁶ : « Arguam te, » etc. Tua ergo vox, in orando et laudando, dulcis est in auribus Dei, si facies decora est. Bene autem *vox tua*, non vox vicarii. Bene etiam ait : *in auribus meis*, non in auribus hominum ad vanam gloriam. Debet quoque non solum in auribus Dei, sed etiam angelorum, vox tua sonare ⁷ : « Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam. » Amici sunt angeli.

Tertio validus est Spiritus sanctus, et vehemens in temporalium renuntiatione; unde sequitur : *Tanquam advenientis spiritus vehementis*. Psalmus ⁸ : « In spiritu vehementi conteres naves Tharsis, » id est, vehicula temporalium, quibus sæculares, in

maribus mundi, tanquam navibus innituntur ⁹ : « Transierunt omnia tanquam umbra, et tanquam nuntius præcurrens, et tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam. » Nota quod dicit : *Transierunt*. Augustinus ¹⁰ : « Nonne omnia fumus et ventus? nonne omnia transeunt, et currunt? Væ his qui adhæserunt transeuntibus, quoniam simul transeunt. » Tharsis *exploratio gaudii* interpretatur. Stulti enim gaudium in temporalibus quærunt ¹¹ : « Venite, fruamur bonis quæ sunt, » etc. Naves ergo Tharsis in spiritu vehementi conteruntur, quando temporalia instinctu Spiritus sancti contemnantur.

Quarto repletivus est Spiritus sanctus in bona opinione; unde additur : *Replevit totam domum*. Cum enim postea dicatur : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto*, illa repletio ad virtutes et dona, istius vero domus repletio ad bonam famam pertinet ¹² : « Domus impleta (b) est ex odore unguenti. » In odore bona opinio significatur ¹³ : « Christi bonus odor sumus (c). » Domus ergo impletur, quando claustrum, vel ecclesia, bona opinione respergitur. E contrario alii replent domum fœtore infamiæ ¹⁴ : « Ecce jam fœtet, » etc.

Quinto linguosus est Spiritus sanctus in prædicatione, unde sequitur : *Apparuerunt illis dispertite lingue* ¹⁵. « Si linguis hominum loquar, et angelorum, » etc. Ibi ostenditur quod neque prædicatione, neque aliquod bonum opus sine charitate sufficit. Bene autem dicitur : *dispertite lingue*; quia non uno modo ad omnes habendus est sermo. Nunc enim de pœna, nunc de gloria, nunc autem de vitiis et virtutibus; et aliter infirmis, aliter perfectis loquendum est ¹⁶ : « Rogamus vos, fratres: corripite inquietos, » etc.

Sexto igneus est Spiritus sanctus in dilectione; unde sequitur : *Tanquam ignis*.

¹ Act., II, 2-3. — ² Ambros., in Luc., lib. II, n. 19. — ³ Eccl., v, 8. — ⁴ I Thess., v, 3. — ⁵ Cant., II, 4. — ⁶ Psal. XLIX, 11. — ⁷ Cant., VIII, 13. — ⁸ Psal. XLVII, 8. — ⁹ Sap., v, 10. — ¹⁰ Aug., in Joan. Evang., tract. x, n. 6. — ¹¹ Sap., II, 6. — ¹² Joan., XII, 3. —

¹³ II Cor., II, 15. — ¹⁴ Joan., XI, 33. — ¹⁵ I Cor., XIII, 1. — ¹⁶ I Thess., v, 14.

(a) Cæt. edit. arguam te, etc. — (b) Item repleta. — (c) Cæt. edit. add. Domini. — (d) Cæt. edit. deest, etc.

De quo igne dicitur ¹ : « Ignis in altari meo semper ardebit, » id est, in corde. ² « Nonne cor nostrum ardens, » etc. Iste ardor est amor; Augustinus ³ : « Bonum est hominibus, ut ardeant sancto igne (a), ut feno consumpto splendeat pretiosum (b) quod redemit Christus. » Bene autem dicitur : *Semper* ⁴ : « Omni tempore diligit, qui amicus est. » Ligna sunt exempla sanctorum, vel ligna crucis ⁵ : « En colligo duo ligna. » Talibus lignis invitatur amoris ignis.

Septimo quietus est Spiritus sanctus in contemplatione, unde : *Seditque supra singulos eorum*. Sedet enim, id est, sedentes nos facit per quietem contemplationis ⁶ : « Sedit solitarius et tacebit, » etc. Potest tamen et melius in sessione Spiritus sanctus significari, quod ipse sit mansionarius in perseverantibus. Psalmus ⁷ : « Deus sedet super sedem sanctam suam. »

SERMO VI.

Factus est repente de cælo sonus ⁸, etc. Supra dictæ septem Spiritus sancti operationes significari possunt in septenario sanctorum in Evangelio, in quibus evidenter et notabiliter Spiritum sanctum inveniemus, videlicet in Elisabeth, in Zacharia, in Joanne, in Simeone, in Discipulis, in Maria, in Christo.

Repentinus est Spiritus sanctus in conversione; hoc in Elisabeth signatum est ⁹ : « Factum est ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus. Elisabeth repleta est Spiritu sancto, » salutante Maria. Spiritu sancto repletur, quicumque præveniente gratia convertitur. Tria autem hic considerata sunt : salutatur Maria, exultat Joannes, repletur Elisabeth. Maria prævenientem gratiam, qua primo illuminamur, significat. Interpretatur enim *illuminatrix*. Joannes autem voluntatem significat. Inter-

pretatur enim *in quo est gratia*. Cum ergo Maria, id est, gratia præveniens, salutatur, et tunc in utero, anima, Joannes, id est voluntas, consentiendo exultat. Elisabeth vero repletur, quando gratia subsequens ad efficaciter operandum habetur. Augustinus ¹⁰ : « Nostrum est velle; sed voluntas ipsa admonetur ut surgat, et sanatur ut valeat, et dilatatur ut capiat, et impletur ut habeat. » Sonorus est Spiritus sanctus in laude et oratione, et confessione. Hoc in Zacharia signatur ¹¹ : « Zacharias pater ejus impletus est de Spiritu sancto, et prophetavit, dicens : Benedictus Dominus Deus Israel, » etc. Attende in his verbis, videlicet quis esse, quid habere, quid agere debeat, qui per Spiritum sanctum sonorus esse desiderat. Debet enim esse Zacharias opere, debet habere Spiritum sanctum in corde, debet gratias agere, et benedicere ore. Ut ergo per gratiam sonorus fias, sis per justitiam in opere Zacharias ¹² : « Erant autem ambo justii, » etc.

Item validus est Spiritus sanctus in temporalium renuntiatione; hoc in Joanne significatur ¹³ : « Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. » ¹⁴ « Bonum est viro, cum portaverit, » etc. Joannes forma est sæculum et temporalia relinquentium, in tribus : 1. in ciborum et potus parcitate ¹⁵ : « Vinum et siceram non bibet. » « Comedebat etiam ¹⁶ locustas, et mel sylvestre. » 2. In vestimentorum vilitate et asperitate ¹⁷ : « Erat Joannes vestitus pilis camelorum, » etc. 3. In solitudinis raritate ¹⁸ : « Erat in deserto usque ad diem ostensionis suæ ad Israel. »

Item repletivus est Spiritus sanctus (c) in bona opinione; hoc in Simeone signatur ¹⁷ : « Homo iste justus et timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus (d) erat in eo. » Ecce quam sanctæ opinionis fuit iste senex! Sed, heu! hodie de senibus

sum. — ¹¹ Luc., 1, 67-68. — ¹² Ibid., 6. — ¹³ Ibid., 15. — ¹⁴ Thren., III, 27. — ¹⁵ Matth., III, 4. — ¹⁶ Luc., 1, 80. — ¹⁷ Luc., II, 25.

¹ Levit., VI, 12. — ² Luc., XXIV, 32. — ³ August., Enarr. in Psal. xcvi, n. 7. — ⁴ Prov., XVII, 17. — ⁵ III Reg., XVII, 12. — ⁶ Thren., III, 28. — ⁷ Psal. XLVI, 9. — ⁸ Act., II, 2. — ⁹ Luc., 1, 41. — ¹⁰ Aug., de div. Quæst. LXXXIII, q. LXVIII, n. 5, quoad sen-

(a) Cat. edit. add. Deus. — (b) Cat. edit. pretium. — (c) Cat. edit. Item repletus est Spiritu sancto. — (d) Et cet. et.

dici potest illud ¹ : « Iniquitas egressa est de Babylone a senioribus, » etc. Talium ergo opinio foetida; Simeonis autem, et similium, odorifera est. Gregorius ² : « Virtutes proficientium in notitia cæterorum, quasi suavitates fragrant odorum. » In tribus autem debet esse bonæ famæ, in eo quod sit justus, timoratus, pius. Pietas enim ostenditur in hoc, quod expectabat redemptionem aliorum. Justus sit, hoc ad seipsum; timoratus, ad Dominum; pius, ad proximum.

Item linguosus est Spiritus sanctus in prædicatione, hoc innuitur, cum dicitur, quod *apparuerunt illis dispersitæ lingue* : hoc significatur in discipulis, quibus evidenter in Evangelio invenimus Spiritum sanctum promissum, imo datum. Datus est enim ante passionem ³ : « Convocatis vero duodecim discipulis suis dedit potestatem immundorum spirituum. » Item post resurrectionem ⁴ : « Insufflavit, et dixit : Accipite Spiritum sanctum. » Item post ascensionem ⁵ : « Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et ceperunt loqui. » Primo ergo datus est eis ad miraculorum operationem; secundo, ad peccatorum remissionem; tertio, ad veritatis instructionem.

Item igneus est Spiritus sanctus in dilectione, hoc significatur in Mariæ ⁶ : « Spiritus sanctus superveniet in te, » etc., usque : « Filius Dei. » Quis unquam ardentius dilexit quam Mariæ? Quæ etiam virtus Jesum, id est, salutem parit, nisi (a) charitas? In prædictis nota de Spiritu sancti superventione, de Mariæ obumbratione, de Filii Dei generatione. In his enim significatur, quod anima, cui Spiritus sancti charitas superveniens datur, ipsa contra æstum vitiorum obumbratur, a partu salutis æternæ fœcundatur.

Item mansionarius Spiritus sanctus in perseverantiæ duratione; hoc significatur in Christo, de quo ⁷ : « Vidi Spiritum descen-

dentem, quasi columbam de cœlo, et manentem super eum. » In quibus verbis tria ostenduntur, quæ maxime ad perseverantiam in bonis operibus necessaria sunt : humilitas, mititas, stabilitas. Humilitas in prosperitate; unde dicit *Spiritum descendentem*, non ascendentem. Mititas in adversitate; unde dicit : *Quasi columbam*, in qua mansuetudo significatur. Stabilitas in voluntate; unde ait : *Et manentem super eum*.

SERMO VII.

Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet (b) Pater in nomine meo ⁸, etc. O quam maxima missio! Magnus est qui mittitur, magnus a quo mittitur, magnus ejus nomine mittitur. Ecce amicum tuum reputas, qui tibi scutellam, seu vas escarium, vel vinum suum in quadam magna curia mittit. Quantus ergo amicus ille, qui olim Filium suum, et nunc Spiritum sanctum mittit! Mittitur ergo Spiritus sanctus ad ostendam veritatem, ad arguendam iniquitatem, ad accendendam (c) voluntatem, ad faciendam securitatem.

De primo, nota quod de agno tanquam occiso dicitur ⁹, quod « habebat oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. » O quam magnum esset, qui nobis in signum dilectionis unum oculum mitteret! Et ecce noster agnus nobis septem oculos, id est septem dona Spiritus sancti mittit, quibus videre possumus veritatem, et omnia ad salutem necessaria. Unde dicitur hic : *Paraclitus autem Spiritus sanctus*, etc., *ille vos docebit omnia* (d). Dona Spiritus sancti oculi nobis sunt ad cognoscendum, cornua vero ad defendendum animam. O Domine, mitte nobis septem oculos istos Agni contra septem oculos diaboli, de quibus dicitur ¹⁰ : « Datus insipientis non erit utilis tibi, oculi enim illius septemplices sunt. Exigua dabit, et multa impro-

⁸ Joan., XIV, 26. — ⁹ Apoc., v, 6. — ¹⁰ Eccl., xx, 14-1.

(a) Cæc. edit. ubi. — (b) Item mittit. — (c) attendendam. — (d) Cæc. edit. non add. *ille vos docebit omnia*.

¹ Dan., XIII, 5. — ² Gregor., Moral., lib. XXXV, c. XVII, n. 33. — ³ Matth., x, 1. — ⁴ Joan., xx, 22. — ⁵ Act., II, 4. — ⁶ Luc., I, 35. — ⁷ Joan., I, 33. —

perabit. » Diabolus insipiens est ad bonum, et sagacissimus ad malum. Iste insipiens, quidquid tibi dat, per rapinam, per usuram et quaecumque injustam acquisitionem, ideo tibi dat, ut ipsum adores¹: « Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. » Hujus datus non erit tibi utilis: exigua enim dat in mundo, et multa impropere in inferno: exigua in delectatione, multa in punitione. Gregorius²: « Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat. » Oculi diaboli sunt subtilitates et astutiæ, quibus animabus insidiatur per septem vitia capitalia. Et ideo septemplices dicuntur.

De secundo³: « Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, » etc. « Cum autem venerit ille, arguet mundum de peccato, » etc. Misit Dominus Spiritum sanctum contra mundum ad arguendum, sicut sagitta mittitur contra hostem ad feriendum. Unde⁴: « A voce equitis, et mittentis sagittam, fugit omnis civitas. » Mundus est quædam civitas, de qua⁵: « Missis exercitibus suis, » id est angelis, « perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit. » Hoc fiet in die iudicii, quando cremabitur mundus. Hæc autem civitas fugere debet ad cavernam pœnitentiæ, vel ad urbes refugii, scilicet ad religionem, vel ad aliquem statum salutis. Unde Bernardus⁶: « Convolate ad urbes refugii, ubi possitis et de præteritis agere pœnitentiam, et de præsentibus obtinere gratiam, et futuram gloriam feliciter præstolari. » Fugere autem debet homo propter duo, propter vocem et sagittam. Equus Christus est, cujus equus est Ecclesia, vel quilibet fidelis, qui tribulatione et carnis castigatione, quasi calcaribus stimulantur, ut equus ad currendum, et provocandum in pugnam⁷: « Ego autem sic curro, non quasi in incertum, sic pugno non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, » etc.

O quot equos diabolus aufert Deo sæpe? Vox est prædicatio, quam Christus per se, vel per prædicatores emittit; Psalmista⁸: « A voce tonitru tui formidabunt. » Sagitta autem est instinctus Spiritus sancti. Frustra enim vox doctrinæ extra terreret, nisi Spiritus sanctus intus cor in contritione ad modum sagittæ vulneraret. Utinam hæc sagitta nunquam exeat de cordibus nostris. Tres sunt autem spirituales sagittæ, quas mittere solet Christus, videlicet timoris, doloris, amoris. Timor pœnam, dolor culpam, amor gloriam respicit. De his potest accipi quod ait Jonathas, qui Christum significat⁹: « Tres ergo sagittas igneas mittam. » Sed, heu! contra igneas sagittas Spiritus sancti sunt igneæ sagittæ spiritus maligni¹⁰: « In omnibus sumentes scutum fidei, in quo positus omnia tela nequissimi ignea extinguere (a). » Sagitta enim diaboli mala lingua est¹¹: « Sagitta vulnerans lingua eorum. »

SERMO VIII¹².

*Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*¹³. Quod hodie de tertio et quarto membro dimisimus, compleamus.

De tertio¹⁴: « Ignem veni mittere in terram, » etc. Ignis iste Spiritus sanctus est, qui nos ad bonum accendit. Vidi quandoque ignem de sole capi in vitro lucido aqua impleto: ita fit in baptismo. Unde bene dicitur¹⁵: « Vidi tanquam mare vitreum mixtum igne, » etc. Intelligi potest mare vitreum, vitreum vas continens aquas, sicut *mare æneum* dicebatur¹⁶ vas æneum. Mare ergo vitreum significat baptismum. Sicut enim per vitrum radius solis, ita per baptismum lumen gratiæ diffunditur in domum Ecclesiæ, vel credentis animæ. Item sicut vitrum cito frangitur, sed non cito reparatur, ita medicina baptismalis. Ignis autem commixtus mari vitreo significat virtutem Spiritus

¹ *Matth.*, IV, 9. — ² *Greg.*. — ³ *Joan.*, XVI, 7, 8. — ⁴ *Jerem.*, IV, 29. — ⁵ *Matth.*, XXII, 7. — ⁶ *Bern.*, *de Convers.*, ad *Cleric.*, c. XXI, n. 37. — ⁷ *I Cor.*, IX, 26. — ⁸ *Psal.*, LIII, 7. — ⁹ *I Reg.*, XX, 20. — ¹⁰ *Ephes.*, VI, 16. — ¹¹ *Jerem.*, IX, 8. — ¹² Vel potius continuatio

præcedentis. — ¹³ *Joan.*, XIV, 26. — ¹⁴ *Luc.*, XII, 49. — ¹⁵ *Apoc.*, XV, 2. — ¹⁶ *IV Reg.*, XXV, 43.

(a) *Cæt. edit.* scutum fidei, nec quidquam ulterius.

sancti, qua purgatur in baptismo anima. Sol autem a quo ignis iste concipitur Christus est, de quo ¹: «Tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, et accensus est ignis magnus.» Illoc autem factum est, quando sacrificium secundum jussum Nehemiæ aspergebatur aqua crassa: hoc modo fit sacrificium Deo in baptismo, ubi aqua baptismi crassa per gratiam Spiritus sancti purgans animam in Christo accenditur. Cujuscumque vitrum fractum est, illi ignis Spiritus sancti extinctus est: oportet ergo istum ignem ferro duræ pœnitentiæ, quasi excutere de lapideo corde ²: «De lapidibus ignitis igne concepto obtulerunt sacrificia.» Sed dicis: Heu! non possum istum ignem excutere. Verum est molli caseo; ex collisione autem duri ad durum, scilicet duræ pœnitentiæ ad durum cor ignis concipi potest. Ergo cor durum est, quo nulla castigatio, nulla comminationum et terrorum collisio unam scintillam Spiritus sanctus potest generare.

De quarto ³: «Cum venerit paraclitus, quem ego mittam,» etc., usque: «ille testimonium perhibebit de me.» Testimonio suo nobis Spiritus sanctus facit fidem et securitatem, quod Christus verus Deus est, quod fides nostra de Christo vera est, et labores nostri pro Christo assumpti non fraudabuntur promissa hæreditate cœlesti. Sicut testimonium sigilli, vel pignoris, fidem et securitatem solet facere, sic Spiritus sanctus. Spiritus enim sanctus quasi sigillum et pignus est nobis ⁴: «Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.» Si Spiritu sancto signamur (a), Spiritus sanctus ergo sigillum est. De hæreditate ergo æterna non timeamus, qui pignus et sigillum Spiritus sancti pro ipsa tenemus. Litteræ ergo hujusmodi sigillo munitæ sunt bonæ conscientiæ, in quibus omnia bona opera, et verba, et de-

sideria nostra scripta sunt. Sed sicut littera sine sigillo, sic sunt omnia bona opera sine charitate, qua corda nostra sigillat Spiritus sanctus. De hoc significatum est ⁵, ubi legitur quod (b) per litteras signatas annulo regis vita data est Judæis, qui per litteras veteres Aman interfici debebant. Litteræ Aman, id est, litteræ diaboli, sunt malæ conscientiæ, in quibus omnia opera, et verba, et desideria mala scripta sunt. Sigillum autem diaboli obstinatio est; litteræ autem Assueri litteræ sunt Christi, conscientiæ bonæ. Cum autem Spiritus sanctus digitus Dei dicatur ⁶, annulus hujus digiti donum est Spiritus sancti, quo mens nostra sigillatur. Hæ litteræ, et Dei, et diaboli, in morte ejuslibet aperientur, et maxime in judicio ⁷: «Judicium sedit, et libri aperti sunt.» O quomodo sigillum tunc judex examinabit, ejus sit! ⁸ «Cujus est imago hæc, et superscriptio?» Item testimonium pignoris est nobis Spiritus sanctus; quidquid enim facimus super hoc pignus, Domino mutuumus ⁹: «Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.» Mutuumus ei: pro minimo enim merito recipiemus plus in cœlo, quam si pro uno denario mille marchas reciperemus in mundo. Stulti autem Judæi hoc pignus recipere noluerunt. Tu autem, Christiane, quandiu hoc pignus habes in area cordis, ne timeas de bonis tuis Domino accommodatis, pro hæreditate æterna. Ait Augustinus ¹⁰: «Non dimittit pignus suum: si enim nos non amaret, talia pignora non daret.»

SERMO IX ¹¹.

Spiritus Domini ornavit cœlos ¹². Summus artifex Spiritus sanctus, volens in apostolicis vasis cœleste manna et divinum aroma nominis Christi recondere, prius eos in die Pentecostes cœlestibus refulgentiis pulcherrime adornavit. Illoc autem beneficium sibi præstitum (c) Ecclesia recolit hodierna

17. — ¹⁰ August., Enarr. in *Psal.* xc, n. 13. — ¹¹ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ¹² *Job*, xxvi, 13.

(a) *Cæt. edit.* significamur. — (b) *Item* quando. — (c) *Item* præditum.

¹ *II Mach.*, 1, 22. — ² *Ibid.*, x, 3. — ³ *Joan.*, xv, 26. — ⁴ *Ephes.*, 1, 13. — ⁵ *Esth.*, viii, 8. — ⁶ *Luc.*, xi, 20. — ⁷ *Dan.*, vii, 10. — ⁸ *Matth.*, xxi, 20. — ⁹ *Prov.*, xix,

die refulgentius (a) inter cætera in verbo proposito, cum dicit : *Spiritus Domini ornavit cælos*. In quo quidem verbo describitur hodiernum beneficium, quantum ad triplicem ordinatam comparationem : primo, quantum ad principium effectivum, in personali nominatione; secundo, quantum ad subjectum receptivum, in convenienti re-præsentatione; tertio, quantum ad actum intermedium in singulari comparatione. Primo ergo describitur hodiernum beneficium, quantum ad principium effectivum, in personali nominatione, cum dicit : *Spiritus Domini*. Secundo, quantum ad subjectum receptivum, in convenienti re-præsentatione, cum subdit : *Cælos*. Per cælos namque convenienter designantur, sive re-præsentantur apostoli, ratione aliquarum proprietatum nobilium. Tertio, quantum ad actum intermedium, in singulari comparatione, cum subinfert : *Ornavit*. Singulariter enim, et excellenter fuerunt apostoli virtutibus et donis cœlestibus adornati.

Dicit ergo : *Spiritus Domini*, ubi describitur hodiernum beneficium, quantum ad principium effectivum. Habet autem Spiritus sanctus in se tres proprietates, secundum quas est principium et causa triplicis doni, in quo totum hodiernum beneficium radicaliter consistit. Nam primo est in Spiritu sancto infallibilis veritas; secundo, liberalis charitas; tertio, inseparabilis potestas. Primo, quia in ipso est summa veritas, ideo ab ipso procedit splendor fidelis intelligentiæ illuminantis cognitivam. Secundo, quia Spiritus sanctus est charitas summa, ideo ab ipso procedit amor utilis benevolentiae, rectificantis affectivam. Tertio, quia in Spiritu sancto est summa potestas, ideo ab ipso procedit vigor virilis constantiæ, roborantis effectivam. Et hæc tria sunt necessaria ad salutem omni conditioni, sexui et ætati : nam nullus adultus est in statu salutis, nisi habeat fidelem intelligentiam in intellectu, charitativam benevolentiam in affectu, et fi-

nalem constantiam in effectu. Et hæc tria, per quæ assimilatur homo beatæ Trinitati, ab ipso fontalissimo principio in apostolica vasa hodierna die primitus defluerunt. Quæ quidem opponuntur tribus malis, quæ incurrimus ratione primi peccati, videlicet tenebrositatem ignorantiae, malignitatem invidiæ, et debilitatem impotentiae.

Primo, quia in Spiritu sancto est infallibilis veritas, ideo operatur claritatem veritatis intelligentiæ in intellectu contra tenebrositatem ignorantiae; unde : « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. » Hodierna namque die summus et fontalissimus doctor Spiritus sanctus, veniens in apostolos juxta promissionem Christi, ita perfecte et excellenter primitivo radio veritatis illustravit, ut eorum intellectus, omni imagine et similitudine deiformitatis, et intelligibili superna gratia adjutus, purissimo aspectu, sicut possibile est, ad notitiam et speculationem divinitatis elevaretur. Nonne altissima erat hodierna die intelligentiæ prædicantium Christum, aut (b) verbis planis esse Filium Dei, et a mortuis resurrexisse, quod prophetæ prædixerunt, aut verbis obscuris, et metaphoricis parabolis, atque ænigmaticis figuris. Quis enim, quæso, vestrum docuit eos talia dicere ita plane et evidenter? Numquid ars piscatoria, aut caro, aut sanguis? Non certe, sed Spiritus Patris cœlestis, qui loquebatur in eis. Isti ergo certitudini veritatis Spiritus sancti est indubitanter credendum, non fabulis vetularum, non sophismatibus philosophorum, nec illusionibus magorum : eo quod ille doctor est adeo peritus, et omni facultate antiquissima experientia approbatus, ut nullus possit contradicere sibi in aliqua doctrina, nec repulsam pati ab aliquo, sive reduci ad metam redargutionis, quia non potest fallere, nec falli.

Secundo, quia in Spiritu sancto est liberalis, sive invincibilis charitas, ideo operatur

¹ Joan., xvi, 13.

(a) *Cæt. edit.* refulgentiis. — (b) *Item et.*

latitudinem utilis benevolentiae in affectu, contra malignitatem invidiae. Unde dicitur¹: « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. » Diffunditur autem charitas in cor nostrum, quando amor non solum ex superiori superficie, sed ex intimis medullis cordis procedens dilatatur affectum mundum. Diffusa fuit charitas apostolorum, qui pro salute omnium electorum animas suas morti cum desiderio tradiderunt. Sed quoniam abundavit iniquitas, refriguit sive tepuit charitas multorum: ideo Apostolus hortatur nos ad fervorem mutuae dilectionis, cum dicit²: « Charitate infirmitatis invicem diligentes, honore invicem praevinentes, sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes. »

Tertio, quia in Spiritu sancto est insuperabilis potestas, ideo operatur facultatem vigoris et constantiae in effectu, contra debilitatem impotentiae. Unde³: « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et (a) eritis mihi testes. » Dominus noster Jesus Christus, mittens apostolos pugnuros contra violentiam tyrannorum et astutiam daemoneum, voluit eos primo donis, sive armis spiritualibus munire, et virtute Spiritus sancti corroborare. Et propter hoc dicitur in Psalmo⁴: « Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. » Unde Gregorius⁵: « Caelorum virtus de Spiritu sumpta est, quia mundi hujus potestatibus contraire non praesumerent, nisi eos Spiritus sancti fortitudo solidasset. »

Secundo describitur illud beneficium quantum ad subjectum receptivum, cum subdit: *Caelos*. Per caelos namque, metaphorice loquendū, ratione convenientiae et similitudinis in effectu, apostolorum designantur: nam primo caeli habent spectabilem refulgentiam luminum; secundo habent efficacem influentiarum redundantiam; tertio terribilem signorum et prodigiorum resonantiam.

Apostoli namque primo habent efficacem redundantiam bonorum documentorum in praedicatione, et hoc in signum perspicacitatis intelligentiae. Unde in Psalmo⁶: « Terra mota est, etenim caeli distillaverunt a facie Dei Sinai. » Hodierna namque die terra, id est terreni et peccatores, mota est ad poenitentiam, quia caeli, id est apostoli, distillaverunt rorem divinarum eloquiorum: et hoc *a facie Dei*, qui non a seipsis, sed a Deo habuerunt, a quo omne bonum. Et ista expositio elicitur ex Glossa. Similiter alibi dicitur in Psalmo⁷: « Caeli enarrant gloriam Dei: » aeternam sine inceptioe et terminatione, in incarnatione; magnam sine diminutione, in passione, et suavissimam sine fastiditione, in Spiritus sancti missione.

Secundo habuerunt spectabilem refulgentiam morum et exemplorum in conversatione, et hoc in signum charitatis et benevolentiae. Unde⁸: « Ego feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens. » Honesta conversatio apostolorum nomine caelestis boni refulgentis appellatur, eo quod sicut lumen caeleste est ab omni faeculentia impermixtum, et terrestreitate separatum, ut per hoc clarius illuminet universum, sic caelestis conversatio apostolorum erat ab ardore libidinis et foetore carnalitalis sequestrata. Et propter hoc faciliter peccatores et tenebrosos ad amorem Dei et lumen fidei attrahebant, eo quod plus movet exemplum quam verbum. Nam ex assuetudine visionis viri sancti, usu locutionis, et exemplo operis, accipit homo ut accendatur ad amorem bonitatis, et illuminetur lumine veritatis. Et propter hoc potest dici de eis illud⁹: « Conspice (b) caelum, » id est apostolicum caelum, « et numera stellas ejus, » id est gratias septiformes, dona et beatitudines, quibus lucebant¹⁰ « tanquam luminaria in mundo, » exemplum vitae continentis: et videbis ran-

¹ Rom., v, 5. — ² Rom., xii, 10-11. — ³ Act., i, 8. — ⁴ Psal. xxxii, 6. — ⁵ Greg., in *Evang.*, hom. xxx,

27. — ⁶ Psal. lxxvii, 9. — ⁷ Psal. xviii, 2. — ⁸ Eccli., xxiv, 6. — ⁹ Gen., xv, 5. — ¹⁰ Philip., i, 15.

(a) *Cæt. edit.* ut. — (b) *Vulg.* Suspice.

tionabiliter quod insufficiens sit quilibet mortalis homo ad enarrandum.

Tertio habuerunt terribilem resonantiam miraculorum et prodigiorum in operatione, et hoc in signum virtuositatis et constantiæ. Unde in Psalmis ¹: « Inclina cœlos tuos, et descende: tange montes, et fumigabunt. Fulgura (a) coruscationes, et dissipabis eos. » *Inclina cœlos tuos*, id est contemplativos et cœlestes viros, ad homines terrenos, per prædicationem. *Et descende* per illuminantis gratiæ cohabitationem. *Tange montes*, id est superbos, incutiendo eis timorem filialis reverentiæ. *Et fumigabunt* per lacrymosam contritionem, ut excæcationes et omnes vapores vitiosi auferantur, et tunc *fulgura* (a) *coruscationes* signorum et prodigiorum ad prædicationis evangelicæ confirmationem, ut quos efficacia verbi non movet, miracula confirment, et quos prædicationis ad fidem non movet, saltem ipsa prodigia excitent, quia per hoc dissipabis eos spirituali et felici dissipatione, quantum ad vitia et peccata, non ut pereant, sed ut vitam gratiæ recuperent.

Tertio describitur præsens beneficium, quantum ad actum intermedium, in singulari operatione, cum subinfert: *Ornavit*. Excellenter enim et signanter ornavit apostolos triplici ornamento: primo, ornamento copiositatis gratiæ, quantum ad indeficientiam suffragiorum; secundo, ornamento dignitatis prælaturæ, quantum ad providentiam subditorum; tertio, ornamento deformitatis (b) gloriæ, quantum ad excellentiam præmiorum.

Primo ornavit eos ornamento copiositatis gratiæ, quantum ad indeficientiam suffragiorum; unde ²: « Ornavit in æternum opera illorum, nec esurierunt, nec laboraverunt, et non destiterunt a suis laboribus. » Dicitur pro tanto quod Deus *ornavit in æternum opera illorum*, virtuosa apostolorum, eo quod indeficientem (c) et continuam influen-

tiam (d) habent in Ecclesia militanti, et (e) propter suffragia meritorum, magnus honor et reverentia eis a populo Christiano exhibetur; *nec esurient*, eo quod tanta copiositate gratiæ fuerunt impleti, ut non solum eos sacraret, sed etiam in alios redundaret (f). Et propter hoc mater Ecclesia, quod deest filiis suis, supplebit de paterno thesauro meritorum, quia non destiterunt patres eorum, apostoli, a virtuosis operibus suis quantum ad efficaciam suffragiorum.

Secundo ornavit eos ornamento dignitatis prælaturæ, quantum ad præsentiam subditorum; unde impletum est in quolibet istorum illud ³: « Rectorem te posuerunt, noli extolli: » et sequitur: « Ornamentum gratiæ accipies, coronam et dignitatem congregationis consequeris. » Quia apostoli non extollebantur in superbiam, licet essent positi rectores totius orbis a Spiritu sancto, imo quilibet eorum erat quasi unus ex subditis; ideo acceperunt *ornamentum gratiæ* gratum facientis, et ad eorum promotionem et salutem consecuti sunt *coronam* principatus, et *dignitatem congregationis*. Quorum dignitas et principatus pertenderunt (g) ab altitudine cœli usque ad profunditatem inferni: habent (h) enim potestatem claudendi cœlum, et ligandi atque solvendi animas hominum, calcandi super serpentes et scorpiones, et reprimendi spiritus immundos: quia eorum linguæ (quasi claves cœlestes) januas cœli claudunt, et reserant, et eorum præcepto subditur salus et languor omnium, et etiam ipsi spiritus immundi: quod est indicium maximæ potestatis et dignitatis.

Tertio ornavit eos ornamento deformitatis (b) gloriæ (i) quantum ad excellentiam præmiorum; et propter hoc convenit cuilibet eorum illud ⁴: « Corona aurea super caput (j) ejus, expressa signo sanctitatis, gloriæ et (k)

— (c) Item indeficientiam. (d) *Cæt. edit. add. quam.* — (e) *Cæt. edit. deest et.* — (f) *Cæt. edit. sacrarent...* redundarent. — (g) Item prætenderunt. — (h) Item habet. — (i) Item fortitudinis. — (j) *Vulg. mitram.* — (k) Item gloriæ.

¹ *Psal. CXLIII, 5.* — ² *Eccli., XVI, 27.* — ³ *Eccli., XXXII, 1, 3.* — ⁴ *Ibid., XLV, 14.*

(a) *Cæt. edit. add. et.* — (b) *Cæt. edit. deformitatis.*

honoris, et desiderio (a) oculorum ornata. » Per coronam auream positam super caput cuiuslibet apostoli, in quantum est expressa signo sanctitatis, gloria et honore præmii, intelligitur ornamentum, sive prima stola animæ. Sed in quantum desiderio oculorum ornata, intelligitur secunda stola corporis. Stola prima, sive ornamentum animæ consistit in triplici dote, scilicet visionis claræ, attentionis securæ, et firmitatis quietæ. Secunda vero stola, sive ornamentum corporis, consistit in quadruplici dote, scilicet agilitatis, claritatis, subtilitatis et impassibilitatis. Unde Augustinus, *de Civitate Dei* ¹ : « A corporibus electorum amovebitur omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio. » Quod adimplebitur, quando corona humilitatis nostræ erit gloria circumdata, et desiderio oculorum ornata, eo quod oculos intuentium delectabunt. Et omnes dotes excellenter et singulariter habebunt apostoli. Rogemus ergo, etc.

SERMO X².

O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus ³ ! Ut videamus bonitatem et suavitatem hujus spiritus in nobis, scire debemus quod per hunc spiritum habemus veniam peccatorum, victoriam de inimico, gratiam donorum, gloriam præmiorum.

De primo ⁴ : « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis : et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri. » Id est : venia peccatorum in hac mundatione consistit : hæc autem mundatio per aquam et spiritum non solum fit in baptismo, sed etiam in contritione, per aquam lacrymarum, et spiritum cor compungentem ; Psalmista ⁵ : « Cor mundum crea, » etc. Specialiter autem duo tan-

git, a quibus mundari debemus, videlicet : ab inquinamentis luxuriæ ⁶ : « Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Domini. » Item ab idolis avaritiæ ⁷ : « Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, » etc. O avare, quare non es avarus hæreditatis æternæ potius, quam terrenæ ? Augustinus ⁸ : « Ecce accenditur avaritia nostra, argentum incertum eum sine, vitam æternam desiderans sine fine. »

De secundo ⁹ : « Irruit in Samson Spiritus Domini, et dilaceravit (b) leonem. » Nota historiam, quomodo Samsoni, cum ad vineam venisset, leo occurrit. Hæc vinea, vel pœnitentiam, vel religionem signat, vel quamlibet bonam vitam, cujus flores virtutum odorem bonæ opinionis (c) reddunt ¹⁰ : « Vineæ florentes odorem suum dederunt. » In hac vinea carnales et delicioſi, et anhelitus detractionis fœtidæ sunt vulpes ¹¹ : « Capite nobis vulpes. » Leo sævus, et rugiens diabolus est ¹² : « Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, » etc. Hic occurrit ad vineam accedenti bonæ vitæ, juxta illud ¹³ : « Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem. » Sed Spiritu sancto irruente in nos, hortamur et confirmamur ; Psalmista ¹⁴ : « Spiritu principali confirma me : » et sic leonem vincimus. Hic est Spiritus sanctus, quo duce Dominus in desertum ducitur, nec ab accedente tentatore vincitur, sicut dicitur ¹⁵. Nota ergo quod hæc vinea, ad quam venit Samson, desertum significat in quo fuit Dominus ; sed leo inventus juxta vineam, tentatorem, id est diabolum, qui Christum tentavit, sed in vanum, quia non potuit prævalere.

De tertio ¹⁶ : « Egredietur virga, » etc., usque : « et requiescet semper eum spiritus

11. — ⁸ Aug., *Enarr. in Psal.* xc, n. 12, quoad sensum. — ⁹ *Judic.*, xiv, 6. — ¹⁰ *Cant.*, i, 13. — ¹¹ *Ibid.*, 15. — ¹² *1 Petr.*, v, 8. — ¹³ *Eccli.*, ii, 1. — ¹⁴ *Psal.* l, 14. — ¹⁵ *Matth.*, iv, 1 et seq. — ¹⁶ *Isa.*, xi, 1-2.

(a) *Vulg.* desideria. — (b) *Cat. edit.* dilacerat. — (c) *Item* oppositionis.

Triplicem animæ dos.

Quadruplex corporis dos.

¹ August., *de Civit. Dei*, lib. xxii, c. xx, n. 3. — ² Hunc et seq. usque ad Dom. I, exclusive, post Octav. Pentec., habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ³ *Sap.*, xii, 1. — ⁴ *Ezech.*, xxxvi, 25-26. — ⁵ *Psal.* l, 12. — ⁶ *11 Cor.*, vii, 1. — ⁷ *Ephes.*, v, 5 ; *1 Cor.*, v,

Domini, » etc., ubi hujus spiritus dona enumerantur. In virga rectitudo fidei, in flore bona voluntas significatur. Joannes Chrysostomus ¹ : « Voluntates bonæ sic suaves sunt apud Deum, quemadmodum odoriferi flores. » Unde virga Aaron florem et fructum simul habuit, quia in rectitudine fidei flos bonæ voluntatis non est sine fructu boni operis. Sicut autem sine solis operatione flos fructum non potest producere, sic nec voluntas sine Spiritu sancto fructum ullum, de quo ² : « Fructus autem Spiritus sancti est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, spes, modestia, continentia, castitas. » Unde bene de flore isto dicitur ³ : *Requiescet super eum Spiritus Domini.*

De quarto effectu Spiritus sancti in nobis ⁴ : « Non est regnum Dei esca, et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto. » Ecce qualis est Spiritus sanctus in animabus honorum. Quid enim in corpore operetur ad glorificationem nostram idem Spiritus, dicitur ⁵ : « A quatuor ventis veni, spiritus, et insuffla super interfectos, et reviviscant. » A quatuor ventis veniet corpora suscitare, id est, quatuor dotibus veniet corpora glorificare. In isto effectu Spiritus, gloria præmiorum, maxime bonus est in nobis Spiritus sanctus; Psalmus ⁶ : « Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, » scilicet viventium.

Secundum hos quatuor effectus, in quibus bonitas et suavitas Spiritus sancti manifestatur, invenimus Spiritum sanctum in Evangelio significari per aquam, per digitum, per ignem, per unguentum. Per aquam ⁷ : « Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, » etc. Item per digitum ⁸ : « Si in digito Dei, » etc. Item per ignem ⁹ : « Ignem veni mittere, » etc. Item per unguentum ¹⁰ : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me. » Adapta

singula singulis : Spiritus enim sanctus est aqua mundans, per veniam peccatorum; digitus ejiciens, per victoriam inimicorum; ignis accendens, per gratiam donorum; unguentum consecrans, ad regna cælorum, sive ad gloriam præmiorum : unguentum enim reges ad regnandum. Unctio ergo Spiritus sancti signum est futuri regni.

SERMO XI.

O quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus in nobis ¹¹ ! Vere bonus est Spiritus sanctus in nobis. Bonus utique in peccatorum remissione, in virtutum collatione, in sensuum illuminatione, in animarum elevatione. Primo modo bonus est incipientibus; secundo, proficientibus; tertio, consummantibus; quarto, in pervenientibus.

De primo dicitur hic : *O quam bonus, etc.* Quod autem istud de bonitate remissionis accipiatur, patet ex textu; sic enim dicitur ibidem ¹² : « Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas; » et immediate additur : *O quam bonus et suavis, etc.* Suavitas Dei triplex est, scilicet naturalis, spiritualis, æternalis. Naturalis patet in inanimatis, patet in vegetabilibus, patet magis in sensibilibus, patet maxime in rationabilibus, si quis diligenter in singulis contempletur. Sed multi ista suavitate non utuntur, sed abutuntur; et ideo vera sapientia carent, de qua ¹³ : « Non invenitur in terra suaviter viventium. » Item spiritualiter non solum est in remissione peccatorum, sed etiam in unctione donorum ¹⁴ : « Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti, » id est, gratiæ Spiritus sancti, de qua Augustinus ¹⁵ : « Suavis es, Domine, confessio suavis est tibi gratia tua ¹⁶. » Muscæ volantes, pungentes, mel sequentes, sunt superflue et curiosæ cogitationes, rancosæ affectiones, carnales delectationes. O

¹ Chrysost. — ² Galat., v, 22-23. — ³ Isa., xi, 1-2. — ⁴ Rom., xiv, 17. — ⁵ Ezech., xxxvii, 9. — ⁶ Psal. cxlii, 10. — ⁷ Joan., vii, 39. — ⁸ Luc., xi, 20. —

⁹ Luc., xii, 49. — ¹⁰ Isa., lxi, 1. — ¹¹ Sap., xii, 1. — ¹² Ibid., xi, 27. — ¹³ Job, xxviii, 13. — ¹⁴ Eccl., x, 1. — ¹⁵ Aug. — ¹⁶ Locus corruptus.

miseri! ecce muscas corpori importunas abigimus diligenter, et muscas animæ sustinemus nocivas negligenter. Item æternaliter est in beatis abundanter; Psalmus ¹: « Memoriam abundantiae suavitatis tuæ, » etc. Bene dicit *abundantiae*: tanta enim æternæ suavitatis abundans est copia, quod etiam ad capiendam eam non sufficiunt cordium nostrorum vasa. Anselmus ²: « Sic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima, ut totum cor, tota mens, tota anima non sufficiant plenitudini (a) gaudiorum. » Hujus abundantiae vix scintillam capiunt etiam sancti in hoc mundo; et tamen de ejus memoria eructant nobis mirabilia.

De secundo ³: « Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater de cælo dabit spiritum bonum petentibus se? » Præmissa enim similitudine de patre dante piscem, ovum, panem, in quibus secundum Bedam ⁴ fides, spes, charitas figurantur, concludit dicens: *Si ergo vos, cum sitis mali, etc., quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se?* Manifesta hac similitudine innuit per Spiritum bonum dari hoc datum in corde, in ore, in opere. Perpenditur in corde per dilectionem, in ore per confessionem, in opere per conversationem. Perpenditur in corde per dilectionem ⁵: « Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est in (b) nobis. » In quorundam cordibus non est charitas diffusa, sed confusa, (c) est ibi carnalitas. Perpenditur etiam hoc datum in ore per confessionem fidei et laudis, non tantum peccatorum ⁶: « Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. » Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, » etc. Quoties ergo utilia et ædificatoria loquimur, Spiritus Patris cœlestis est in nobis. In eis autem qui

detractoria et increpatoria, contentiosa et scurrilia, carnalia verba loquuntur, patris infernalis spiritus loquitur. Joannes Chrysostomus ⁷: « Omnis sermo vanus qui dicitur, immundo spiritu dictante profertur. » Ille ergo in eis loquitur, qui olim in serpente loquebatur ⁸. Spiritus sanctus enim per linguam serpentis, vel viperæ, quomodo loqueretur? Lingua enim prava, utique lingua viperina est. Bernardus ⁹: « Numquid non viperina est lingua detractoris, quæ tres inficit (d) modico afflatu oris? » Perpenditur hoc quoque datum in opere, et sancta conversatione ¹⁰: « Qui servat mandata ejus, in illo manet, et ipse in eo: et in hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis. » Dat ergo Deus nobis Spiritum, ut mandata ejus servando in ipso maneamus, et ipse in nobis, ut sic per bonum spiritum boni simus. Augustinus ¹¹: « Tanto magis quisque filius bonus, quanto magis ei datur a Patre spiritus bonus. » Sed quibus dat hunc spiritum? Utique *petentibus se*. Ecce, fratres, orationis nostræ utilitas. Unde etiam apostolis, qui erant perseverantes in oratione cum Maria matre Jesu ¹², datur Spiritus sanctus in igne.

SERMO XII ¹³.

O quam bonus et suavis ¹⁴, etc. Nunc de tertio effectu bonitatis Spiritus sancti videamus.

De tertio ¹⁵: « Spiritum tuum dedisti eis, qui doceret eos. » Suum docere, est sensus illuminare. Tria autem nos docet Spiritus sanctus, intelligere, vincere, facere. Docet intelligere omnem veritatem ¹⁶: « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: » salutem necessariam, non illam de qua ¹⁷: « Non est vestrum nosse tempora, » etc., quod est contra quosdam de

¹ *Psal.* c. XLIV, 7. — ² Anselm., *Medit.*, XXI, p. m. 243, col. 819. — ³ *Luc.*, XI, 13. — ⁴ Bed., in *Luc.*, lib. III, c. XLVII. — ⁵ *Rom.*, v, 5. — ⁶ *Matth.*, x, 19-20. — ⁷ Chrysost., in *Epist. ad Cor.*, hom. XIV, n. 3, quoad sensum. — ⁸ *Gen.*, III, 2. — ⁹ Bernard., *de Triplici Custod.*, inter divers., serm. XVII, n. 4. — ¹⁰ *Joan.*,

III, 24. — ¹¹ Aug., *Enarr. in Psal.* cxviii, n. 4. — ¹² *Act.*, I, 14; II, 3. — ¹³ Vel potius continualio præced. — ¹⁴ *Sap.*, XII, 1. — ¹⁵ *II Esdr.*, IX, 20. — ¹⁶ *Joan.*, XVI, 13. — ¹⁷ *Act.*, I, 7.

(a) *Cæt. edit.* ut sufficiat plenitudine. — (b) *Del. in.* — (c) *Suppl.* quia. — (d) *Ita Mabill.; cæt. edit.* interficit.

Antichristo et temporibus ejus superstitiose garrientes. Item docet vincere mundi vanitatem; Psalmista ¹: « Qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos (a), » etc. In *manibus* operationes, in quinque *digitis* sensuum discretionem significantur: dum ergo bene operando, et sensus refrænando, contra vanitates reluctamur, tunc manibus et digitis præliamur. Præliemur ergo viriliter, ut ab ipso coronemur perenniter. Gregorius ²: « Certamen cordis nostri aspicit, et qui post vincentes remunerat, nunc decertantes juvat. » Item docet facere Dei voluntatem; Psalmista ³: « Doce me facere voluntatem tuam, » etc. Bene dicit *tuam*: quidam enim tantum quærunt facere suam, quia Dei voluntatem non attendunt. ⁴ « Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, » etc. Hæc tria desiderabat doceri, qui dicit ⁵: « Bonitatem et disciplinam, et scientiam doce me: » *Bonitatem* faciendi tuam voluntatem, *disciplinam* fugiendi vanitatem, *scientiam* intellegendi veritatem.

De quarto, Psalmus ⁶: « Spiritus tuus bonus deducet me in terram, » etc.: *terram* utique de qua Psalmus ⁷: « Portio mea, Domine, in terra viventium. » Non ergo solum angelico, sed etiam divino spiritu evolantium animæ deducuntur. Gregorius ⁸: « In æternum Spiritus manet cum sanctis, quos in hac vita semper invisibiliter intus illustrat, et in futuro ad contemplandam perpetuo speciem suæ majestatis introducit. » Bene autem dicit: *deducet*; ducuntur enim evolantium animæ, deducuntur et diriguntur. Ducuntur, ne timeant; deducuntur, ne cadant; diriguntur, ne circumveant. Psalmus ⁹: « Tenuisti manum dexteram, » etc. Tunc per manum nos fortiter tenet in morte, si nunc eum per amorem fortiter tenemus in mente ¹⁰: « Inveni quem diligit anima mea: tenui illum, neque dimittam. » Bene

autem dicitur Dominus animam tenere per manum dexteram: in dextera enim vita bona, in sinistra perversa vita significatur. Per manum ergo dexteram anima evolans deducitur, quando per bonæ vitæ opera subvehitur; per manum autem sinistram anima illa a diabolo tenetur, quæ per pravæ vitæ opera ad infernum deducitur. Deducuntur etiam animæ evolantes, ut dirigantur, ne circumveant per purgationem. Boni enim per duplicem viam vadunt ad regnum, per latam, et semitam. Per viam latam transeunt, qui per purgationem transeunt; per semitam deducuntur, qui ad regnum sine purgatorio transeunt. Psalmus ¹¹: « Deduxit me per semitas justitiæ. » Si ergo volumus, fratres, ad cælum cito venire, per semitam itineremus perfecte vivendo, et patrum nostrorum antiquas perfectiones sequendo ¹²: « Interrogate de semitis antiquis, et quæ sit via bona, et ambulate in ea: et invenietis refrigerium animabus vestris. » Refrigerium illæ animæ inveniunt, quæ per æstum purgatorii non transeunt. Quid autem mirum, si perfecti per purgatorium non transeant, qui purganda omnia vitant et fugiunt? Isidorus ¹³: « Sicut falsitatis crimen a proficientibus pertimescitur, ita otiosa verba a perfectis viris vitantur. » Deducuntur quoque evolantium animæ, ut conducantur, ne timeant diabolus, qui licet non possit perfectorum animas in exitu detinere, nihilominus tamen libenter eas deterreret, si non in pace Spiritus sancti deducerentur ¹⁴: « In lætitia ingrediemini, et in pace deducemini. » Hæc pax, quam sanctæ animæ habent in egressu de corpore et de mundo, longe est a reprobis in ipsorum egressu ¹⁵: « In tempore illo non erit pax egredienti et ingredienti, sed terrores undique, » etc. *Egredienti* mundum, *ingredienti* infernum, non erit pax.

¹ Psal. CXLIII, 1. — ² Greg. — ³ Psal. CXLII, 10. — ⁴ I Thess., IV, 3. — ⁵ Psal. CXVIII, 66. — ⁶ Psal. CXLII, 11. — ⁷ Psal. CXXI, 6. — ⁸ Greg. — ⁹ Psal. LXXII, 24. — ¹⁰ Cant., III, 4. — ¹¹ Psal. XXII, 3. — ¹² Jerem., VI,

16. — ¹³ Isid., Sent., lib. II, c. XXI. — ¹⁴ Isa., LV, 12. — ¹⁵ II Paral., XV, 5.

(a) Cat. edit. non habent et digitos meos.

FERIA II PENTECOSTES.

SERMO PRIMUS.

Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. ¹ Consideremus, charissimi, dilectionis divinæ immensitatem, stabilitatem, communitatem, generalitatem. Dilectio enim Dei est immensissima, stabilissima, communissima.

De primo dicitur hic: *Sic Deus dilexit, etc.* Super omnia enim maxima fuit hæc dilectio. Potest enim immensitas dilectionis Dei perpendi ex beneficiis corporalibus, spiritualibus, æternalibus. Immensa enim est dilectio, quam Dominus exhibet corporaliter ²: « Si, postquam audieris hæc judicia, custodieris ea, et feceris, custodiet Dominus Deus tuus pactum tibi, et misericordiam, quam juravit patribus tuis, et diliget te, et multiplicabit. Benedicet fructui ventris tui, et fructui terræ tuæ, » etc. Quis omnia temporalia et naturalia divinæ dilectionis beneficia enumerare valet, quæ nobis de cælo, de aere, de aquis, de terra exhibentur? Item immensior est dilectio, quam nobis exhibet spiritualiter ³: « Si quis diligit, » etc., usque: « mansionem apud eum faciemus. » Quis omnia beneficia dilectionis divinæ enumerare possit, quæ in sacramentorum perceptione, in peccatorum remissione, in virtutum et donorum collatione, in Patris, et Filii, et Spiritus sancti mansionem (a) exhibentur servantibus sermonem Domini? Vere ergo beati sunt ⁴: « Beati qui audiunt verbum Dei, » etc. Quasi dicat: Si beatus venter, in quo mansit Filius corporaliter, vere certe beata est valde nunc mens custodientis sermonem meum, in qua manet Pater, et Filius, et Spiritus sanctus spiritualiter. Nec mirum etiam, cum de beata Virgine dicat Augustinus ⁵: « Beatior fuit Maria fidem Christi percipiendo, quam concipiendo carnem Chri-

sti. » Item immensissima est dilectio quam exhibet æternaliter; Psalmus ⁶: « Diligit Dominus portas Sion, » etc. Sion, Ecclesiam cælestem, plus diligit in effectu, quam tabernacula Ecclesiæ militantis. Augustinus ⁷: « Minus diligit miserum quam beatum. » Portæ Sion apostoli dici possunt ⁸: « Habentem portas duodecim, » etc. Si tantum diligit portas, quantum putas ergo diligit totam civitatem?

Circa stabilitatem dilectionis Dei attende principium, finem, medium. Attende quod ante omne tempus, per omne tempus, ad omne tempus vitæ præsentis diligit Dominus electos. De primo ⁹: « In charitate perpetua dilexi te, » etc. Bene dicit, *perpetua*. Diligit enim te, antequam tu, vel aliquis vel homo, vel angelus, vel cælum, vel terra esset. Et certe antequam esses, tibi regnum præparaverat, Filium mori fecerat ¹⁰: « Ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. » Augustinus ¹¹: « Nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, noluit rependere. » Bene dicit, *prior*. Qui prior sub isto priore vult esse, debet ordinem charitatis initiare, de quo ordine ¹²: « Ordinavit in me charitatem. » De secundo ¹³: « Omni tempore diligit, qui amicus est. » Considera a natiuitatis tempore usque ad tempus mortis, si unquam aliqua hora sine divinæ dilectionis beneficiis vixeris. Ipsum vivere enim Dei beneficium est. Et certe si tempus dilectionis negligis in mundo, tempus odii senties in inferno ¹⁴: « Tempus dilectionis, et tempus odii. » De tertio, nota quod regina Saba Salomoni dixit ¹⁵: « Quia diligit Deus Israel, et vult servare eum in æternum, idcirco posuit te regem super eum. » Salomon Christum, Israel autem electos Christi significat. Hos Deus Pater ex dilectione vult servare in æternum, in vita æterna. Unde ex dilectione eis constituit regem pacificum Jesum Chri-

Dilectionis divinæ stabilitas.

¹ Joan., III, 16. — ² Deut., VII, 12-13. — ³ Joan., XIV, 23. — ⁴ Luc., XI, 28. — ⁵ Aug., de sanct. Virginit., n. 3. — ⁶ Psal. LXXXVI, 2. — ⁷ August., — ⁸ Apoc., XXI, 12. — ⁹ Jerem., XXXI, 3. — ¹⁰ Joan., IV,

10. — ¹¹ Aug., serm. XXXIV, n. 2, quoad sensum. — ¹² Cant., II, 4. — ¹³ Prov., XVII, 17. — ¹⁴ Eccle., III, 8. — ¹⁵ II Paral., IX, 8. — (a) Cæd. edit. missione.

stum, de quo ¹: « Egredimini, filiæ Sion, et videte regem (a), » etc. Regina Saba est anima sancta, quæ veniens in cœlestem Jerusalem, ad cœlestem Salomonem, laudat hanc æternam dilectionem.

Dilectio-
nis divi-
næ com-
munitas.

Circa communitatem (b) dilectionis Dei attende, quod dilectio Dei communis est, communior, communissima. Communis utique omnibus amicis suis ²: « Ego diligentes me diligo. » Dilige ergo, ut diligaris, ne anathemate æterno feriaris ³: « Si quis non amat Dominum Jesum Christum, sit anathema. » Item communior est Dei dilectio amicis et inimicis; unde ⁴: « Diligite inimicos vestros, » etc., usque: « et pluit super justos et injustos: » quasi Dominus dicat: Diligite inimicos vestros, quia et ego diligo inimicos, solem et lunam, et alia bona eis communicando. Imo etiam solem æternum Filium suum inimico communicavit. Unde dicitur: *Sic Deus dilexit mundum*, etc. ⁵ « Cum inimici essemus, » etc. Bernardus ⁶: « Quid gloriosius nobis, quam quod tanti æstimavit nos Deus? quæ illa major gloria, quam tanta dignatio? Eo utique dulcissima, nam pro impiis mortuus est. » Item communissima est dilectio cum omnibus creaturis; unde dicitur hic ⁷: « Diligis omnia, quæ sunt, et nihil odisti eorum, quæ fecisti. » Non odit Dominus quæ fecit; sed odit quæ non fecit ⁸:

Septem
Deo
odiosa.

« Sex sunt, quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus: oculos sublimes, linguam detrahentem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia testem fallacem, et eum qui seminat inter fratres discordias. »

SERMO II.

Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret ⁹. O dilectio, o liberalitas Dei Patris sic nos diligentis, ut unigenitum

¹ Cant., III, 11. — ² Prov., VIII, 17. — ³ I Cor., XVI, 22. — ⁴ Matth., V, 44-45. — ⁵ Rom., V, 10. — ⁶ Beru. — ⁷ Sap., XI, 25. — ⁸ Prov., VI, 16. — ⁹ Joan., III, 16. — ¹⁰ Isa., IX, 6. — ¹¹ Rom., VIII, 32. — ¹² Beru., in

daret pro nobis: daret, inquam, corporaliter in incarnatione, daret sacramentaliter in communione, spiritualiter in justificatione, æternaliter in fruitione!

De primo ¹⁰: « Filius datus est nobis. » *Filius* utique; non angelus, non homo purus ¹¹: « Qui etiam proprio filio suo non pepercit, » Præterea non dicit *manus*, vel *pes* Filii, sed *filius*. Et vere magnum fuisset, si digitum Filii nobis dedisset. Sed ecce Filius datus est, totus datus est. Bernardus ¹²: « Totus mihi datus est, in usus meos expensus est. » *Filius datus est nobis*: nobis utique non amicis, sed inimicis ⁵: « Cum inimici essemus, » etc. Ecce Deus dedit tibi Filium suum, et tu merito debes dare Deo filium tuum, ipsum semper ad bonum inducendo, sicut Tobias filium suum, vel ad Dei servitium ipsum offerendo Christo, exemplo Abrahæ. Unde et Anna de Samuele filio suo dixit ¹³: « Dabo eum cunctis diebus vitæ ejus. » Sed, heu! quam miserabile est! Deus dedit tibi filium suum (c); et tu dedisti diabolo filios tuos, quando eis injustam hæreditatem reliquisti, vel in vitiis eos educasti. Psalmista ¹⁴: « Immolaverunt filios et filias suas dæmoniis, » etc.

De secundo ¹⁵: « Pater meus dat panem verum vobis de cælo, » etc. *Verum* dicit, non illum figuralem, scilicet manna, quæ figura fuit hujus panis. Sicut enim manna mirabilem habuit saporem secundum desiderium uniuscujusque, sic corpus Christi. Item sicut manna ad solem liquefiebat, ab igne vero indurabatur; sic corpus Christi ad solem gratiæ liquescit tibi ad salutem, ad ignem vero concupiscentiæ induratur tibi ad damnationem. Sic ergo mirabilia, quæ erant in manna, nunc in esca corporis Christi habemus. Psalmista ¹⁶: « Memoriam fecit mirabilium suorum, » etc., usque: « timentibus se. » Sic datur diabolus esca in peccato

circumc. Dom., serm. III, n. 4. — ¹³ I Reg., I, 11. — ¹⁴ Psal. CV, 37. — ¹⁵ Joan., VI, 32. — ¹⁶ Psal. CX, 7.

(a) *Cat. edit. non habent* et videte regem. — (b) *Cat. edit. qualitatem.* — (c) *Hem filios.*

permanentibus. Psalmista ¹ : « Tu confregisti capita draconum, dedisti eum escam populis Æthiopum. » Absit a nobis, fratres, venenum draconis vorare.

De tertio ² : « Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, » etc. *Sapientia* est Filius Dei, qui ad illuminandum ignorantias, et omnes animarum nostrarum tenebras, datus est nobis ³ : « Dedi te in lucem gentium. » *Sedes* autem sunt animæ justorum : anima enim justis sedes est sapientiæ. Heu ! multi hanc sedem cælo subtrahunt, et diabolo per diversa vitia supponunt ⁴ : « Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ. » Sequitur ⁵ : « Et noli me reprobare a pueris tuis. » *A pueris reprobandur*, quibus hæreditas negatur, de quibus ⁶ : « Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. »

De quarto ⁷ : « Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. » Hoc lignum est Christus. Qui de hoc ligno in cœlesti paradiso gustaverit, semper immortalis erit. Hujus ligni fructus quanto in fruitione plus editur, tanto plus desideratur ⁸ : « Qui edunt me, adhuc esurient. » Augustinus ⁹ : « Satietas erit insatiabilis, nullum fastidium generans (a) : semper esuriemus, semper saturati erimus. » Rami hujus ligni, extensiones illuminationum et gratiarum a Christo procedentium, in quibus volucres, id est angeli vel animæ bonæ, quiescunt ¹⁰ : « Volucres cœli requieverunt in ramis ejus. » Pensa, homo, ex prædictis, quam totaliter et multipliciter, quam utiliter, quam æternaliter datur iste unigenitus Dei Filius. Pensa diligenter, et videbis quam nihil sit quidquid (b) impendere potes. Cum enim meminero, ac cogitavero, quidquid ei rependere possim, nonne sunt sicut stella ad cœlum, lapis ad montem, gutta ad fontem, rivus ad flumen, granum ad acervum ?

¹ *Psal.* LXXIII, 14. — ² *Sap.*, IX, 4. — ³ *Isa.*, XLIX, 6. — ⁴ *Apoc.*, II, 13. — ⁵ *Ephes.*, V, 5. — ⁶ *Apoc.*, II, 7. — ⁷ *Eccli.*, XXIV, 29. — ⁸ *Aug.*, serm. CCCLXII, al. *de Divers.*, CXXI, II, 28-30, quoad sensum. —

Sic ergo Christus quatuor modis datur nobis, et ex dilectione datur. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium*, etc. Unde sicut dilectio solet ostendi in dando, in cibando, in visitando, in manifestando scilicet secreta, sic dilectio divina nobis in quatuor prædictis est exhibita, videlicet in dando nobis Filium corporaliter; unde hic dicitur : *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum*, etc. In cibando nos per Filium sacramentaliter ¹⁰ : « Diligam eos spontanee, » etc., ubi quibusdam interpositis sequitur : « Vivent tritico, » id est corpore Christi. Item visitando nos per Filium spiritualiter ¹¹ : « Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, » etc. Item manifestando Filium æternaliter ¹² : « Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. »

Dilectio
quomodo
ostendatur.

SERMO III.

Repleti sunt omnes Spiritu sancto ¹³, etc. Sicut replentur nubes humido, camini foco, arcae thesauro, vasa vino, ita apostoli repleti sunt Spiritu sancto, tanquam aqua irrigante in prædicatione, tanquam igne inflammante in dilectione, tanquam thesauro locupletante in virtutum aggregatione, tanquam vino lætificante in consolatione.

De primo ¹⁴ : « Si repletæ fuerint nubes, imbres super terram effundent. » Nubes sunt doctores ¹⁵ : « Qui sunt isti, qui ut nubes volant ? » quia postquam aquis salutaris sapientiæ repleti sunt, quasi tot stillas super terram cordis humani pluunt, quot Dei verba cordibus infunduntur ¹⁶ : « Si Dominus magnus voluerit, spiritu sapientiæ replebit eum, et ipse tanquam imbres (c) mittet eloquia sapientiæ suæ. » Væ illi terræ, væ homini, qui post tot doctrinarum imbres (c) non profert fructus bonorum operum ¹⁷ : « Terra sæpe venientem super se bibens im-

¹⁰ *Luc.*, XIII, 19. — ¹¹ *Ose.*, XVI, 5, 8. — ¹² *Joan.*, XIV, 17. — ¹³ *Ibid.*, 21. — ¹⁴ *Act.*, II, 4. — ¹⁵ *Eccl.*, XI, 8. — ¹⁶ *Isa.*, LX, 8. — ¹⁷ *Eccli.*, XXXIX, 9. — ¹⁸ *Hebr.*, VI, 7. — (a) *Cœl. edit.* gravans. — (b) *Item* sis, quidquam. — (c) nubes.

brem, et germinans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem, » etc.

De secundo ¹: « Laboraverunt populi in multo igne, et gentes in vacuum, et deficient (a), quia replebitur terra, ut cognoscat gloriam Domini. » Ignis iste, sicut exponit Glossa, ille est de quo ²: « Ignem veni mittere in terram, » etc. Hic est ignis Spiritus sancti, qui terram cordis vel Ecclesiæ ita replet, ut per ejus splendorem gloria Domini cognoscatur in mundo. Nolebat enim mundus cognoscere Dominum, scilicet Deum verum. Unde tantæ inter Dominum et mundum sunt inimicitiae, ut nullus amicus mundi possit Dei esse amicus ³: « Quicumque voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur. » Ideo Dominus apostolos igne sancti Spiritus, tanquam incendiarius (b), contra mundum misit, ut hoc igne mundi vitia, tanquam diaboli ædificia, cremarentur per fidem et pœnitentiam ⁴: « Ponam duces Juda sicut caminum ignis in lignis. » Et Augustinus ⁵: « Igne Spiritus sancti inflammati apostoli, cœperunt ire per mundum, inflammare et incendere in circuitu inimicos. » O si ego hodie diabolum in una ara porcorum, id est, unam luxuriam (c) cremare possem! Cum ergo mundus ita incenderetur per incendiarios principes, et populi ignem extinguere laboraverunt, sed etiam in vacuum.

De tertio ⁶: « In viis justitiæ ambulo, ut ditem diligentes me, thesauros eorum repleam. » Thesauri isti sunt bona voluntas, virtutes et merita, quibus per Spiritum sanctum repletur arca cordis. Gregorius ⁷: « Ante Dei oculos nunquam est vacua manus a munere, si arca cordis repleta est bona voluntate. » O cæcitas! tristatur homo, si perdit thesaurum mundi; et non curat, si perdit fidem, charitatem, justitiam, et patientiam, pretiosum thesaurum Spiritus sancti. O si

¹ Habac., II, 13. — ² Luc., XII, 32. — ³ Jac., IV, 4. — ⁴ Zach., XII, 6. — ⁵ Aug., Enarr. in Psal. xxx, n. 9. — ⁶ Prov., VIII, 20. — ⁷ Gregor., in Evang., hom. V, n. 3. — ⁸ 1 Esdr., VIII, 29. — ⁹ Prov.,

cogitarem cum quanta districtione thesaurus iste ponderetur in die redditionis, id est, mortis vel judicii, antequam in domum thesaurorum cœli recipiatur, quam diligenter eum custodiremus! ⁸ « Vigilate et custodite, donec appendatis coram principibus sacerdotum et ducibus familiarum Israel in thesaurum domus Domini. » Statera, in qua appendetur thesaurus iste, est Dei justitia vel judicium ⁹: « Pondus et statera, et judicia Domini sunt. » In hac ex una parte exponentur omnia merita tua, ex altera parte corona. Propter hoc semper time; dicitur enim ¹⁰: « Appensus es in statera, » etc. Principes autem et duces, coram quibus merita in judicio ponderabuntur, sunt apostoli, qui cum Domino in judicio præsidebunt.

De quarto ¹¹: « In doctrina replebuntur cellaria. » Duo sunt cellaria, unum Ecclesiæ militantis, alterum Ecclesiæ triumphantis. Utrumque repletur (d) in doctrina illius doctoris Spiritus sancti, de quo ¹²: « Ille vos docebit, » etc. Vasa primi cellarii sunt fideles Ecclesiæ: hæc Dominus in doctrina veritatis replet gratia bonitatis. Augustinus ¹³: « Vasa quæ creatrix sapientia format, ut (e) sicut adjutrix gratia replet, ne vacua sint, si strenuum operarium invenerint. » Magna autem hujus cellarii vasa sunt doctores, et præcipue apostoli vino Spiritus sancti repleti ¹⁴: « Musto pleni sunt. » De his vasis propinatum est toti mundo. In cellario autem primo quot sunt spiritus, tot sunt vasa vino Spiritus sancti plena. Si autem de uno vase, id est, de unius sancti gloria inebriaris gaudio Spiritus sancti, quid ergo erit, quando de mille, imo de mille millibus, imo de omnibus vasis plenis, id est, de omnibus sanctis simul in te vinum influet? Item quid ergo, quando de illo pleno hauseris vase, de quo ¹⁵: « Ave, (Maria) gratia

xvi, 11. — ¹⁰ Dan., v, 27. — ¹¹ Prov., xxiv, 4. — ¹² Joan., xiv, 26. — ¹³ August. — ¹⁴ Act., II, 13. — ¹⁵ Luc., I, 28.

(a) Leg. deficient. — (b) incendiarios. — (c) una luxuria. — (d) Cœl. edit. replet. — (e) Forte leg. et.

plena? » etc. Item quid ergo, quando de illo immensissimo vase beatæ Trinitatis erit continua inebriatio? Psalmista ¹ : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, » etc.

FERIA III PENTECOSTES.

SERMO PRIMUS.

Oves illum sequuntur ², etc. Oves Christi sunt fideles, qui quadrupliciter sequuntur Dominum, videlicet in sancta conversatione, in segura evolatione, in beata resurrectione, in æterna commansione. Primo modo, in mundo; secundo, in extremo; tertio, in iudicio; quarto, in cælo.

De primo ³ : « Nunc sequimur te in toto corde, et timemus te, et quærimus faciem tuam. » Toto corde sequi debemus Dominum, non dimidio, sicut quidam, qui Dominum et diabolum sequuntur. Quidam enim bona opera facientes, se de illis laudari volunt; ita diabolum sequuntur ⁴ : « Nemo potest duobus dominis servire. » De istis ⁵ : « Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus Deus est, sequimini eum; si autem Baal, » etc. Baal interpretatur *devorator*, et significat diabolum, qui multas quotidie devorat animas ⁶ : « Circuit quærens quem devoret. » Populus ille claudicans in duas partes cœpit sequi Dominum in toto corde, quando ignis de cælo dabatur, sicut ibidem legitur ⁷. Ignis iste Spiritum sanctum significat ⁸ : « Ignem veni mittere in terram, » etc. O si ignis iste ad nos descenderet, toto corde nos sequi Dominum faceret.

De secundo intelligi potest, quod transiturus per crucem de hoc sæculo, Dominus Petro dicit ⁹ : « Quo ego vado, non potes me modo sequi : sequeris autem pōstea. » Secutus (a) autem est (b) Petrus, quando per crucem transivit ad eam vitam, ad quam Christus ad crucem præcessit. Primus autem qui Christum sequebatur, fuit latro, cui

dixit ¹⁰ : « Hodie mecum eris in Paradiso. » Quicumque ergo evolando de morte ad vitam Christum vult sequi, debet de cruce eum sequi. Crux autem pœnitentia est ¹¹ : « Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt. » Item de cruce sequuntur, qui cruce signati contra paganos in certamine moriuntur. Sed valde metuendum est, quia non omnis, qui in cruce moritur, Christum ad requiem sequitur, sicut patet in malo latrone cum Domino crucifixo. Qui enim vel injustas possessiones, vel quæcumque voluntatem malam relinquere nolens, moritur sub cruce, ibit cum malo latrone. Non enim sequitur Christum de cruce, qui non sequitur Christum in crucem. Bernardus ¹² : « Væ semel et væ iterum portantibus crucem Christi, et non sequentibus Christum. »

De tertio : de illo qui habebat in capite diademata multa, et in ore gladium ex utraque parte acutum, dicitur sic ¹³ : « Vocabatur nomen ejus Verbum Dei : exercitus, qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis. » Verbum Dei Christus est, qui in iudicio habebit diademata gloriæ ad coronandum beatos, gladium autem sententiæ ad feriendos malos. Tunc homo, vel ad coronam, vel ad gladium ibit. Augustinus ¹⁴ : « Numquid iudicium Dei tantummodo formidandum malis propter pœnam, et non amandum bonis propter coronam? » Exercitus autem sanctorum tunc de cælo, vel etiam de sepulchris sequentur ad locum iudicii, et iterum de loco iudicii ad cœlum. Equi albi sunt corpora quæ sancti resument in resurrectione. In his equis significatur militia vitæ præsentis ¹⁵ : « Militia est vita hominis super terram, » etc. Quicumque in hoc equo bonus miles Christi fuerit, diadema prædictum accipiet. Multi autem fortiter agunt in debilibus equis, id est cordibus, et multi viles sunt in fortibus equis. Psalmista ¹⁶ : « Non in fortitudine equi, » etc. Non

¹ *Psal.* xxxv, 9. — ² *Joan.*, x, 4. — ³ *Dan.*, iii, 41. — ⁴ *Matth.*, vi, 24. — ⁵ *III Reg.*, xviii, 21. — ⁶ *I Petr.*, v, 8. — ⁷ *III Reg.*, xviii, 38 et seq. — ⁸ *Luc.*, xii, 32. — ⁹ *Joan.*, xiii, 36. — ¹⁰ *Luc.*, xxiii, 43. — ¹¹ *Gal.*,

v, 24. — ¹² *Bern.* — ¹³ *Apoc.*, xix, 13, 14. — ¹⁴ *Aug.*, *Eparr. in Psal. c.*, n. 2. — ¹⁵ *Job*, vii, 14. — ¹⁶ *Psal.*, cxlvi, 10.

(a) *Edit. Vat. Securus.* — (b) *Cæt. edit. erat.*

præsumat ergo qui habet hunc fortem equum, corpus scilicet robustum : multi enim credunt se fortiter in sella sedere, qui forte intra paucos dies per mortem ejicientur. Omnes enim nos de his equis ejiciemur in morte, cum lanceam scilicet mors in cor nostrum fixerit. Lancea enim tam audacter transfigit equum imperatoris, sicut pastoris. Bernardus ¹ : « Quid in rebus humanis certius morte? quid hora mortis incertius? Non miseratur inopiam, non divitias reveretur. Non gratiæ cujuslibet, non moribus, non ipsi denique parcat ætati. » Sed in resurrectione omnes ad equos redibimus, boni ad albos, mali ad nigros ² : « Facies omnium sicut nigredo ollæ. »

De quarto ³ : « Hi sunt, qui sequuntur Agnum quocumque ierit. » Et post pauca dicitur : « In ore ipsorum non est inventum mendacium, sine macula enim sunt ante thronum Dei. » Ecce quales esse debent, qui Christum volunt sequi in cælum. Si ergo Agnum sine macula sequi volueris, oportet te cælum intrare sine macula. Psalmista ⁴ : « Qui ingreditur sine macula. »

SERMO II.

Fur non venit, nisi ut furetur, et mactet, et perdat ⁵. Sicut perversus pastor dicitur diabolus, ita etiam fur dicitur, qui furatur nostra merita, mactat in culpa, perdit in gehenna. Perduntur autem peccatores a Deo, ab angelo, a proximo, a diabolo. Perduntur a Deo judicante, ab angelo exequire, a proximo scandalizante, a diabolo tentante.

De primo ⁶ : « Unus est legislator et iudex, qui potest perdere et liberare. » Hic autem est Christus ⁷ : « Dominus iudex noster, Deus legifer noster, Dominus rex noster : » *legifer noster* in mundo, *iudex* in iudicio, *rex* in cælo. Bene autem dicit : *Perdere et liberare* : perdet enim non reddentes per bona

opera fructum legis suæ; liberat (a) autem reddentes ⁸ : « Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. » Sicut enim in diluvio aliqui iusti per arcam liberati, iniusti extra arcam periti sunt ⁹ : « Venit diluvium, et perdidit omnes; » ita in iudicio ignis, pii a dextris liberabuntur, impii vero a sinistris perdentur cum occisoribus Christi et aliis homicidis. Contra quos orat Psalmista ¹⁰ : « Ne perdas cum impiis, » etc., usque : « vitam meam. »

De secundo dicitur ¹¹ : « Rex vero cum audisset, iratus est, et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit. » Hic (b) dicitur de illis, qui ad nuptias Christi et Ecclesiæ per fidem et amorem non venerunt. Homicidæ autem sunt non solum qui facto, vel verbo, sed etiam animo proximum occidunt ¹² : « Qui odit fratrem suum, homicida est. » Item vel gladio malitiæ seipsos ¹³ : « Homo autem cecidit per malitiam animam suam. » Sed, heu! non sufficit perversis occidere se vel proximum; quin etiam, quantum in se est, occidere tentant agnum illum, de quo ¹⁴ : « Qui occisus est ab origine mundi. » Et ¹⁵ : « Rursum crucifigentes, » etc. Tales ergo perduntur in iudicio, missis exercitibus angelorum ¹⁶ : « Mittet filius hominis angelos, » etc. Perduntur (c) per angelos perversi, non solum in iudicio, sed etiam in mundo; unde de Sodomitis dixerunt angeli ¹⁷ : « Delebimus locum istum, eo quod increverit clamor illorum Domino, qui misit nos ut perdamus illos. »

De tertio ¹⁸ : « Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. » Quocumque modo alius alium, exemplo, verbo, blanditiis, terroribus, negligentis ad peccandum inducit, animam suam perdit. Quam periculosum sit per scandalum perdere proxi-

Peccatores a quibus perdantur.

¹ Bernard., *Epist.* CCCXXII, n. 1, quoad sensum. — ² *Nah.*, II, 10. — ³ *Apoc.*, XIV, 4, 5. — ⁴ *Psal.* XIV, 2. — ⁵ *Joan.*, X, 10. — ⁶ *Jac.*, IV, 12. — ⁷ *Isa.*, XXXIII, 22. — ⁸ *Matth.*, XXI, 41. — ⁹ *Luc.*, XVII, 27. — ¹⁰ *Psal.* XXV, 9. — ¹¹ *Matth.*, XXII, 7. — ¹² *I Joan.*, III, 15. —

¹³ *Sap.*, XVI, 14. — ¹⁴ *Apoc.*, XIII, 8. — ¹⁵ *Hebr.*, VI, 6. — ¹⁶ *Matth.*, XIII, 41. — ¹⁷ *Gen.*, XIX, 13. — ¹⁸ *Rom.*, XIV, 15.

(a) Forte leg. liberabit. — (b) Hoc. — (c) Cæt. edit. interserunt etc. Perduntur.

mum, ostendit Eleazarus : legitur enim ¹ quod perdidit se corporaliter, ne proximos perderet spiritualiter. Augustinus ² : « Eleazarus maluit vitam suam tormentis objicere, quam cuiquam magister perdicionis existere. » Sed, heu ! de praelatis conqueritur Dominus ³ : « Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos. » Perdis ergo proximum scandalizando ; sed quod est miserabilius, perdis teipsum, mortaliter peccando ⁴ : « Quid proficit homini, si universum mundum lucretur, se autem ipsum perdat ? » Insanus autem esset, qui seipsum laqueo perderet corporaliter ; magis autem insanus, qui se vitio perdit æternaliter. Gregorius ⁵ : « Nulla major intelligitur insania, quam pro delectatione momentanea obligare se ad æterna supplicia. » Audi ergo consilium Sapientis ⁶ : « Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te » et animam tuam, « et hæreditatem tuam : » te æternaliter, hæreditatem temporaliter, etc.

De quarto, Psalmus ⁷ : « Me expectaverunt peccatores, ut perderent me. » Peccatores sunt dæmones, quorum omne studium est peccatum. Bene autem dicit : *Expectaverunt* : sicut enim aucupes, sicut venatores, sicut latrones, sic illi ad perdendum hominem expectabant (*a*) in insidiis. Psalmista ⁸ : « Sedet in insidiis cum divitibus, » etc. Sicut enim divites denariis, sic dæmones animabus insidiantur. Sed quare crudeles isti venatores et fures nos (*b*) expectant ? Certe ut macerent (*c*) in culpa, et perdant comedendo in pœna. Ambrosius ⁹ : « Amat gluto porcellum, ut comedat, sed nunquam crudos comedit. » Illos certe comedit et perdit in inferno, quos igne avaritiæ assavit, vel aqua fervente luxuriæ coxit in mundo. ¹⁰ « Frequenter eum in ignem et in aquam misit ut perderet. » Qui ergo cum tribus pueris de isto igne, et cum Petro de aqua non fuerit liberatus, manebit æternaliter in ignis ardore, et aquæ frigore ¹¹ :

¹ II Mach., vi, 25-27. — ² Aug. — ³ Jerem., l, 6. — ⁴ Luc., vi, 25. — ⁵ Greg. — ⁶ Eccli., ix, 6. — ⁷ P. al. cxviii, 95. — ⁸ Psal., x, 8. — ⁹ Ambros. — ¹⁰ Marc., ix, 21. — ¹¹ Job, xxiv, 19. — ¹² Act., ii, 4. — ¹³ Luc.,

« Ad calorem nimium transiet ab aquis nivium. »

SERMO III.

Repleti sunt omnes Spiritu sancto ¹². Repletio Spiritus sancti est purgativa, illuminativa, perfectiva et consummativa. Purgat defectum, illuminat intellectum, perficit affectum, confirmat perfectum.

De primo ¹³ : « Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. » In hac repletione purgatus fuit Joannes a culpa originali in utero. Mystice autem mater ista est Ecclesia vel religio, quæ nos in visceribus charitatis quasi in utero portat. De hoc utero ¹⁴ : « Mulier amicta sole, » usque : « in utero habens, » etc. Amicta sole in lucida conversatione ¹⁵ : « Sic luceat lux vestra, » etc. Tunc perfecte conversamur (*d*), quando in prosperitate non extollimur, in adversitate non dejicimur, sicut stulti mundi amatores mutantur, secundum mutabilitatem temporalium ¹⁶ : « Stultus ut luna mutatur. » Unde talis non super lunam, sed sub luna est. Item *corona duodecim stellarum in capite ejus*, in æternorum contemplatione, quæ in duodecim articulis fidei fundatur. Sed, heu ! multi coronam sub pedibus, lunam in capite habent, quando æternis temporalia præponunt. Filius de utero hujus mulieris nascitur, quando in lucem (*e*) vitæ æternæ spiritus boni hominis transfunditur. Unde bene dicitur ibidem ¹⁷ : « Raptus est filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus. » Draco diabolus est, qui perfidia in exitu de mundo maxime insidiatur. Gregorius scribens de perverso, in homilia, ait ¹⁸ : « Ecce juvenis pravus draconem vidit in morte, cui servierat in vita. » Non autem solum malis, sed et bonis insidiatur in morte. Patet hoc, quia etiam illi insidiatur, qui ad thronum rapiebatur.

De secundo ¹⁹ : « Spiritus Domini replevit

1, 15. — ¹⁴ Apoc., xii, 1-2. — ¹⁵ Matth., v, 16. — ¹⁶ Eccli., xxvii, 12. — ¹⁷ Apoc., xii, 5. — ¹⁸ Greg., in Evang., hom. xix, n. 7. — ¹⁹ Sap., i, 7.

(*a*) Leg. expectant. — (*b*) Cort. edit. nou. — (*c*) Item macerentur. — (*d*) contemnimus. — (*e*) luce.

Repletio
Spiritus
sancti.

orbem, » etc. Qui continet omnia est homo, secundum Gregorium¹ in homilia Ascensionis, qui ait: «Commune habet cum omni creatura.» Sed quidam habent scientiam sine voce, qui multa sciunt, et parum docent; quidam vocem sine scientia, qui multum clamant, et parum sciunt; quidam scientiam et vocem, et hos replevit Spiritus sanctus, dans aquam sapientiæ, cum imbre eloquentiæ, quot verba, tot stillas (a) pluunt.

De tertio²: «Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti.» Ecce talibus unctionibus replet animam Spiritus sanctus. Psalmista³: «Sicut adipe et pinguedine repletur anima me.» Quare repletio optime figurata est in vasis oleo miraculose repletis. Quære expositionem in octava Paschæ, in sermone: *Accipite Spiritum sanctum*⁴. Debes enim clausuram servare in teipso, quærere vasa exemplorum in proximo, repleri oleo donorum a Deo. Sed si non vis sequi exempla sanctorum, sit tibi turpe non sequi exempla paganorum, a quibus de contemptu mundi, et de sobrietate, et de aliis virtutibus multa mutuari posses, sicut filii Israel vasa Ægyptiorum. Sed diligenter attende, quod licet vasa multiplicentur, non tamen replentur, nisi ostia sensuum claudantur. Sed præcipue claude ostium oris. Ambrosius⁵: «Ingreditur mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter et procaciter.» Clausæ sint ergo fores labiorum tuorum, et obseratum maneat vocis vestibulum.

De quarto⁶: «Repletus ergo sum fortitudine Spiritus Domini, iudicio et virtute.» Fortitudine scilicet resistendi in tentatione⁷: «Adversarius vester diabolus, » etc. usque: «fortes in fide.» Item iudicio corrigendi in prælatione: «Honor enim⁸ regis, » id est prælati, «iudicium diligit.» Talis fuit repletio,

de qua Paulus⁹ «repletus Spiritu Sancto, intuens in eum¹⁰, dicit: O plene (b) omni dolo, » etc. Certe prælatus, qui modo pestilenti corripiendo diceret eum filium diaboli, et tanta animadversione puniret, vix putaretur hoc facere ex Spiritu sancto, sed maligno. Et ecce Paulus repletus Spiritu sancto tam dure corripuit, et cæcitate punivit. Bene ergo fuit pœnitentia in opere, et correptio in ore; sed Spiritus sancti repletio fuit in corde. Item virtute persistendi in bona conversatione; Gregorius¹¹: «Virtus boni operis perseverantia est.» Hanc virtutem Spiritus sanctus cœlestibus et spiritualibus, qui per cœlos significantur, confert. Psalmista¹²: «Verbo Domini, » etc. usque: «Dominus.»

FERIA IV PENTECOSTES.

SERMO PRIMUS.

*Nemo potest venire ad me*¹³, etc. Venire ad Dominum debet homo, qui invitatur verbi exhortatione, allicitur præmii promissione, jubetur præcepti obligatione, trahitur beneficii exhibitione.

De primo¹⁴: «Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.» Ecce si sitis salutem, invitatus es venire ad salutem. Quomodo enim ad salutem veniret, quem Salvator non invitaret? Augustinus⁵: «Nullum (c) ad salutem credimus nisi Deo invitante venire: nullum invitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari; nullum, nisi orantem, auxilium promereri.» Ait ergo: *Si quis sitit*, etc. Sitire est vehementer desiderare; Psalmista¹⁶: «Quemadmodum desiderat cervus, » etc. usque: «Sitivit anima mea: » ubi dicit Glossa, quod cervus senio gravatus, exerescentibus pilis atque cornibus, serpentem naribus haurit, quo hausto veneno, æstuat, unde fontem ad bibendum ardentissime desiderat, ut sic cornua et pilos deponat. Ita volens reverti ad

¹ Gregor., in *Evang.*, hom. XXIX, n. 2. — ² Rom., xv, 13. — ³ *Psal.* LXII, 6. — ⁴ Scilicet serm. III, in Octav. Pasch., p. 256, col. 2. — ⁵ Ambros. — ⁶ *Mich.*, III, 8. — ⁷ *Petr.*, v, 8. — ⁸ *Psal.* xcvi, 4. — ⁹ *Act.*, XIII, 9-10. — ¹⁰ Scilicet Elyman. — ¹¹ Gregor., in

Evang., hom. xxv, n. 1. — ¹² *Psal.* xxxii, 6-8. — ¹³ *Joan.*, vi, 34. — ¹⁴ *Joan.*, vii, 37. — ¹⁵ Imo Gennad., de *Eccl. Dogm.*, c. xxv, al. 56, inter Oper. Aug., Append. tom. VIII. — ¹⁶ *Psal.* xli, 2-3.

(a) *Cœt. edit.* stellas. — (b) pleni. — (c) Nullus.

Dominum, veneno vitiorum contractorum a serpente diabolo, vel caue, se aestuare cognoscens, fontem gratiæ desiderat, ubi vitiorum pilos et cornua superbiæ deponat: et sic reviviscit factus novus homo. ¹ «Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem,» etc.

De secundo ²: «Sinite parvulos venire ad me,» etc. Parvuli sunt humiles: humilitate enim ad Christum venit. Augustinus ³: «Humiliter ad humilem venite, venite, si amatis, ne discedatis ab illo,» etc. Si allicit te venire ad amicum tuum refectio corporalis, quanto magis spiritualis? ⁴ «Venite ad me omnes qui lassati estis,» etc. Et si allicit te promissio regni, estote humiles (a): «Talium est enim ⁵ regnum cœlorum.» Libenter possumus esse parvuli, id est, humiles in oculis nostris, ut regnum consequamur ⁶: «Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli,» etc. Quod etiam significatur in Saul, cui ait Samuel ⁷: «Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribus Israel factus es, unxit quoque te Deus in regem?» Bene dicit: *in oculis tuis*, non in oculis aliorum, multi enim parvi et contemptibiles sunt in oculis aliorum, qui magni sunt in oculis propriis. Item *in oculis tuis* dicit, non in oculis Dei. Augustinus ⁸: «Esto parvus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis Dei. Tanto enim apud Deum eris pretiosior, quanto fueris ante oculos tuos despectior.»

De tertio ⁹: «Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas.» Quidam inter aquas veniunt, sicut filii Israel per mare Rubrum; quidam super aquas, sicut Petrus. Primi imperfectos et sæculares significant, qui terrenis inhiantes, mare hujus sæculi licet transeant, tamen pedibus affectuum terram tangunt; sed secundi perfectos et gloriosos significant, qui mare sæculi contemnent, sub pedibus calcant; tertii autem in mare sæculi intrantes submergantur, scilicet

cet Ægyptii, id est, peccatores per vitia tenebrosi. Ægyptus enim tenebrosa interpretatur *infernus*. O quam miserabilis est submersio! Vanitas cor rapit, curiositas seducit, cupiditas allicit, voluptas deducit, luxuria polluit, torquet invidia, turbat iracundia, cruciat tristitia; et sic miser talibus submergitur in vitiis omnibus.

Submersio miserabilis.

De quarto: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui misit me, traxerit eum.* Ne dicas quod solus Filius sollicitus est pro nobis: ecce nos Filius et Pater trahit. Quoties enim beneficia Dei recipimus, toties tracti sumus: inter quæ tamen nos maxime trahere debet passionis Christi beneficium, quod tam magnum ipse Christus judicavit, quod merito totum mundum trahere deberet. Unde ait ¹⁰: «Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.» Sed potest dicere aliquis: Ecce nemo potest venire ad Christum, nisi tractus. Si ergo per gratiam non trahor, quomodo venire possum? Attende, homo: ecce si modo igne vel aqua, vel hostibus repleta esset hæc civitas, et nullo modo evadere posses, nisi per turrim altissimam traheris, et amicus tuus stans super turrim, fune dimisso (b) inferius, paratus esset (c) et quemlibet volentem trahere sursum: si ergo tu manum ad funem non mitteres, vel si non traxeris, vel in media via funem relinquens caderes, tunc certe tua culpa esset, quod non evaderes. Sic enim de fune gratiæ et charitatis, per quam Deus, amicus verus, paratus est omnes trahere ad alta, qui per manum boni operis funem gratiæ fortiter tenent. Unde bene dicit: *Si exaltatus fuero*, etc. Et certe non novus amor, quo nos trahit, sed antiquus ¹¹: «In charitate perpetua dilexi te, ideo,» etc.

Exemplum pulchrum.

SERMO II.

Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum. Trahit hominem

¹ Ephes., iv, 22. — ² Marc., x, 14. — ³ August., serm. cxvii, n. 17, quoad sensum. — ⁴ Matth., xi, 29. — ⁵ Matth., xix, 14. — ⁶ Matth., xviii, 3. — ⁷ 1 Reg., xv, 17. — ⁸ Imo auctor serm. ccxcvii, al. de

Temp. ccxiii, n. 1, inter Oper. Aug., append. tom. V. — ⁹ Matth., xiv, 28. — ¹⁰ Joann., xii, 32. — ¹¹ Jerem., xxxi, 3. — (a) Leg. esto humilis. — (b) demisso. — (c) Suppl. te, vel del. et.

Deus
quomo-
do tra-
hat.

Deus, trahit homines diabolus, trahit proximus. Trahit Deus ad bonum, diabolus ad malum, trahit homo ad utrumque. Trahit Deus hominem a malo ad bonum, a bono ad bonum, a mundo ad cœlum. Primo trahit incipientes, secundo proficientes, tertio pervenientes.

De primo ¹: «Ego si exaltatus fuero, omnia,» etc. Glossa: «Omnia genera hominum, de quibus diabolus ejicitur.» Trahit autem quandoque per flagella, quandoque per beneficia; unde ²: «In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.» Funiculi Adam sunt flagella, quia et ipse primus, et per eum nos flagellati sumus; vincula vero charitatis Dei sunt beneficia.

De secundo ³: «Trahe me post te. Curremus in odorem unguentorum tuorum.» Currere est in virtutibus et bonis operibus proficere ⁴: «Sic currite, ut comprehendatis.» Vel currere est ferventer diligere; Bernardus ⁵: «Qui amat ardentius, currit velocius, et pervenit citius.» Unguenta sunt gratiarum charismata, quibus Deus fideles unxit. Odor est bona fama. In odorem ergo unguentorum Dei currimus, quando per famam virtutum et exempla sanctorum proficimus. Ut vero sic currere possimus, nos per gratiam trahi petimus. Augustinus ⁶: «Trahe, Domine, in amorem tuum hoc ipsum quod sum.»

De tertio ⁷: «Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet, deficiet omniscaro simul, et homo in cinerem revertetur.» Ecce quando caro in morte deficit, tunc spiritum Dominus ad se trahit. Et certe qui nunc cor suum ad Dominum dirigit, Spiritum sanctum ad se trahit. Tunc certe Dominus spiritum tuum ad se trahet, si nunc per orationem et per confessionem spiritum suum ad te trahis (a). Psalmus ⁸: «Os meum aperui, et attraxi spiritum.»

¹ *Juan.*, XII, 32. — ² *Ose.*, XI, 4. — ³ *Cant.*, I, 3. — ⁴ *I Cor.*, IX, 24. — ⁵ Bern. in *Cant.*, serm. XXIII, n. 1. — ⁶ *Aug.*, *Conf.*, lib. XIII, IX, 40. — ⁷ *Job.*, XXXIV, 14. — ⁸ *Psal.*, CXVIII, 131. — ⁹ *Apoc.*, XII, 15. — ¹⁰ *Ibid.*, 4. — ¹¹ *Habac.*, I, 15. — ¹² *Prov.*, XXIV,

Trahit quoque diabolus hominem de bono ad malum, de malo ad malum, de mundo ad infernum.

Diabolus
quo pacto
trahat.

De primo ⁹: «Misit serpens ex ore suo post mulierem aquam magnam tanquam fluvium, ut eam faceret trahi a flumine.» Præmittitur etiam ibidem ¹⁰, quod cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum. Os serpentis diaboli suggestionem, cauda vero humanam imitationem significat. Vel os diaboli est os hæretici, os mali consiliarii, os seminantis discordiæ, os allicientis ad fornicationem, et similibus. Flumen est abundantia iniquitatis. Cauda vero, quæ tegit turpitudinem, est quælibet sententia vel appetentia alterius iniquitatem injuste occultans, vel defendens, vel pallians.

Os dia-
boli quid

De secundo ¹¹: «Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua.» Hamus diaboli est reatus æternæ mortis, quem abscondit sub esca momentaneæ voluptatis; sagena vero est consuetudo peccandi. Sicut enim sagena multis nexibus, sic consuetudo ex multis malis actibus conficitur, quando homo de utero ad vitium trahitur. Sed, heu! diabolus piscem, quem sagena de mundo extraxit, super carbones inferni mittit.

De tertio ¹²: «Erue eos qui ducuntur ad mortem, qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.» Quod non solum de interitu temporali, sed etiam æternali potest accipi ad quod diabolus trahit. Gregorius ¹³: «Maligni spiritus, egrediente anima, opera sua requirunt, mala replicant quæ suaserunt, ut sociam ad tormenta trahant.» Ab hoc tractu quilibet amicum suum consilio et auxilio liberare debet.

Trahit etiam homo hominem ad culpam, ad gratiam, ad penam.

Homo
quomodo
trahat

De primo dicitur de juvene, qui sequitur mulierem vagam ¹⁴: «Ignorans quod ad vincula stultus trahitur.» Væ ei, qui ad fornicationem, ad rapiam, ad quodcumque vi-

11. — ¹³ *Gregor.*, *Moral.*, lib. XXXII, c. XIX, n. 34, quoad sensum. — ¹⁴ *Prov.*, VII, 22.

(a) *Cæt. edit* trahit.

tium, vel de utero ad vitium trahitur! ¹ «Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis,» etc. Tales similes sunt diabolo. Ambrosius ²: «Tales, qui alios trahunt ad iniquitatem, in semetipsis dæmonum mysterium sunt, quamvis per naturam dæmones non sint.

De secundo ³: «Ascendit Simon Petrus, et traxit rete,» etc. Homines, id est pisces, per rete trahuntur ad terram viventium. Trahendi sunt homines non solum verbis, vel consiliis, sed etiam exemplis et adiutoriis ⁴: «Ad manus autem trahentes illum,» etc. Nota quod Dominus eum specialiter diligit, qui ad bonum alios trahit. Gregorius ⁵: «Ille apud Deum magis in amore Dei est, qui magis ad amorem Dei plurimos trahit.»

De tertio ⁶: «Injicient vobis manus, et persequentur, trahentes in synagogas ad reges et præsides, propter nomen meum.» Væ eis, qui alios injuste ad judicia et ad pœnas trahunt.

DOMINICA IN OCT. PENTECOSTES,

DE SANCTISSIMA TRINITATE.

SERMO PRIMUS.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum ⁷, etc. In Veteri quoque Testamento gloria Trinitatis prædicatur. Attendite, Charissimi, quod Dominus Deus ter sanctus ab angelis proclamatur: sanctus enim est in seipso, sanctus in homine Christo, sanctus in opere sancto. Sanctus, inquam, est in tribus personis, in tribus substantiis unius personæ, in tribus operibus unius essentiæ, scilicet bonitatis divinæ.

De primo ⁸: «Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester.» De hac sanctitate bene hic dicitur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*. Interlinearis: «Sanctus Pater, sanctus Filius, Sanctus Spiritus.» Sanctus utique est

Pater ⁹: «Pater sancte, serva eos in nomine tuo,» in vita bona, ne pereant in nomine diaboli, in vita mala: dicitur enim ¹⁰ quod «qui habuerit characterem bestię,» Interlinearis: Id est, signum nominis ejus, «cruciabitur igne et sulphure.» Item sanctus est Filius, unde Psalmista ¹¹: «Semel juravi in sancto meo.» Glossa: «in homine Christo.» Quid jurasti, Domine? «Juravi,» inquit, quod «semen» Filii mei, id est Christiani, manebit (a) in regnum «in æternum;» et juravi quod «thronus ejus,» Glossa: Id est illi, in quibus incidet et dominatur, «fulgebunt sicut sol» in regno Patris. Ecce vides quomodo Dominus juravit in sancto suo, quod omnes pios gloriosissime glorificabit in regno. Et certe etiam juravit in sancto suo quod omnes impios sævissime damnabit in inferno ¹²: «Juravit Dominus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, et levabunt vos in contis, et reliquias vestras in ollis ferventibus.» Item sanctus est Spiritus sanctus ¹³: «Erit lumen Israel in igne, et sanctus ejus in flamma.» Spiritus sanctus est lumen illuminans, et sanctus est sanctificans, flammaque inflammans animas nostras, et (b) in linguis igneis inflammavit apostolos. Per hanc certe flammam vitatur illa de qua ¹⁴: «Crucior in hac flamma.» Sanctus est ergo Deus in tribus personis ¹⁵: «Quis similis tibi, magnificus in sanctitate,» etc. *Terribilis* est Pater in potestate, *laudabilis* Filius in veritate, *mirabilia faciens* Spiritus sanctus in bonitate.

De secundo ¹⁶: «Quod ex te nascetur,» etc. De hac Christi sanctitate etiam bene dicitur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus*. Sanctus in corpore (c), sanctus in anima, sanctus in divinitate. Sanctus est Christus in corpore; Psalmus ¹⁷: «Sanctum est templum tuum,» templum utique corporis, de quo ¹⁸: «Solvite templum hoc,» etc. Solutum fuit hoc templum vulneratione, et separatione ab

IV, 2. — ¹³ Isa., x, 17. — ¹⁴ Luc., xvi, 24. — ¹⁵ Exod., xv, 11. — ¹⁶ Luc., i, 35. — ¹⁷ Psal. LXIV, 5. — ¹⁸ Joan., ii, 19.

(a) *Cat. edit.* manet. — (b) *Leg. ut.* — (c) *Cat. edit.* corde.

¹ Isa., v, 18. — ² Ambros. — ³ Joan., xxi, 11. — ⁴ Act., ix, 8. — ⁵ Greg. — ⁶ Luc., xxi, 12. — ⁷ Isa., vi, 3. — ⁸ Levit., xix, 2. — ⁹ Joan., xvii, 11. — ¹⁰ Apoc., xiv, 10. — ¹¹ Psal. LXXXVIII, 36. — ¹² Amos,

anima, non corruptione. Psalmus¹: «Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.» Glossa: «id est, putrefactionem.» Item est sanctus Christus in anima; Psalmus²: «Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.» Glossa: «Proprie hoc convenit Christo: *Custodit Dominus animas sanctorum suorum*, etc. Et quia anima Christi præ omnibus est sancta, ideo præ omnibus detestatur quidquid sanctitati contrarium est³: «Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus.» Item sanctus maxime est Christus in divina natura; Psalmus⁴: «Domini est assumptio nostra,» Glossa: Id est, carnis nostræ; «et sancti Israel regis nostri.» Ecce quia carnem nostram assumpsit, sanctus et rex dicitur. Sanctificat enim, et regit nos assumptio in utero Virginis, per quam Sanctus sanctorum ad nos venit, ille utique sanctus, de quo⁵: «Talis decebat ut esset nobis Pontifex, sanctus et innocens, etc.» Sanctus in bono, et innocens est in corpore, in anima, in divinitate: ideo bene additur: *impollutus*, Glossa: «Corde.» Item *segregatus a peccatoribus*, Glossa: «Immunis ab omni vitio:» hoc quoque ad animam. Item etiam *excellenter cælis factus*, Glossa: «Quia eum angeli adorant:» hoc divinitatis est.

De tertio, Psalmus⁶: «Sanctus in omnibus operibus suis.» De hac sanctitate etiam bene dicitur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus*, etc. Sanctus in opere creationis, sanctus in opere redemptionis, sanctus in opere glorificationis. De primo⁷: «Ego Dominus sanctus vester, creans Israel, rex vester.» Sanctus in creatione est Dominus, quia nullam iniquitatem, nullum ad iniquitatem creavit Dominus, nec dæmonem, nec hominem⁸: «Vidit Deus cuncta quæ fecerat,» etc. Augustinus⁹: «Bona valde, quæ fecit; quanto melior ille fuit, qui fecit!» De secun-

do¹⁰: «Hæc dicit Dominus Redemptor vester sanctus Israel: Propter vos emisi Babylonem, et detraxi vectes universos, et Chaldæos in navibus (a) suis gloriantes.» Redemptor noster per passionem est¹¹: «Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam in redemptionem pro multis.» Ambrosius¹²: «Plus debeo, Domine Jesu, tuis injuriis quod redemptus sum, quam tuis viribus quod creatus sum.» Redemptor iste emisit Spiritum sanctum, apostolos et doctores in *Babylonem*, Interlinearis: «In mundum peccato confusum,» *et detraxit vectes vitiorum, et Chaldæos in navibus suis (a) gloriantes*, id est, dæmones per fluctus hujus sæculi miseris animas circumducentes, et inde gloriantes. De tertio¹³: «Adducam filios tuos de longe, argentum et aurum eorum cum eis, nomini Domini et sancto Israel, quia glorificabit te.» Hiernsalem, cui glorificatio hic promittitur, significat Ecclesiam, quæ a sancto Israel in cælo glorificabitur. Ille autem amplius cum Ecclesia ædificabitur in cælo, qui argento fidei et auro charitatis amplius in Ecclesia abundaverit in mundo. Augustinus¹⁴: «Ille apud Deum plus habet loci, qui plus attrahit non argenti, sed fidei.» Sanctus ergo est Deus in tribus operationibus¹⁵: «Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est:» qui erat in principio mundi Creator, qui est in medio Redemptor, qui venturus est in extremo remunerator.

SERMO II¹⁶.

*Quis appendit tribus digitis molem terræ*¹⁷? Tribus digitis, Interlinearis: «Id est, potestate Trinitatis.» Terra, sicut ait beatus Gregorius¹⁸, significat Ecclesiam, quæ fide Trinitatis, quasi tribus digitis appenditur. Considerandum autem quod fide Trinitatis, quasi

¹ *Psal.* XV, 10. — ² *Psal.* LXXXV, 2. — ³ *Prov.* VI, 16. — ⁴ *Psal.* LXXXVIII, 19. — ⁵ *Hebr.*, VII, 36. — ⁶ *Psal.* CXLIV, 13. — ⁷ *Isa.*, XLIII, 15. — ⁸ *Gen.*, I, 31. — ⁹ *Aug.*, serm. XXIX, n. 1, quoad sensum. — ¹⁰ *Isa.*, XLIII, 14. — ¹¹ *Matth.*, XX, 28. — ¹² *Ambros.* —

¹³ *Isa.*, LX, 9. — ¹⁴ *Aug.*, serm. XXXVI, n. 8, quoad sensum. — ¹⁵ *Apoc.*, IV, 8. — ¹⁶ *Ilue* et duos seq. habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ¹⁷ *Isa.*, XL, 12. — ¹⁸ *Greg.* aliquid simile habet *Moral.*, lib. XVII, c. XXVII, n. 35.

(a) *Cæt. edit.* manibus. — (b) *Item ira sua.*

triplici funiculo trahimur, quasi tribus digitis appendimur, quasi tribus palmitibus reficimur et inebriamur. Trahimur in conversione, appendimur in conversatione, reficimur in fruitione. Trahimur de profundo culpæ, appendimur in solido gratiæ, inebriamur mero gloriæ.

De primo¹: «Funiculus triplex difficile rumpitur.» Funiculus triplex est fides Trinitatis; Glossa: «Si fides Patris, et Filii, et Spiritus sancti advenerit, non facile rumpitur ista soliditas.» Hoc funiculo trahimur de cloaca diaboli, de lacu peccati²: «Extraxerunt Jeremiam funibus, et adduxerunt eum de lacu.» Sed certe per funem fidei extrahi non poteris, nisi manus per bona opera ad funem miseris³: «Fides sine operibus mortua est.» Funiculus fidei difficile rumpitur, qui nec gladio, nec igne, nec vetustate consumitur. Primum patet in beato Paulo, et in multis aliis, qui⁴ «in occisione gladii (pro fide) mortui sunt,» quorum fides ferro scindi non potuit. Secundum patet in beato Laurentio, et beata Agnete, et Lucia, et quinquaginta oratoribus, qui pro fide ignem sustinuerunt. Tertium patet in tota Ecclesia: Ecclesia, Abrahæ fides (a) vetustissima, ad hæc recens est, et erit in credentibus, usque ad finem mundi (funiculus enim fidei Trinitatis nunquam consumitur, cum tamen non sit novus); sed antiquissima, sicut patet in antiquissimis justis. Augustinus⁵: «Fides patriarcharum, prophetarum, atque apostolorum, unum Deum (b) prædicat esse Trinitatem.» Antiquissimus enim patriarcha Abraham⁶ «tres vidit, et unum adoravit.» Antiquissimus Propheta Davit ait⁷: «Benedicat nos Deus, Deus noster,» etc. Antiquissimus etiam apostolorum⁸: «Tres sunt, qui testimonium dant in cælo,» etc.

De secundo dicitur hic: *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Terra significat

Ecclesiam: terra enim super aquas est; sic et Ecclesia super aquas Babylonis. Psalmista⁹: «Ipse super maria fundavit eam,» etc. Fundata est enim tribus digitis in potestate et fide Trinitatis¹⁰: «Baptizantes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.» Item terra est stabilis; sic et Ecclesia¹¹: «Terra vero in æternum stat.» Item terra divisa est in tres partes, scilicet Asiam, Africam, et Europam; unde digitis bene tribus appensa est: sic et Ecclesia tres habet status, scilicet conjugatorum, viduarum, et virginum. Item terra fructificat; sic et Ecclesia meritis. Psalmus¹²: «Terra dedit fructum suum.» Non tamen hæc tres insulæ æqualiter fructificant: insula enim conjugatorum trigesimum, viduarum sexagesimum, virginum centesimum fructum dat. Unde tertia insula optima est. Augustinus¹³: «Bonum Susannæ in conjugali castitate laudamus; sed tamen ei bonum Annæ viduæ, ac multo magis Mariæ Virginis anteponimus.» Hæc tres terræ Ecclesiæ fide Trinitatis, quasi tribus digitis appenduntur. O fortissimus, et sapientissimus Deus, qui totam fidem Ecclesiæ sic appendit! Appendit, inquam, continendo in gratia, sine qua nihil (c) possumus. «Appendit terram super nihilum¹⁴.» Appendit et ponderando merita¹⁵: «Appendat me in statera justa.» Augustinus¹⁶: «Interior inspector est Dominus, illi (d) appendit, illi (d) examinat¹⁷.»

De tertio¹⁸: «Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines.» Vitis hæc est fides Trinitatis, de qua bene crescit vinum æternæ jucunditatis; Psalmista¹⁹: «Vinum lætificat cor hominis.» Hoc mero lætificamur (e) in fruitione beatæ Trinitatis. Augustinus²⁰: «Res, quibus fruendum est, sunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.» Hoc vinum pretiosum in vasis pretiosis et speciosis appo-

¹ *Eccle.*, IV, 12.—² *Jerem.*, XXXVIII, 13.—³ *Jac.*, II, 21.—⁴ *Hebr.*, XI, 37.—⁵ Imo Fulg., *de Fide ad Petr.*, n. 4.—⁶ Ut canit *Ecclesia* ex serm., qui putabantur August., LXVIII et LXX *de Temp.*—⁷ *Psal.* LXVI, 8.—⁸ I *Joan.*, V, 7.—⁹ *Psal.* XXIII, 2.—¹⁰ *Matth.*, XXVIII, 19.—

¹¹ *Eccle.*, I, 4.—¹² *Psal.* LXVI, 7.—¹³ Aug.—¹⁴ *Job*, XXVI, 7.—¹⁵ *Job*, XXXI, 6.—¹⁶ Aug.—¹⁷ Locus corruptus.—¹⁸ *Gen.*, XL, 10.—¹⁹ *Psal.* CIII, 15.—²⁰ August., *de Doct. Christ.*, lib. I, c. III, quoad sensum.

(a) *Leg. fide.*—(b) *Cæt. edit.* unde Deus.—(c) *Edit. Vat. nihil.*—(d) *Fortè leg. illic.*—(e) lætificabimur.

ne. ¹ « In regia vinum erat abundans, et præcipuum ponebatur. » Et præmittitur ibi : « Bibeant autem qui invitati erant aureis poculis. » Require expositionem in sermone : *Deficiente vino*.²

SERMO III.

*Tres sunt, qui testimonium dant in cælo*³, etc. Glossa : « Per hoc apparet, quod *Jesus est veritas*⁴, » verus Deus, et verus homo. De utroque certum habemus testimonium. O vere magnum id testimonium ! *Tres*, inquit, *sunt, qui testimonium dant*, etc. Tres utique credendi certissime, tres metuendi justissime, tres diligendi veracissime, tres colendi dignissime.

De primo ⁵ : « Ibimus viam trium dierum in solitudine. » Via nostra est fides nostra trium personarum, quam ut rectius teneamus, ipsam nobis per variam scripturam, ipsam per apertam figuram, ipsam per rationalem naturam, ipsam per omnem creaturam ostendit. Dico quod Trinitas ostenditur per scripturam, tam veteris, quam novi Testamenti. Unde Psalmus ⁶ : « Verbo Domini, » etc. Illic dicitur : *Tres sunt*, etc. Item ostenditur per figuram ⁷, ubi legitur, quod Abraham tres vidit, et unum adoravit. Item per naturam ostenditur animæ rationali, propter quam dicitur ⁸ : « Faciamus hominem ad imaginem, » etc. Secundum Augustinum anima per memoriam, per rationem, per voluntatem, est imago Patris, et Filii et Spiritus sancti : Patris, per memoriam ; Filii, per rationem ; Spiritus sancti, per voluntatem. Væ ergo eis, qui imaginem istam summæ Trinitatis vitiant. Item ostenditur per omnem creaturam, quod in omnibus creaturis vestigium est Trinitatis ⁹ : « Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti. » Glossa : « In his tribus Dominus instituit, et gubernat, et iudicaturus est. »

De tertio ¹⁰ : « Ego tres sagittas mittam. »

¹ *Esth.*, 1, 7. — ² Vid. sup., in Dom. II, post Epiph. serm. II, pag. 88, col. 2. — ³ *I Joan.*, v, 7. — ⁴ *Ibid.*, 6. — ⁵ *Erod.*, III, 48. — ⁶ *Psal.* XXXII, 6. — ⁷ *Gen.*, XVIII, 2. — ⁸ *Gen.*, 1, 26. — ⁹ *Sap.*, XI, 21. —

Jonathas, qui hoc verbum dicit, significat Christum ; sagitta vero animam penetrans, est timor Domini. Tres sagittæ timorem significant, de quo ¹¹ : « Benedicat nos Deus, Deus noster, » etc., « et metuant eum omnes fines terræ. » Nota quod dicit Ambrosius ¹² : « Trina Dei confessio Trinitatem indicat personarum. » Timorem autem sanctæ Trinitatis juste habere debemus, propter ejus potentiam insuperabilem, propter ejus sapientiam inscrutabilem, propter ejus justitiam indeclinabilem. Potentia utique sanctæ Trinitatis insuperabilis est ¹³ : « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, » etc. Et quis posset superare Dominum exercituum, cum etiam unum de exercitu totus mundus superare non posset ? Est et Dominus istæ tam insuperabilis Pater, et Filius, et Spiritus sanctus : propter quod ter Deus sanctus dicitur. Item sapientia sanctæ Trinitatis inscrutabilis est, quæ nos et extra, et intra agnoscit, et ab æterno cognovit ¹⁴ : « O altitudo divitiarum, » etc. usque : « quoniam ex ipso sunt omnia. » Augustinus ¹⁵ : « *Ex ipso* ait, propter Patrem : *per ipsum* dicit, propter Filium suum : *et in ipso*, propter Spiritum sanctum. » Item justitia beatæ Trinitatis indeclinabilis est, licet quidam falsi consolatores falsam spem ingerant impiis ¹⁶ : « A, a, a, Domine Deus, prophetæ dicunt eis : Non videbitis gladium. » Quid est severitas divinæ justitiæ, nisi gladius timoris ? Propheta gemens ter clamabat A ! quasi dicat : A ! justissime Pater Deus, A ! justissime Fili Deus, A ! justissime Spiritus sancte Deus, etc. Item injustitia nostra inexcusabilis est et pœna, quia ipsa timenda inevitabilis est ¹⁷ : « Væ, væ, væ habitantibus in terra, » id est, in terrenis vitiiis. Væ qui offendunt Patrem, væ qui offendunt Filium, væ qui offendunt Spiritum sanctum : væ eis, quia, (a) dicit Augustinus ¹⁸ : « Qui in pace non fuerit inventus,

¹⁰ *I Reg.*, XXVI, 20. — ¹¹ *Psal.* LXVI, 7. — ¹² Ambros. — ¹³ *Isa.*, VI, 3. — ¹⁴ *Rom.*, XI, 33-36. — ¹⁵ Aug., de *Trinit.*, lib. I, VI, 12. — ¹⁶ *Jerem.*, XIV, 13. — ¹⁷ *Apoc.*, VIII, 13. — ¹⁸ Aug.

(a) *Suppl.* ut.

abdicator a Patre, exhæreditatur a Filio, nihilominus a Spiritu sancto efficitur alienus.»

De tertio¹ : « Amice, commoda mihi tres panes, » etc. Amicus iste, secundum Glossam, est Deus; panis confortans est amor Dei. Tres autem panes sunt, quia tres personæ amandæ sunt. Amanda est beata Trinitas propter beneficium creationis, incarnationis, glorificationis, justificationis. Ista enim sunt quatuor beneficia, scilicet Trinitatis. Patet primo in (a) opere creationis, ubi dicitur² : « In principio creavit Deus, » etc. Patrem intellige, cum dicitur : *Deus*; Filium, cum dicitur : *In principio* : Spiritum sanctum, cum dicitur : *Et Spiritus Domini ferebatur*, etc. Item patet in opere incarnationis, ubi dicitur³ : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. » Ecce hic apertissime exprimuntur tres personæ. Item patet in opere justificationis, ubi dicitur⁴ : « Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Unde etiam in baptismo Christi⁵ apparuit Trinitas personarum. Item patet in opere glorificationis⁶, ubi in transfiguratione apparuit Spiritus sanctus in nube candida. Sed quare in baptismo in columba, et hic in nube? Ad hoc respondet hic Glossa⁷ : « Spiritus sanctus in baptismo apparuit in columba, hic in nube lucida, quia qui modo simplici corde fidem servaverint, aperta visione contemplabuntur. » Pensa, ergo, charissime, quam beatissima Trinitas amanda sit, quæ sic tota nobis intendit, imo quæ se totam nobis impendit. Augustinus⁸ : « Pater Filium dedit in pretium redemptionis, Spiritum sanctum in privilegium adoptionis, se denique totum servat hæreditatem adoptatis. »

De quarto⁹ : « Ab oriente portæ tres, » etc. Portæ cœlestis civitatis sunt virtutes, quibus Deo deservitur. Porta ergo orientalis est

prudencia in eligendis. Per hanc portam non caro, sed spiritus inducere nos debet, ut non carnalem, sed spiritualem prudentiam sequamur¹⁰ : « Elevavit me spiritus, et introduxit me ad portam orientalem, » etc. Hic autem sunt tres portæ, quia per prudentiam colendæ sunt tres personæ. Item porta aquilonis est fortitudo in adversis¹¹ : « Venerunt ad portam ferream, » etc. Hic quoque tres sunt portæ, quia fortitudine tres personæ colendæ sunt. Item porta australis est temperantia in prosperis, quæ, heu! sæpe succenditur igne voluptatis et cupiditatis¹² : « Portæ combuste sunt igni. » Hic etiam tres sunt portæ, quia per temperantiam [tres colendæ sunt personæ (b)]. Item porta occidentalis (c) est justitiæ porta, etc. Hic similiter sunt tres portæ, quia per justitiam colendæ sunt tres personæ.

SERMO IV.

*Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*¹³. Consuetudo est apud fideles, quod transitum faciente Pontifice, petit populus benedictionem. Sed ecce Pontifex matris Ecclesiæ paradisi, præbendarum cœlestium dispensator Deus Trinitas, qui æternam habet in cœlo mansionem, hodie quasi transitum facit per terram nostram, dum ante oculos mentis nostræ transitorie (d) reducitur per temporalem recordationem, quam beati spiritus in cœlo jugiter contemplantur per beatam visionem. Hieronymus¹⁴ : « Convenienter petit Ecclesia benedictionem, dicens : Benedicat nos, » etc. In quibus verbis Ecclesia duo tangit : 1. Quid petat, quoniam benedictionem, cum dicit : *Benedicat nos*, etc. Et hoc prudenter petit, quia est tale, quod decet Deum dare, et nobis prodest accipere. Tangit etiam a quo petat, quoniam a Deo Trinitate; non enim est alius, qui hoc possit dare. Et hoc tangitur, cum dicitur :

Consuetudo fidei.

¹ Luc., XI, 5. — ² Gen., I, 1-2. — ³ Luc., I, 35. — ⁴ Matth., XXVIII, 19. — ⁵ Matth., III, 16-17. — ⁶ Matth., XVII, 5. — ⁷ Gloss. ex Bed. in Matth., lib. III. —

⁸ Aug. — ⁹ Apoc., XXI, 13. — ¹⁰ Ezech., XI, 1. — ¹¹ Act., XII, 10. — ¹² II Esdr., II, 3. — ¹³ Psal., LXVI, 7. — ¹⁴ Hieron.

(a) *Crit. edit.* in primo. — (b) *Item portæ.* — (c) *Item oculi.* — (d) *Item transitoria.*

Deus, Deus noster, et iterum Deus. Unitas enim nominis, quod est *Deus*, significat unitatem divinæ essentialiæ; ejusdem autem nominis trina repetitio notat sacramentum trium personarum in unitate essentiali, ut sit sensus: Benedicat nos Deus Pater: benedicat nos Deus Filius (hic enim proprie *noster* est, nobis datus¹: *Filius datus est nobis*): benedicat nos Deus, scilicet Deus Spiritus sanctus. Hic enim est sacratissimus personarum ternarius, quæ tres personæ sunt unus Deus, cujus etsi non sit exemplum conveniens in creatura, propter ejus nimiam inferioritatem respectu beatæ Trinitatis, sicut nec est exemplum conveniens de milite picto carbone, et milite armato in acie; videmus tamen tria in uno sole, scilicet lucem, splendorem, et calorem, et unus est sol qui lucet et splendet et calet, quoniam non dicitur lux splendor, nec uterque calor, sed a luce splendor manat, coæternus luci. Ita Pater non est Filius; sed a Patre Filius coæternus Patri, et luce, et splendore (*a*). Nec calor est a luce tantum, nec a radio tantum, sed a luce et radio. Pariformiter Spiritus sanctus, nec a Patre tantum, nec a radio (*b*) tantum, sed a Patre et Filio. Hinc dicitur Filius Oriens, splendor lucis æternæ; Spiritus sanctus vero ignis, sive amor procedens ab utroque: et isti tres, quamvis tres sint personarum distinctiones, tamen non sunt nisi unum in deitate, quia² «tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.» Quod notat Ecclesia, eum dicit: *Benedicat nos Deus*, etc. Cum autem Ecclesia ter *Deum* repetat, non tamen dicit nisi bis *Benedicat*, ut innuat quod a trino Deo duplicem benedictionem exoptet, videlicet benedictionem gratiæ et gloriæ. Nam est alia duplex benedictio, quam non curat, videlicet benedictio adulationis, et benedictio fortunæ.

¹ *Isa.*, IX, 6. — ² *1 Joan.*, v, 7. — ³ *Psal.* x, 3. — *Psal.* cxi, 5. — ⁴ *Malac.*, II, 2. — ⁵ *Matth.*, xxv, 41. — ⁶ *Psal.* cxxiii, 13, 15. — ⁷ *Psal.* xlviii, 19, 20. — ⁸ *Isa.*, III, 12. — ⁹ *Ecclesi.*, xl, 17. — ¹⁰ *Isa.*, xviii, 4. — ¹¹ *Hymn. Te Deum*, et *Psal.* xxvi, 9.

Nota ergo per totum quadruplex genus benedictionum. Est namque benedictio, adulatio deceptionis, de qua Psalmus³: «Quoniam laudatur peccator in desideriis,» etc. Hæc est benedictio, quæ peccatores consecrat diabolo. Hæc est unctio extrema peccatorum, qua præparantur igni æterno, ut melius ardeant, de qua Psalmista⁴: «Corripiet me justus in misericordia; oleum autem (*c*), etc. Nota quod amplius diligit, qui hominem de igne extrahit per crines, quam qui oleum infundens ignem accendit. Hæc est benedictio mala, qua qui sibi benedicunt, a Deo maledicuntur⁵: «Maledicam benedictionibus vestris.» Quod erit in judicio, cum dicetur⁶: «Ite, maledicti,» etc. Est benedictio fortunæ, et hæc est benedictio vana, quia est secundum vulgi opinionem tantum. Psalmus⁷: «Promptuaria eorum plena,» etc. Sequitur: «Beatam dixerunt (*d*) populum,» etc. (*e*) usque: «Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.» *Beatam*, inquit, *dixerunt*. Hæc est benedictio secundum dici, non secundum esse, quia plus nocet, quam prosit, quia hominem a vera beatitudine avertit. Exemplum de vitro, et speculo. Cum enim speculum frangitur, abiit pulchritudo hæc in nihilum. Psalmus⁸: «Anima ejus in vita benedicetur ipsius,» sequitur: «Introibit in progenies patrum,» etc. Ideo⁹: «Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt,» etc. Est benedictio gratiæ, de qua¹⁰: «Gratia Dei sicut paradisus in benedictionibus.» Et bene, quia conformat animam eum paradiso: quia ibi serenitas aeris, tranquillitas loci, fertilitas conscientiæ, decor terræ, ubertas vitæ, ipsius temporis congruitas: ibi splendor cognitionis Dei, ardor dilectionis, ros devotionis¹¹: «Ego quiescam, et considerabo in loco meo: sicut meridiana lux clara est, et sicut nubes roris in die messis.» Hanc petit Ecclesia, eum dicit¹²: *Salvum fac populum tuum,*

(a) *Leg.* ut luci splendor. — (b) *Leg.* Filio. — (c) *Carl. edit.* dicit oleum autem. — (d) *Carl. edit.* Benedixerunt. — (e) *Carl. edit.* add. Veruntamen.

Domine, et benedic hereditati tue, etc. Est benedictio gloriæ; Psalmista ¹: « Quoniam illie mandavit Dominus benedictionem et vitam, » etc. De qua ²: « Benedictio Domini divites facit, » etc. Hæc est benedictio dexteræ, quam accipient, quibus dicitur ³: « Venite, benedicti Patris mei, » etc. Nota quod solemne sit festum, ubi tantus est qui cantat Invitatorium. Ad illam est suspirandum ⁴: « In hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. »

Notandum autem, quod pluribus generibus hominum solet dari benedictio. Primo, confitentibus, quando absolvuntur, et hi sunt pœnitentes ⁵: « Benedictio Domini super caput justii. » Illius justii, de quo ⁶: « Justus in principio (a) acuator est sui: » qui facit justitiam, de qua ⁷: « Ante iudicium para justitiam, » quæ consistit in pondere contritionis, et in numero confessionis, et in mensura satisfactionis. Sequitur in eadem auctoritate ⁸: « Os autem impiorum operit iniquitatem, » scilicet, mali timoris, vel amoris, vel pudoris. Itaque peccatum vel celant, vel negant, vel excusant; sed tamen ⁹ « qui abscondit scelera sua, non dirigitur. » « Secundo benedicuntur offerentibus, cum eorum munera recipiuntur. Offerentes sunt (b) devotione ¹⁰ « Domino servientes, » quia exhibent Deo ¹¹ « hostiam sanctam, viventem. » Isti benedicuntur, exemplo Abrahamæ, qui volens filium offerre, benedictionem assecutus est ¹²: « Per memetipsum (c), » etc. Et nota quod Deus voluit filium in benedictionem sibi offerri, sed non occidi; sed arietem occidi voluit. Exemplum etiam in Jacob, qui cibos offerens patri, ab eo ¹³ benedictus est. Et nota, quod consilio matris invenit Jacob domi, quæ placita sunt patri; Esau vero proprio consilio venatur, et non prodest ei. Item offerentes sunt eleemosynam largientes ¹⁴: « Pauperi porrige manum tuam, ut perficia-

tur propitiatio et benedictio tua. » Tertio militantibus, cum bellum fidei ingrediuntur, ut a legato, vel Papa. Hi milites sunt temptationibus resistentes, vel in tribulationibus patientes ¹⁵: « Si quid patimini propter justitiam, » etc. ¹⁶ « Si exprobraimini in nomine ejus, beati eritis, » etc. Exemplum de Jacob, qui fortiter luctando benedictionem meruit. Unde dixit ¹⁷: « Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et benedixit ei in eodem loco. » Quarto datur benedictio nubentibus, secundum quod dicit Raguel filiæ suæ, cum daret eam Tobia: ¹⁸: « Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob vobiscum sit (d), » etc., « et impleat benedictionem suam in vobis. » Per nubentes intellige etiam virgines consecratas, et animas religiosas, quæ propter amorem Christi regnum mundi contempserunt, et ea, quæ mundi sunt. Quibus dicitur illud ¹⁹: « Benedicta es a Domino, filia, quæ non es secuta juvenes, pauperes sive divites. Noli ergo metuere, sed quidquid dixeris mihi, faciam tibi. » Nota totam auctoritatem.

DOMINICA I POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS ²⁰.

Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est ²¹. Videns Dominus noster Jesus Christus misericordiam et charitatem refrigescere, malitiam et carnalitatem invalescere, voluit nos in proposito verbo, secundum regulam divinæ pietatis, dirigere ad opera misericordiæ et charitatis, cum dicit: *Estote misericordes,* etc. Sed quia nulla nostra operatio potest esse recta, nisi secundum regulam divinæ exemplaritatis dirigatur, ideo in verbo proposito primo hortatur ad subventionem alienæ necessitatis, excitando affectum, cum dicit: *Estote misericordes;* secundo proponit informationem divinæ ex-

¹ *Psal.* cxxxii, 3. — ² *Prov.*, x, 22. — ³ *Matth.*, xxv, 34. — ⁴ *1 Petr.*, iii, 9. — ⁵ *Prov.*, x, 6. — ⁶ *Prov.*, xviii, 17. — ⁷ *Eccli.*, xviii, 19. — ⁸ *Prov.*, x, 16. — ⁹ *Prov.*, xxviii, 13. — ¹⁰ *Rom.*, xii, 11. — ¹¹ *Ibid.*, 1. — ¹² *Gen.*, xxii, 16. — ¹³ *Gen.*, xxvii, 28. —

¹⁴ *Eccli.*, vii, 36. — ¹⁵ *1 Petr.*, iii, 14. — ¹⁶ *Ibid.*, iv, 14. — ¹⁷ *Gen.*, xxxii, 26, 29. — ¹⁸ *Tob.*, vii, 15. — ¹⁹ *Ruth.*, iii, 10-11. — ²⁰ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ²¹ *Luc.*, vi, 36.

(a) *Vulg.* prior. — (b) *Suppl.* cum. — (c) *Cat.* edit. semetipsum. — (d) *Item* sit ubique.

emplaritatis, dirigendo intellectum, cum subdit: *Sicut et Pater vester misericors est.*

Primo ergo movet nos ad subventionem alienæ necessitatis, excitando affectum, cum dicit: *Estote misericordes.* Tria enim sunt per quæ hortatur nos Dominus Jesus Christus ad opera pietatis et misericordiæ: primum est benigna informatio divinæ exemplaritatis, rationalem dirigentis; secundum est magna promissio multiplicis utilitatis, concupiscibilem allicientis; tertium est acerba puni-tio divinæ severitatis, irascibilem concu-tientis: ut sic quos non movet ad misericordiam divinum exemplum, moveat utile promissum, vel saltem terribile supplicium.

Primo movet nos ad misericordiam benigna informatio divinæ exemplaritatis, dirigentis rationalem: quæ in tribus aliquo modo apparet: primo in gratuitæ vocationis instantia; secundo in diuturnæ expectationis patientia; tertio in benignæ susceptionis elementia. Unde misericors Deus peccatores instantè vocat, patienter expectat, et elementer suscipit.

Primo misericordia Dei apparet in gratuitæ vocationis instantia; unde ¹: «Misericordiam volo, et non sacrificium: non enim veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.» Misericors Deus, licet a peccatoribus turpiter contemnatur, tamen non dedignatur mittere Filium, et ab eis prius petere pacem per instantiam gratuitæ vocationis, eo quod avidius optat nostram salutem, quam aliquod aliud sacrificium. Gregorius ²: «Debemus saltem misericordiam vocationis erubescere, si ejus justitiam nolumus formidare.» Quanto ampliori improbitate contemnitur, tanto contemptus non dedignatur. Charissimi, accipiamus exemplum tantæ benignitatis in mente, et petamus prius pacem ab his, qui nos persequuntur et offendunt, quamvis culpa non sit ex parte nostra, quia, secundum Gregorium ³: «Bonarum mentium

est tibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.» Et tunc induemur viscera misericordiæ, sicut veri electi filii Dei Patris misericordiæ, qui ⁴ «per viscera suæ misericordiæ veniens ex alto,» prius petiit in hoc pacem, vocando ad pœnitentiam.

Secundo apparet divina misericordia in diuturnæ expectationis patientia; unde ⁵: «Misericordia Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes.» Cum enim homo peccat, injuriatur Creatori suo, et etiam Filium Dei in semetipso crucifigit; et ideo statim dignus est totali consumptione, nisi esset divina misericordia, quæ patienter et longanimitè expectat eum, quasi dissimulans peccata eis; quia si statim peccatorem puniret, postea cui parceret, non haberet. Ergo, dilectissimi, exemplo divinæ misericordiæ peccatorem supportantis patienter, et expectantis longanimitè, supportemus defectus, dira facta et verba aliorum, quæ nobis displicent, nec statim prorumpamus in iram, et assumamus vindictam; sed longanimitè ejus correctionem voluntarie expectemus: alioquin displiceret Deo, et timendum esset ne Deus faceret similiter.

Tertio apparet divina misericordia in benignæ susceptionis elementia. Et de hoc exemplum habemus de filio prodigo ⁶: «Vidit illum pater suus, et misericordia motus est: et accurrens (a) cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.» Ecce quod pater misericordiæ Deus, propter horrorem præteritarum fœditatum, non devitat peccatoris consortium, scilicet sic perditum filium, imo elementer suscipit eum ad osculum pacis et concordiæ. In ejus signum jubet ei tradi ⁷ *annulum in manu ejus*, id est confederationem suæ benevolentiæ, *et calceamenta in pedibus*, id est gratiam in effectibus, *et vestiri stola prima*, id est restitui in puritatem pristinam. Unde notabile est, quod iste videtur prius pœnituisse quadam coacta necessitate, et ta-

¹ *Matth.*, ix, 13. — ² Greg., in quintum psal. pœnit., n. 2: «Si justitiam vindicantis non formidamus, saltem vocantis et miserentis pietatem erubescamus.»

— ³ *Id.* — ⁴ *Luc.*, i, 78. — ⁵ *Thren.*, iii, 22. — ⁶ *Luc.*, xv, 20. — ⁷ *Ibid.*, 22.

(a) *Cat. edit.* occurrens.

men ejus pœnitentia est Deo accepta. Propter hoc ibi dicit Augustinus¹: «Quæcumque necessitas cogat peccatorem ad pœnitentiam, non peccati quantitas, nec vitæ enormitas, nec hominis extremitas excludit a venia, si perfecta fuerit voluntatis permutatio (a); sed in amplissimos sinus maternæ (b) charitatis filios prodigos suscipit revertentes.» Ergo ad illud exemplum misericordiæ, clementer susipientis inimicos, et totaliter condonantis debita, hortatur Apostolus²: «Estote invicem misericordes et benigni, condonantes invicem, sicut Deus in Christo nobis condonavit.» Ubi Ambrosius³: «Si alter in alterum peccet, condonate commissa; sin autem, Deus repetet et remissa: quia si in his contemptus fuerit, sententiam, quam per misericordiam dederat, per justitiam revocabit.»

Secundo movet nos ad misericordiam magna promissio omnimodæ utilitatis allicientis concupiscibilem. Triplicem utilitatem homini facit misericordia, ad quam omnia bona utilitas potest reduci: et propter hoc totaliter deberet ad opera misericordiæ alliei affectus. Nam misericordia primo liberat a peccato, resolvendo vincula culpæ; secundo locupletat in merito, augmentando dona gratiæ; tertio beatificat in præmio, perducendo (c) ad gaudia vitæ.

Primo misericordia liberat a peccato, resolvendo vincula culpæ; unde⁴: «Misericordia et veritate redimitur iniquitas: in timore Dei declinat omnis a malo.» Homo enim qui vendiderat animam suam diabolo per iniquitatem, potest animam redimere per misericordiam et veritatem. Optima conjunctio est veritas justitiæ, et pietas (d) misericordiæ. Nam per veritatem justitiæ in punitione et detestatione vitiorum, per pœnitentiam purgatur culpa; sed per pietatem misericordiæ in subventionem pauperum, per eleemosynas

dimittitur pœna. Tamen hoc dicitur fieri in timore Dei, tanquam in principio omnis boni, per quem declinat omnis a malo. Nam⁵ «qui sine timore est, non justificabitur.» Similiter de hoc dicitur⁶: «Peccata tua elemosynis redime, et iniquitates tuas misericordii pauperum.» Dignum est enim, qui misericordiam ab aliquo postulat, ut misericordiam eum alio faciat, et ex seipso cognoscat, quæ sunt proximi.

Secundo misericordia locupletat in merito, augmentando dona gratiæ; unde⁷: «Feneratorum Domino, qui miseretur pauperis.» Sicut enim cito per usuram locupletatur homo divitiis temporalibus, sic per misericordiam divitiis spiritualibus. Nam hæc est una virtus, quæ multiplicat per spiritualia et temporalia, et etiam levat in sublimem locum gloriæ. Unde⁸: «Omnis misericordia præparat (e) locum secundum opera sua.» Omnis misericordia in sex suis operibus continetur, quæ cuilibet, secundum quod in eis fuerit exercitatus, præparat locum plenum divitiis divinitatis in gloria. Quæ quidem sex opera misericordiæ in hoc versu continentur:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Perfectus enim misericors dicitur visitare infirmos, cibare et potare jejunos, redimere captivos, tegere nudos, colligere peregrinos, condere sive sepelire mortuos. Quinque vero istorum operum extrahuntur de textu Evangelii⁹: «Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitiivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere, et venistis ad me.» Sextum vero opus misericordiæ, quod est sepelire mortuos, potest haberi libro *Tobie*¹⁰.

Tertio beatificat in præmio, perducendo ad gaudium vitæ; unde¹¹: «Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de pauperibus

(a) *Cwl. edit.* terminatio. — (b) *Item mater.* — (c) *Item producendo.* — (d) *pietatis et.* — (e) *Vulg. faciet. LXX, πάσθ ἐλεημοσύνη ποιήσαι τόπον, id est, omni misericordiæ faciet locum,*

¹ Aug. — ² *Ephes.*, IV, 32. — ³ Ambros., vel si quis alius, in *Epist. ad Ephes.*, c. IV. — ⁴ *Prov.*, XVI, 6. — ⁵ *Eccli.*, I, 28. — ⁶ *Dan.*, IV, 24. — ⁷ *Prov.*, XIX, 17. — ⁸ *Eccli.*, XVI, 15. — ⁹ *Matth.*, XXV, 35. — ¹⁰ *Tob.*, II, 7. — ¹¹ *Prov.*, XXII, 9.

suis dedit pauperi: acquireret victoriam et honorem (a). » Homo pronus ad misericordiam dedit de panibus suis pauperi esurienti: ideo acquireret honorem gloriæ, quoniam benediceretur illa benedictione, de qua dicitur¹: « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare. » Nam « beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, » secundum quod dicitur².

Tertio movet nos ad misericordiam acerba punitio divinæ severitatis, quæ in tribus manifestatur: nam non facientes misericordiam primo spoliantur beneficio gratuitæ donationis; secundo vituperantur opprobrio divinæ redargutionis; tertio cruciantur supplicio æternæ damnationis.

Primo non facientes misericordiam spoliantur beneficio gratuitæ donationis; unde³: « Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui miserus sum? Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quousque redderet universum debitum. » Ecce quod dominus ab isto, qui noluit facere misericordiam cum proximo suo, suum beneficium gratuitæ donationis, quod per misericordiam ei fecerat, per justitiam repetit.

Secundo non facientes misericordiam vituperantur opprobrio duræ increpationis; unde⁴: « Qui calumniatur egentem, exprobrat factori suo; honorat autem eum, qui miseretur pauperis. In malitia sua expelletur impius. » Sicut enim qui miseretur pauperis honorat Deum in paupere, sic qui claudit viscera misericordiæ pauperi, exprobrat et facit vituperium factori suo in paupere: et ideo talis dignus est, tanquam impius, expelli in malitia suæ impietatis a consortio sanctorum, et etiam exprobrari

vituperio duræ (b) increpationis, secundum quod dicitur⁵: « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere; hospes eram, et non collegistis me; nudus fui, et non cooperuistis me; infirmus, et non visitastis me; in carcere, et non venistis ad me. »

Tertio non facientes misericordiam cruciabuntur supplicio æternæ damnationis; unde⁶: « Judicium sine misericordia fiet illi, qui non facit misericordiam. » Tota judicialis sententia, et discussio judicis erit secundum exhibita, et non exhibita, opera. Nam qui misericordiam fecerunt, habebunt vitam æternam; qui misericordiam negaverunt, cruciabuntur supplicio æterno. Unde dives qui micam panis negavit Lazaro pauperi⁷, visus est cruciari flamma infernali. Rogemus ergo, etc.

SERMO II⁸.

*Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est*⁹. Misericordia utilissima, qua homo in mundo gratiam, in extremo fiduciam, in judicio misericordiam, in cælo gloriam meretur.

De primo¹⁰: « Misericordia et veritas non deserant te: et invenies gratiam coram hominibus. » Exemplum de Cornelio¹¹. Misereri autem debes tui ipsius pereuntis¹²: « Miserere animæ tuæ, placens Deo. » Certe immisericordior es animæ tuæ, ipsam per peccatum occidendo, quam Judas corpori suo, ipsum jugulando. Item misereri debes Christi patientis, in ejus persona dicitur¹³: « Miseremini mei, » etc. Item proximi tui indigentis; unde hic: *Estote (inquit) misericordes*, etc., non tantum benefaciendo, sed etiam ignoscendo. Et¹⁴: « Estote benigni invicem, misericordes, sicut et Deus in Christo donavit nobis. » Alioquin time illud¹⁵: « Nonne oportuit et te misereri, » etc.

¹ *Matth.*, xxv, 34-35. — ² *Matth.*, v, 7. — ³ *Ibid.*, xviii, 33-34. — ⁴ *Prov.*, xiv, 31-32. — ⁵ *Matth.*, xxv, 41-42. — ⁶ *Jac.*, ii, 13. — ⁷ *Luc.*, xvi, 21, 22. — ⁸ Hunc et seq. habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁹ *Luc.*, vi, 32. — ¹⁰ *Prov.*, iii, 3. — ¹¹ *Act.*, x, 4. —

¹² *Ecclesi.*, xxx, 24. — ¹³ *Job*, xix, 21. — ¹⁴ *Ephes.*, iv, 32. — ¹⁵ *Matth.*, xviii, 33.

(a) *Suppl.* qui dat manna. — (b) *Forte leg.* divinæ.

Augustinus ¹ : « Duo sunt opera misericordiae, quæ nos nunc habere debemus ² : « Dimittite, et dimittetur : date, et dabitur vobis. » Qui has misericordiae regulas non sequuntur, non sunt imitatores Patris misericordiae, sed patris diaboli, qui nullam habet misericordiam ³ : « Crudelis est, et non miseretur. »

De secundo ⁴ : « Quomodo potueris, sic esto misericors, » etc. usque : « Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna in die necessitatis : » quæ erit dies mortis, in qua eleemosyna erit fiducia magna ad evolandum, sicut fiducia aquilæ sunt alæ duæ ⁵ : « Date sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, » etc. Aquila liberalissima est : sic igitur anima misericors communicet substantiam suam indigentibus, sicut aquila escam suam avibus. Per duas alas duplex misericordia significatur : una ex septem operibus spiritualibus, quæ sex pennis constat, de quibus versus :

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora ;

alia ex sex operibus misericordiae corporalibus, quæ sex pennis constat, de quibus ⁶ : « Esurivi, » etc. Septima tamen additur in *Tobia* ⁷, scilicet sepelire mortuos ; unde versus :

Colligo, poto, cibo, redimo, tegeo, visito, condo.

His alis anima misericors draconem diabolum evadit in morte. Ambrosius ⁸ : « Sola misericordia comes est defunctorum. »

De tertio ⁹ : « Judicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam. Misericordia superexaltat iudicium. » Tunc certe ¹⁰ « beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam, » etc. O vere optima advocatrix misericordia ! Nota, quod quandoque reus evadit iudicium humanum, vel per bonum advocatum, vel munus absconditum, vel

preces amicorum : sicut etiam in iudicio divino misericordia est optima advocata. Misericordiae enim opera sunt quasi pro nobis allegantes. Psalmus ¹¹ : « Jucundus homo, qui miseretur ; » Glossa : « Hæc facta sunt quasi sermones, quibus defendetur in iudicio. » Ecce misericordia non solum est in dando, sed etiam in commodando, sed sine usura. Psalmista ¹² : « Tota die miseretur et commodat. » Quæ benedictio pro operibus misericordiae dabitur ¹³ : « Venite, benedicti Patris, » etc. Item misericordia est munus pretiosum ¹⁴ : « Munus absconditum extinguit iras. » Hoc manere redimimur de manu iudicis. Augustinus ¹⁵ : « Redime te, dum vivis : redime teipsum, dum potes : redime te, dum pretium habes in manibus : redime te, ne dum mors amara te prevenit, et vitam simul et pretium perdas. » Item misericordia est optima interventrix ¹⁶ : « Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et hæc pro te orabit ad Dominum. » Tunc certe plus valent preces misericordiae, quam omnium sanctorum ¹⁷ : « Nec aquiescet cujusquam precibus. »

De quarto ¹⁸ : « David in suam misericordiam consecutus est sedem regni in sæcula. » Ecce misericordia facit nos reges cælestes. O ambitiose, o avare, quam libenter emeris denario, vel coronam Imperii, vel Franciæ ! Certe melius forum habes de corona æterna, quam acquiris sola bona voluntate, si aliud non habes, quam etiam si mille marchas auri pro ipsa expenderes in opera misericordiae. Incomparabiliter enim plus valet corona gloriæ, quam tot coronæ mundanæ, quot denarii sunt in mille millibus marchis. Hæc autem per misericordiam comparatur. Psalmus ¹⁹ : « Qui coronat te in misericordia, » etc. Bernardus ²⁰ : « O quanta beatitudo pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro perituris semper viventia, et habere Deum debitorem ! »

¹ August., serm. LXXXIII, n. 2, quoad sensum. — ² Luc., VI, 37, 38. — ³ Jerem., VI, 23. — ⁴ Tob., IV, 8-12. — ⁵ Apoc., XII, 14. — ⁶ Matth., XXV, 35. — ⁷ Tob., II, 7. — ⁸ Ambros., in Luc., lib. VII, n. 122. — ⁹ Jac., II, 13. — ¹⁰ Matth., V, 7. — ¹¹ Psal. CXI, 5. —

¹² Psal. XXXVI, 26. — ¹³ Matth., XXV, 34. — ¹⁴ Prov., XXI, 14. — ¹⁵ Aug. — ¹⁶ Eccli., XXI, 15. — ¹⁷ Prov., VI, 33. — ¹⁸ I Mach., II, 57. — ¹⁹ Psal. CII, 4. — ²⁰ Bern.

SERMO III.

Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis ¹. Sicut pro bona bonam, sic pro mala mensura malam recipietis. Eadem mensura, qua mensi fueritis proximis vestris bonum, vel malum in mundo, remetietur vobis bonum, vel malum in iudicio. ² « Ponam in pondere iudicium, et justitiam in mensura. » Considerandum autem quod est mensura naturalis, usualis, criminalis, virtualis, doctrinalis, æternalis.

De prima ³ : « Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti. » Unde anima est mensura capacissima, numero unica, et simplicissima, pondere levissima : peccando autem fit arctissima, quæ capax fuit cælo et mundo, quoniam capax fuit Patris, et Filii, et Spiritus sancti. ⁴ « Qui potest capere, capiat. » In peccatis vix capit misericordiam Spiritus sancti. Item peccando fit diversissima : fit enim leo per avaritiam, lupus per superbiam, porcus per luxuriam : sic adapta de singulis. Psalmus ⁵ : « Comparatus est jumentis insipientibus, » etc. Joannes Chrysostomus, *super Joannem* ⁶ : « Excogita quantum est malum, Christo volente nos ex hominibus pares angelis facere, nos ipsos ex hominibus ad feras transponere. Venti enim servire, et pecuniarum concupiscentia detineri, et irasci, et mordere, et calcitrare, non hominis, sed ferarum est. » Item peccando fit gravissima, ut subito mergatur in infernum ⁷ : « Submersi sunt quasi plumbum in aquis, » etc. ⁸ « In puncto ad infernum descendunt. »

De secundo ⁹ : « Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. » Hic dic de multis fraudibus, quæ sunt in ponderibus et in mensuris. Has fraudes licet nunc non videat, qui decipitur; tamen videt, qui decipi non potest. Augustinus ¹⁰ : « Non videt furtum, cui appendis (a) :

sed videt qui te et ipsum appendit. » Et, heu ! quia per injustas mensuras, et alios dolos, sæpe domus impiorum repletur injustis bonis : ideo per justum ignem flagellantur in inferno æternaliter, et quandoque in mundo temporaliter ¹¹ : « Adhuc ignis in domo impii, et thesauri iniquitatis, et mensura minor, iræ plena, » etc. Bernardus ¹² : « Utinam saperes, miser, et intelligeres, cum thesauro pecuniæ, thesaurum iræ pariter cumulari ! »

De tertio ¹³ : « Implete mensuram patrum vestrorum. » O quot sunt, quorum patres crudeles, vel avari, vel luxuriosi fuerunt, quorum filii scelera sequentes mensuram patrum non implent in culpa, et in futuro in pœna ? Mensuram culpæ Deus attendit in damnando hominem æternaliter, vel temporaliter corripiendo ; et iudex quilibet ipsam attendere debet in puniendo, et peccator in satisfaciendo. ¹⁴ « Secundum mensuram peccati erit plagarum modus. » Hanc mensuram non negligit diabolus ¹⁵ : « Stetit, et mensus est terram. »

De quarto ¹⁶ : « Unicuique data est gratia secundum donationis Christi mensuram. » Mensuris Christi mesurantur virtutes, voluntates, et operationes humanæ, ne excedant. Ostende hoc in castitate, et patientia, et in aliis virtutibus, et specialiter in sobrietate, quæ mensurat cibum et potum ¹⁷ : « Aquam in mensura bibes. » Et ibidem videtur propheta vilissimum panem in pondere comedere. Heu ! ergo quid erit de potibus et cibis delicatis ?

De quinto ¹⁸ : « Quis putas est fidelis servus, » etc. Triticum est verbum Dei, quod mensuram charitatis, vel veritatis excedere non debet, et Scripturæ ; sed secundum capacitatem auditorum et temporum mensurandum est. Legitur autem ¹⁹, quod « tanta erat abundantia tritici, ut copia mensuram

¹ Luc., VI, 38. — ² Isa., XXVIII, 17. — ³ Sap., XI, 21. — ⁴ Matth., XIX, 12. — ⁵ Psal. XLVIII, 13. — ⁶ Chrysost., in Joan., hom. — ⁷ Exod., XV, 10. — ⁸ Job, XXI, 15. — ⁹ Levit., XIX, 35. — ¹⁰ August. —

¹¹ Mich., VI, 10. — ¹² Bern. — ¹³ Matth., XXIII, 32. — ¹⁴ Deut., XV, 2. — ¹⁵ Habac., III, 6. — ¹⁶ Ephes., IV, 7. — ¹⁷ Ezech., IV, 11. — ¹⁸ Luc., XII, 32. — ¹⁹ Gen., XI, 49.

(a) Cat. edit. appendit.

excederet.» Ita nunc verbum Dei sine mensura datur; sed timendum est, quod fames ægyptiaca sequatur, maxime in tempore Antichristi.

De sexto in præsentī Evangelio : *Mensuram bonam*, etc. *Bonam* utique in animæ fruitione, et *confertam* in corporis glorificationem, et *coagitatam* in sanctorum societate, et *supereffluentem* in gaudiorum aternitate. Nota quod dicit *in sinum vestrum* : si enim bonum nunc mensuras in sinum proximi, mensurabitur in sinum tuum in celo. Si autem mensuras in sinum proximi tui malum in mundo, mensurabitur malum in sinum tuum in inferno. ¹ « In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, iudicabis (a) eam. »

DOMINICA II POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS ².

Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos ³. Sub velamine istorum verborum mysticatur (b), et involvitur cœlestis gloria quam Dominus electis suis in mundi fine exhibebit : unde cœnæ refectio, quæ est in fine diei, appellatur. Commendatur autem Dominus noster a tribus in proposito verbo, quæ quamlibet cœnam reddunt completam et perfectam : et primo ab excellentia singularis dignitatis; secundo ab affluentia abundantis copiositatis; tertio a benevolentia invitantis curialitatis. Primo ergo commendatur a singularitate excellentiæ et dignitatis, cum dicit : *Homo quidam*. In singulari dicitur *homo quidam*, Christus, propter incomparabilem, et excellentem dignitatem. Secundo commendatur a liberalitate affluentiæ et copiositatis, cum subdit : *Cœnam magnam*. Tertio commendatur a curialitate benevolentiæ et charitatis, cum subinfert : *Et vocavit multos*. Benignus et misericors Deus voluit esse solus in cœna gloriæ : imo ratione suæ curialitatis multos invitavit.

Dicit enim : *Homo quidam*; ubi commen-

datur Christus ab excellentia singularis dignitatis, quæ potest manifestari triplici ratione : primo ratione suæ puritatis et innocentie, in evitacione omnium peccatorum; secundo ratione profunditatis sapientiæ, in revelatione divinorum occultorum; tertio ratione virtuositatis potentiæ, in operatione multorum miraculorum.

Primo Christus singulariter et excellenter dicitur *homo*, propter puritatem originalis innocentie, in evitacione omnium peccatorum; unde ⁴ : « Nullam causam invenio in isto homine, in quibus eum accusatis. » Ad litteram nulla causa peccati inveniebatur in Christo, in quibus accusabant eum Judæi : nam ipse in peccatis non erat, quia non de virili semine, sed de Spiritu sancto conceptus fuit, et ideo peccatum originale non contraxit; nec etiam peccatum actuale, et quia ex parte mentis omnimoda fuit puritas, et ex parte carnis nulla rebellio : semper enim illa sanctissima caro sequebatur illum beatum spiritum, nec unquam ad peccatum pertrahebat, et spiritus carnis necessitatibus, ne succumberet, condescendebat : et ex hoc mira harmonia et concordia carnis ad spiritum resultabat. Et propter hoc verum fuit illud ⁵ : « Vere justus erat homo iste. »

Secundo excellenter et singulariter dicitur *homo* Christus, propter perspicacitatem veracis intelligentiæ, in revelatione divinorum occultorum. Unde reddunt causam ministri pontificibus et pharisæis quare non ceperunt Jesum, quia ⁶ « nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur homo. » Non enim loquebatur, sicut cæteri homines, verba curiosa, quæ excedunt rationalem, nec verba superflua et onerosa, quæ suffocant concupiscibilem, nec verba contentiosa, quæ conturbant irascibilem, nec perniciosa verba, quæ pervertunt totum hominem; sed verba humilia ad destructionem superbiæ, verba utilia ad augmentum gloriæ. Sic enim lo-

an. 1521. — ⁴ Luc., IV, 16. — ⁵ Luc., XXIII, 44. — ⁶ Luc., XXIII, 49. — ⁷ Joan., VII, 46.

(a) Cœt. edit. iudicabil. — (b) Item mixticatur.

quebatur, ut moderaret superbos humilitatis profunditate, magnos pasceret veritate, et parvulos nutriret affabilitate. Foris admonet, intus docet, audientes in melius commutat; et ideo non fuimus (a) ausi eum comprehendere. Nec mirum, si sic loquebatur, quia ipse est, secundum adventum in mentem, lux illuminativa omnium prophetalium visionum, et secundum adventum in carnem, verbum approbativum omnium prophetalium, et instructivum omnium apostolicarum locutionum. Unde ipse est qui revelat abscondita divinatorum occultorum, quia lux divinæ sapientiæ cum ipso est, sine qua nullus potest devenire ad certam fidei revelationem, nisi per adventum in mentem et in carnem.

Tertio Christus excellenter dicitur *homo* propter virtuositatem mirabilis potentiæ in operatione multorum miraculorum; unde dicebant Pharisei¹: « Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? » Nam mortuos suscitavit, lepros mundavit, cæcos illuminavit, claudos et contractos extendit, oppressos a dæmoniis liberavit, et omnem morbum curavit; et tamen propter illa bona vos, nequissimi Judæi, quæ operatus est in vobis, quæritis eum interficere. O insania et perversitas maxima! irascimini sananti, et non irascimini vulneranti.

Secundo commendatur Dominus noster ab affluentia redundantis copiositatis, cum subdit: *Fecit cœnam magnam*. Vere magna et immensa est cœna ista. Nam si mica una istius cœnæ non prævalet enumerari, multo minus abyssus et tota cœna poterit ab aliquo explicari. Ut igitur aliquid de affluentis redundantia copiositatis istius cœnæ balbutiens dicam, potest dici quod tria erunt in ista cœna, quæ diligentius considerata, cujuslibet animum in ejus concupiscentiam provocant. Primum est jucunditas exultationis lætificantis, propter refulgentiam divinæ claritatis; secundum est copiositas refectionis

satiantis, propter redundantiam immensæ bonitatis; tertium est sempiternalitas durationis continuantis, propter carentiam omnimodæ defectibilitatis: ut sic anima secundum omnem sui potentiam in cœna ista tero interiori tripudio jucundetur: primo jucundetur de claritate splendoris, quantum ad rationalem; secundo satietur de copiositate refectionis, quantum ad concupiscibilem; tertio assecuratur de sempiternali duratione quantum ad irascibilem: et hoc secundum triplicem dotem gloriæ, scilicet apertæ visionis, quietæ fruitionis, et firmæ attentionis².

Primo in ista cœna erit jucunditas exultationis lætificantis, propter refulgentiam divinæ claritatis; et de hoc dicitur, sub nomine avium volantium per medium cœli, de beatis³: « Venite, congregamini ad cœnam Domini. » Nomine enim avium volantium per medium cœli designantur beati existentes in cœlo empyreo, qui volatu contemplationis elevantur ad contuitum Divinitatis. Istis ergo sic contemplantibus dicitur: *Venite et congregamini* per affectionum concordiam, *ad cœnam magnam Dei*, non materialem lactis et mellis, sicut expectant Saraceni, quia nulla erit ibi congregatio escarum (a); sed sapientialem, in qua tot erunt fercula, quot omnium rerum rationes relucet in divina sapientia. Apponent enim spiritibus glorificatis rationes sensibilibum et insensibilibum, rationalium et irrationalium, tanquam in mensa delectabili humanitatis Christi, Dei unici et trini pulchritudo tanquam in speculo pulcherrime. Et propter hoc ista cœna non est requirenda in exterioribus, sed in interioribus, quia spiritualis; nec in creatis rebus, sed in causalibus rationibus, quia perpetua et incorruptibilis.

Secundo in ista cœna erit copiositas refectionis satiantis, propter redundantiam immensæ bonitatis; unde⁴ « rex Darius fecit cœnam magnam omnibus purpuratis, » qui

¹ *Joh.*, xi, 47. — ² Idem jam alibi dixerat. — ³ *Apoc.*, xix, 17. — ⁴ *III Esdr.*, iii, 1, inter apoc. Bibl.

(a) *Leg.* sunt. — (b) *Cæl. edit.* muscarum.

erant sub ipso. Darius interpretatur *fertilis*, et potest signare Regem regum Christum, qui ratione suæ dignitatis et humanitatis est cibus perfecte satians animam, quantum ad duplicem ejus gustum, interiorem et exteriorem. Nam cibus humanitatis animam satiat quantum ad gustum exteriorem; sed cibus divinitatis, quantum ad gustum interiorem. Hic autem cibus licet satiet, non tamen generat fastidium; imo continuat desiderium, quia, ratione suæ simplicitatis et convenientiæ, medullis animæ intimæ illapsus perfecte delectat: cum delectatio sit conjunctio convenientis cum convenienti, et anima cum nullo habet majorem convenientiam, quam cum illo, ad cujus imaginem et similitudinem facta est. Ratione suæ perfectionis et sufficientiæ, undique satiat et replet; sed ratione suæ infinitatis et abundantiae, capacitatem animæ excedit et quietat. Nam in nullo bono finito appetitus animæ quietat, eo quod qualis habitus est affectio, et (a) cognitio sive æstimatio. Cum igitur æstimatio et cognitio apta nata sint extendi ad infinita, pariter et ejus affectio ad infinita se extendit. Ergo quolibet bono obtento, adhuc ultra posset insurgere appetitus, et sic quantumcumque bonum creatum multiplicaretur, nunquam in illo quietaretur, nec beatificaretur. Unde Anselmus¹: « In gaudium Domini introibit, quod si tantum caperet, et non vinceretur et absorberetur, adhuc posset insurgere appetitus ad amplius appetendum, vel capiendum. »

Tertio in ista cœna erit sempiternalitas durationis continuantis, propter earentiam omnimodæ defectibilitatis. In ista enim cœna nunquam deficient ferula, nunquam amovebitur tabula, eo quod beati erunt semper in continua laude et glorificatione. Nam quidquid boni accipient, in eum solum resolvent, qui plene potest eos glorificare et satiare. Unde sicut impossibile est aliquem ibi mori, sic impossibile est aliquem fames-

cere. Et propter hoc dicitur²: « Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. » Beatus enim ille, qui omnia optata, sine timore amittendi, perpetuo possidet. Nam cum beatitudo sit habitus in actu, impossibile est animam beatam esse, et actualem considerationem eorum, quæ sunt de essentia gloriæ, non habere, quia in beatitudine nulla est variabilitas, nulla temporalis successio. Et propter hoc ista cœna, ratione suæ sempiternalitatis, non est requirenda in istis inferioribus, sed in superioribus, quia non mensurabitur tempore, quod est principium corruptionis, sed æternitate, quæ est quædam mensura omnino perpetua et invariabilis.

Tertio et ultimo commendatur Christus a benevolentia invitantis charitatis, vel curialitatis, cum subinfert: *Et vocavit multos*. Dominus noster, ratione suæ curialitatis et benevolentiae, noluit esse solus in cœna, sed vocavit multos de diversis nationibus. Nam primo vocat instanter sine desitione, instruendo per documenta et exempla; secundo gratis, sine recompensatione, alliciendo per beneficia et promissa; tertio generaliter sine acceptione, comminando per æterna supplicia.

Primo vocat Christus ad istam cœnam instanter sine desitione, instruendo per documenta et exempla; unde³: « Vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum. » Inquit Deus Pater: *Vocavi* vos ad istam cœnam, continue instruendo, per servos meos sanctos et prophetas; *et renuistis* venire: insuper extendi manum meam, id est, Filium meum ad vos de alto misi per carnis assumptionem, in quo doctrina omnis veritatis, et exempla omnis honestatis et sanctitatis relucet, quibus ad cœnam primam vocamini: *et non fuit qui aspiceret* ad doctrinam per inclinationem auditus, ad vitam per imitationem affectus; imo *omne consilium meum despexistis*, inveniendo vobis occasionem. Nam primus de vocatis di-

¹ Anselm., *Medit.*, XXI, quoad sensum. — ² *Apoc.*, XIX, 9. — ³ *Prov.*, I, 24.

(a) *Leq.* talis habitus est affectio, qualis.

xit¹ : « Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam. » Alius dixit² : « Jura bonum emi quinque, et eo probare ea. » Tertius respondit³ : « Uxorem duxi, et ideo non possum venire : » hoc est dictum, unus propter superbiam principandi, alius propter avaritiam cumulandi, nam per quinque jura bonum intelligitur superflua quinque sensuum occupatio circa terrena; tertius propter lasciviam luxuriandi, ad istam cœnam venire contempsit. Ecce fatuitas maxima, quia quod pejus est eligitur, et quod melius recusatur. Eligitur enim villa, recusatur regnum; eligitur dominium villanorum, recusatur regnum cœlorum; eligitur uxor concubina, et recusatur copula divina : et ideo justo iudicio nemo istorum, qui vocati sunt, cœnam istam gustabunt, eo quod ista cœna transferetur a superbis et potentibus, in debiles et humiles, a divitibus in pauperes, a luxuriosis in cæcos et claudos, id est, in illos, qui oculos suos eruunt, et refrænaverunt, ne vanitatem mundi vivendo concupiscerent, et pedem inordinatæ affectionis totaliter absceiderent. Etiam propter hoc dicitur in hodierno Evangelio⁴ : « Pauperes ac debiles, cæcos et claudos introduce huc, » loco scilicet istorum, qui noluerunt venire.

Secundo eos vocat ad istam cœnam gratis sine recompensatione, alliciendo per beneficia et promissa. Unde⁵ : « Vocavit nos propria gloria et virtute, per quam maxima et pretiosa munera nobis donavit, » scilicet gratiam in præsentem, et gloriam in futuro, ut sic qui nolunt venire ad istam cœnam precibus, facilius trahantur (a) muneribus. Unde Gregorius, super illud Job⁶ : *Servum meum vocavi, et non respondit mihi*⁷ : « Vocat nos Deus, cum muneribus prævenit; respondemus vero ejus voci vocationis, cum digne juxta percepta (b) munera deservimus. » Servum ergo vocavit Dominus, quia colla-

tis muneribus, quasi emissis vocibus ad se, dicere audivit; sed non respondit, quia digna opera donationis ejus reddere contempsit.

Tertio vocavit Dominus ad istam cœnam generaliter sine acceptione, comminando per æterna supplicia; unde in Psalmo⁸ : « Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram a solis ortu, et occasu. » Deus deorum Dominus Christus locutus est comminando per æterna supplicia, ut per hoc compellat eos intrare ad cœnam istam flagellis et comminationibus, qui nolunt induci precibus et promissionibus; alioquin divina misericordia transibit in justitiam, et qui nolunt gaudere in divino palatio cum angelis, cruciabuntur perpetuo in inferno, et flammescunt cum dæmonibus. Istis ergo comminationibus *Dominus vocavit terram*, id est, terrenos et peccatores, *a solis ortu et occasu*, quia⁹ « apud eum nulla est acceptio personarum, imo in omni gente, et in omni populo, et in omni conditione, et in omni ætate beneplacitum est ei. » Unde Gregorius, super illud¹⁰ : *Qui irrigat aquis universa*¹¹ : « Hoc est, ex omni genere (c) ad suam cognitionem vocat Spiritus sancti gratia. » Nam cum divites sibi subjicit, pauperes non repellit; cum fortes humiliat, ad se venire debiles non recusat; cum nobiles colligit, simul ignobiles apprehendit; cum sapientes suscipit, imperitorum stultitiam non contemnit. Rogemus ergo, etc.

SERMO II¹².

*Homo quidam fecit cœnam magnam*¹³, etc.

¹⁴ « Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. » Duplex est cœna, videlicet gratiæ, et gloriæ. Prima est Ecclesiæ militantis; secunda, triumphantis.

De prima, cum venisset Jesus in Bethaniam, dicitur¹⁵ : « Fecerunt autem ei cœnam

¹ Luc., XVI, 48. — ² Ibid., 49. — ³ Ibid., 20. — ⁴ Ibid., 21. — ⁵ H. Petr., I, 4. — ⁶ Job, XIX, 16. — ⁷ Greg., Moral., lib. XIV, c. XIX, al. XLII, n. 50. — ⁸ Psal. XLIX, 1. — ⁹ Act., X, 34-35, quoad sensum. — ¹⁰ Job, V, 10. — ¹¹ Gregor., Moral., lib. VI, c. VIII,

al. XVI, n. 21. — ¹² Hunc et seq. usque ad serm. IV, exclusive, Dom. III, habet quoque edit. Paris. 1521. — ¹³ Luc., XIV, 16. — ¹⁴ Apoc., XIX, 9. — ¹⁵ Joan., XII, 2. — (a) Cat. edit. trahuntur. — (b) Item præcepta. — (c) Suppl. hominum.

ibi. » Bethania Ecclesiam significat militan-
tem : interpretatur enim *Domus obedientie*.
Cœna enim in Bethania est spiritualis refe-
ctio gratiæ in Ecclesia. Quatuor autem per-
sonas in dicta Ecclesia singulariter describit
Evangelium, Martham, Mariam, Lazarum,
Judam : Martham ministrantem, Mariam
contemplantem et ungentem, Lazarum in-
firmantem et discumbentem, Judam mur-
murantem. Hæc enim quatuor genera ho-
minum spiritualiter in cœna Ecclesiæ inveni-
ent. Martha activos, Maria contemplativos,
Lazarus tepidos, Judas maleficos significat.
De Martha dicitur hic ¹ : « Martha ministra-
bat. » Activi ministrare debent per bona
opera, et hoc sollicitè et frequenter ² :
« Martha satagebat circa frequens ministe-
rium. » Libenter ministrare debet quisque
Domino in mundo, quia excellenter honorat
suos ministros in cœlo ³ : « Si quis mihi
ministraverit, me sequatur. » Ministret ergo
libenter unusquisque, ut honorificetur a Deo,
et honorificet Deum ⁴ : « Si quis ministrat,
tanquam ex virtute quam administrat Deus,
ut in omnibus honorificetur Deus. » De
Maria dicitur ibidem ⁵, quod « accepit libram
unguenti, et unxit pedes Jesu. » Unguentum
est devotio contemplativorum. Sed, heu!
dicitur ⁶ : « Muscæ morientes perdunt sua-
vitatē unguenti. » Muscæ volant, et ideo
volatiles et malas cogitationes significant.
Item lædunt, et ideo rancorosas affectiones;
item vilia sequuntur, et ideo carnales delecta-
tiones significant. Hæc sunt muscæ, quæ non
fuerunt in terra Jessem (a), cum muscis gra-
viter plagaretur Ægyptus ⁷. Jesse (a) *insula
holocausti* interpretatur, et significat religi-
onem, quæ in mari hujus mundi est tan-
quam insula, in qua naufragi recipiunt se,
et holocaustum Deo offerunt : hic non erunt
muscæ prædictæ, sed in Ægypto, id est, in
sæculo. De Lazaro dicitur ibidem ⁸ : « Laza-
rus vero erat unus ex discumbentibus : »

non ex administrantibus, sicut et Martha;
non ex ungentibus seu contemplantibus,
sicut Maria. Unde tepidos et pigros signifi-
cat, qui neque ministrant actione, nec unguunt
contemplatione, sed sunt in numero discum-
bentium, scilicet carnaliter viventium. Isti
sunt discumbentes in cœna, in qua Joannes
capite privari jubetur ⁹ : « Propter simul
discumbentes noluit eam contristare, » etc.
Gratia enim Dei in tepidis virtutem amittit.
Lazarus tamen suscitatus fuit a Domino la-
crymante; sic et multi inutiliter vivendo in-
grati sunt, qui per Dominum ad vitam gra-
tiæ revocati sunt. De Juda ibidem legitur,
quod dicit ¹⁰ : « Quare unguentum non ven-
ditur (b) trecentis denariis, » etc. Ii sunt
malitiosi, qui unguentum devotionis in eu-
piditatem vertere volunt, et ad murmura-
tionem convertuntur. Malum est consilium
Judæ, et simile consilio Satanæ. Judas un-
guentum in denarios, Satanæ lapides in
panes vult converti, id est, pœnitentiæ aus-
teritatem in (c) carnalitatē ¹¹ : « Dic ut la-
pides isti panes fiant. »

De secunda cœna dicitur hic : *Homo qui-
dam fecit cœnam magnam*, etc. Dominus in
hoc evangelio ostendit, quod convivæ hujus
mundi vocandi sunt, compellendi sunt, in-
troducendi sunt, implendi sunt. Vocantur in
prædicatione; compelluntur in tribulatione;
introducuntur in evolatione; implentur in
ruinarum cœlestium impletionē.

De primo dicitur ibi : *Vocavit multos*. Sed,
heu! ¹² « multis sunt vocati, pauci vero electi. »
Vocantur autem electi verbo doctrinæ ad lu-
men gratiæ, et ad lumen gloriæ ¹³ : « De te-
nebris vos vocavit in admirabile lumen
suum. » Illi ergo tanquam electos se vocatos
semper putare possunt, qui tanquam stellæ
cœli per bonam vitam lucidi sunt ¹⁴ : « Stella
dederunt lumen suum in custodiis suis; vo-
catæ sunt, et dixerunt : Adsumus. » Nota
quod non solum multi sunt, qui vocantur,

¹ Joan., XII, 2. — ² Luc., x, 40. — ³ Joan., XII, 26.
— ⁴ I Petr., IV, 11. — ⁵ Joan., XII, 3. — ⁶ Eccle., x,
1. — ⁷ Erod., VIII, 26. — ⁸ Joan., XII, 2. — ⁹ Marc.,
VI, 26. — ¹⁰ Marc., XIV, 5. — ¹¹ Matth., IV, 3. —

¹² Matth., XXII, 14. — ¹³ I Petr., II, 9. — ¹⁴ Bar.,
III, 34.

(a) Fulg. Gesse. — (b) Fulg. add. plus quam. —
(c) Cœl. edit.

sed etiam multi sunt, per quos vocantur. Ecce Deus vocat per se, vocat per angelos, vocat per patres, vocat per prophetas, vocat per pastores, vocat per miracula, vocat per flagella, vocat per prospera, vocat per adversa.

De secundo dicitur ibi : *Compelle intrare*. Gregorius : « Mala, quæ nos hic premunt, ad cælum ire compellunt. »¹ « Compellebantur fluctibus, et periclitabantur; accedentes autem suscitaverunt eum, » etc. Ecce ad Dominum accedunt, quos tribulationum fluctus compellunt. Psalmista² : « Imple facies eorum ignominia, » etc.

De tertio dicitur hic : *Cæcos et claudos introduc huc*. Sed, o! quomodo templum gloriæ intrabit, qui est cæcus in intellectu, vel claudus in affectu, vel qui cæcus in fide, vel claudus in moribus est, cum dicitur³ : « Cæcus, et claudus non intrabunt in templum. » Oportet ergo cæcam et claudam animam ante sanari, quam ad spiritualem, sive æternam refectionem debeat introduci. Augustinus⁴ : « Anima prius sanatur, sanata introducitur, introducta reficitur. » Habemus autem ad introducendum nos non solum ministerium humanum, sed etiam angelicum⁵ : « Ecce ego mittam angelum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat ad locum, quem præparavi tibi. »

De quarto dicitur ibi : *Ut impleatur domus mea* (a). Domus (b) Domini implebitur, quando ruinae angelorum implebuntur. Psalmus⁶ : « Implebit (c) ruinas. » Domus implebitur etiam, quando numerus salvandorum implebitur⁷ : « Dictum est illis, ut requiescerent adhuc modicum, donec compleantur conservi eorum. » Bernardus⁸ : « Currite, fratres, currite : nam non solum angeli, sed ipse Creator angelorum vos expectat. Nondum plena est domus, adhuc expectantur, de quibus nuptiæ impleantur. »

SERMO III.

*Jam parata sunt omnia*⁹. Paravit Dominus tormentum pœnæ in inferno, oppidum Ecclesiæ in mundo, thronum justitiæ in iudicio, convivium gloriæ in cælo.

De primo¹⁰ : « Parata sunt derisoribus iudicia, et mallei percutientes stultorum corporibus. » Vere stulti sunt peccatores : stultus enim esset, qui pro denario se faceret cremari in cruce; stultior esset, qui pro aliquo sæculari faceret se cremari æternaliter. Sed tales multi sunt¹¹ : « Stultorum infinitus est numerus. » Mallei percutientes sunt dura infernalium tormentorum genera. Sed vide : quando ferrum ignitum est, tunc a fabro malleo percutitur; ita peccatores igne inferni infusi, et perigniti, tormentis variis malleantur a diabolo, qui est faber horribilis¹² : « Ecce ego creavi fabrum, » etc.

De secundo¹³ : « Vidi civitatem novam Jerusalem a Deo paratam, » etc. Civitas est Ecclesia, in qua dominium diaboli vincimus, vel evadimus. Unde¹⁴ : « Nunc igitur notum sit regi, quoniam si civitas illa ædificata fuerit, et muri ejus instaurati, possessionem trans fluvium non habebit. » Rex iste diabolus est¹⁵ : « Ipse est rex super omnes filios superbiæ. » Fluvius est baptismus; Psalmista¹⁶ : « Fluminis impetus, » etc. Merito enim ita debet esse, quod trans fluvium baptismi nullam haberet diabolus potestatem. Sed, heu! post baptismum in hac civitate multos possidet, quia ipsam per multos annos obsidet.¹⁷ « Civitas parva, et pauci viri in ea. Venit contra eam rex magnus, et vallavit eam, extruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio (d). Inventusque est in ea vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam. Et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis. » Nota quæ ibi de hac civitate dicuntur, usque

¹⁰ Prov., XIX, 29. — ¹¹ Eccl., I, 15. — ¹² Isa., LIV, 16. — ¹³ Apoc., XXI, 2. — ¹⁴ I Esdr., IV, 13. — ¹⁵ Job, XLI, 25. — ¹⁶ Psal., XLV, 5. — ¹⁷ Eccl., IX, 14-15.

(a) Cat. edit. vestra. — (b) Cat. edit. add. vi. — (c) Cat. edit. implevit. — (d) Item obsidione.

¹ Luc., VIII, 23. — ² Psal., LXXXII, 17. — ³ II Reg., V, 8. — ⁴ Aug. — ⁵ Exod., XXIII, 20. — ⁶ Psal., CIX, 6. — ⁷ Apoc., VI, 11. — ⁸ Bern. — ⁹ Luc., XIV, 17. —

ibi : « Nullus deinceps recordatus, » etc. Sed quia sine victualibus teneri non posset, ideo non solum parata est nobis civitas, sed etiam esca in civitate inefficiens, scilicet corpus Christi ¹ : « Paratum panem de cælo præstitisti nobis, » etc. ² « Unusquisque carnem amici sui comedet in obsidione. » Amicus est Christus. Nullus ergo extra hanc civitatem salvari potest, sicut signatum est ³, ubi legitur quod Loth in civitate Segor salvatur, quatuor aliis civitatibus igne et sulphure subversis. Require in expositione in secundo sermone : *A summo cælo* ⁴.

De tertio, Psalmista ⁵ : « Paravit in iudicio thronum suum, et ipse iudicabit orbem terræ in æquitate. » Vere in æquitate : nam æque iudicabit populum et clericum, æque imperatorem et pastorem. Nam potentes et impotentes, magni et parvi æque ante thronum istum stabunt ⁶ : « Vidi mortuos magnos et pusillos stantes ante thronum Dei, et libri aperti sunt, » id est conscientiarum, quarum occulta in die iudicii manifesta erunt. Ibi leget vir in libro uxoris, ibi et e converso, quam fidem sibi invicem servaverunt; ibi quis alium tradiderit, quis in tenebris enormia fecerit, detegetur. Augustinus ⁷ : « Cum venerit Dominus, et illuminaverit abscondita tenebrarum, et manifestaverit cogitationes cordis, tunc nihil latebit proximo in proximum, neque erit quod suis quilibet aperiat, abscondatque alienis. » Unde dicitur ibidem ⁸, quod « iudicati sunt mortui ex his, quæ perscripta erant in libris. »

De quarto, dicitur hic : *Homo quidam fecit cœnam magnam*, etc., usque : *Jam parata sunt omnia*. Parata utique, jam enim supra mensam posita sunt ferenla, de qua mensa ⁹ : « Ut edatis, et bibatis. » Nota quod deliciosos cibos et potum Dominus dat hominibus in mensa materiali, et quod deliciosiores cibos, et potum gratiarum, dat in mensa cordis spiritali, et quod deliciosissimum cibum cor-

poris, et potum sanguinis sui dat in mensa sacramentali. Pensa nunc, homo : si tanta bona a Deo habes in mensa tua, in carcere, in exilio, quanta bona habebis in mensa Dei in regno? Augustinus ¹⁰ : « In patria ipsa quomodo saturabit, qui in peregrinatione sic pavit! » Quia vero in novem ordinibus angelorum omnes invitati distribuentur, secundum has novem mensas in hac cœna distinguere possumus. Ima mensa plena est deliciis, de qua infimus ordo, et qui in ipso sunt, reficiuntur; secunda mensa ditior est, et abundantior, de qua secundus ordo cum justis amplioris meriti in ipsa locati reficientur. Sic progressum facias usque ad mensam noni ordinis, plus semper mensam superiorem commendando. Sed quid valeret multa convivis esse parata, si locus sedendi paratus non esset, quando venirent? Ideo ait Dominus ¹¹ : « Vado parare vobis locum. » In eadem enim mensa alius habebit locum digniorem, secundum quod stella differt a stella in claritate, sicut dicitur ¹².

SERMO IV.

Compelle intrare, ut impleatur domus mea ¹³. Domus quandoque dicitur impleri hominibus, quandoque sonis et clamoribus, quandoque possessionibus, quandoque odoribus. Sic domus Ecclesiæ debet impleri familiæ abundantia, doctrinæ resonantia, gratiæ opulentia, famæ fragrantia.

De primo dicitur hic : *Compelle intrare, ut impleatur domus mea*. Si intraveris hanc domum, porta munera ¹⁴ : « Et intrantes domum, » etc. Sed nunquid soli reges aut divites intrabunt? Imo pauperes et debiles, cæcos et claudos introduce huc. Pauperes sunt, qui non habent divitias virtutum et donorum; debiles, qui non habent vires portandi onus tribulationum; cæci, qui non habent oculos cogitationum; claudi, qui non habent rectum gressum operum. Signifi-

¹ Sap., XVI, 20. — ² Jerem., XIX, 9. — ³ Gen., XIX, 22 — ⁴ Vid. sup., in *Nativ. Dom.*, serm. III, pag. 46, col. 2. — ⁵ Psal. IX, 8. — ⁶ Apoc., XX, 12. — ⁷ Aug.

— ⁸ Apoc., XX, 12. — ⁹ Luc., XXII, 30. — ¹⁰ Aug. — ¹¹ Joan., XIV, 2. — ¹² I Cor., XV, 41. — ¹³ Luc., XIV, 23. — ¹⁴ Matth., II, 11.

cantur ¹, ubi dicitur quod Assuerus, qui Christum significat, « invitavit populum a maximo usque ad minimum, » id est, a Joanne Baptista quem invitavit ² in ventre, usque ad illum latronem ³ in cruce ⁴: « Congregaverunt omnes quotquot invenerunt, bonos et malos, et impletæ sunt nuptiæ. »

De secundo ⁵: « Factus est repente de cœlo sonus, » etc. Hic est sonus prædicationis; Psalmista ⁶: « In omnem terram, » etc. Sonus prædicationis fit de cœlo in terram ad aures hominum; sonus autem orationis fit de terra ad cœlum ad aures Domini ⁷: « Sonet vox tua in auribus meis. » Uterque autem sonus fit, adveniente Spiritu vehementi, sicut sonus in tuba fit adveniente spiritu de ore, sonus in organis fit adveniente spiritu de folle. Sonus vero tubæ, sonus est prædicationis; sonus autem organorum, sonus orationis. Primus de ore procedit, dum verba Dei de ore prædicamus; secundus, de follibus. Tres autem folles sunt, claves, sufflatoria, et habent organa orationis, scilicet timoris, doloris, et amoris. Tot quoque habent claves, quot sunt in Oratione Dominica petitiones. Sed nota, quod in organis et claves et folles manu premuntur, ut sonus reddatur: sic necesse est ut manus bonæ operationis adjuvet sonum orationis. Gregorius ⁸: « Ut ad aurem Dei viam precibus faciatis, vigilantius studendum est, ut voces (a) actibus adjuventur. Nam inanis fit oratio, ubi prava (b) est actio (c). » Quanto autem vehementior est spiritus, tanto validior est sonus. De his sonis dicitur ⁹: « De tubis et organis sonitus longe audiebatur. » Primus longe in mundo; secundus longius in cœlo. Si ergo tu a sono Dei aures cordis avertis, tunc Deus a sono tuo aures suas avertet ¹⁰: « Qui declinat aures ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. »

¹ *Esth.*, 1, 5. — ² *Luc.*, 1, 41. — ³ *Luc.*, XXIII, 43. — ⁴ *Matth.*, XXII, 10. — ⁵ *Act.*, II, 2. — ⁶ *Psal.* XVIII, 5. — ⁷ *Cant.*, II, 44. — ⁸ *Greg.*, *ad univ. Sicil. episc.*, epist. LI, lib. XI, col. 1170, al. 1138. — ⁹ II *Paral.*, V, 13. — ¹⁰ *Prov.*, XXVIII, 9. — ¹¹ *Job.*, XXII, 18. — ¹² *Matth.*, X, 28. — ¹³ *Greg.*, *Moral.*, lib. XI, c. XLII, n. 57, quoad sensum. — ¹⁴ *Psal.* LXIV, 5. — ¹⁵ *Joan.*,

De tertio ¹¹: « Quasi nihil possit facere Omnipotens, æstimabant eum, cum ille implesset domos (d) eorum bonis. » Domum synagogæ, et domum Ecclesiæ Deus bonis temporalibus sacramentaliter et spiritualiter implevit; et tamen Judæi crucifigendo, et mali Christiani actualiter peccando sic faciunt, quod existiment Dominum nihil posse facere. Si enim ipsum posse impios damnare existimarent, plus timerent. ¹² « Timete eum, qui potest et animam, et corpus perdere in gehennam. » Si Dominum existimarent aliquid posse in judicio, ipsum non tantum offenderent in mundo. Gregorius ¹³: « Si Dominum præsentem, et omnia videntem, judicaturum de omnibus crederemus, vix aut nunquam peccaremus. » O quantis bonis gratiarum Deus Ecclesiam suam replevit! Psalmus ¹⁴: « Replebimur in bonis domus tuæ. »

De quarto ¹⁵: « Domus impleta est ex odore unguenti, » id est, exunctione (e) Spiritus Sancti. ¹⁶ « Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. » Fama enim virtutum, et exemplorum sanctorum, implet et ædificat totam Ecclesiam. O quam suavis est iste odor sanctorum! Gregorius ¹⁷: « Virtutes proficientium, innocentia cæterorum hominum, quasi suavitates fragrantium odorum. » E contrario mala fama hominum in peccatis mortuorum fœtor est inficiens. ¹⁸ « Domine, jam fœtet, quatruiduanus enim est, » scilicet in corde, ore, opere, consuetudine peccando. Sed nota quod unguentum, quo Maria Christum unxit, cujus odor domum implevit, libra fuit. Legitur autem ¹⁹ quod myrrhæ (f) et aloes, qua Nicodemus Dominum condidit, centum libræ fuerunt. Libra igitur unguenti pretiosi ad devotionem, libra vero myrrhæ et aloes ad contritionem pertinet. Unde hic una, ibi centum libræ fuerunt, quia plurima contritione indigemus in corde, cum Christus crucifixus et mortuus sit pro magnitudine peccatorum.

XII, 3. — ¹⁶ *Cant.*, IV, 10. — ¹⁷ *Greg.* — ¹⁸ *Joan.*, XI, 39. — ¹⁹ *Joan.*, XIX, 39.

(a) *Cæt. edit. add. ab.* — (b) *Cæt. edit. parva.* — (c) exactio. — (d) domus. — (e) extractio. — (f) Myrrha.

DOMINICA III POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS.

Inveni ovem quam perdideram ¹. Bonus inventor est Dominus : bene enim scit invenire electos ad justificandum, servientes ad remunerandum, odientes ad perdendum, mortuos ad resuscitandum.

De primo dicitur hic : *Inveni ovem, quam perdideram*. Quod Dominus perdidit, diabolus invenit per culpam ² : « Invenit eum leo in via, et occidit. » Deus autem invenit per gratiam ; Psalmista ³ : « Inveni David, » etc. Sed ubi invenit? Certe quosdam in cloaca diaboli et fœtidorum peccatorum ; quosdam in ore leonis, id est, diaboli per obstinationem, Psalmus ⁴ : « Salva me ex ore leonis ; » quosdam in profundo maris per peccatorum multitudinem. Psalmus ⁵ : « Eripe me de luto, ut non infigar, » quoad primum. ⁶ « Libera me ab iis qui oderunt, » quoad secundum. ⁶ « Et de profundo aquarum, » quoad tertium. Inveniuntur autem boni non tantum ad suam, sed etiam ad malorum utilitatem ⁷ : « Si invenero in Sodomis quinquaginta justos, dimittam omni loco propter eos. » Sed, heu ! neque decem inventi sunt.

De secundo ⁸ : « Beati servi illi, quos cum venerit, » etc. Gregorius ⁹ : « Vigilat, qui ad aspectum veri luminis oculos aperte tenet. Vigilat, qui a se temporis, et negligentiae tenebras expellit. » ¹⁰ « Et si in secunda, et tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. » Glossa : « Prima vigilia, custodia pueritiæ est, et secunda juventutis, tertia senectutis. » Si quis vero in pueritia vigilare neglexerit, non tamen desperetur, sed in juventute, vel saltem in senectute respiscat. In quacumque vigilia Dominus venerit, et per ægritudines pulsaverit, si te dormientem invenerit, vae tibi ; si vigilantem ad Domi-

num, beatus es. Non solum autem nos ipsos, sed et omnium meritorum et demeritorum nostrorum pondus per judicii sui stateram Dominus inveniet. ¹¹ « Appensum in statera, et inventum est minus habens. »

De tertio, Psalmista ¹² : « Dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt, pones eos ut clibanum ignis. » Qui sunt infelices qui odio habent Dominum? Certe peccatores. ¹³ « Oderunt me, et Patrem meum. » Qui enim diligit mendacium, odit veritatem : qui diligit mortem, odit vitam : qui diligit tenebras, odit lucem. ¹⁴ « Qui male agit, odit lucem. » Qui diligit adulterum, odit sponsum. Augustinus ¹⁵ : « Quomodo non potest adultera conjux esse nisi inimica viro suo, sic anima adultera (a) amore rerum sæcularium, vel temporalium, non potest nisi inimica esse (b) Deo. » Non solum autem Deum, sed et seipsum odit peccator ; Psalmus ¹⁶ : « Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. » Nonne seipsum odit, qui seipsum jugulat? Hoc peccator facit peccando. ¹⁷ « Homo per malitiam occidit quidem » animam suam ; sed ultrix dextera Dei bene inveniet tales ad damnandum, et non ad coronandum. Psalmista ¹⁸ : « Dextera tua inveniet omnes, qui te oderunt, pones eos ut clibanum ignis, » etc. ¹⁹ « Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. » Bene dicit *ut (c) clibanum*. Sic timendum est tibi, peccator. Sicut enim in clibano pleno igne, ubicumque scissura vel foramen fuerit, flamma erumpit, ita (d) flamma gehennæ erumpet in inferno per os, per oculos, per nares, quibus nunc peccas in mundo.

De quarto ²⁰ : « Invenit eum quatuor (e) dies in monumento habentem. » Lazarus iste, de quo hic dicitur, humanum genus significat, quod Deus quarto die suscitabit in generali resurrectione. Primus dies, tempus ante le-

¹ Luc., xv, 6. — ² III Reg., xiii, 24. — ³ Psal. lxxxviii, 21. — ⁴ Psal. xxi, 22. — ⁵ Psal. lxxviii, 45. — ⁶ Ibid. — ⁷ Gen., xviii, 26. — ⁸ Luc., xii, 37. — ⁹ Gregor., in Evang., hom. xiii, n. 3, et Bed. in Luc. — ¹⁰ Luc., xii, 38. — ¹¹ Dan., v, 27. — ¹² Psal.

xx, 9. — ¹³ Joan., xv, 24. — ¹⁴ Joan., iii, 20. — ¹⁵ Aug., Enarr. in Psal. xcii, n. 10. — ¹⁶ Psal. v, 6. — ¹⁷ Sap., xvi, 14. — ¹⁸ Psal. xx, 9. — ¹⁹ Apoc., xx, 15. — ²⁰ Joan., xi, 17.

(a) Cæt. edit. addunt esse. — (b) Cæt. edit. esset. — (c) Item in. — (d) Item quia. — (e) Item quarta.

gem; secundus, tempus sub lege; tertius, post legem, hoc est tempus gratiæ; quartus est supra legem, dies futuri sæculi, qui incipit in resurrectione mundi. Quarta die fecit solem (a) et lunam, et stellas, significans, quod in hac quarta die resurrectionis cælum ornabitur luminosis sanctorum corporibus ¹: « Alia claritas solis, alia lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate. Sic et resurrectio mortuorum. » O quanta claritas, ubi tot millia sanctorum solaribus lucebunt corporibus! Hac vero die ille sapientissimus inventor inveniet omnes mortuos, imo omnes crines ²: « Capillus de capite vestro non peribit. » Augustinus ³: « Times ne animam perdas, qui capillum non perdes? » Deo omnia numerata sunt: omnia reintegrabit, qui omnia creavit.

SERMO II.

Inveni drachmam, quam perdideram ⁴. Drachma, sicut dicit Glossa, est nummus certæ quantitatis habens imaginem regis. Novem ergo drachmas refert ad novem ordines angelorum; decima vero est homo ad imaginem utique Dei factus. Sed decima est perdita, cum humanum genus in Adam lapsum est. Considerare autem possumus quadruplicem perditionem hominis: prima est per corruptionem originalem; secunda, per transgressionem actualem; tertia, per exercitationem corporalem; quarta, per damnationem gehennalem.

De prima ⁵: « Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. » Superbia enim in paradiso commissa omnes perditum sumus: nec mirum, cum superbia perditum fuerint angeli in cælo ⁶: « Perdidisti te, o Cherubim (b). » Signatur autem hominis perditio in duobus perditis, scilicet ove, et drachma. Per ovem significatur homo

propter innocentiam originalem; per drachmam vero, propter imaginem naturalem ⁷: « Faciamus hominem ad imaginem, » etc. Sed homo perditus per lucernam Evangelii invenitur, de qua Psalmus ⁸: « Lucerna pedibus meis verbum tuum. » Adhuc certe indiget lumine sapientiæ, qui in tenebris culpæ perdidit drachmam animæ suæ. Augustinus ⁹: « Fecisti nos, Domine, ad imaginem et similitudinem tuam: mitte radium sapientiæ tuæ, ut expellat tenebras nostras, et fulgeat in nobis imago tua. »

De secundo ¹⁰: « Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus. » Perditus est populus Dei mortaliter peccando. A Deo quidem peccator perditur, sed a diabolo invenitur. Pastores sunt curam animarum habentes, seducentes alios verbis et exemplis ad perditionem. Sed valde timendum est quod homo non solum malis, sed et bonis suis perdit animas aliorum. Joannes Chrysostomus ¹¹: « Da indigenti, et non saltanti, ut non pecuniis tuis perdas animam illius, tu enim causa es perditionis illius. » Montes sunt excellentia vitia, in quibus vagamur. ¹² « Septem capita septem montes sunt, super quos sedit mulier. » Super septem capitalia vitia sedet mulier, id est, vanitas mundana. Habuit autem hæc mulier ¹³ « poculum aureum in manu plenum abominatione et immunditia fornicationis. » Quicumque enim per pulchritudinem et delectationem creaturarum allicitur ad peccatum, quasi de auro bibit venenum. Bene autem dicitur potus malæ delectationis immunditia fornicationis, quia dum anima in peccatis delectatur, a vero sponso, scilicet Christo, fornicatur, amando plus creaturam, quam Creatorem. Augustinus ¹⁴: « Creatura non ob aliud perniciose est amatori, nisi quia præponitur Creatori. » Et ideo ab ipso perditur; Psalmista ¹⁵: « Perdidisti omnes,

Perditio
hominis
quadru-
plex.

¹ 1 Cor., xv, 41-42. — ² Luc., xxi, 18. — ³ Aug., serm. cccxxxiii, n. 1. — ⁴ Luc., xv, 9. — ⁵ Tob., iv, 14. — ⁶ Ezech., xxviii, 16. — ⁷ Gen., i, 26. — ⁸ Psal. cxviii, 103. — ⁹ Aug. — ¹⁰ Jerem., l, 6. — ¹¹ Chrysost. — ¹² Apoc., xvii, 9. — ¹³ Ibid., 4. —

¹⁴ August., Euarr. in Psal. lxxix, n. 14. — ¹⁵ Psal. lxxii, 27.

(a) Cat. edit. cælum. — (b) Vulg. Cherub.

qui fornicantur abs te. » Perduntur certe non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter fornicantes ¹ : « Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam. »

De tertio ² : « Qui multiplicat gentes, et perdit eas, et subversas in integrum restituit. » Perditio ista fit in morte ³ : « Si ascenderit usque ad cælum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine perdetur. » Beatus qui propter Deum perditur temporaliter, quia æternaliter invenitur ⁴ : « Qui perdidit animam suam, » etc. Perditi enim per mortem, restituentur in integrum per resurrectionem. Unde ⁵ : « Tu quidem, scelestissime, in præsentī vita nos perdis; sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione resuscitabit. » Bene autem dicitur *in integrum*, quia neque pes, quem lupus comedit, nec oculus, quem corvus effodit, neque aliquid membrorum negligetur. Augustinus ⁶ : « Times ne perdas animam (a), qui capillum non perdes? » Deo omnia numerata sunt : omnia reintegrabit, qui omnia creavit.

De quarto ⁷ : « Timete eum, qui potest et corpus et animam perdere. » Animæ peccatorum quotidie perduntur in morte; sed corpus et anima simul perdentur in judicio : nunc quidem particulariter, sed tunc omnes reprobi perdentur universaliter. Quam perditionem diabolus exhorret, cum tamen jam sit perditus ⁸ : « Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene (b)? Venisti ante tempus perdere nos. » Perditur autem homo non solum pro malis factis, imo pro verbis; Psalmista ⁹ : « Perdes omnes qui loquuntur mendacium. »

SERMO III.

Gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente ¹⁰. Ecce, si vis

¹ Prov., vi, 32. — ² Job, xxii, 23. — ³ Job, xx, 7. — ⁴ Matth., x, 39. — ⁵ II Mach., vii, 9. — ⁶ August., serm. cccxxiii, n. 1. — ⁷ Matth., x, 28. — ⁸ Luc., iv, 34. — ⁹ Psal., v, 7. — ¹⁰ Luc., xv, 10. — ¹¹ Luc., xiii, 2-3. — ¹² Psal., lx, 4. — ¹³ Luc., xi, 32. —

curiam cœlestem lætificare, pœnitentiam age. Ad pœnitentiam autem movere te potest periculi immensitas, loci opportunitas, Dei benignitas, pœnitendi utilitas.

De primo nota quod de sacrificantibus, quos Pilatus occiderat, et de quibusdam, super quos turris ceciderat, dicitur ¹¹ : « Putatis quia ipsi peccatores fuerint præ omnibus? Non dico vobis, sed si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis. » Certe adhuc frequenter audis, quod alius suspenditur, alius submergitur, alius lepra, alius cæcitate percutitur; putas quod ipsi plus te peccaverunt? Tu forte centies plus peccasti. Quid autem dicam de sanctis, scilicet Joanne Baptista, de Petro, de Laurentio, de aliis sanctis, qui tanta passi sunt? putas quod plus te peccaverint? Non certe; sed nisi pœnitentiam egeris, tu æternaliter patieris. Sed nota quod, secundum Glossam, Pilatus diabolus, turris vero Christum significat. Psalmista ¹² : « Factus est spes mea, turris fortitudinis a facie inimici. » Qui ergo pœnitentiam non agit, jugulabitur a diabolo spiritualiter; opprimetur (c) autem a Christo damnante æternaliter. Item flagellat sæpe temporaliter : a quo flagello liberati fuerunt Ninivitæ propter pœnitentiam. Et quia Ninivitæ per prædicationem unius hominis conversi sunt, gratiam habuerunt. Sed moderni peccatores per centum vel mille prædicatores non convertuntur. Ideo potest dici de eis illud ¹³ : « Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, et condemnabunt eam, quia in prædicatione Jonæ pœnitentiam egerunt. »

De secundo ¹⁴ : « Dedit ei Dominus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam (d). » Locus pœnitentiæ non est in cœlo : ait enim Gregorius ¹⁵ : « Pœnitentia est ante acta flere mala, et flenda non committere. » In cœlo autem non potest esse

¹⁴ Job, xxiv, 23. — ¹⁵ Greg., Epist., lib. ix, epist. xxx, prope fin.

(a) Apud Aug., ne pereas. — (b) Cat. edit. Nazareno. — (c) Cat. edit. opprimuntur. — (d) Item superbia.

fletus ¹ : « Absterget Deus omnem lacrymam, » etc. Item locus pœnitentiæ non est in inferno, nisi illiusmodi de quo dictum ² : « Intra se pœnitentiam agentes, et præ angustiaspiritus gementes. » Sed illa pœnitentia est gaudium angelis satanæ, quia infructuosa est. Unde Gregorius ³ : « Nequaquam tunc veniam invenit, qui modo tempus veniæ perdit. » Est locus pœnitentiæ in mundo non omni tempore, sed tempore præsentis vitæ ⁴ : « Dedi (a) illi tempus, ut pœnitentiam ageret, et non vult pœnitere, » etc. O miser peccator, age pœnitentiam modo, quia nescis quamdiu locum, vel pœnitentiæ tempus habeas, an cras, an hodie veniat, qui de pœnitentia neglecta te judicet. ⁵ « Pœnitentiam age : si quominus, veniam tibi cito, et pugnabo cum illis gladio oris mei. » Vere cito, quia forte hodie, vel cras. Gregorius ⁶ : « Qui pœnitenti (b) veniam spondit, peccanti diem crastinum non promisit. »

De tertio ⁷ : « An ignoras quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor thesaurizas tibi iram, » etc. De hac benignitate ait Augustinus ⁸ : « Quæcumque necessitas cogit peccatorem ad pœnitentiam, neque criminis immensitas, neque vitæ enormitas, neque horæ extremitas excludit veniam, si pura fuerit voluntatis permutatio. » De criminis immensitate patet in Petro negante; de vitæ enormitate patet in Magdalena; de horæ extremitate patet in latrone. Magna benignitas, quod peccata ex toto corde pœnitentis non solum non vindicat opere, neque impropert ore, imo nec recordatur corde ad odium ⁹ : « Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, » etc., usque : « non recordabor. » Hanc benignitatem male pœnitens Judas ignoravit, de quo ¹⁰ : « Pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos, » etc., usque : « Laqueo se suspendit. »

¹ Apoc., XXI, 4. — ² Sup., v, 3. — ³ Gregor., in Evang., hom. XII, n. 4. — ⁴ Apoc., II, 21. — ⁵ Ibid., 16. — ⁶ Greg., ubi sup. prox., n. 6. — ⁷ Rom., II, 4-5. — ⁸ Aug. — ⁹ Ezech., XVIII, 12. — ¹⁰ Matth.,

De quarto ¹¹ : « Quæ enim secundum tristitia est, pœnitentiam (c) in salutem stabilem operatur. » O magna pœnitentiæ utilitas! Per pœnitentiam enim non solum malum culpæ, sed etiam miseræ et gehennæ declinatur ¹² : « Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, agam et ego pœnitentiam a malo, quod cogitaveram, ut facerem eis. » Item bonum gratiæ præstatur ¹³ : « Ergo et gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam, » scilicet gratiæ. Item regnum gloriæ acceleratur ¹⁴ : « Pœnitentiam agite, appropinquabit vobis regnum cœlorum. » Unde tota illius regni curia lætificatur, sicut hic dicitur : *Gaudium est angelis Dei*, etc. Væ eis, qui modo gaudium angelis non faciunt pœnitendo. Væ ergo (d) qui suo gaudio angelos suos privant, pœnitentiam relinquendo. Bernardus ¹⁵ : « Exclamaverunt angeli, cum ad pœnitentiam venimus, tanquam super iis, quos ab ipsa inferni porta cernebant revocari. » Quid vero erit, si ab ipsa porta paradisi reverti viderint, et abire retrorsum eos, qui jam unum pedem habebunt in paradiso?

SERMO IV ¹⁶.

Gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente ¹⁷. Quoniam charitas est de bono alieno gaudere, hinc est quod Dominus noster in verbo proposito ostendit in supernis spiritibus, qui omni charitate sunt repleti, gaudium angelorum de conversione peccatorum, cum dicit : *Gaudium est angelis Dei*, etc. In quibus verbis primo præmittitur miseria humanæ infirmitatis; secundo adjungitur efficacia medicinæ sacramentalis; tertio subjungitur lætitia supernæ civitatis. Et hæc tria debent ordinari. Nam spiritualis infirmitas hominis est prior, et præcedit efficaciam medicinæ pœnitentialis, et pœnitentia, sive conversio pec-

XXVII, 3-5. — ¹¹ I Cor., VII, 10. — ¹² Jerem., XVIII, 8. — ¹³ Act., XI, 18. — ¹⁴ Matth., IV, 17. — ¹⁵ Bern., in Vig. Nativ. Dom., serm. II, n. 6. — ¹⁶ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ¹⁷ Luc., XV, 10.

(a) Cæt. edit. dedit. — (b) Item pœnitendi. — (c) Item pœnitentia. — (d) Forte leg. eis.

catorum, tanquam causa motiva, præcedit gaudium angelorum. Primo ergo in verbo proposito præmittitur miseria humanæ infirmitatis, cum dicit : *Super uno peccatore* : peccator enim idem est quod infirmus spiritualiter. Secundo additur efficacia medicinæ pœnitentialis, cum subdit : *Pœnitentiam agente* : pœnitentia enim, quæ dicitur sacramentum, est quædam medicina spiritualis, quæ multo melius curat spiritum a qualibet infirmitate, quam medicina materialis corpus. Tertio adjungitur, tanquam consequens ex his, lætitia supernæ civitatis, cum subinfert : *Est angelis Dei*.

Miseria humanæ infirmitatis. Dicit ergo : *Super uno peccatore*; ubi notatur miseria humanæ infirmitatis. Incurrit autem homo istam spiritualem infirmitatem, per quam miser efficitur spiritualiter, tripliciter, secundum quod in tria bona habet peccatum committi. Nam omne peccatum (obscure loquendo) aut est in Deum, aut in proximum, aut in subjectum proprium. Incurritur ergo ista spiritualis infirmitas primo propter fastum mentalis superbiam, provocantis Deum; secundo propter defluxum carnalis lasciviam deprimentis subjectum proprium; tertio propter odium cordialis malevolentiam offendentis proximum.

Primo homo efficitur spiritualiter infirmus, vel peccator, propter fastum mentalis superbiam, provocantis Deum. Unde ¹ : « Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccavit. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli » ad hominem, quia qui facit peccatum, ex diabolo est, non per creationem, sed per imitationem. « Ipse enim ² regnat super omnes filios superbiam, » quoniam ab initio diabolus peccavit peccato superbiam. Nam ³ « initium omnis peccati superbia. » Unde Filius Dei in hoc apparuit visibiliter, assumendo limum nostræ mortalitatis in unitate divinæ personæ, ut superba opera diaboli dissolvat

per suam humilitatem. Certe verecundum est, ex quo rex regum Christus humilis factus est, ut homo cinis et vermis superbiat. Unde Augustinus ⁴ : « Habemus humilitatis exemplum, superbiam medicamentum. Quid intumescis, o homo? O pellis morticina, quid extenderis (a)? O sanies fœtida, quid inflaris? ⁵ Princeps tuus humilis est, et tu superbis? caput humile, et membrum superbum? » Quasi dicat : Valde reprehensibile est.

Secundo homo efficitur peccator, sive infirmus spiritualiter, propter defluxum carnalis lasciviam, deprimentis subjectum proprium ⁶ : « Fugite fornicationem : omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. » Bene dicit autem : *Fugite*, et non dicit : Fornicationi resistite, quia vitium luxuriæ melius vincitur fugiendo, quam resistendo. *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est*, Glossa : « Id est, sine contaminatione; *qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*, Glossa : « Cætera peccata solum animam contaminant; fornicatio vero non solum animam, sed etiam corpus contaminat. » Peccatum enim luxuriæ adeo fœdat hominem quantum ad corpus, et deordinat quantum ad animam, ut jam non animal rationale, sed potius animal brutum debeat appellari, eo quod ad modum bestiam, quod est inferius, scilicet sensualitas, facit ut dominetur superiori, scilicet rationi. Unde Bernardus ⁷ : « Bestialius nihil homine rationem habente, et ratione non utente. » Et ideo quasi bestia reputatur, et ad pascendum immunda animalia mancipatur, secundum quod dicitur ⁸ de filio prodigo, qui postquam dissipavit omnem substantiam suam vivendo luxuriose, positus fuit cum porcis ad pascendum eos. Unde inquit ipse ⁹ : « Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam : Pater, peccavi in

Luxuria quomodo vincatur.

¹ I Joan., III, 8. — ² Job, XLI, 25. — ³ Eccli., X, 15. — ⁴ Aug., serm. CCCIV, al. de Divers. XXXVII, n. 3. — ⁵ Hæc quæ sequuntur, ex alio loco desumpta videntur. — ⁶ I Cor., VI, 18. — ⁷ Bern., in Cant.

serm. XXXV, n. 8, quoad sensum. — ⁸ Luc., XV, 15. — ⁹ Ibid., 18.

(a) Apud Aug. tenderis.

cælum, et coram te. » Et ecce quod iste positus erat a diabolo cum porcis, id est, cum immundis spiritibus, qui fœdis voluptatibus delectatur, quos continue pascibat, dum carnis voluptates (a) non deserebat.

Tertio efficitur homo infirmus, sive peccator, propter odium cordialis malevolentiae damnificantis proximum; unde ¹ : « Peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ ejus, dum deprecaretur nos, et non audivimus. » Hæc est illa fera pessima, scilicet invidia, quæ omni bellua crudelior, quæ justum Abel occidit, sanctum Joseph multis doloribus adimpletum vendidit, Filium Dei in crucis patibulo crudeliter quantum ad humanitatem absorbuit, et etiam totum genus humanum spiritualiter interfecit. Nam ² « invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. » O secretum virus, et pestis occulta! O livoris parens, et criminis fomes, et virtutum ærugo, et tineæ sanctitatis, quæ non cessas continue damna spiritualia filiis Adam inferre, et bella concitare, inimicitias et homicidia procreare, ut de cruore occisorum reficiaris! Tollite, charissimi, tollite istam feram pessimam de medio vestri, quia statim erit securitas mentis, tranquillitas animi, et simplicitas cordis; statim quiescent bella, et contentiones, et fœderabuntur discordes: quia, nisi per illam, nesciremus odire, imo quilibet fratrem suum sicut seipsum diligeret.

Secundo notatur efficacia medicinæ pœnitentialis, cum subdit: *Pœnitentiam agente*; tunc enim pœnitentia, quæ est medicina sacramentalis, efficaciter sanat omnes infirmitates animæ, quando habet in se tres conditiones contra tria prædicta peccata: per quas conditiones Deus provocatus placatur, subjectum proprium deordinatum reformatur, proximus damnificatus, vel offensus, reconciliatur: et propter hoc pœnitentia de-

bet esse primo, ut Deus placetur, profunda ex subjectionis reverentia, contra mentalem superbiam Deum provocantem; secundo, ut subjectum proprium reformetur, lacrymosa, ex doloris vehementia, contra carnalem demulcentiam, proprium subjectum deordinantem; tertio, ut proximus reconcilietur, satisfactoria, ex recompensationis festinantia, contra cordialem malevolentiam, proximum damnificantem.

Primo pœnitentia debet esse profunda ex subjectionis reverentia, contra mentalem superbiam Deum provocantem; et propter hoc peccatori nomine angeli a justitia cadentis dicitur ³ : « Memor esto unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac. » In hoc verbo Dominus contra peccatum, quasi ægroto, primo offert medicinam saluti spiritualiter necessariam per modum disponentis et præparantis, scilicet rememorationem culpæ et ruinæ, cum dicit: *Memento unde excideris*: ut per hoc inducat eum faciliter ad humiliationem et pœnitentiæ afflictionem. Unde sequitur: *et age pœnitentiam, et prima fac opera*. Prima namque opera pœnitentiæ dicuntur, et nobilia fundamenta humilitatis profundæ, eo quod sine fundamento humilitatis divinæ reverentiæ totum, quod ædificavit, confessionis et pœnitentiæ ædificium crescit ruinæ. Unde Augustinus *ad Dioscorum* ⁴ : « Nisi humilitas omnia, quæ bene facimus, texuerit, et posita fuerit, quod intueatur opposita, sive concomitata, cui adhæreamus, et imposita, qua reprimamur, jam nobis de aliquo beneficio gaudentibus: totum extorquetur de manu nostra superbia (a). »

Hoc attendens quidem S. Papa, cum confitebatur, nolebat sedere ad latus sui Capellani, qui eum audiebat, sed pedibus ejus provolutus, quousque confessione completa, morabatur: dicebat enim: Modo non teneo locum Papæ, sed peccatoris; et ideo cum recogito omnes defectus meos, necesse habeo humi-

¹ Gen., XLII, 21. — ² Sap., II, 24. — ³ Apoc., II, 5. — ⁴ Aug., *Dioscor.*, epist. LVI, al. CXV, II, n. 22.

(a) *Cat. edit.* voluptatibus. — (b) *Textum hunc sic restitue*: Nisi humilitas omnia quæcumque bene facimus et præcesserit et comitetur et consecuta fuerit,

liari. Unde Bernardus, *super Cantica* ¹ : « Quomodo mens mea non humiliatur in hac vera (a) cognitione sui, cum se pereperit (b) oneratam peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatam, terrenis curis intricatam, carnalium desideriorum fæce infectam, cæcam, curvam, et infirmam? » Sed certe quicumque propter quamcumque excellentiam, sive nobilitatem, dum confitetur, non vult humiliari, et subijci sacerdoti, caveat sibi ne forte imitetur diabolum, qui cum semel veniret ad sacerdotem, et diceret ei quod vellet confiteri, non tantum fuit (c) contentus sedere ad latus sacerdotis, imo posuit se supra caput ejus : cognoscens vero sacerdos, Spiritu sancto revelante, quia diabolus esset, ait ei : « Totum ædificium tuæ confessionis ruinæ crescit, quia sine fundamento humilitatis incipitur. » Videns enim diabolus esse se comprehensum a sacerdote in astutia suæ fallacis deceptionis, inquit ad sacerdotem : « Et si nunquam consecuturus sum indulgentiam, tamen a me nunquam nec verbo, nec facto doctrinam humilitatis addisces, quia elatus et superbus sum corde. » Nec recolo me legisse propria ista verba, sed horum verborum sententiam.

Secundo debet pœnitentia esse lacrymosa ex doloris vehementia, contra carnalem lasciviam proprium subjectum deordinantem (d). Unde ² : « Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. » Quilibet, cum cogitat propter (e) Deum offendisse, adeo debet intime dolere, et dure interius colaphizare in corde, ut prorumpat in lacrymas exterius : quia talis tristitia operatur pœnitentiam in salutem stabilem : eo quod inde meremur veniam omnium peccatorum, quibus obligabamur ad æternam pœnam. Unde Augustinus ³ : « Ascendat quilibet adversum se tribunal mentis suæ : constituat se ante faciem suam : accuset constituto iudicio in corde suo ; adsit

accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnis timor ; inde quidem sanguis cum confessione profluat, quia si nosmetipsos judicamus, non judicabimur. »

Tertio pœnitentia debet esse satisfactoria ex recompensationis festinantia, contra cordialem malevolentiam proximum damnificantem ; unde ⁴ : « Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ. » Ille enim dignos fructus pœnitentiæ facit, qui quanto graviora damna, sive corporalia, sive spiritualia, intulit proximo, tanto majorem recompensationem quam citius potest restituere festinat, ut ubi abundavit delictum invidiæ et malevolentiae inferendo damnum, ibi superabundet gratia benevolentiae et concordiae, restituendo ablatum : quia nunquam remittuntur peccata, nisi restituantur ablata quæque, et maxime famæ, eo quod ⁵ « melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa terræ. » Si hoc ponderaret quilibet detractor, qui omnia judicat et a nemine vult judicari, quia nunquam dimittitur peccatum culpæ, nisi restituatur ablatum famæ, forsitan fratrem suum non crucifigeret falso iudicio malignæ cogitationis in corde, et perverso iudicio venenoso detractionis in ore. Aliquando frater suus, quem damnat detractor, est valde charus Deo interius per gratiam, multum conformis Christo per bonam voluntatem, et satis propinquus cœlestibus per meritum abundantiam.

Tertio notatur lætitia supernæ civitatis, cum subiunferitur : *Gaudium est angelis*. Gaudent et lætantur superni cives de salute peccatoris hominis, propter rationem triplicem : primo propter benevolentiae charitatis latitudinem ; secundo propter angelici casus restaurationem ; tertio propter præmii actualis augmentationem.

Primo gaudent angeli de salute peccatoris propter benevolentiae charitatis latitudinem. Latitudo enim charitatis facit, quod tantum

Angeli
cur gau-
deant de
salute
peccato-
ris.

¹ Bern., in *Cant.*, serm. xxxvi, n. 5. — ² II *Cor.*, vii, 10. — ³ Aug., serm. xiii, al. *de Temp.*, xiv, n. 7, quoad sensum. — ⁴ *Luc.*, iii, 8. — ⁵ *Eccle.*, vii, 2.

(a) *Cæt. edit.* vana. — (b) *Item* percipit. — (c) *Item* fuerit. — (d) *Item* deordinatam. — (e) *Leg.* se per peccatum.

gaudet angelus de bono proximi, quantum de proprio: quia superna civitas non coangustatur multitudine desiderantium, quia nulli diminuitur de suo proprio præmio propter multitudinem præsentium et existentium, immo inde cuilibet sua gloria crescit. Et propter hoc dicitur in hodierno evangelio ¹: *Quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et evertit (a) domum, et quærit diligenter, donec inveniat?* Sequitur: *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore penitentiam agente.* Mulier est divina sapientia; drachmæ vero novem sunt novem chori angelici; sed drachma una est humanum genus, quæ fuit perdita merito primæ prævaricationis. Igitur divina sapientia, ad quærendam istam drachmam, accendit lucernam luce humanitatis, uniendo eam, vel intuendo lumine divinitatis, et evertit domum assumptæ mortalitatis per corporis et animæ resolutionem in passione, ut per proprium sanguinem inveniat amissum hominem. Ex hoc enim magnum gaudium generatur angelis Dei propter latitudinem perfectæ charitatis, quæ extenditur ad omnes electos.

Secundo gaudent angeli de salute peccatoris propter angelici casus restaurationem. Quamvis angeli sint superiores per naturam, tamen ex divina largitate et benignitate, quæ sibi hominem ministravit, contingit aliquos homines in gratia angelis æquiparari, et propter eorum meritorum excellentiam ad ordines angelorum assumi, ut eorum exaltatio, (b) sanctificatio, sit angelicæ ruinæ per quamdam æquipollentiam reparatio. De isto autem gaudio potest exponi illud ²: « Consolabitur Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus: et gaudium et lætitia invenietur in ea. » Sion *specula* interpretatur, et signat cælum empyreum, in quo positi sunt angeli ad speculandam

pulchritudinem divinitatis: cujus ruinas Deus consolatur, quando terrenos homines loco illorum, qui ceciderunt, exaltat ad ordines angelorum. Unde super illud Psalmi ³, *Constitues eos principes*, Glossa: « Pauperes elegit, ut exaltaret ad ordines cœli, qui fiunt ex hominibus et angelis. »

Tertio gaudent angeli de salute peccatoris propter præmii actualis (c) augmentationem, licet non accrescat angelis gaudium, in quo consistit præmium actuale (d), quia ministrando aliis bona opera, merentur præmium actuale (e), super quo gaudent ratione proprii doni; et cum concives suos ad beatitudinem producant, super eis absque dubio gaudent, et congratulantur ratione sui conjuncti. Unde licet gaudeant de hominis salute, tamen non tristantur de ejus damnatione: eo quod beati susceptibiles sunt gaudii et lætitiæ, sed non tristitiæ. Et de isto gaudio dicitur ⁴: « Revertentur omnes timentes Dominum, et relinquent gentes idola sua, et venient viri in Jerusalem, et habitabunt in ea, et gaudebunt in ea omnes reges terræ. » *Revertentur* per contritionem *omnes timentes Dominum* filiali reverentia, qui aversi fuerant a Deo per peccatum; *et relinquent gentes idola* vanitatum, *et venient in Jerusalem* concorditer per pacis tranquillitatem, *et habitabunt in ea* per boni operis continuationem. Et quia hæc fiunt adjutorio angelorum, qui sunt deputati ad nostram custodiam, ideo *reges terræ*, id est angeli, qui regunt per dispensationem a Deo eis datam, *gaudebunt* propter accidentalis præmii augmentationem. Rogemus, etc.

DOMINICA IV POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS ⁵.

Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis ⁶, etc. Navis Simonis est Ecclesia Simoni commissa. Considerandum au-

¹ Luc., xv, 8, 10. — ² Isa., li, 3. — ³ Psal. XLIV, 17. — ⁴ Tob., xiv, 7. — ⁵ Hunc et duos seq. habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁶ Luc., v, 3.

(a) Vulg. *evertit*. — (b) *Suppl.* sive. — (c) *Forte leg.* accidentalis. — (d) *Item* essentialis. — (e) *Item* accidentale.

Navis
quadru-
plex.

tem, quod quadruplex est navis, videlicet crux triumphalis, mens rationalis, pœnitentia salutaris, Ecclesia universalis.

De prima ¹ : « Ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. Et ecce motus magnus, » etc. Glossa : « Navicula est crux Christi, cujus beneficio ad littus patriæ cœlestis venimus. » Unde ² : « Exiguu ligno ereduut homines animas suas, transeuntes mare, et per ratem liberati sunt. » Isidorus ³ : « Quocumque metu (a) procellis mundi involveris, lignum ascende crucis, ut a mari, id est, tempestate sæculi libereris. » In hac navi Christus obdormivit moriendo. De tempestate circa hanc navim orta, dicitur ⁴, quod « tenebræ factæ sunt, petræ scissæ sunt, et velum templi, » etc. Nota quod in tempestate solent homines injuriantibus ignoscere, sicut et Christus ⁵ : « Pater, dimitte illis, » etc. In quo exemplum dedit nobis ignoscendi aliis. Item solent Christum invocare, sic et Christus ⁶ : « Deus, Deus meus, » etc. Item solent homines se exonerare; sic et Christus vestem et sanguinem, et animam. Sicut enim Jonas, de navi ad salutem aliorum projectus, in ventrem celi venit, sic anima Christi de navi crucis in ventrem inferni descendit.

De secundo ⁷ : « Dies mei transierunt, sicut naves poma portantes. » Dies et naves sunt mentes, vel animæ fideles; poma sunt virtutes, et opera redolescentia. Nota quod exoneranda est hæc navis ab omni peccato et injusta possessione, ne mergatur in damnationem. ⁸ « Sequenti die, jactum fecerunt, et tertia die de suis manibus armamenta navis projecerunt. » Augustinus ⁹ : « Naufragium fugis, et plumbum amplecteris? » Item effundenda est aqua concupiscentiæ in confessione, quæ per rimas sensuum intrat ¹⁰ : « Effunde sicut aquam cor tuum. » Item regenda est cum sollicitudine propter di-

versa pericula. Psalmista ¹¹ : « Hoc mare magnum, » etc. usque : « Illic naves pertransibunt. » Ambrosius ¹² : « Valde nobis pertimescendum est, ne navem nostram, aut procella tempestatis abripiat, aut fluctibus absorbeat, aut in æternam prædam pirata crudelis abducatur. »

De tertio ¹³ : « Me expectant insulæ, et naves maris in principio, ut abducam filios tuos de longe. » Peccatores sunt longe elongatione culpæ, morantur in insulis falsæ securitatis, adducuntur per naves pœnitentiæ, ut fiant filii Ecclesiæ ¹⁴ : « Filii tui de longe venient. » Nota quod sicut homo qui relinquit navem, sic qui relinquit pœnitentiam, submergitur, imo cum Jona a pisece diabolo deglutitur. Teneat ergo se in pœnitentia, qui non vult submergi in culpam. Hieronymus ¹⁵ : « Pœnitentia est secunda tabula post naufragium. » Item sicut motus navis, sic motus pœnitentiæ vomitum provocat in confessione ¹⁶ : « Vome, et refrigerabit te. » Item sicut in ultimo periculo navis, quando jam aqua intrat in navem, ita constanter pœnitentes clamare debent in oratione; Psalmus ¹⁷ : « Salvum me fac, » etc.

De quarto ¹⁸ : « Facta est quasi navis insitoris, » etc. In hac Christus adoratur, etc. ¹⁹ « Qui autem in navicula erant, venerunt et adoraverunt, » etc. De hac in præsentis evangelio dicitur ²⁰ : « Vidit duas naves, » etc. quæ significant Ecclesiam et Synagogam. Nota quod navis Ecclesiæ habet gubernaculum fidei dirigentis ²¹ : « Naves cum magnæ sint, modico gubernaculo circumferuntur, ubi impetus dirigentis voluerit. » Magnæ naves sunt omnes Ecclesiæ. Mirabile gubernaculum est fides, quæ navem Ecclesiæ per mare, et per terram, id est, per adversa, et prospera dirigit ²² : « Fide transierunt mare Rubrum, tanquam per aridam terram. » Item habet anchoram spei stabilientis ²³ :

¹ *Matth.*, VIII, 23-24. — ² *Sap.*, XIV, 5. — ³ *Isid.* — ⁴ *Matth.*, XXVII, 45, 51. — ⁵ *Luc.*, XXIII, 34. — ⁶ *Matth.*, XXVII, 46. — ⁷ *Job*, IX, 26. — ⁸ *Act.*, XXVII, 18. — ⁹ August. — ¹⁰ *Thren.*, II, 19. — ¹¹ *Psal.* CIII, 25. — ¹² Ambros. — ¹³ *Isa.*, LX, 9. — ¹⁴ *Ibid.*, 4. —

¹⁵ Hieron., in *Isa.*, c. III, et ad *Demetriad.*, epist. VIII. — ¹⁶ *Eccli.*, XXXI, 25. — ¹⁷ *Psal.* LXVIII, 2. — ¹⁸ *Prov.*, XXXI, 14. — ¹⁹ *Matth.*, XIV, 33. — ²⁰ *Luc.*, V, 2. — ²¹ *Jac.*, III, 4. — ²² *Hebr.*, XI, 29. — ²³ *Hebr.*, VI, 18. — (a) *Leg.* motu.

« Firmissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam et firmam. » Gregorius ¹ : « Quamvis adhuc rerum perturbationibus animus fluctuetur, tamen spei vestræ anchoram in æternam patriam figite, intentionem æterna luce solidate. » Item habet velum charitatis trahentis ² : « Byssus varia de Ægypto texta est in velum, ut poneretur in malo, » id est, in Christo. Ad modum enim velaminis, quando charitas malo, id est, Christo fortiter adhæret, quanto magis ventis tribulationum impellitur, tanto citius ad portum salutis æternæ pervenitur.

SERMO II.

Concluserunt multitudinem piscium copiosam ³, scilicet Petrus et socii ejus. Multitudo piscium est multitudo hominum conclusa per rete fidei. Considerandum autem, quod est quadruplex multitudo hominum : quædam in culpa, quædam in gratia, quædam in gloria, quædam in gehenna. Prima est multitudo impiorum; secunda, justorum; tertia, beatorum; quarta, damnatorum.

De prima ⁴ : « In his jacebat multitudo languentium. » Nota historiam. Piscina est pœnitentia qua lavamur a sordibus peccatorum, quæ aqua gratiæ et lacrymarum per aquæductum timoris vel amoris respicit. Unde et ibi diabolus maxime insidiatur. Unde bene de Rapsace, id est, de raptore animæ dicitur ⁵ : « Stetit in aquæductu piscinæ superioris. » Piscina inferior est pœnitentia, quæ est timore gehennæ; piscina vero superior est, quæ amore patriæ est. Quinque porticus sunt quinque sensus, in quibus jacet per carnalia desideria multitudo languentium in mala consuetudine, et cæcorum, qui lumen veritatis non habent in cognitione, et claudorum, qui gressum

æquitatis non habent in operatione, et aridorum, qui humorem pietatis non habent in affectione. Angelus autem est doctor, qui movet aquam, dum movet ad compunctiones, vel ad lacrymarum gratiam. ⁶ « Quis dabit capiti meo aquam, » etc. Hieronymus ⁷ : « Et ille doctor ecclesiasticus est, qui lacrymas, non risum movet. » Flendum certe est, quod tanta multitudo jaceat in porticibus, et tam pauci descendant in piscinam. Multi enim, heu! sunt peccantes, et pauci pœnitentes.

De secundo ⁸ : « Multitudinis credentium erat cor unum, » etc. O quam dissimilis est nunc multitudo credentium, quorum non est cor unum! Alius enim superbum, alius avarum, alius luxuriosum habet cor. Tales tamen Christiani nominantur. Bene ergo sunt nomine, non corde, sicut vulpes Samsonis, conjunctæ caudis, faucibus divisæ erant. Multitudo credentium hic per rete fidei concluditur, et duas naviculas implet, scilicet Ecclesiam de Gentibus, et de Judæis ⁹ : « Donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret. » Vel prima navis est innocentia, secunda pœnitentia. Hieronymus ¹⁰ : « Pœnitentia est secunda tabula post naufragium. » His navibus fideles tanquam nobilia poma de arbore crucis collecta ad patriam dueuntur ¹¹ : « Dies mei transierunt, quasi naves poma portantes. » O quanta etiam rubra martyrum poma ad patriam sunt portata! Augustinus ¹² : « In cœlestem mensam spiritus martyrum, tanquam de horto dominico multa et suavissima poma, transierunt. » Hortum Dominicum dicit Ecclesiam (a).

De tertio Psalmista ¹³ : « Qui numerat multitudinem stellarum, » etc. Stellæ sunt sancti in cœlo. Quid mirum si numerat illos, quorum numerat capillos? ¹⁴ « Capilli capitis, » etc. O felix multitudo, in qua est

¹ Gregor. — ² Ezech., xxvii, 7. — ³ Luc., v, 6. — ⁴ Joan., v, 3. — ⁵ IV Reg., xviii, 17. — ⁶ Jerem., ix, 1. — ⁷ Hieron. — ⁸ Act., iv, 32. — ⁹ Rom., xi, 25-26. —

¹⁰ Hier., in Isa., c. iii, et ad Demetriad., epist. viii. — ¹¹ Job, ix, 26. — ¹² Aug., Enarr. in Psal. lxxviii, n. 4. — ¹³ Psal. cxlvi, 4. — ¹⁴ Luc., xii, 7.

(a) Cœl. edit. Ecclesia.

tanta unio! Anselmus ¹ : « In illa perfecta charitate innumerabilium angelorum et hominum, ubi nullus diligit alium aliter quam seipsum, nec aliter gaudebit quisque pro singulis quam pro seipso. » Omnibus autem stellis Dominus nomina vocat, quia nominatum omnium sanctorum notitiam habet.

² « Gaudete, quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlis, » etc. È contrario Dominus non vocat nomina impiorum approbando; Psalmista ³ : « Nec memor ero nominum eorum, » etc. Patet hoc in Lazaro, quem nominavit, et in divite ⁴, cujus nomen tacuit. Multi ergo per tyrannidem, et malitiam, et vanitatem vocaverunt nomina sua in terris, quorum nomina deleta sunt in cœlis. Psalmus ⁵ : « Nomina eorum delesti in æternum. »

De quarto ibi ⁶ : « Assur, et omnis multitudo ejus : » ubi enumeravit propheta descendentes ad terram ultimam, id est, ad locum inferni, dicens quod ibi Pharao, Assur, Elam, Mossot, Tubal, Idumæa, et omnes principes aquilonis, et omnes multitudines eorum. Pharao *denegans*, et *dissipans* interpretatur, et significat hæreticum, qui veritatem negat, et fideles dissipat. Assur interpretatur *nemus*, et significat accumulatorem peccatorum, qui abundant peccatis, sicut nemus lignis. Sicut nemus horribiliter ardet, sic talis peccator in inferno. Elam interpretatur *superliminare*. Ostium autem diaboli in infernum luxuria est, cujus limen est simplex fornicatio, postes autem adulterium, superliminare peccatum contra naturam. Mossot interpretatur *capiens*, et significat deceptorem animarum, sicut malum consiliarium, vel meretricem, et hujusmodi, qui capiunt animas. Tubal interpretatur *deserens*, et significat apostatam, vel quemlibet desertorem fidei, professionis, et hujusmodi. Idumæa interpretatur *sanguinea*,

et significat quemlibet homicidam, et quemlibet consilio, vel facto fundentem sanguinem humanum. Principes aquilonis sunt, qui in omnibus generibus vitiorum sunt excellentes.

SERMO III.

Ex hoc jam eris homines capiens ⁷. Utinam ego miser peccator hodie unum pisciculum, unum hominem Domino meo Jesu Christo capere possem! Considerandum autem, quod capiuntur homines a diabolo, a proximo, a Deo.

De primo, Psalmus ⁸ : « Ceperunt animam meam. » Nota quod capturæ fiunt retibus, dentibus, manibus. Sic diabolus capit homines retibus, vel laqueis malarum cogitationum. ⁹ « Irretientur, et capientur. » Irretitur homo cogitationibus, capitur consensu. ¹⁰ « Iniquitates suæ capiunt impium, » etc. Unde sicut pisces, et aves, et mures esca decipiuntur, ut capiantur, sic anima esca voluptatum, vel rerum temporalium. Augustinus ¹¹ : « Res cum vis capere, peris in muscipula; cum enim tenes alienum, teneris a diabolo. » O quam hostiles venatores sunt dæmones! ¹² « Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis. » Item dentibus malarum locutionum, sicut lupus, vel leo prædam. ¹³ « Leo factus est, et didicit capere prædam, hominesque devorare. » Quid enim sunt detractiones, contentiones, proditioes (a), blasphemix, perjuria, mendacia, et verba luxuriosa, nisi dentes diaboli? Psalmus ¹⁴ : « Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem, » etc. Magis deffendi sunt, qui a diabolo, quam qui a lupo rapiuntur. ¹⁵ « Deducet oculus meus (b) lacrymam, quia captus est grex Domini. » Item capiuntur manibus malarum operationum ¹⁶ : « Manu capiimini. » Qui autem viventes capiuntur manu diaboli ad culpam, ipsi morientes capientur manu diaboli ad gehennam.

¹ Anselm., *Medit.*, XXI, pag. 243, col. 818. — ² *Luc.*, x, 20. — ³ *Psal.* xv, 4. — ⁴ *Luc.*, xvi, 19. — ⁵ *Psal.* ix, 6. — ⁶ *Ezech.*, xxxiii, 22. — ⁷ *Luc.*, v, 10. — ⁸ *Psal.* lvi, 4. — ⁹ *Isa.*, viii, 15. — ¹⁰ *Prov.*, v, 22. — ¹¹ Aug. — ¹² *Thren.*, iii, 52. — ¹³ *Ezech.*, xix, 3.

— ¹⁴ *Psal.* cxxiii, 6. — ¹⁵ *Jerem.*, xiii, 17. — ¹⁶ *Ezech.*, xxi, 23.

(a) *Cœl. edit.* proditioes. — (b) *in.*

nam. Sedechiæ, id est peccatori, dicitur ¹ : « Comprehensione capieris, et in manu ejus traderis, et oculi tui oculos regis Babylonis videbunt, » id est diaboli in egressu animæ de corpore. ² « Omnis, qui egressus fuerit ex eis, capietur, » etc.

De secundo, nota quod capit homo hominem tripliciter, videlicet 1. calumniando ³ : « Consilium inierunt, ut caperent Jesum in sermone; » imo ceperunt eum etiam corpore ⁴ : « Christus Dominus captus est in peccatis nostris. » Sed certe multi socii Christi capiuntur ab iniquis, vel calumnia, vel corporali violentia innocenter, sicut de quibusdam iniquis conqueritur Dominus ⁵ : « Sicut leo rugiens, et rapiens prædam, animas devoraverunt : opes et pretium acceperunt, viduas multiplicaverunt, » etc. 2. Item scandalizando ⁶ : « Mulier autem viri pretiosam animam capit. » Non solum lascivæ mulieres, imo hæretici, mali consiliarii, iniqui socii, prædicatores quæstuarii, adulescentes et ad peccatum trahentes capiunt animas hominum. Vel tales sunt venatores, vel laquei diaboli ⁷ : « Iniquitates vestræ prohibuerunt bonum a vobis, quia inventi sunt in populo meo impii insidiantes, et aucupes laqueos ponentes, et pedicas ad capiendos viros. » De talibus autem Isidorus ⁸ : « Deteriores sunt, qui suis doctrinis, sive exemplis, mores bonorum corrumpunt, iis, qui substantiam prædamque diripiunt. » 3. Item prædicando, ut hic dicitur : *Ex hoc jam eris homines capiens* : et quia conversi ad Dominum, socios, qui se traxerunt ad culpam, sæpe retrahunt verbo, vel exemplo ad pœnitentiam, ideo dicitur ⁹ : « Erunt capientes eos, qui se separant. » Revera enim qui hic alios capiunt, vel corrumpunt per culpam, Dominus vult capi per pœnitentiam ¹⁰ : « Capite nobis vulpes, » etc.

De tertio, nota quod Dominus capit hominem tripliciter, videlicet 1. in inferno per

¹ Jerem., xxxiv, 3. — ² Ibid., v, 6. — ³ Matth., xxii, 13. — ⁴ Thren., iv, 20. — ⁵ Ezech., xlii, 23. — ⁶ Prov., vi, 26. — ⁷ Jerem., v, 26. — ⁸ Isid. — ⁹ Isa., xiv, 2. — ¹⁰ Cant., ii, 15. — ¹¹ Psal. lxxvii, 19. —

animam suam descendentem; Psalmista ¹¹ : « Cepisti captivitatem. » 2. Item in mundo per gratiam attrahentem ¹² : « Propter superbiam, quasi lænam capies me. » Nota quod ovis ad lignum super foveam profundam ligatur, ut læna currens ad prædam, cadat in foveam. Ovis innocens Christus est ¹³ : « Sicut ovis ad occisionem ducetur (a). » Propter superbiam ergo commissam in paradiso, vel quæ quotidie in transgressione mandatorum Dei committitur in mundo, hæc ovis ligatur ad lignum crucis, ut superbus transgressor ad gratiam crucifixi currens, cadat in foveam pœnitentiæ ¹⁴ : Abscondere in fossa humo a facie timoris Domini. » O quam miserabile est, quod peccator non potest capi hamo mortis, quem diabolus evadere non potuit ! ¹⁵ « Quasi hamo capiet eum. » 3. Item in judicio per sententiam constringentem, vel in extremo per mortis laqueum ¹⁶ : « Sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves, capiuntur homines in tempore malo. » Interlinearis : judicii vel mortis. Potest autem hoc verbum non solum de Deo, sed etiam de diabolo capiente intelligi.

SERMO IV ¹⁷.

Relictis omnibus secuti sunt eum ¹⁸. Quoniam Christi doctrina ab altitudine paupertatis sumpsit exordium, et evangelicæ perfectionis primum fundamentum securitate paupertatis firmiter collocatur; hinc est quod Christi apostoli, sancti Evangelii professores, in quibus Dominus fundaturus erat Ecclesiam, ostenduntur omnia reliquisse in verbo proposito, cum dicit : *Relictis omnibus secuti sunt eum*. In quo quidem verbo duo notantur cuilibet necessaria ad salutem. Primum est desertio impeditenti retrahentis; secundum est adeptio complementi expedientis. Primo in verbo proposito notatur contemptus

¹² Job, x, 16. — ¹³ Psal. lxi, 7. — ¹⁴ Isa., ii, 10. —

¹⁵ Job, xl, 9. — ¹⁶ Eccle., ix, 12. — ¹⁷ Neque hunc, neque sequentem habet edit. Paris. an. 1521. — ¹⁸ Luc., v, 10.

(a) Cœt. edit. ducitur.

terrenorum, cum dicit : *Relictis omnibus*. Licet non omnes teneantur relinquere omnia quantum ad effectum, nisi perfecti, qui voto paupertatis sunt adstricti, tamen omnes tenentur relinquere omnia quantum ad affectum, ne eorum amore superati cor suum circa defluentes divitias apponant, et perverso ordine creaturam supra Deum diligant. Secundo notatur appetitus æternorum, cum subdit : *Secuti sunt eum*.

Dicit ergo : *Relictis omnibus* : ubi notatur desertio impediementi trahentis. Apostoli namque, tanquam veri legati, ut esset eorum similitudo ad legantem Christum, ad amovendum quodlibet retrahens impediementum, reliquerunt omnia, primo tanquam pondera prægravantia, ut essent expeditiores ad currendum post Christum; secundo tanquam vincula detinentia, ut essent securiores ad arguendum malum; tertio tanquam obstacula præpedientia, ut essent efficaciores ad persuadendum bonum.

Primo reliquerunt omnia tanquam pondera gravantia, ut expeditiores essent ad currendum post Christum, qui ¹ « exultavit ut gigas ad currendam viam » evangelicæ perfectionis, eo quod fuit sine omni pondere terrenitatis. Nam a principio suæ nativitatis paupertatem in suo corpore consecravit, in mundo eum pauperrimis hominibus pauperime conversatus et associatus, in fine vero nudus in cruce positus fuit, et post resurrectionem in specie peregrini apparuit. Qui ergo debet esse Christi legatus, debet sicut ipse ambulavit, et ipse ambulare; alioquin qui ambulant in curribus, et in equis phaleratis, in pompis et divitiis, non est successor, nec legatus Christi, qui non habet in sua vita paupertatis signum Christi, qui (a) est legationis approbatum sigillum. Hoc attendens Petrus dixit ad Dominum ² : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* Jesus autem dixit : *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia,*

et secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. » Petrus enim erat piscator et pauper, arte et manu cibum quærebat, et cum confidentia allegat multum, cum dicit : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te;* et explanat præmium, cum dicit : *Quid ergo erit nobis præmii?* Et hoc est, quia, sicut dicit Gregorius ³, « tanta a sequentibus dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt. » Bene ergo fecisti, Petre, et cæteri apostoli, omnia relinquendo, quia per hoc maximum consecuti estis præmium. Non enim pro certo aliter obtinuisti principatum fidei christianæ, quia nunquam in vobis Dominus fundaturus erat Ecclesiam, nisi vos primo ad illud fundamentum reduxisset, et in eo firmasset, nec ad sedes judiciariæ potestatis sublimasset. Nam hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos apostolos hæredes et reges regni cælorum constituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Certe nec est mirum, si ita sublimiter inthronizavit et magnificavit eos altitudo paupertatis. Nam sicut videmus in istis materialibus, quod tanto ille ascensus altior, quanto id quod ascendit fuerit levius et purius; sic et in spiritualibus tanto ascensus altior, quanto quod ascendit a terrena cupiditate est purius, et virtute gratiæ plenius.

Secundo reliquerunt omnia tanquam vincula detinentia, ut essent securiores ad arguendum malum. Apostoli namque nemini, amore acquirendi, vel timore amittendi, quasi quibusdam vinculis detenti, parcebant, neque veritatem tacebant; imò veritatis jaculis tam magnos, quam pueros, æque feriebant. Metus enim terrenæ potestatis, et quæstus mundanæ cupiditatis, generant in hominibus, qui nolunt relinquere ista terrena, ambiguum similitudinariæ falsitatis. Malunt studere adulationi et cupiditati, quam assistere veritati. Et propter hoc Mathathias

¹ *Psal.* XVIII, 6. — ² *Matth.*, XIX, 27-28. — ³ *Greg.*, in *Evang.*, hom. v, n. 2.

(a) *Fortè leg.* quæ.

et ejus filii, ne forte mendacii regis Antiochi, qui inducebat Judæos ad idololatriam, consentirent, postquam ejus nuntium constanter redarguerunt, et in zelo legis et veritatis interfecerunt, relinquentes omnia in civitate, ad securitatem paupertatis confugerunt. Unde de his dicitur ¹ : « Exclamavit Mathathias voce magna dicens in civitate : Omnis qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me. Et fugit ipse et filii ejus in montem, et reliquerunt quæcumque habebant in civitate. » Gloriosius reputabant isti beati viri cum veritate dejici, quam magnificari cum falsitate. O quam gloriosum est mori pro veritate, quæ et si non convertat audientem, coronat tamen prædicantem ! O Deus ! utinam essent hodie multi Mathathie, multi Joannes Baptistæ, et multi Pauli apostoli, qui non tacerent veritatem principibus, et præcipue prælatis. Nullorum enim vita magis nocet quam principum, et maxime prælatorum. Unde Gregorius ² : « Nemo in Ecclesia magis nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem dignitatis sive sanctitatis tenet. Delinquentem namque habens redarguere vel præsumit, et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. »

Tertio reliquerunt omnia tanquam obstacula præpedientia, ut essent efficaciores ad persuadendum bonum. Unde ³ : « Venite post me, faciam vos fieri pisces hominum. At illi continuo, relictis omnibus, secuti sunt eum. » Ecce quod apostoli ad hoc, quod efficaciter piscarentur homines, reliquerunt omnia terrena, ne obstaculum, sive impedimentum illis, quos piscaturi erant, præberent. Nam sicut melius persuadet vita quam signa, et exempla quam verba, sic efficacius persuadet contemptus mundi, et mortificatio carnis, et qui pauper est, et carnem suam crucifigit cum vitiis et concupiscentiis, quam qui dives est, et carnem suam nutrit et fovet in deliciis. Quis enim aposto-

lis de contemptu mundi credidisset, si eos amatores mundanorum vidisset ? Si enim apostoli quæstores et congregatores divitiarum fuissent, totus mundus ab eis fugisset, vel saltem per eorum conversationem ab amore Dei elongatus fuisset. Nunc autem rete paupertatis attraxit ad amorem et laudem Dei, quando eorum exemplo destructa mundi cupiditate, quæ est ⁴ « radix omnium malorum, » inserebatur cordibus fidelium Christi paupertas, quæ est primum fundamentum omnis boni. Non enim aliter fundaverunt apostoli Ecclesiam, nisi per spiritum paupertatis, quia non exercitu equorum, et robore divitiarum mundum converterunt ; immo pro auro et redditibus salus viluit. Sed ne forte commendatio paupertatis videatur resultare condemnationem temporalium Ecclesie ; ideo bonum est dicere, quod temporalia Ecclesie bene sunt pro tempore toleranda, et etiam quoquomodo affectanda propter multiplicem causam, videlicet propter Sponsi honorem, Sponsæ decorem, viatorum sustentationem, pauperum provisionem, infirmorum consolationem, et fidelium devotionem, et etiam propter usum communitatis. Et cum propter istas causas tolerantur, non diminuunt in prælatis perfectionem : sed si bene dispensentur, meritum augent ; et si male, occasionem damnationis præstant.

Secundo notatur in verbo proposito adeptio complementi expedientis, cum dicit : *Secuti sunt eum*. Secuti sunt apostoli Christum, tanquam finem et complementum omnis boni, tripliciter : primo humiliter sine superbia, propter splendorem internæ cognitionis ; secundo concorditer sine invidia, propter amorem supernæ conversationis ; tertio perseveranter cum constantia, propter tolerantiam continuæ afflictionis. Et sic apostoli sequentes Christum, per hæc tria perfecte reducebantur ad beatam Trinitatem. Nam per splendorem claritatis æternæ dirigentis rationalem, reducebantur ad sapientiam filii ; per amorem charitatis supernæ

¹ 1 Mach., 11, 27. — ² Greg. — ³ Math., 19, 19-20. — ⁴ 1 Tim., VI, 10.

rectificantis concupiscibilem, ad benevolentiam Spiritus sancti; per vigorem virilis constantiæ stabilientis irascibilem, reducebantur ad potentiam Patris æterni: et hæc tria, scilicet intelligentia divinorum, concordia proximorum, et tolerantia adversorum, sunt necessaria ad salutem.

Primo secuti sunt Christum humiliter sine superbia, propter splendorem internæ cognitionis. Nam splendorem intelligentiæ humilitas aperit, superbia claudit, quæ dum inflat, obnubilat, et privat a lumine veritatis. Et de hoc dicitur ¹: « Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat (a) in tenebris, sed habebit lumen vitæ. » *Ego sum vera lux mundi*, quia non aliunde accipio, immo de fonte meæ sapientiæ quodlibet aliud lumen creatum scaturit. Et ideo *qui sequitur me* per humilem subjectionem, *non ambulat in tenebris* erroris et ignorantiæ; *sed habebit lumen gratiæ* vivificantis affectivam, et illustrantis intellectivam.

Secundo secuti sunt Christum concorditer sine invidia, propter amorem supernæ conversationis. Unde ²: « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. » O verbum dilectissimum! O verbum verissimum, et omni memoria, et laude dignum, quoniam *Christus passus est pro nobis* purgandis ab omni iniquitate, *vobis relinquens exemplum* charitatis et benevolentiae, *ut sequamini vestigia ejus*, ad summam perfectionem deducendo! Si enim quærat, quid Filium Dei movit ad patiendum pro nobis, non invenitur alia causa, quam ejus benevolentia, et charitas misericordissima. Unde dicitur ³: « In hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ipse pro nobis animam suam posuit. » Sed quia istud exemplum tantæ benevolentiae est imitatione dignum, ideo adjunxit ⁴: « Et nos debemus pro fratribus animam ponere. » Quod bene adimpleverunt apostoli, quando

præposita (b) sibi malevolentia invidiæ, animas suas libenter pro salute omnium electorum posuerunt. Et propter hoc quilibet eorum potest dicere illud ⁵: « Vestigia ejus secutus est pes meus: » *vestigia*, inquam, *ejus* charitatis et benevolentiae *secutus est pes meus* affectuosæ dilectionis, eo quod ⁶ « gloria magna est sequi Dominum » in charitate perfecta.

Tertio secuti sunt Christum perseveranter cum constantia, propter tolerantiam continuæ macerationis; unde ⁷: « Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me. » *Qui vult venire post me* humilem et mortificatum, *abneget semetipsum* per humilem subjectionem, *et tollat crucem suam* continuæ macerationis, *et sequatur me* perseveranter usque ad æterni palatii ingressionem. Et bene præmittitur in illa cruce humilitatis subjectio, quia (c) intelligitur per abnegationem propriæ voluntatis. Amaritudo pœnitentiæ et mortificationis aliquando perditur per superbiam, aliquando per gulam: et propter hoc si volumus perfecte tollere crucem mortificationis, debemus esse humiles in corde, et abstinentes in ore. Rogemus, etc.

DOMINICA V POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS.

Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio ⁸. Volens Dominus noster Jesus Christus retrahere genus humanum a furore iracundiæ animi deordinantis, ne prorumpat in damnum proximi, tanquam iudex rectissimus, in verbo proposito cuilibet irascenti fratri suo prænuntiat pœnam æterni iudicii, cum dicit: *Omnis qui irascitur fratri suo*, etc. In quo quidem verbo valde ordinate proceditur. Nam primo describitur peccatum iracundiæ, quantum ad interiorem originem quam habet ex malo animo; secundo quantum ad exteriorem diffusionem, sive

¹ Joan., VIII, 12. — ² 1 Petr., II, 21. — ³ 1 Joan., III, 16. — ⁴ Ibid. — ⁵ Job, XXIII, 21. — ⁶ Eccli., XXIII, 38. — ⁷ Luc., IX, 23. — ⁸ Matth., V, 12.

(a) *Cæt. edit.* ambulabit. — (b) *Forte leg.* proposita vel opposita. — (c) *Item* quæ.

operationem, quam habet in suo proximo, sive objecto; tertio quantum ad finalem ordinationem quam habet in æterno supplicio.

Primo describitur peccatum iræ, quantum ad interiorem originem quam habet ex malo animo, cum dicit: *Omnis qui irascitur*. Glossa: « Ira est malus motus ad nocendum, qui si subitus est, cui non consentitur, propassio dicitur; passio vero, accedente consensu. » Sed omnis motus, sive bonus, sive malus bonitate (a) morali, habet originem ab anima. Secundo describitur peccatum iracundiæ, quantum ad exteriorem diffusionem, sive operationem, quam habet in suo proximo, cum subdit: *fratri suo*. Irascitur homo, cum inordinate movetur in seipso interius; sed fratri suo, cum ille malus motus verbo, vel facto, ad nocendum proximo prorumpit exterius. Tertio describitur peccatum iracundiæ quantum ad finalem ordinationem, quam habet in æterno supplicio, cum subinfertur: *reus erit iudicio*.

Primo ergo describitur peccatum iracundiæ quantum ad interiorem originem, quam habet ex perverso animo, cum dicitur: *Omnis qui irascitur fratri*. Tria namque sunt quæ perturbant animam secundum omnem sui potentiam, ut causa et origo iræ et furoris: primum est error cæcitatæ ignorantia, ex defectu veritatis discernendæ; secundum est livor malignitatis et invidia, ex defectu charitatis fraternæ; tertium est furor crudelitatis et vindictæ, ex defectu pacis, et concordia. Primum est in rationali; secundum, in concupiscibili; tertium, in irascibili.

Primo, in homine, qui irascitur, est error cæcitatæ et ignorantia, quantum ad rationalem, ex defectu veritatis discernendæ; unde ¹: « Ira (b) animositatis illius, perversio illius est. » Ita enim pervertitur et conturbatur in ira oculus rationis, ut animo non videat; vel distortetur, ut perverse aliud

pro alio probet, et improbet, et falsa pro veris approbet: unde auctor ²:

Impedit ira animum, ne possit cernere verum;

nec cognoscere, quam charus sit frater suus Deo speciositate virtutum, quam dives interius fecunditate honorum operum, et quam propinquus angelis per appetitum cœlestium, eo quod in multis probatur, in diversis confunditur, et in contrariis irritatur.

Secundo, in homine qui irascitur, est livor malignitatis invidia, quantum ad concupiscibilem, ex defectu charitatis fraternæ; unde ³: « Qui facilis est ad indignationem et iram, erit ad peccata proclivior. » Sicut enim omnium virtutum incrementum pendet a charitate, sic omnia vitia sumunt incitamentum ex furore iræ. Unde qui facilis est ad iram propter livorem invidia, erit ad omnia facinora et nocentia proximi proclivior. Unde Glossa super illud ⁴: *Vir iracundus suscitatur rixas*, dicit sic: « Janua omnium vitiorum est iracundia, qua clausa virtutibus intrinsecus datur requies, et aperta ad omne facinus armabitur ⁵. »

Tertio, in homine qui irascitur, est furor iracundiæ, quantum ad concupiscibilem, ex defectu pacis et concordia; unde ⁶: « Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor. » Iracundi enim, ratione furoris, non sunt dicendi homines, sed potius feræ furiundæ, eo quod ad modum ferarum sunt sine misericordia sugentes sanguinem aliorum: et propter hoc dabit bonum consilium Sapientia ⁷: « Cum iracundo non facias rixas, et cum audace non eas in desertum: quoniam nihil est ante eum sanguis. »

Sequitur: *Fratri suo*, ubi secundo describitur peccatum iræ quantum ad exteriorem diffusionem, quam habet in suo proximo. Unde primo est *irasci*, et hunc motum in animo retinere; deinde *fratri*, cum ille mo-

Pent. serm. 1. — ⁶ Prov., xxvii, 4. — ⁷ Eccli., viii, 40.

¹ Eccli., i, 28. — ² Cato, Par. 2. — ³ Prov., xxix, 22. — ⁴ Ibid., xv, 18. — ⁵ Idem postea, Dom. vii post

(a) Suppl. vel malitia. — (b) Vulg. Iracundia.

Quot
modis
aliquis
irascitur
fratri suo

tus ad nocendum exterius prorumpit. Irascitur enim aliquis fratri suo tripliciter, secundum tria instrumenta corporis, scilicet cordis, oris, et manus. Nam primo irascitur aliquis fratri suo perverso iudicio malignæ cogitationis in corde; secundo, duro verbo injuriosæ conviciationis in ore; tertio, pravo maleficio fraternæ læsionis in opere.

Primo irascitur aliquis fratri suo perverso iudicio malignæ cogitationis in corde. Hanc interiorē cogitationem illicitam, et commotionem, removet Dominus, cum dicit in hodierno Evangelio: *Ego autem dico vobis: Omnis qui irascitur fratri suo.* Intelligitur expositio sic: Id est: Plus addo, quam non occidere, scilicet non irasci. Nam qui non irascitur, non solvit, sed perfectius implet. Unde Glossa dicit: «Mandatum Christi non est contrarium legi, sed latius in eo continetur. Nam qui non irascitur, non occidit; sed æqua licentia irascendi causa est homicidii. Et propter hoc Dominus aperit omnem motum animi ad nocendum in homicidium computari. Certe si hoc attenderet quilibet, nunquam in animo contra fratrem suum iracundiam retineret, nunquam maligna cogitatione ei patibulum in domo cordis pararet, sicut Aman paravit Mardocheo in domo sua; et tamen iracundus Aman tanquam homicida suspensus est, non Mardocheus. Tamen cum ira quæ (a) est ex causa, non est commotio illicita, sed iudicium, eo quod non irascitur fratri suo, sed vitio, secundum quod dicit Glossa. Unde in Psalmo ¹: «Irascimini, et nolite peccare.»

Secundo irascitur aliquis fratri suo duro verbo injuriosæ conviciationis in ore; et hunc motum exteriorē removet Dominus, cum dicit ²: *Omnis qui dixerit fratri suo: Racha, vel fatue,* quod fit, quando motus interior prorumpit in vocem exteriorē. Unde Glossa dicit, quod *racha* est interjectio indignantis, exprimens nomen hebræum,

quod interpretatur cenos ³, vel vanum, sed *fatue* idem est quod infatuatum. Unde Glossa: «Non enim modicus furor est, quem Deus sale sapientiæ condidit, infatuatum vocare, et salienti Deo derogare.» Tum Glossa assignat differentiam inter *irasci*, et *dicere racha*, et *dicere fatue*. Sic gradus est in istis peccatis: primo est irasci, et hunc motum in animo retinere; plus est, si vocem commotio ipsa extorsit, quam si feriatur ille cui irascitur; plus est, si certa vituperatio increpuit. Hunc autem motum iræ, qui est in verbo, removebat sanctus Joseph a fratribus suis, secundum quod dicitur ⁴: «Dimisit ergo fratres suos, et ait illis: Ne irascamini in via, dicendo unus alteri verbum injuriosum.» Nam qui conviciatur fratri suo, vinculum fraternitatis dissolvit, rixas suscitatur (b) et lites incendit.

Tertio irascitur aliquis fratri suo pravo maleficio fraternæ læsionis in opere; et hoc peccatum iræ removet Dominus, approbando quod dictum fuerat ab antiquis, scilicet: *Non occides.* Unde prohibendo motum iræ, mandatum de non occidendo non evacuavit, sed perfectius voluit observari. Nam tolle iram, et homicidium non fit. Et de hoc dicitur ⁵: «Iratus est Cain vehementer,» et sequitur: «Consurrexit adversus fratrem Abel, et interfecit eum.» Et hoc est quod damnificat fratrem aliquando in persona, aliquando in rebus: nam ex ipsa procedunt homicidia, furta, incendia, et quæque damna.

Tertio describitur in verbo proposito peccatum iræ quantum ad finalem ordinationem, quam habet in æterno supplicio, cum subinfert: *Reus erit iudicio*: quodlibet enim prædictum peccatum in proprio iudicio pœnæ ordinabitur. Nam primum peccatum iræ ordinabitur iudicio strictæ examinationis scrutantis, et revelantis temeraria iudicia cordis; secundum peccatum iræ ordinabitur in iudicium opprobriosæ vituperationis increpantis injuriosa verba oris; tertium pec-

¹ Psal. IV, 5. — ² Matth., v, 22. — ³ Κενος, sive κενον in neutro genere. — ⁴ Gen., XLIII, 24. — ⁵ Gen., IV, 5.

(a) Del. quæ. — (b) Cert. edit. suscitatas.

catum iræ ordinabitur in iudicio gehennæ infernalis punientis prava maleficia operis.

Primo omnis qui irascitur propter errorem ignorantiae fratri suo maligna cogitatione, reus erit iudicio districtæ examinationis scrutantis temeraria iudicia cordis; unde ¹: « Aperti sunt libri, et iudicati sunt mortui ex his, quæ inventa sunt in libris. » Tunc ergo in die iudicii aperientur libri conscientiarum in conspectu Dei, cuius oculum sapientiæ nihil latet; et iudicabuntur peccatores ex his, quæ invenientur in libris conscientiarum. Nam homo cum peccat, macula peccati in libro conscientiae indelebiter resultat, nisi per gratiam deleatur, et iudicatur peccatorem dignum esse morte æterna. Unde Glossa, super illud ²: *Cogitationum accusantium* (a), dicit sic: « Est sciendum, quod cogitationes tunc accusabunt animam, vel defendent, non illæ utique quæ tunc erunt, sed quæ nunc sunt: quarum (b) voces velut quædam signacula in cera relinquuntur, quæ in illa die manifestari dicuntur. » Et hoc est quod dicitur in verbo proposito: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*, id est accusatione secundum intellectum. Unde ad evadendum illud iudicium, dabat bonum consilium Apostolus ³: « Nolite ante tempus iudicare, quousque (c) veniat Dominus, et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. » Si hoc (d) attenderet iracundus, nunquam fratri suo irascetur in corde maligna cogitatione. Unde Bernardus ⁴: « Viri mali non attendunt iudicium; qui autem requirunt Deum, advertunt omnia discernenda. » Et propter hæc cantat Ecclesia in morte cuiuslibet fidelis ⁵: *Tremens factus sum ego, et timeo, dum discussio venerit atque ventura ira.*

Secundo, omnis qui irascitur propter livorem invidiæ fratri suo dura locutione opprobriosæ vituperationis, redarguetur iudicio

opprobriosæ vituperationis, redarguentis opprobriosa verba oris; unde ⁶: « De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicii. Ex verbis enim tuis justificaberis; et ex verbis tuis condemnaberis. » Si enim de omni verbo otioso reddemus rationem in die iudicii, multo fortius de verbis injuriosis, vel criminosis. Sed quia « mors et vita in manibus linguæ, » secundum Glossam ⁷, ideo dicit: *ex verbis tuis*, scilicet bonis, *justificaberis*, et *ex verbis tuis*, scilicet malis, *injuriosis*, *condemnaberis*, quando coram tota curia cœlesti propter ea vituperaberis, et culpaaberis. Et quoniam, sicut majus peccatum est, quando non solum irascitur fratri suo in corde interius, sed etiam prorumpit in vocem exterius, ita major ei pœna debetur. Ideo dicit Dominus: *Qui autem dixerit fratri suo: Racha, reus erit concilio.* Unde Glossa: « Majus est iudicium, quando adhuc cum reo agitur, et est defensionis locus; plus concilium, quando iudices inter se conferunt quo supplicio damnent quem constat esse damnandum. » Unde concilium non consuevit fieri nisi de majoribus et gravioribus delictis. De isto autem iudicio dicitur in epistola Judæ (e) ⁸: « Ecce venit Dominus in sanctis iustis facere iudicium contra omnes impios de omnibus duris, quæ locuti sunt. » Certe si hoc iudicium attenderent iracundi, nunquam fratrem suum erucifigerent veneno conviciationis, sicut Judæi dicuntur crucifixisse Dominum sermone venenato.

Tertio, omnis qui irascitur propter furorē vindictæ fratri suo prava latione, reus erit iudicio gehennæ infernalis punientis in ipsa (f) maleficia operis. Unde ⁹: « Iudicatum est de singulis secundum opera eorum (in inferno). Et infernus, et mors missi sunt in stagnum; hæc est secunda mors. » Sic apparet, quod his tribus, iudicio, concilio, gehenna, diversæ mansiones in æterna dam-

¹ Apoc., xx, 12. — ² Rom., ii, 15. — ³ I Cor., iv, 5. — ⁴ Bern. — ⁵ Habetur in ultimo responsorio, in off. Defunct. — ⁶ Matth., xii, 36-7. — ⁷ Prov., xviii, 21. — ⁸ Jud., 13. — ⁹ Apoc., xx, 13-14.

(e) Vulg. *cogitationibus accusantibus*. — (b) *Cæt. edit.* quorum. — (c) *Vulg.* quoadusque. — (d) *Cæt. edit.* hoc. — (e) *Item* Judith. — (f) *Leg.* ipso.

natione pro modo peccati singulariter exprimuntur, secundum quod dicit Glossa super illud verbum hodierni evangelii, scilicet: *Reus erit gehennæ ignis*. Rogemus ergo, etc.

SERMO II¹.

Si ergo offers munus tuum ², etc. Considerandum est quid, cui, quantum, quomodo, ubi, quando, offerre debemus.

Quid? quia tuum, non alienum; unde hic: *Si offers munus tuum*. Alioquin time tunc quod dicitur ³: « Qui offert sacrificium de substantia pauperum, quasi qui mactat filium in conspectu patris sui. » Gregorius ⁴: « Quidquid in Dei sacrificio ex scelere offertur, Omnipotentis non placat iracundiam, sed irritat. » Non autem tua deteriora, sed optima offerre debes, sicut Abel; alioquin Cain imitaris. Unde secundum aliam translationem dicitur ⁵: « Nonne si recte non offeras, si recte non divides, peccasti? » Recte non obtulit Deo sua, quia recte non divisit, quia seipsum diabolo, vel quia viliores spicas Deo obtulit. Sed, heu! id hodie faciunt multi: vilissimum denarium sacerdoti, vilissimum, quod est in scutella, pauperi, vilissimam prolem religioni offerunt. Contra quod dicitur ⁶: « Si offeras claudum vel langnidum, nonne malum est? »

Item cui? Deo ⁷: « Erunt Domino offerentes sacrificium in justitia. » Quidquid enim boni amore Dei facis, offers Deo. ⁸ « Bene fac tecum, et Domino offer dignas oblationes. » Sed, heu! multi plus ventri, quam Deo, plus simoniacis, meretricibus, histrionibus, cauponibus, et similibus offerunt, quam Deo; imo certe diabolo offerunt per manus talium, eorum oblationes recipientium. Unde offerenti diis alienis, id est dæmonibus, dicitur ⁹: « Effudisti libamen, obtulisti sacrificia. Numquid super his non in-

dignabor? » Sed, heu! non solum res, sed filios etiam diabolo offerunt, ipsos in vitiis educando, vel injustam eis hæreditatem relinquendo per quam semper diaboli erunt. Psalmista ¹⁰: « Immolaverunt filios suos, » etc.

Item quantum? Quilibet enim secundum suam facultatem ¹¹: « Offeret unusquisque secundum quod habuit, juxta benedictionem Domini Dei sui. » Cui enim Dominus plus benedixit in naturalibus, vel spiritualibus, vel temporalibus donis, plus merito ipsi servire debet. ¹² « Si multum tibi fuerit, » etc. Quod est contra avaros divites, qui sæpe in elemosynis minus offerunt, quæ (a) alii valde pauperes in rebus. Et tamen quadrans quandoque pauperis est ac prior (b), quam marcha divitis ¹³: « Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quam omnes, » etc. Gregorius ¹⁴: « Cor namque, et non substantiam, pensat Deus. Nec perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto offeratur. »

Item quando? quia frequenter. ¹⁵ « Offerre debetis agnos anniculos immaculatos, quotidie duos in holocaustum sempiternum. » Per duos agnos duplex innocentia significatur, scilicet animæ et corporis, quam cum aliis bonis operibus quotidie offerre debes. ¹⁶ « Omne opus servile non facietis in eo, et offeretis holocaustum, » etc. Sed, heu! festivis diebus multipliciter multi peccando plus offerunt diabolo, quam Deo. Ideo ait Dominus ¹⁷: « Odi et projeci festivitates vestras. » Non solum autem frequenter, sed etiam primum offerendum est Deo ¹⁸: « Non comedetis ex segete usque in diem, quo offeretis ex ea (c) Deo vestro. » De hoc cogita in mensa.

Item ubi? quia ad altare. Unde hic: *Si offers munus tuum ad altare*. Sed, heu! multi hodie plus ad aleam, et ad similia offerunt, quam ad altare. Altare tuum Christus est, quod in paupere, vel in tua mente ubique

peccasti? — ⁶ *Malac.*, I, 8. — ⁷ *Ibid.*, III, 3. — ⁸ *Eccli.*, XIV, 11. — ⁹ *Isa.*, LVII, 6. — ¹⁰ *Psal.* CV, 37. — ¹¹ *Deut.*, XVI, 17. — ¹² *Tob.*, IV, 9. — ¹³ *Luc.*, XXI, 3. — ¹⁴ *Gregor.* — ¹⁵ *Num.*, XXVIII, 9. — ¹⁶ *Levit.*, XXIII, 25. — ¹⁷ *Amos*, V, 21. — ¹⁸ *Levit.*, XXIII, 14.

(a) *Fortè leg.* quam. — (b) *Item acceptior.* — (c) *Cæt. edit.* eo.

¹ Hunc et duos quoque sequentes habet edit. Paris. an. 1521. — ² *Matth.*, V, 23. — ³ *Eccli.*, XXXIV, 24. — ⁴ *Greg.* — ⁵ *Gen.*, IV, 7, juxta LXX, sed aliter: Οὗτ' ἐάν ὁ θῶς προσενέγκῃς, ὁ θῶς δὲ μὴ διέδῃς, ἤμαρτες; id est: *Nonne si recte offeras, non autem recte divides,*

invenies. Ideo ¹ : « In omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda. » E contrario perversi ubique offerunt diabolo in mundo. ² « Ubique relinquamus (a) signa, » etc.

Item quomodo? quia sincere, id est sine rancore, etiam (b) mala affectione. Unde hic : *Vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc*, etc. Si non est acceptabilis oblatio tua, si habes odium in corde, quanto minus, si exercens crudelitatem in opere? Unde ³ : « Ne offeratis ultra sacrificium frustra. » Et causam subjungens, ait ⁴ : « Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. » Quidam autem vitam suam non corrigentes, in oblationibus et elemosynis nimis præsumunt. Contra quos dicitur ⁵ : « Ne dicas : In multitudine munerum meorum respicit Deus, et offerente me Altissimo, munera mea accipiet. » Certe omnes oblationes et elemosynæ, quas totus mundus facit, non sufficerent unam animam salvare, vel unicum animæ peccatum mortale purgare, quamdiu eadem peccatum nollet vitare. Vitet ergo peccata, qui Dominum vult suscipere sua pro peccatis munera. Isidorus ⁶ : « Verum est, quod peccata divinæ misericordiæ operibus expurgantur, sed si jam caveat peccare, cui misericordia impertitur. »

SERMO III.

Si offers munus tuum ad altare ⁷, etc. Quatuor sunt, quæ utiliter in recordatione sunt offerenda, videlicet multiplicitas peccatorum, largitas Dei beneficiorum, necessitas proximorum, diversitas æternorum stipendiorum. Recordatio ergo peccatorum allicit ad confitendum; proximorum necessitas, ad subveniendum; beneficiorum largitas, ad gratias agendum; stipendiorum diversitas, ad bene vivendum.

De primo ⁸ : « Affligentur, donec confiteantur iniquitates suas, et recordentur ma-

lorum, quibus prævaricati sunt in me. » Ecce causa, quare Deus flagello infirmitatis, vel cujuslibet adversitatis, quandoque affligit homines, scilicet, ut recordentur peccatorum, et confiteantur. Unde semper primo medicus debet infirmo consulere, ut confiteatur, ut cessante causa peccati, cesset flagelli effectus. Non solum autem recordare prævaricationis suæ in Deum, sed etiam in proximum. Deo autem reconciliari digne non potes, quamdiu offenso proximo reconciliari contemnis. Unde bene dicitur hic : *Si offers munus tuum*, etc. Isidorus ⁹ : « Qui sibi fratrem tardius reconciliat, Deum placari sibi tardius sciat : frustra enim propitiari sibi Deum quærit, qui cito placari in proximo negligit. » Recordari debes saltem peccatorum, quando audis gallum, id est prædicatorem ¹⁰ : « Continuo gallus cantavit : et recordatus Petrus, » etc.

De secundo ¹¹ : « Gratias ago Deo meo, cui servio a progenitoribus meis in conscientia pura, quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus, » etc. usque : « recordationem ejus accipiens fidei, quæ est in te non fictæ (c). » Proximorum autem recordari debet, non solum in oratione spiritualiter, sed etiam in elemosynis : si enim non vis recordari pauperum in terra morientium, tunc peribit recordatio tui in terra viventium. Psalmus ¹² : « Dispereat de terra memoria, pro eo quod non est recordatus facere misericordiam. » Si non vis recordari pauperum salubriter in mundo, recordaberis eorum inutiliter in inferno ¹³ : « Fili, recordare, quia bona, » etc.

De tertio ¹⁴ : « Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, » etc., ubi ad memoriam revocantur filii Israel per quædam beneficia in desertis eis præstita. O si recordari velles, quanta in deserto hujus mundi quadraginta, vel sexaginta annis, quibus

xxvi, 74-75. — ¹¹ II Tim., I, 3-5. — ¹² Psal. cviii, 16. — ¹³ Luc., xvi, 25. — ¹⁴ Deut., viii, 2.

(a) Cat. edit. relinquemus. — (b) Leg. et sine. — (c) Vulg. ficta.

¹ Malac., I, 11. — ² Sap., II, 9. — ³ Isa., I, 13. — ⁴ Ibid., 15. — ⁵ Eccli., vii, 11. — ⁶ Isid. — ⁷ Matth., v, 23. — ⁸ Levit., xxvi, 39. — ⁹ Isid. — ¹⁰ Matth.,

vixisti, tibi Deus bona fecit? Bona utique temporalia, quæ in terra, in mari, in aere tibi ordinavit. Bona etiam naturalia, quæ in corpore contulit: quia neque leprosus, neque cæcus, neque insensatus, neque hujusmodi es. Bona quoque spiritualia, quæ tibi in peccatorum remissione, in sacramentorum communione, in virtutum collatione præstitit; eum tot pagani, hæretici, Judæi, mali Christiani, et forte frater tuus sit in via inferni, et tu in via illa cœli. Bona quoque illa inenarrabilia, quæ tibi fecit Dominus in seipso, scilicet in sua incarnatione, passione, maxime sint in tua recordatione. ¹ « Recordare paupertatis, » etc. *Paupertatis*, hoc contra avaritiam; *transgressionis*, contra superbiam; *absinthii et fellis*, contra concupiscentiam. Bernardus ²: « Recordatio succendit cor, adurit pectus, interiora depascit: talis memoria elicit lacrymas, infundit oculos, vultum humectat. Pudeat nos non recordari tantorum beneficiorum, et pudeat eum nos offendere, quem recordamur nobis tanta bona fecisse. » Gregorius ³: « Eo erubescamus prava committere, quo nos a Deo meminimus multa gratuita bona percipisse. »

De quarto ⁴: « Super flumina Babylonis, illic, » etc. Flumina Babylonis sunt miseriæ et concupiscentiæ, super quas sedentes debemus flere. Sion *speculatio*, vel *speculum* interpretatur, et significat patriam æternam, in qua speculamur beneficia in speculo æternitatis, de quo ⁵: « Candor lucis æternæ, et speculum sine macula, » etc. O quando nos miseri naufragi ad illam cœlestem Sion transibimus? quando flumina Babylonis evadimus? Augustinus ⁶: « O sancta Sion, ubi totum stat, et nihil fluit, quis nos inde in ista (a) præcipitavit? Ecce inter fluentia (b) et labentia constituti, vix quisquam (c) raptus a flumine, si tenere lignum potuerit, evadet. » Recordari autem debes non solum

æternæ speculationis, quæ est stipendium bonorum, sed etiam æternæ damnationis, quæ est stipendium malorum ⁷: « Ego quando recordatus fuero, pertimesco, » etc. Quid pertimescit Job? Certe ibi enumerat scilicet prosperitates multas malorum; et postea infert ⁸: « Sic ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. »

SERMO IV.

Vade prius reconciliari fratri tuo ⁹, etc. Quadruplicem fratrem habemus, videlicet Christum, angelum, hominem, diabolum: Christum, cui reconciliamur pœnitendo; angelum, cui reconciliamur acquiescendo; hominem, cui reconciliamur indulgendo; diabolum, cui nunquam reconciliari debemus. Frater noster Christus est ¹⁰: « Non confunditur fratres vocare eos, » etc. Bernardus ¹¹: « Tu trepidas ad Christum accedere? Frater tuus est, et caro tua, per omnia tentatus absque peccato, ut misericors fieret. » Illic ergo est frater noster Joseph, de quo legitur ¹², quod plurimum misertus flendo osculatus est omnes fratres suos, qui tamen nudaverant, et vendiderant eum: primo autem maxime super collum minimi fratris, id est Benjamin, flevit. Joseph Christum significat, cui fratres sunt Christiani, qui tanquam fratres, ejus sunt cohæredes ¹³: « Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. » Hi toties Christum vendunt, quoties ipsum pro aliquo temporali relinquunt. Joseph autem suos venditores osculatur flendo, quando Christus suis peccatoribus reconciliatur plurimum miserando. Sicut autem secundum consuetudinem regnorum minimus inter filios regis maxime distat ab hæreditate regni, ita maximus peccator maxime distat ab hæreditate regni æterni. Minimus ergo Christi frater est maximus peccator. Joseph ergo super minimum fratrem flevit principaliter, quia sæpe Christus ma-

¹ *Thren.*, III, 19. — ² Bernard. — ³ Greg. — ⁴ *Psal.* CXXXVI, 1. — ⁵ *Sap.*, VI, 26. — ⁶ August., *Enarr. in Psal.* CXXXVI, D. 4. — ⁷ *Job*, XXI, 6. — ⁸ *Ibid.*, 13. — ⁹ *Matth.*, V, 24. — ¹⁰ *Hebr.*, II, 11. — ¹¹ Bernard., *in*

Nativ. B. Mar., serm. II, 7. — ¹² *Gen.*, XLV, 15. — ¹³ *Rom.*, VIII, 17.

(a) *Cœl. edit.* istam. — (b) *Item* influenza. — (c) *Item* constitui, quisque.

ximi peccatoris maxime miseretur ¹ : « Ubi abundavit delictum , superabundavit et gratia. »

Item frater noster angelus est ² : « Obsecro te, frater Azaria , ut dicas mihi, quod remedium habebunt ista, quæ de pisce servari jussisti? Respondens Angelus dicit : Cordis ejus particulam si super carbones, » etc. usque (a) : « omne genus dæmoniorum. » Ecce audisti quod homo angelum, Tobia Raphaellem fratrem appellat. Unde illa vox secundum Glossam potest angelorum esse, qua (b) dicitur ³ : « Projectus est accusator fratrum nostrorum, » etc. Glossa : « Laborant ad invicem qui de victoria sua angelos, vel sanctas animas audiunt exultare. » Audi ergo, miser peccator homo, fratris tui angeli consilium, et cor super carbones inferni ponas per considerationem et recordationem pœnarum infernalium. Tunc certe contritionis fumus a charitatis igne procedens dæmones fugat.

Item frater noster homo est ⁴ : « Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum non est in eo. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo vadat, » etc. Vere nescit quo vadat, etc. Nescit se ire de tenebris interioribus ad exteriores, de tenebris culpæ ad tenebras gehennæ. Unde de servo nequam tortoribus tradito, quia noluit indulgere fratri suo, dicitur ⁵ : « Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis uniusquisque fratri suo de cordibus vestris. » O Christiani, quare non invicem diligitis, qui de eodem patre, et de eodem sanguine estis? Gregorius ⁶ : « Omnes fratres sumus, unius Patris potestate conditi, et sanguine redempti. » Et ideo fratres, quantumlibet pauperes et abjectos, in nullo despiciere debemus.

Frater noster est diabolus, quia Creatorem unum patrem habemus ⁷ : « Frater fui dra-

conum, et socius struthionum. » Dracones sunt dæmones, qui per aquas baptismi et lacrymarum vadantur. Psalmista ⁸ : « Contribulasti capita draconum in aquis. » Dæmonum capita sunt vitia capitalia. Diabolus est ergo ille iniquissimus frater Abimelech, de quo legitur ⁹ : qui « occidit septuaginta fratres super unum lapidem, ne aliquis eorum regnaret. » Abimelech *patris nostri regnum* interpretatur, et bene significat diabolum, cujus est hæc præsumptio, quod regnum in cœlo deberet esse patris sui Luciferi, sicut adhuc diligunt Luciferum hæretici. Septuaginta sunt septies decem. Septuaginta ergo fratres diaboli, sunt omnes peccatores, qui per septem vitia in decem mandatorum transgressione a diabolo jugulantur. Lapis autem significat cordis obdurationem, sub quo peccator, nisi tollatur, resurgere non potest ad gratiam ¹⁰ : « Tollite lapidem, » etc.

Primo fratri reconciliemur poenitendo ¹¹ : « In indignatione mea percussi te, et in reconciliatione mea misertus sum tui. » Secundo fratri reconciliemur acquiescendo ¹² : « In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis Christi, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis, » id est, homines et angelos. Illi (c) certe prodest reconciliatio per sanguinem Christi, qui angelicis consiliis acquiescit. Tertio fratri reconciliemur indulgendo vel satisfaciendo, sicut hic dicitur : *Vade prius reconciliari fratri tuo.* Quarto fratri nunquam reconciliari debemus, quia infidelis ¹³ : « Rogabat Judas, ne hostibus reconciliarentur, » id est dæmonibus. ¹⁴ « Misereor super turbam, » etc. Psalmista ¹⁵ : « Quomodo miseretur pater filiorum (d), » etc. Gregorius ¹⁶ : « Tunc nobis misericordiæ Dei miræ fiunt (e), cum nobis

VIII, 2. — ¹² *Psal.* CII, 13. — ¹⁶ *Gregor., in Ezech., lib. II, hom. VI, n. 21.*

(a) *Carl. edit.* deest usque — (b) *Carl. edit.* quæ. — (c) *Homill.* — (d) *Pater, Filio.* — (e) *Ita apud Greg. edit. Bened; vel leg. immotescunt, ut infra in Domin. VI, serm. III. Carl. edit. Dei sancti, sine sensu.*

¹ *Rom.*, v, 20. — ² *Tob.*, vi, 7-8. — ³ *Apoc.*, xii, 10. — ⁴ *Joan.*, II, 10-11. — ⁵ *Matth.*, xviii, 35. — ⁶ *Gregor.* — ⁷ *Job*, xxx, 29. — ⁸ *Psal.* LXXIII, 13. — ⁹ *Judic.*, ix, 5. — ¹⁰ *Joan.*, xi, 39. — ¹¹ *Isa.*, lx, 10. — ¹² *Coloss.*, I, 20. — ¹³ *II Mach.*, viii, 16. — ¹⁴ *Marc.*

ad memoriam miseræ nostræ revocantur, » quia, ut scribitur ¹, « misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. » De hoc habes alibi ².

DOMINICA VI POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS ³.

Cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis suis, ait illis: Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me ⁴. Dominus noster, cujus viscera plena sunt misericordiæ et pietatis, videns hodierna die turbam præ ejus amore longanimitèr pati penuriam, dignatus est eam gratis tam cibo corporali, quam spirituali satiare. Sed quia nulli condescendit divina misericordia, nisi prius pro ejus amore patiatùr amaritudinem penuriæ et pœnitentiæ, et in ea habeat longanimitatem perseverantiæ, ideo in verbo proposito primo notatur necessitas indigentiaeprovo- cantis, secundo benignitas patientiaeprovo- cantis, tertio longanimitas perseverantiæ impetrantis. Unde benignum Deum humana indigentia provocat ad compatiendum, perseverantia ad subveniendum impetrat, et divina compatiencia defectum relevat. Primo ergo necessitas indigentiaeprovo- cantis notatur, cum dicit: *Cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent*. Secundo notatur benignitas compatienciaeprovo- cantis, cum dicit: *Convocatis discipulis suis, ait illis: Misereor super turbam*. Tertio notatur longanimitas perseverantiæ impetrantis, cum subinfertur: *Quia ecce jam triduo sustinent me*.

Primo notatur in verbo proposito turbæ maxima indigentia, cum dicit: *Cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent*. Habebat namque ista turba indigentiam triplicem manducationis, ratione cujus exterior et interior homo opprimebatur: nam primo indigebat manduca-

tionem corporalis sustentationis, defectu cujus habebat debilitatem impotentiaeprovo- cantis, secundo indigebat manducatione salutaris eruditionis, defectu cujus habebat cæcitatem ignorantiaeprovo- cantis, tertio indigebat manducatione sacramentalis refectionis, defectu cujus habebat tepiditatem ignaviaeprovo- cantis.

Primo indigebat ista turba manducatione corporalis sustentationis, cujus defectu habebat debilitatem impotentiaeprovo- cantis; unde dicitur ⁵: « Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, cum sedebamus super ollas carniùm, et comedebamus panem in saturitate! Cur induxisti nos in desertum istud, ut occideres omnem multitudinem fame? » Quia nullus, quantum est de solito cursu naturæ, potest diu in hac vita subsistere, nisi sustentetur cibo corporali, ideo filii Israel non attendentes Dei potestatem et benignitatem, sed potius eorum fragilitatem, alimoniis carentes, de vita corporali desperabant: quorum vota misericors Deus exaudiens, licet non essent digni, ratione eorum diffidentiaeprovo- cantis, misit eis cibaria in abundantia, quibus eorum corpora sustentarentur. Eodem modo benignus Deus hodie satiavit turbam illam debilem et famelicam, ne in via deficerent. Unde dicitur in hodierno Evangelio: *Manducaverunt et saturati sunt*.

Secundo indigebat illa turba manducatione salutaris eruditionis, cujus defectu habebat cæcitatem ignorantiaeprovo- cantis. Et de hoc dicit Christus discipulis suis ⁶: « Vos date illis manducare. » Ad doctores sive prædicatores dicit Christus, ut ignorantes et esurientes cibum cœlestem reficiant pane vitæ et intellectus, et potent aqua (a) sapientiaeprovo- cantis, deducendo eorum appetitum ad suavitatem cibi spiritualis: quia peccatores, et homines idiotæ conversi in præsentia vita deficiunt, si in sua conscientia sine doctrinaeprovo- cantis pabulo dimittantur. Unde ⁷ « non in solo

¹ Thren., III, 22. — ² Videlicet Dom. VI, post Pent., serm. III. — ³ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521.

— ⁴ Marc., VIII, 2. — ⁵ Jerol., XVI, 3. — ⁶ Marc., VI, 37. — ⁷ Matth., XV, 4.

(a) Cort. edit. aquam.

pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. »

Tertio indigebat ista turba manducatione sacramentalis refectionis, ejus defectu habebat tepiditatem ignaviæ, et acediæ. Unde¹: « Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et liberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. » Ecce quod tantæ necessitatis est ista manducatio, quod nisi per eam quilibet tanquam membrum compaginetur corpori mystico Christi, id est Ecclesiæ, nequaquam potest recipere influentiam vitæ a capite, scilicet Christo. Unde sequitur²: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. »

Secundo in verbo proposito notatur benignitas compatiendi subvenientis, cum subdit: *Misereor super turbam*. Dominus noster, propter nimiam benignitatem benevolentiam, quam habebat erga humanum genus, primo miseretur super turbam habentem debilitatem impotentiam, eam sustentando cibo corporali; secundo miseretur super turbam habentem cæcitatem ignorantiam, eam illuminando documento salutari; tertio miseretur super turbam habentem tepiditatem ignaviæ, eam inflammando oblectamento sacramentali.

Primo miseretur Dominus super turbam habentem debilitatem impotentiam, eam sustentando cibo corporali. Unde in Psalmis³: « Quomodo miseretur pater filiorum, miseratus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. » Sicut pater miseretur filiorum suorum ipsos reficiendo cibo corporali, ne succumbant ad moriendum, ita Dominus noster hodie die miseratus est illius turbæ famelicæ, eam pascendo et satiando corporaliter de quinque panibus, et paucis pisciculis, ne in via defi-

ceret: quod est attribuendum divinæ potentiam, non debilitati humanæ: *quoniam ipse cognovit figmentum nostrum* corporis non posse naturaliter diu subsistere, nisi continuis alimoniis sustentetur.

Secundo miseretur Dominus super turbam habentem cæcitatem ignorantiam, eam illuminando documento salutari; unde⁴: « Qui habet misericordiam, docet et erudit quasi pastor gregem suum. » Dominus noster habet (a) misericordiam, ipse enim est pater misericordiam; et ideo propter benignitatem misericordiam et compatiendi, quam habet ad hominem, docet et erudit sicut pastor gregem suum verbo doctrinæ. Multum enim per omnia sollicitus erat et studiosus pascere gregem humanum pane vitæ et intellectus. Unde quotidie non cessabat circuire, sicut dicit beatus Matthæus⁵, civitates, vicos, et castella, annuntians regnum Dei: eo quod major est refectio mentis, quam ventris.

Tertio miseretur super turbam habentem tepiditatem ignaviæ, eam inflammando oblectamento sacramentali. Unde in Psalmis⁶: « Misericors et miserator Dominus escam dedit timentibus se. » Miserator et misericors Dominus escam proprii corporis sub specie panis dedit fidelibus timentibus se timore filialis reverentiæ,⁷ « habentem omne delectamentum, et omnem saporis suavitatem: » cujus gustu anima tanto ardore accenditur, ut destructa omni tepiditate, et omni carnalitate, soli cibo isti per amorem uniatur, et in eum convertatur, et tunc gustus (b)⁸, quoniam suavis est Dominus, experitur, quomodo⁹ « spiritus ejus super mel dulcis, » et comprehendit sensibilibiter¹⁰, « quam magna multitudo dulcedinis quæ absconditur » in isto sacramento amoris.

Tertio in verbo proposito notatur longanimitas perseverantiæ impetrantis, cum subiungitur: *quia ecce jam triduo sustinent me*. Illi impetrant beneficium a Deo, qui

¹ Joan., VI, 54-55. — ² Ibid., 57. — ³ Psal. CII, 13. — ⁴ Eccli., XVIII, 13. — ⁵ Matth., VI, 35. — ⁶ Psal. CMI, 4. — ⁷ Sap., XVI, 20. — ⁸ Psal. XXXIII, 9. — ⁹ Eccli., XXIV, 27. — ¹⁰ Psal. XXX, 20.

(a) Cat. edit. habens. — (b) Forte leg. gustu vel gustans.

longanimiter et perseveranter sustinent eum isto triduo, scilicet dolore amaræ contritionis in corde, mœrore apertæ confessionis in ore, et labore condignæ satisfactionis in opere. Et ista distinctio potest haberi ex Glossa, quæ dicit ¹ : « Sic turba Dominum triduo sustinent, dum multitudo fidelium peccata sua per pœnitentiam declinans ad Dominum se in locutione, et opere, et cogitatione convertit.

Primo peccatores sustinent Dominum dolore amaræ contritionis in corde; unde ² : « In dolore sustine, et in humilitate patientiam habe. » Cum enim cogitat homo, quod propter suum peccatum rursum Filium Dei in seipso crucifigit, tanto dolore et amaritudine debet compungi interius, et tanta abjectione humilitatis debet se despiciere et vilipendere, ut mulier prostrata super terram, vel humum nudam prorumpat, et lacrymat exterius ad similitudinem mulieris deplorantis mortem unigeniti : quia cor contritum sustinens in dolore contritionis, et humiliatum voluntariæ abjectionis ³ sine murmure impatientiæ, Deus non despiciet. Unde Bernardus, *super Cantica* ⁴ : « Quomodo vero non humiliabitur anima mea peccatrix in hac vera cognitione sui, cum se percipit oneratam peccatis, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes : nonne magis convertetur in aquam ad lacrymas, convertetur ad planctum et gemitus, convertetur ad Dominum, et in humilitate clamabit ⁵ : *Sana animam meam, quia peccavi tibi?*

Secundo debemus sustinere Dominum mœrore apertæ confessionis in ore; unde in Psalmis ⁶ : « Dirige me in veritate tua, et doce me; quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die. Reminiscere miserationum et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt. Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris, Domine; dirige me in veritate tua, ⁷ et non decli-

nem (a) cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis : » et doce me pure et perfecte confiteri mea peccata. *Quia tu es Deus salvator meus*, tribuendo veniam omnium delictorum. *Quia te sustinui tota die*, id est, sæpe cum mœrore et planctu confitendo mea peccata; ideo *rememiscere miserationum et misericordiarum tuarum, et ignorantias meas ne memineris*. Unde multum debet attendere quilibet, quod confiteatur perfecte omnia peccata sua : quia si unum retineatur, nunquam consequetur veniam aliorum. Non enim potest idem homo esse justus et peccator, bonus et malus, servus Dei, et servus diaboli : quia ⁸ « nemo potest duobus dominis servire » contraria jubentibus. Unde sicut navis existens in aquis plena foraminibus, si ejus omnia foramina obturentur (b) præter unum, nihilominus per illud unum submergeretur in profundum maris; sic peccator, si omnia peccata confiteatur, et unum remaneat, per illud solum damnatur.

Tertio debemus sustinere Dominum labore condignæ satisfactionis, unde ⁹ : « Fili, accedens ad servitatem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem : deprime cor tuum, et sustine. » *Fili, accedens ad servitatem Dei* per aggressivam pœnitentiæ, *sta in justitia*, ut quanto graviora damna tibi culpæ intulisti per culpam, tanto lamenta majora pœnitentiæ tibi inferas per pœnitentiam, ut ¹⁰ « ubi abundavit delictum, » per excessum culpæ, « ibi superabundet donum gratiæ » per dignos fructus pœnitentiæ. *Et in timore* filialis reverentiæ, quia ¹¹ « qui sine timore est, non justificabitur. » *Et præpara animam tuam ad tentationem* diaboli, ne ei acquiescat per consensum : libenter enim diabolus immittit tentationem in eos, qui exierunt de Ægypto peccatorum, reducendo ad memoriam mundana delectamenta, ut eos faciat descendere

¹ Gloss. ex Bed., in *Marc.*, VIII, c. 32. — ² *Eccli.*, II, 2. — ³ Locus corruptus. — ⁴ Bernard., in *Cant.*, serm. XXAVI, n. 5. — ⁵ *Psal.*, XL, 4. — ⁶ *Psal.*, XXIV,

5-6. — ⁷ *Psal.*, CXL, 4. — ⁸ *Matth.*, VI, 24. — ⁹ *Eccli.*, II, 1. — ¹⁰ *Rom.*, V, 20. — ¹¹ *Eccli.*, I, 28.

(a) *Vulg.* declines. — (b) *Leg.* obturarentur.

de monte pœnitentiæ. *Deprime cor tuum* a tumore inanis gloriæ, vel excellentiæ, ne superbia tua seducaris, et existimes te aliquid esse, cum nihil sis. *Et sustine Dominum* labore condignæ satisfactionis, quia « talis pœnitentia est res optima, quæ defectus (a) omnes reducit ad perfectum, » secundum quod dicit Augustinus¹. Rogemus ergo Dominum, etc.

SERMO II².

*Unde illos poterit quis saturare panibus in solitudine*³? Considerare debemus solitudinem quadruplicem, infra nos, extra nos, infra nos, supra nos. Prima est mundus, in qua panibus vitiorum; secunda est Ecclesia, in qua panibus sacramentorum, vel sanctorum exemplorum; tertia est cor, vel conscientia sancta, in qua panibus meritorum; quarta est cœlum, in qua panibus præmiorum homo reficitur.

Solitudo
quadru-
plex.

De primo⁴: « Ductor tuus fui in solitudine magna atque terribili, in qua fuit serpens flatu adurens et scorpio ac dipsas. » Require in sermone, *Ductus est Jesus in desertum*⁵. In hac solitudine pascitur homo panibus diaboli vitiorum, de quibus⁶: « Dic ut lapides isti panes fiant. » Septem autem panes diaboli, septem vitia capitalia sunt, scilicet superbia, ira, aecidia, etc. Horum panum ne micæ quidem cogitationum (b) sumere debes, quibus impius tanquam serpens diaboli delectatur.⁷ « Serpenti pulvis panis est. »

De secundo⁸: « Exultabit solitudo, et floreat quasi lilium, » etc. In solitudine Ecclesiæ sunt tot flores, quot fideles. Spiritualiter autem lilio comparat Ecclesiam, quia pulcherrima est per continentiam⁹: « Sicut lilium inter spinas, » etc. Hæc est solitudo, extra quam pellicanus, id est Christus, non

invenitur. Psalmista¹⁰: « Similis factus sum pellicano solitudinis, sicut nycticorax in tecto. » Sicut enim pellicanus pullos suos, ita Christus proprio sanguine vivificat electos. In hac solitudine panibus gratiarum sacramentalium saturamur¹¹: « Qui habitatis terram austri, cum panibus occurrite fugienti. » Terra austri est Ecclesia; auster est Spiritus sanctus¹²: « Veni, auster, » etc. Hieronymus¹³: « Cum panibus sacramentorum occurre fugienti diabolo. » Septem autem panes sunt septem sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Ordo, Matrimonium, Extrema unctio. Turpis esset, qui cum fidelis esset, illum impugnaret, de cuius pane vivit. Et hoc facit, qui baptizatus, confirmatus, communicatus, ordinatus, Deum impugnat. Psalmus¹⁴: « Qui edebat panes meos, » etc. Contra quod ait Bernardus¹⁵: « Eo erubescamus prava committere, quo nos a Deo meminimus gratuita dona percepissee. »

De tertio¹⁶: « Ducam eam in solitudinem. » Ejus solitudo est secretum mentis¹⁷: « Sedebit solitarius, et tacebit, » etc. Quando enim homo a tumultu peccatorum, a strepitu mundi separatur, tunc libenter Dominus cum eo loquitur, sicut (c) patet in Zachæo turbam præcurrente; tunc etiam gratia irrigatur.¹⁸ « Scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine: » aquæ scilicet lacrymarum, et torrentes gratiarum. In hac solitudine pascimur septem panibus donorum Spiritus sancti, de quibus¹⁹: « Quanti mercenarii, » etc. Sed, heu! propter (d) siliquas diaboli multi obliviscuntur comedere panem Patris sui. Contra quod dicit Augustinus²⁰: « Recordemur panem Patris nostri, recolamus beatitudinem domus Patris nostri, non nos delectent siliquæ (e) porcorum, doctrinæ dæmoniorum. » Septem autem panes sunt

¹ Imo auctor *Hypomnest.*, seu *Hypognostici*, lib. III, n. 17, inter Oper. Aug., Append. tom. X. — ² Hunc et duos sequentes habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ³ *Marc.*, VIII, 4. — ⁴ *Deut.*, VIII, 10. — ⁵ Vid. sup., in Dom. 1. Quadrag., serm. III, pag. 150, col. 2. — ⁶ *Matth.*, IV, 2. — ⁷ *Isa.*, LXX, 5. — ⁸ *Isa.*,

XXXV, 1. — ⁹ *Cant.*, II, 2. — ¹⁰ *Psal.*, CI, 7. — ¹¹ *Isa.*, XXI, 14. — ¹² *Cant.*, IV, 16. — ¹³ Hieron. — ¹⁴ *Psal.*, XL, 10. — ¹⁵ Bern. — ¹⁶ *Ose.*, II, 14. — ¹⁷ *Thren.*, III, 28. — ¹⁸ *Isa.*, XXXV, 6. — ¹⁹ *Luc.*, XV, 17. — ²⁰ Aug.

(a) Apud Aug. defectos. — (b) *Cat. edit.* cognitio- nem. — (c) *Item* sic. — (d) per. — (e) *Item* siliqua.

septem dona Spiritus sancti, sapientiæ, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiæ, pietatis, timoris Domini. Si hos panes vis habere, oportet te terram cordis colere, et multum laborare. ¹ « Qui operatur terram suam, saturabitur pane (a). »

De quarto, Psalmus ² : « Qnis dabit mihi pennas, » etc. usque : « mansi in solitudine. » Pennæ columbæ sunt virtutes, et opera recte facta, quæ in duabus alis sunt : omnia enim præcepta in duobus præceptis sunt. Non optat pennas corvi, ille enim ad Noe non revertitur : sic homo carnalis, ad exteriora veniens, ultra ad Christum non revertitur; columba, id est homo spiritualis, cum ramo boni operis redit. Talis columba volat virtutibus, elongatur a sæculo, manet in contemplatione et desiderio, in conversatione, in solitudine (b) patriæ cœlestis ³ : « Nostra conversatio in cœlis est. » Item pascuntur sancti panibus præmiorum ⁴ : « Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? » etc. Argentum spirituale est scientia. Vel argentum materiale, quod est elemosyna, optime appenditur, quando pro cœlestibus affectionibus expeditur. Septem autem panes sunt septem dotes, claritas, subtilitas, agilitas, impassibilitas, cognitio, dilectio, fructio, quibus æternaliter fruuntur beati ⁵ : « Beatus qui manducabit panem in regno Dei. »

SERMO III.

Misereor super turbam ⁶, etc. Quomodo miseretur ⁷ « misericors et miserator Dominus? » Dicitur in Psalmo ⁸ : « Quomodo miseretur pater filiorum. » Considerare autem possumus hic quadruplicem misericordiam Dei : miseretur enim super turbam viventium in terris, super turbam quiescentium in sepulcris, super turbam gementium in

pœnis, super turbam fruuentium in cœlis.

De primo, Psalmista ⁹ : « Misericordia Domini plena est terra. » Longum est narrare misericordias, quas corporaliter et spiritualiter nobis exhibet in terris. Quod enim a diabolo non omnes suffocantur, quod mundus non subvertitur, quod peccator in infernum vivus non detruditur, quod in corpore a terra cum Chore et Dathan non absorbetur, Dei maxima est misericordia ¹⁰ : « Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. » Si ergo cognosceret homo, quam multiplicia sunt ejus pericula, tunc cognosceretur, quam multiplex misericordia sit super eum. Gregorius ¹¹ : « Tunc nobis misericordiæ Dei innotescunt (c), cum nobis ad memoriam miseriæ nostræ revocantur, » etc. Maxime autem ostendit nobis misericordiam suam, expectans nos in peccatis, et datus nobis tempus ad pœnitentiam ¹² : « Expectat Dominus, ut misereatur vestri. » Quamdiu vero expectat, dicit idem ¹³ : « Usque ad canos ego portabo. » Non solum mali perirent, sed etiam boni deficerent, nisi esset misericordia Dei; unde hic : *Misereor super turbam*, ubi septem panibus septem donorum Spiritus sancti, ne deficiant, confortantur, qui triduo contritionis, et confessionis, et satisfactionis Dominum sequuntur. Post (d) hoc triduum invenitur per gratiam ¹⁴ : « Post triduum invenerunt eum. »

De secundo, Psalmista ¹⁵ : « Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me. » Resuscitatio igitur mortuorum magnæ misericordiæ est, mors eorum magnæ est miseriæ. Unde quando Jesus resuscitaturus erat filium viduæ, sicut dicitur ¹⁶, « misericordia motus super eam, dixit : Noli flere. » Si misericordia est resuscitare unum, et unius diei mortuum, et iterum moriturum; quanta ergo misericordia est resuscitare tam innumerabiles per tot annorum millia de-

Misericordia quadruplex.

¹ Prov., XXVIII, 19. — ² Psal. LIV, 8-9. — ³ Philip., III, 20. — ⁴ Isa., LV, 2. — ⁵ Luc., XIV, 15. — ⁶ Marc., VIII, 2. — ⁷ Psal. CXI, 4. — ⁸ Psal. CII, 13. — ⁹ Psal. XXXII, 5. — ¹⁰ Thren., III, 22. — ¹¹ Greg., in Ezech., lib. II, hom. VI, n. 21. — ¹² Isa., XXX, 18. — ¹³ Isa.,

XLVI, 4. — ¹⁴ Luc., II, 46. — ¹⁵ Psal. XL, 5. — ¹⁶ Luc., VII, 13.

(a) Vulg. panibus. — (b) Leg. in solitudine, in contemplatione et desiderio, in conversatione. — (c) Admiræ fiunt. — (d) Cœl. edit. Per.

functos, et æternaliter victuros, et in corporibus gloriosis, et ab omni miseria liberatis? ¹ « Reformabit corpus humilitatis nostræ, » etc. Hanc misericordiam laudare possunt de sepulcris surgentes, non in sepulcris putrescentes. Psalmus ² : « Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam? » Sed certe malis non videtur fieri misericordia, quia cum corporibus puniuntur gravius.

De tertio ³ : « In momento indignationis abscondi parumper faciem meam a te, et misericordia sempiterna misertus sum tui. » Qui in limbo inferni erant, sicut olim indignationem, sic in liberatione sui misericordiam senserunt (a). Psalmus ⁴ : « Misericordia (Domini) magna est super me. » Item in purgatorio indignationem ostendit, et faciem abscondit in momento, quia illa parumper et momentanea est pœna respectu pœnæ æternæ, et respectu miseriæ æternæ, quæ sequetur. Multa enim millia annorum respectu æternitatis momentaneum, et momentum sunt. Unde beato Benedicto quærenti a diabolo, quando cecidisset : « Heri, » respondit. Et cum diceret Benedictus : « Mentiris; » dixit dæmon : « Si scires, non ita diceres. » Misericordia autem, quam exhibet salvando de pœnis, significatur in misericordia exhibita tribus pueris liberatis de igne. Ad hanc misericordiam per Ecclesiam, non per seipsos juvari possunt; unde in camino dixerunt (b) ⁵ : « Non est oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam. » In purgatorio enim *non est oblatio* dominici corporis, *neque incensum* meritoriae operationis, neque *primitiæ* elemosynæ satisfaciuntis ⁶ : « De primitiis frugum da pauperi. »

De quarto, Psalmus ⁷ : « In æternum misericordia edificabitur in cœlis. » Ruinæ factæ in ordinibus angelorum per superbiam, reædificantur per Dei misericordiam. Sed patres ante Christi incarnationem dicere

potuerunt illud *Aggæi* ⁸ : « Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ » et muros ponendi. Ita ante Christum quasi hyems fuit, quando nullus lapis in ædificio et muro positus, imo vita præsens quasi hyems. Unde lapides, id est fideles, hic per pœnitentias, et correctiones, et adversitates secantur, etc. Augustinus ⁹ : « Hic ure, hic seca; » sed in ætate futuræ vitæ in ædificio cœlesti ponentur. Et tunc hujus misericordiæ erit tempus. Psalmus ¹⁰ : « Tu (c) exurgens miseraberis Sion. » De hoc plenius invenies in sermone : *Exurge, gloria mea* ¹¹. Qui tanquam lapis vivus intrare vult in cœleste ædificium, debet esse abscessus de montibus mundanarum cupiditatum, et quadratus quadratura quatuor principalium virtutum. Augustinus ¹² : « Præciduntur de montibus per manus prædicantium veritatem : conquadrantur, ut intrent in structura sempiterna. »

SERMO IV.

Manducaverunt, et saturati sunt ¹³. Quadruplex est saturitas : prima, bonorum temporalium ; secunda, donorum spiritualium ; tertia, præmiorum æternalium ; quarta, tormentorum infernalium.

De prima ¹⁴ : « Honora Dominum de tua substantia. » Sed miseri avari sunt sicut canes bolismum patientes, qui nunquam saturari possunt ¹⁵ : « Canes impudentissimi nesciere saturitatem. » Inexplebilis est avaritia divitum, semper rapit, nunquam satiatur, neque Dominum timet, neque hominem reveretur, neque patri parcit, neque matrem agnoscit, neque fratri obtemperat, neque amico fidem servat. Canes ergo sunt avari, et ideo contingit ipsis sicut cani, qui fame attenuatus per foramen arctum cellariæ intraverat, et postea saturatus et repletus, percussore cum fuste superveniente,

Saturitas quadruplex.

Avaritia.

¹ *Philip.*, III, 21. — ² *Psal.* LXXXVII, 12. — ³ *Isa.*, LIV, 8. — ⁴ *Psal.* LXXXV, 13. — ⁵ *Dan.*, III, 39. — ⁶ *Proc.*, III, 9. — ⁷ *Psal.* LXXXIII, 3. — ⁸ *Agg.*, I, 2.

— ⁹ *Aug.* — ¹⁰ *Psal.* CI, 16. — ¹¹ *Vid. sup.*, in *Resurr. Dom.*, serm. II, pag. 215, col. 4. — ¹² *August.* — ¹³ *Marc.*, VIII, 8. — ¹⁴ *Proc.*, III, 9. — ¹⁵ *Isa.*, LVI, 11.

(a) *Cæt. edit.* senserant. — (b) *Suppl.* tres pueri. — (c) *Cæt. edit.* Tunc.

per foramen propter repletionem exire non poterat per quod intraverat. Ad fenestras autem veniens per alia foramina exire conabatur, sed non permittebatur. Fustigatus autem, devorata evomit, et sic per proprium foramen exiit. Sic est de avaro, qui saturatur et impletur injustis possessionibus: hunc Dominus, vel prædicator, vel confessor, cum fuste comminationis æternæ pœnæ quandoque agitare incipit. Cum autem jejunia, et peregrinationes, et similia avarus promittit, ipsum per foramen, quo venit, exire cogit ¹: « Cum satiatus fuerit, aretabitur, » etc. Canis ergo devorata evomit, dum avarus injusta restituit ²: « Divitias, quas devoravit, evomet, » etc. Sic autem fustem damnationis evadet.

De secundo dicitur hic: *Manducaverunt, et saturati sunt*, etc. Saturati autem septem panibus fuerunt, qui Dominum triduo sustinere. Septem panes, secundum Glossam ³, sunt septem dona Spiritus sancti, quibus saturamur in solitudine Ecclesiæ post triduum confessionis, contritionis, satisfactionis, de quo triduo ⁴: « Deus Hebræorum vocavit, ut eamus viam trium dierum in solitudine. » Sed, heu! quidam pecuniis et laboribus suis emunt sibi famem animæ, non saturitatem. De quibus ⁵: « Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? » Qui ergo est in saturitate animæ laborans, ad Deum, qui hos panes habet, veniat ⁶: « Venite ad me, omnes, etc. » Bernardus ⁷: « Caro clamat: Ego decipiam. Mundus clamat: Ego deficiam. Diabolus clamat: Ego interficiam. Christus: Ego reficiam. Ad quem ibis? quem sequeris? »

De tertio ⁸: « Beati qui esuriunt, » etc. Vere saturabuntur melle dulcissimæ gratitudinis. Psalmus ⁹: « De petra melle (a) saturavit eos. » O petra pretiosa! ¹⁰ « Petra

autem erat Christus. » De qua etiam dicitur ¹¹: « Suxit mel de petra, oleumque de saxo, » etc. Gaudium enim, quod habetur in cælo de Christi divinitate, significatur in melle; de humanitate vero, in oleo. Saturabuntur ergo in cælo, qui esuriunt justitiam in mundo. Qui autem temporalium voluptatum siliquis sicut porci saturantur, mellis æterni saturitate privantur ¹²: « Anima saturata calcabit favum; » sicut certe e contrario anima, quæ hic paululum mellis æterni dulcedinem prægustat, siliquas porcorum calcet. Gregorius ¹³: « Si quis vero cordis ore gustaverit, quæ sit illa dulcedo cœlestium præmiorum, quæ habent illi benedicti chori angelorum, quæ incomprehensibilis visio Trinitatis, huic quam dulce fit (b) quod intus videt, tanta in amaritudine videtur esse quod foris sustinet. »

De quarto ¹⁴: « Ego quoque in interitu vestro ridebo, » etc. usque: « comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur. » Hic dicitur de damnandis. Qui ergo malis consiliis contra proximos saturari non possunt in mundo, malorum consiliorum pœna saturabuntur in inferno. Saturabuntur utique non melle beatitudinis, sed felle æternæ amaritudinis. ¹⁵ « Panis ejus in utero ejus vertetur in fel aspidum. » Intrinsecus autem saturabuntur tormentorum multitudine, quæ non solum damnati homines, sed etiam angeli et sancti tormenta videntes saturantur. Unde de occisis gladio de ore Christi procedente, dicitur ¹⁶: « Omnes aves cœli saturatæ sunt carnibus eorum. » Interlinearis: « Id est, omnes sancti delectati sunt de pœnis eorum. » Bene autem dicit, *de carnibus*, quia non solum anima, sed etiam caro punietur post resurrectionem ¹⁷: « Dabit ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum. »

¹ Job, xx, 22. — ² Ibid., 15. — ³ Gloss. ex Bed., in Marc., c. 32. — ⁴ Exod., v, 3. — ⁵ Isa., lv, 2. — ⁶ Matth., xi, 29. — ⁷ Bernard. — ⁸ Matth., v, 6. — ⁹ Psal. lxxx, 17. — ¹⁰ I Cor., x, 4. — ¹¹ Deut., xxxii,

13. — ¹² Prov., xxvii, 7. — ¹³ Gregor. — ¹⁴ Prov., i, 26-31. — ¹⁵ Job, xx, 14. — ¹⁶ Apoc., xix, 21. — ¹⁷ Judith, xvi, 21.

(a) *Cæt. edit.* mellis. — (b) *Item* sit.

DOMINICA VII POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS .

Omnis arbor quæ non facit fructum, excidetur, et in ignem mittetur ². Volens Dominus noster populum Judaicum rudem et animalem retrahere a malo sub similitudine arboris non producentis fructum, quæ ratione suæ sterilitatis exciditur (a), et in ignem mittitur, cuilibet malo non natura, sed affectu voluntatis prænuntiat decisionem, et combustionem æternæ damnationis, cum dicit in verbo proposito : *Omnis arbor quæ non facit fructum, excidetur, etc.* In quo quidem verbo ordinate proceditur. Nam primo describitur peccatum (b) ad interiorem originem, quam habet ex arrogantia mentis; secundo quantum ad exteriorum consummationem, quam habet in complacentia operis; tertio quantum ad finalem ordinationem, quam habet in gehenna ignis. Et sic peccatum, licet occasionem habuerit a fraudulentia hostis, originem tamen habuit ab arrogantia mentis, consummationem in complacentia operis, sive in concupiscentia carnis, et ordinationem in gehennam ignis. Primo ergo describitur peccatum, quantum ad interiorem originem, quam habet ex arrogantia mentis, cum dicit : *Omnis arbor, scilicet mala non natura, sed mentis arrogantia.* Unde Glossa ³ : « Voluntas uniuscujusque est arbor mala, vel bona : » et sicut arbor radicitur in terra, sic voluntas, in anima manente integra, affectu voluntatis corrumpitur, vel in melius mutatur. Secundo describitur peccatum, quantum ad exteriorum consummationem, quam habet in complacentia operis, sive concupiscentia carnis, cum subdit : *Quæ non facit fructum.* Glossa : « Fructus arboris malæ sunt opera carnis : scilicet fornicatio, luxuria, avaritia, etc., quos fructus non nisi mala voluntas

facit. » Tertio describitur peccatum quantum ad finalem ordinationem, quam habet in gehennam (c) ignis, cum subinfert : *Excidetur et in ignem mittetur.*

Dicit ergo : *Omnis arbor* : ubi describitur peccatum quantum ad interiorem originem, quam habet ex arrogantia mentis. Illa enim arbor, affectu voluntatis corrupta, est causa et origo malorum operum : primo quæ est adulterina, quia non inserta divino nutu in horto Ecclesiæ; secundo quæ est arida, quia non perfusa superno fluxu, sive stillicidio gratiæ; tertio quæ est infœcunda, quia non humano promotu cultu, vel exercitio justitiæ.

Primo illa arbor est causa fructus non boni, quæ est adulterina, quia non inserta divino nutu in horto Ecclesiæ; unde, et est de hodierno evangelio ⁴ : « Numquid colligent de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructum malum facit. » *Numquid colligent de spinis infidelitatis uvas veritatis fidei, quas Christus in nobis sivit?* Certe non : quia sicut uvæ non sunt de spinis, sed de vite, sic veritas fidei non est de spinositate infidelium, sed de vera vite, quæ est Christus. *Aut de tribulis paternæ traditionis colligunt ficus*, id est, dulcedinem sanctæ conversationis, quasi dicat : Non; et ista expositio extrahitur de Glossa, quæ dicit : « Spinæ tribuli sunt hæretici, a quibus nullus sapientum veritatem, vel sanctitatem poterit invenire, sed contendunt et cruentant approximantes. » *Sic omnis arbor bona, quæ est inserta a Deo per fidem corpori Ecclesiæ, fructum bonorum operum facit. Mala autem arbor, propter vitiositatem degenerationis quam accipit a primo parente, nisi inseratur corpori mystico Christi, malos fructus facit, quia inutiles, nec digni remuneratione.* Nam ⁵ « sine fide impossibile est placere Deo. » Et de hoc similiter potest exponi illud quod dicitur ⁶ : « Destruxit me undi-

¹ Hunc non habet edit. Paris, an. 1521. — ² *Matth.*, VII, 19. — ³ Gloss. ex Bed. in *Matth.*, VIII. — ⁴ *Matth.*, VII, 16-17. — ⁵ *Hebr.*, XI, 5. — ⁶ *Job*, XIX, 10.

(a) *Cæt. edit.* excidetur. — (b) *Suppl.* quantum. — (c) *Cæt. edit.* gehemp.

que, et quasi arboris evulsæ abstulit spem meam. »

Secundo illa arbor est origo malorum, quæ est arida, quia non perfusa cœlesti influxu, sive stillicidio gratiæ ¹ : « Videns Christus fici arborem unam, venit ad eam, et nihil invenit in ea, nisi folia tantum. Et ait : Nunquam ex te nascatur fructus in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea. » Per fici arborem potest intelligi homo delictus dulcedini mundanæ, qui dicitur esse secus viam, in via carnis, et non in via spiritus : ad quam veniens Jesus pedibus Evangelii, et nihil boni operis invenit in ea, nisi folia tantum, id est vanas traditiones philosophorum, sine fructu justitiæ, et ait ad illam : Nunquam ex te, obstinata in malitia, nascatur fructus boni operis in sempiternum; imo, propter duritiam et impœnitens cor tuum, te damno æternæ sterilitati, subtrahendo aquam cœlestis gratiæ. Et arefacta est continuo ficulnea.

Tertio illa arbor est origo mali operis, quæ est infœcunda, quia non promotæ (a) humano cultu vel (b) exercitio justitiæ. Unde ² : « Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua. » Et sequitur : « Qui dixit ad cultorem vineæ : Succide ergo illam; ut quid terram occupat? At ille respondens, dixit : Dimitte illam et hoc anno, usquedum foliam circa illam, et mittam stercora, et si fecerit fructum; sin autem, succidam (c) eam in futuro (d). » Per arborem illam potest intelligi, qui in operibus virtutis non se exercet, cui minatur Dominus succisionem : *Succide ergo illam; ut quid terram occupat?* ubi Glossa : « Terram occupat, qui locum, quem tenet, bonis operibus non exercet, et exemplo pravitatis præstat impedimentum cæteris, ne calore solis caleant. » *At ille respondens, dixit illi : Dimitte illam et hoc anno, patienter eam expectando, usquedum fodiam* apostolicis ligonibus circa illam exterius excitando, *et mittam stercora*, id est

mala et abominationes, quas facit, reducam ad memoriam, ut de superbia in humilitatem revocetur. *Et si fecerit fructus* bonæ operationis, gratia compunctionis, quasi de putredine stercoris excitatum, bene. *Sin autem, succidam eam in futuro* per æternam damnationem. Unde Glossa : « Peccata carnis, stercora sunt, quæ mittuntur ad radicem arboris, quando pravitatis conscientia tangitur cogitationis memoria, et dum inde pœnitet, quasi per tactum stercoris redit ad fœcunditatem operis.

Secundo in verbo proposito describitur peccatum quantum ad exteriorem consumptionem, quam habet in complacentia operis, cum subditur : *Quæ non facit fructum bonum*. Ut autem melius deveniamus in notitiam fructus mali, prævideamus conditiones fructus boni, quia postea per oppositas cognitiones faciliter cognoscemus fructus mali operis, eo quod opposita juxta se posita magis elucescunt. Ille autem humanus fructus est bonus, primo, qui habet pulchritudinem speciositatis, puritatis, et munditiæ delectantis visum; secundo, qui habet suavitatem mansuetudinis et placentiæ, dulcorantis gustum; tertio, qui habet utilitatem charitatis et benevolentiæ, informantis affectum (e). Ita per oppositum omne peccatum habet consumptionem exterius in complacentia operis, quando humanus fructus suum opus ad similitudinem mali fructus arboris maturescit. Primo habet putredinem, sive fœditatem carnalis lasciviæ, contristantis visum; secundo habet acerbitatem furoris et iracundiæ, amaricantis gustum; tertio habet venenositatem cordialis invidiæ, deformantis affectum.

Primo ille est malus humanus fructus, qui habet putredinem, sive fœditatem carnalis lasciviæ, contristantis visum; unde ³ : « Ventus urens siccat fructus ejus, emaruerunt, et arefactæ sunt virgæ roboris

Condi-
tiones
boni
fructus.

¹ Matth., XXI, 19. — ² Luc, XIII, 6-8. — ³ Ezech., XIX, 12.

(a) Cæt. edit. mola. — (b) Cæt. edit. deest vel. — (c) Vulg. succides. — (d) Item fururum. — (e) Cæt. edit. effectum.

ejus, ignis comedit eam, et nunc transplantata est in deserto in terra invia. » Ventus urens carnalis lasciviæ siccavit fructus ejus venenatis, et emarcuerunt, et arefactæ sunt virgæ, et pullulationes roboris et virtutis ejus. Nihil enim inter omnia peccata tantum reddit hominem enervatum et putridum, sicut peccatum luxuriæ. Unde luxuriosi immundis animalibus, sicut sunt porci et jumenta, putrefacti in stercore suo, et hujusmodi, assimilantur: et talis planta merito transplantata est in deserto spinositatis vitiorum, et in terra invia carnis, in qua non potest producere nisi fructus putridos et carnales, quorum aspectu (a) ita abominatur Deus, et purissimi ejus angeli, et sancti homines, sicut aliqui homines naturaliter generosi et nobiles abhorrent aspectum pomi, sive fructus putridi et verminosi.

Secundo ille fructus humanus est malus, qui habet acerbitem furoris et iracundiæ, amaricantis gustum; unde ¹: « Fructus eorum inutiles, et ad manducandum acerbi, et ad nihil apti. » *Fructus eorum*, scilicet qui sunt iracundi, sunt *inutiles* et (b) ipsis, propter subversionem rationis; et *acerbi* aliis ad manducandum propter furorem; *ad nihil apti*, nisi ad subversionem animorum ipsorum, vel aliorum. Unde Glossa super illud ²: *Vir iracundus suscitatur (c) rixas*, dicit sic: « Janua omnium vitiorum est iracundia, qua (d) clausa, virtutibus intrinsecus datur requies, aperta ad omne facinus armabitur ³. »

Tertio fructus humani operis est malus, qui habet venenositatem cordialis invidiæ deformantis affectum (e). Unde ⁴: « Convertistis in amaritudinem (f) iudicium, et fructum justitiæ in absinthium. » *Convertistis in amaritudinem* dolositatis et malitiæ iudicium discretionis rectæ, et *fructum justitiæ* et pietatis *in absinthium*, in venenam malignitatis et invidiæ. Ad occidendum hu-

manum genus, nullum absinthium, nullum fel amarius, et nullum venenum pejus malignitate invidiæ. Nam ex venenosæ fructu invidiæ Judæorum, occisus est Filius Dei, multi sancti et homines justii.

Tertio in verbo proposito describitur peccatum quantum ad finalem ordinationem, quam habet in gehenna ignis, cum subinfert: *Excidetur et in ignem mittetur*. Iste ignis ad hoc, ut perfecte ordinetur peccatum per punitionem, primo est inextinguibilis, propter continuationis perpetuitatem; secundo intolerabilis, propter vehementissimi doloris acerbitem; tertio inevitabilis, propter divini rigoris severitatem. Et sic ista pœna, in qua deformitas peccati ordinabitur, est summa, et perfecta, et (g) nulla alia, eo quod perpetua (h) dolorosa, nec poterit declinari ad modicam morulam.

Ignis gehennæ.

Primo ignis in quo deformitas ordinabitur, est inextinguibilis propter continuationis perpetuitatem; unde ⁵: « Tunc dicit Rex his, qui a sinistris sunt: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. » Dignum et justum est, ut peccatores, qui a sinistris sunt, id est, præsentia, quamdiu vixerunt, ardentè amaverunt, secundum quod exponit Glossa, pœna æterna puniantur. Nam tanta est offensa, quantus est ille, qui offenditur, sicut patet quod majorem offensam committit, qui injuriatur regi, quam qui injuriam facit alteri homini. Deus ergo offensus cum sit infinitus et æternus, ergo et pœna et punitio respondens tali offensioni debet esse æterna.

Secundo ille ignis, in quo deformitas culpæ ordinabitur (i), est intolerabilis, propter vehementissimi doloris acerbitem. Unde in Psalmis ⁶: « Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, pars calicis eorum: quoniam justus Dominus et justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus. » Justo enim iudicio, secundum quod colligitur ex Scriptura, quatuor elementa non distincta, sed

¹ Sap., iv, 5. — ² Prov., xv, 18. — ³ Idem supra dixerat, Dom, v post Pent., serm. 1, pag. 352, col. 2. — ⁴ Amos, vi, 12. — ⁵ Matth., xxv, 41. — ⁶ Psal., x, 7-8; CALVIII, 8.

(a) Leg. aspectum. — (b) Leg. sibimet. — (c) Vulg. provocat. — (d) Cat. edd. quæ. — (e) Item effectum. — (f) Item amaritudinæ. — (g) Leg. ut. — (h) Leg. perpetuo. — (i) Leg. ordinabitur.

confusa creduntur in inferno esse ad perfectam punitionem damnatorum, ut omnis creatura exardescat in tormentum contra injustos, et armetur in ultionem Creatoris, et per eadem puniantur, ex quibus constituuntur. Nec talis confusio pœnam minuit, sed auget, pro eo quod actio elementorum mutua post resurrectionem cessabit, cum cesset generatio et corruptio, et numerus electorum sit completus : manebit tamen eorum actio contra corpora damnatorum, quia ad hoc omnis virtus eorum dirigetur, non ut intendat multiplicare speciem, sed ut secundum imperium Creatoris vindicet divinam injuriam, quæ quidem fiet affligendo humanam naturam.

Tertio ille ignis in quo deformitas culpæ ordinabitur, est inevitabilis propter divini rigoris severitatem. Unde ¹ : « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima. » Rigor divinæ justitiæ, ad quem pertinet malefactorem punire, accendetur in die judicii ad ultionem peccatorum, quia ignis indissolubiler alligabitur animæ peccatrici, et in eo anima tanquam in carcere includetur, et propter hoc ad quemcumque locum inferni anima declinaverit, pœnam ignis sentiet, quia iste ignis ardebit usque ad inferni novissima. Rogemus, etc.

SERMO II ².

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum ³, etc. Plenum formidine est hoc verbum. Considerandum autem, quod Dominus in Evangelio, sub metaphora arboris infructuosæ, quatuor mala ostendit circa damnationem impij. Ostendit enim quod culpa est inexcusabilis, sententia inevitabilis, pœna interminabilis, gratia irrecuperabilis.

De primo ⁴ : « Arborem ficj habebat quidam plantatam in vinea sua, » etc. Nota parabolam. Ficus sterilis est malus Christia-

mus; fructus, quem Dominus ejus quærit et non invenit, est de quo dicitur ⁵ : « Fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate. » Tres autem anni sunt tres ætates, puerilis, juvenilis, virilis; quartus est senectus, qui sæpe additur homini, ut plene probetur. Sed ecce, miser senex, non pluit super terram cordis tui annos tres, et menses sex. Utinam saltem in ultima parte anni pluviam gratiarum, vel lacrymarum reciperes, ut sic fructus facere posses. Circa ficum foeditur, dum Christus propter hominem perforatur. Psalmus ⁶ : « Foderunt manus, » etc. Stercus quoque mittitur, dum putrefactio futura homini ad mentem reducitur. ⁷ « Si ascenderit in cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilium in fine erit. » Quicumque, post tantas inducias et curas, non fecit (a) fructum, inexcusabilis est. Ambrosius ⁸ : « Quo indulgentior liberalitas, eo inexcusabilior pertinacia (b). »

De secundo ⁹ : « Jam enim securis ad radicem arborum posita est. » Securis sententiam significat : securi porci mactantur : peccatores autem sunt porci diaboli ¹⁰ : « Mitte nos in gregem porcorum. » Malæ radices, mali parentes; mali rami sunt mali filii et nepotes. Item malæ radices sunt primi vitiorum inventores; rami sunt eorundem vitiorum sequaces. Et jam securis divini judicii ad radicem venit, dum inventorem superbiæ Luciferum, inventorem invidiæ Cain percussit. Et sic ostende de inventoribus aliorum vitiorum. Patet ergo quod impossibile est ramos evadere, ex quo securis sic cœpit radices ferire ¹¹ : « Confringentur enim rami in consummatione, » etc. Si ergo fructum bonum non facis, timenda est tibi hæc securis. Ambrosius ¹² : « Væ mihi, si non peccata mea delevero, » etc. Require in sermone : *Benedictus qui venit* ¹³.

— ⁹ Luc., III, 9. — ¹⁰ Matth., VIII, 31. — ¹¹ Sap., IV, 5. — ¹² Ambros., in Luc., lib. II, n. 76. — ¹³ Vid. sup., Dom. I Adv., serm. VII, pag. 15, col. 1.

(a) Forte leg. fecerit. — (b) Apud Ambros. pervicacia.

¹ Deut., XXXII, 22. — ² Hunc et sequentem habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ³ Matth., VII, 19. — ⁴ Luc., XIII, 6. — ⁵ Ephes., V, 9. — ⁶ Psal. XXI, 17. — ⁷ Job, XX, 7. — ⁸ Ambros., in Luc. lib. IX, n. 23.

De tertio dicitur hic : *Omnis arbor, quæ non*, etc. O quantus ignis erit, quando omnes steriles arbores, omnes simul impii ardebunt in inferno, sicut patet, quando nemo incenditur, et tot millia arborum simul ardebunt, et quanto plures, tanto horribilius ! ¹ « Secundum enim ligna sylvæ, sic ignis ardescit. » Et ubi est sylvæ in mundo, quæ habeat tot arbores, quot sunt peccatores in inferno, scilicet hæretici, raptores, usurarii, etc? Unde de gehenna dicitur ² : « Præparata, profunda et dilatata, nutrimenta ejus ignis et ligna multa : » *præparata*, ut cito recipiat ; *profunda*, ut nullus exeat ; *dilatata*, ut omnia capiat. Ibi, cum arbore, cortex et rami simul ardebunt, id est anima et corpus, qui prius aridi per peccata fuerunt. Bernardus ³ : « Singulis membris, quæ arma fuerunt iniquitatis, singula debetur pœna, pro qualitate vel quantitate commissi. » In quo autem membro Creator plus offenditur, peccator gravius torquetur.

De quarto ⁴ : « Videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea nisi folia tantum, et ait illi : Nunquam ex te nascatur fructus in sempiternum. » Ficus hæc significat malum Christianum, ad quem iudex Dominus venit in morte ⁵ : « Qua hora non putatis, » etc. Væ, si tunc Dominus non invenerit fructum bonæ vitæ, sed folia tantum verborum ! tunc certe maledicitur (*a*), ut nunquam ex ea nascatur fructus pœnitentiæ in æternum. Ex tunc ergo nunquam gratiam Dei poterit recuperare, quando ultra non poterit pœnitere. Joannes Chrysostomus ⁶ : « Nec resistendi virtus, neque fugiendi facultas, neque pœnitentiæ locus, neque satisfactionis tempus erit : ex angustia omnium rerum nihil remanet nisi luctus. » Fac ergo fructum in mundo, quia non poteris in inferno ⁷ : « Quæcumque potest manus tua, instanter operare, quia neque

opus, neque ratio, neque scientia, neque sapientia erit apud inferos, quo tu properas. »

SERMO III.

Omnis arbor bona fructus bonos facit ⁸. Bona arbor est bonus homo ; bonus fructus bona vita. Fructus autem bonitas probatur utilitate, multiplicitate, delectabilitate, durabilitate. Utilitas in retributione, multiplicitas in operatione, delectabilitas in devotione, durabilitas in consummatione et perseverantia additur.

De primo ⁹ : « Qui metit, mercedem accipit, et (*b*) congregat fructum in vitam æternam. » Ecce utilitas fructuum spiritualium est vita æterna. Congregant autem quidam fructum in mortem æternam ¹⁰ : « Visitabo super vos juxta fructum studiorum vestrorum, dicit Dominus, et succendam ignem in saltu, » etc. Quomodo ignis in saltu inferni ardeat, require supra in proximo sermone ¹¹. Item congregant quidam in vitam transitoriam, qui hic recipiunt mercedem, qui tantum causa timoris servilis, vel amore laudis, vel rei temporalis, vel in statu peccati mortalis, bona opera faciunt. De quibus ¹² : « Sapientiam et disciplinam qui abiciunt, infelix est et vœua spes illorum, et labores illorum sine fructu et inutilia opera illorum, » scilicet ad vitam æternam. Item alii congregant fructus in mortem, in vitam (*c*) non transitoriam, sed æternam, qui secundum opera meritoria faciunt, sicut animæ sanctæ ¹³ : « Felix sterilis, » etc. usque : « habebit fructum, » etc. (*d*), « animarum sanctarum. »

De secundo ¹⁴ : « In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis. » Parum curares de arbore, quæ non afferret nisi duo vel tria poma : similiter de agro non ferente nisi duo, vel tria grana. Sic et tu, si non vis contemni a Deo, non paucos, sed multos bonorum operum fructus ferre de-

¹ *Ecclesi.*, xxviii, 12. — ² *Isa.*, xxx, 33. — ³ Bern. — ⁴ *Matth.*, xxi, 19. — ⁵ *Luc.*, xii, 40. — ⁶ Chrysost. — ⁷ *Ecclesi.*, ix, 10. — ⁸ *Matth.*, vii, 17. — ⁹ *Joan.*, iv, 36. — ¹⁰ *Jerem.*, xxi, 14. — ¹¹ *Sup.* 368, col. 2, et 369, col. 1. — ¹² *Sup.*, iii, 11. — ¹³ *Ibid.*, 13. — ¹⁴ *Joan.*, xv, 8.

(*a*) *Leg.* maledicetur. — (*b*) *Cat. edit. add.* qui. — (*c*) *Leg.* non in mortem, sed in vitam, vel post mortem, etc. — (*d*) *Cat. edit.* id est.

bes ¹ : « In omni bono opere fructificantes. » In omni utique bono opere, et etiam omni membro fructificandum est. Arbor enim multum fructum habere non potest, nisi in multis ramis : multi fructus sunt multa bona opera ; multi vero rami sunt multa corporis membra. Certe Maria Magdalena multos fructus in multis ramis habuit, quando multa opera bona in multis membris exhibuit. Pedibus enim accessit ², oculis flevit, crinibus tersit, ore osculum dedit, manu unxit, corde dilexit. Augustinus ³ : « Lacrymis irrigat, tergit crinibus, ungit unguento. » Quid miraris ? ⁴ « Terra dedit fructum suum. » Fructus autem non multiplicatur, nisi terra cordis, vel voluntatis, fuerit valde bona ⁵ : « Aliud vero cecidit in terram bonam. »

De tertio dicebat arbor fieri ⁶ : « Numquid possum dulcedinem meam deserere, fructusque suavissimos, ut inter cætera ligna promovear ? » Ita spiritualis homo dulces fructus bonæ vitæ non libenter deserit inter ligna sylvarum, id est, inter malos et infructuosos, quin in operibus promoveatur bonis. Bernardus ⁷ : « Gustato spiritu, desipit (a) omnis caro : affectanti cœlestia, terrena non sapiunt : æternis inhianti, fastidio sunt transitoria. » Considerandum autem est, quod fructus delectabilitas est ex colore, ex odore, ex sapore. Sed et fructus bonæ vitæ delectabilitas est ex colore pulchræ conversationis ⁸ : « Quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate (b) : » *aquarum*, id est, lacrymarum, vel adversitatum. Rosæ sunt martyres, quorum pulchritudinem in amore et sanctitate imitari debemus. Item ex odore bonæ opinionis ⁹ : « Flores mei (c), » id est, virtutes, « fructus odoris et honestatis » per effectum. Item ex sapore mellifluæ devotionis ¹⁰ : « Brevis in volatilibus apis, » etc. Sicut apis colligit fructum de floribus diversa-

rum arborum, sic et nos considerando et imitando virtutes diversorum sanctorum. Sed quidam non quaerunt flores, sed stercora, hic (d) hominum infirmorum ad trahendum (e).

De quarto ¹¹ : « Posui vos, » etc, usque « et fructus vester maneat. » Manere est durable esse, ut non cito putrescat per vitium, vel pereat, sicut fructus Ægypti; Psalmus ¹² : « Dedit ærugini fructus eorum, et labores eorum locustis : et occidit in grandine vineas eorum. » In ærugine luxuria, in locusta superbia, in grandine avaritia intelligitur. Si ergo vis fructum tuum manere, debes Ægyptum, id est, mundum fugere. Joannes Chrysostomus ¹³ : « Sicut difficile est arborem juxta

Exemplum.

SERMO IV (f) ¹⁴.

Qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum ¹⁵. Considerandum autem est, quod facientes Patris voluntatem, a Patre exaudiuntur in necessitate, Filio conjunguntur in familiaritate, a Spiritu sancto deducuntur in bonitate, a Trinitate admittuntur immortalitate.

De primo ¹⁶ : « Si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. » Ecce quando (g) cæcus illuminatus credit Jesum a Deo Patre pro sua illuminatione exaudiri ; sic nos pro illuminatione animarum nostrarum exaudimur, si Dei voluntatem facimus in fide : imo et in aliis necessitatibus nos exaudit. ¹⁷ « Det (h) vobis omnibus eorum unum, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem. » Sequitur : « Et faciat pacem, » quoad pec-

Paris. an. 1522. — ¹⁵ *Matth.*, vii, 21. — ¹⁶ *Joan.*, ix, 31. — ¹⁷ *II Mach.*, i, 3, 4.

(a) *Cæt. edit.* desipit. — (b) *Cæt. edit.* rosæ plantatæ... fructificatæ. — (c) *Item* martyrum. — (d) *Fortè leg* hoc est. — (e) *Item* detrahendum. — (f) *In cæt. edit.* habetur Dominie. viii, serm. iii. — (g) *Leg.* quomodo. — (h) *Cæt. edit.* Dat.

¹ *Coloss.*, i, 10. — ² *Luc.*, vii, 38. — ³ August. — ⁴ *Psal.* lxxvi, 7. — ⁵ *Marc.*, iv, 8. — ⁶ *Judic.*, ix, 11. — ⁷ Bern., *Ingoranno et Ivelæ Hel.*, inter epist. cxi, 3. — ⁸ *Ecclesi.*, xxxix, 17. — ⁹ *Ecclesi.*, xxiv, 23. — ¹⁰ *Ibid.*, xi, 3. — ¹¹ *Joan.*, xv, 16. — ¹² *Psal.* lxxvii, 16. — ¹³ Chrysost. — ¹⁴ Hunc habet quoque edit.

cata. ¹ « Si in via Domini ambulasset, habitasset (a) utique in pace super terram. » Sequitur ² : « Et reconcilietur vobis, » quoad seipsum, sicut pater reconciliatus fuit filio prodigo. Unde ³ : « Obsecramus vos pro Christo, reconciliamini Deo. » Sequitur ² : « Neque vos deserat in tempore malo, » quoad diabolum. Psalmista ⁴ : « Dominus non derelinquet eum in manibus ejus. »

De secundo ⁵ : « Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et mater, et soror est. » Voluntas Dei est, ut Deum timeas, Deum ac proximum diligas, caste et munde vivas, et sic de aliis virtutibus : ⁶ « Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. » Masculus faciens voluntatem Dei Patris, frater Christi est ⁷ : « Non confunditur fratres vocare eos, » etc. Fœmina faciens voluntatem Christi, soror est. ⁸ « Aperi, soror mea. » Frater Dei faciens voluntatem Dei, mater Christi est. Ipsum enim a Spiritu sancto concipit per fidem et amorem, et gestat in utero castitatis spiritualiter, sicut Maria mater corporaliter. Nihil tibi prodest, quod Maria Christum pro te gestavit in ventre, nisi tu Christum gestes in mente. Quid mirum, cum etiam de ipsa Maria dicat Augustinus ⁹ : « Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi prius Christum corde, quam carne gestasset. »

De tertio, Psalmista ¹⁰ : « Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, » etc. *Deducet* in conversatione bona et virtutibus. Psalmista ¹¹ : « Propter nomen tuum deduces me. » Glossa : « De virtute in virtutem. » Dei voluntatem facere non solum est hominis, sed etiam angelorum. Psalmista ¹² : « Benedicite Domino omnes angeli, » etc. Imo etiam Christi est facere voluntatem ejus ¹³ : « Ut faciam ejus voluntatem, qui

misit me. » Hanc maxime fecit pro peccatis moriendo ¹⁴ : « Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manibus ejus dirigetur. » Si ergo Christus voluntatem Patris fecit propter homines, quare miser homo non facit pro seipso? Ecce angeli Dei, et filii Dei faciunt voluntatem Dei; et tu, peccator, facis voluntatem diaboli! Ora, miser, et dic illud ¹⁵ : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo*, etc. Glossa : « Sicut in angelis, ita et in hominibus; vel sicut in Christo, ita et in Ecclesia; vel sicut in justis, ita in peccatoribus; vel sicut mente, ita in carne. »

De quarto dicitur hic ¹⁶ : *Qui fecerit voluntatem Dei*, etc., usque : *intrabit in regnum Dei*. Magna promissio. Sed, heu! quanta detrimenta facit homo sibi, faciendo voluntatem Domini sui temporalis pro quinque solidis, et nunquam facit voluntatem Domini Dei sui pro regno cœlorum, quod utique recipiet servus voluntatem Dei faciens. ¹⁷ « Ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus : scientes quod unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Deo. » Debet homo primo voluntatem Dei cognoscere; secundo, cognitam facere ¹⁸ : « Servus cognoscens voluntatem Domini sui, » etc.; tertio, pro facienda Dei voluntate, mala sustinere ¹⁹ : « Melius est enim ut beneficientes, si velit voluntas Dei, pati, quam maleficientes. » In tribulatione ergo consolatur hominem divinæ voluntatis consideratio exemplo Christi ²⁰ : « Pater mi, si non potest transire calix iste nisi bibam illum, fiat voluntas tua. » Ecce quale speculum patienti est Christus! Bernardus ²¹ : « Utrumque mihi, Domine, es, et speculum patiendi, et præmium patientis : utrumque fortiter provocat, et vehementer accendit. »

¹ Bar., III, 13. — ² II Mach., I, 3, 4. — ³ II Cor., V, 20. — ⁴ Psal. XXXVI, 33. — ⁵ Matth., XII, 50. — ⁶ I Thess., IV, 3. — ⁷ Hebr., II, 11. — ⁸ Cant., V, 2. — ⁹ Aug., *De sanct. Virginit.*, n. 3. — ¹⁰ Psal. CXLII, 10-11. — ¹¹ Psal. XXX, 4. — ¹² Psal. CII, 21. — ¹³ Joan., I, 31. — ¹⁴ Isa., LIII, 10. — ¹⁵ Matth., VI,

10. — ¹⁶ Ibid., VII, 11. — ¹⁷ Ephes., VI, 6. — ¹⁸ Luc., XII, 47. — ¹⁹ I Petr., III, 17. — ²⁰ Matth., XXVI, 42. — ²¹ Bern., in *Cant.*, serm. XLVII, n. 6.

(a) *Fulg.* ambulasset, habitasset.

DOMINICA VIII POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS¹.

*Vocavit illum, et ait illi : Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tue*². Dominus noster, justus iudex vivorum et mortuorum, in punitione cujuslibet peccatoris, qui nomine illius villici potest designari, eo quod peccator dissipator honorum Dei, more cujuslibet justis iudicis tria proponit in proposito : primo præmittit citationem ; deinde insinuat incusationem ; postremo exigit satisfactionem. Primo notatur citationis præmissio, cum dicit : *Vocavit illum, et ait illi*. Secundo, incusationis insinuatio, cum subdit : *Quid hoc audio de te?* Tertio satisfactionis postulatio, cum subinfert : *Redde rationem villicationis tuæ*.

Citat, sive vocat nos Deus, ut suam curiam cœlestis patriæ ire debeamus tripliciter : primo, verbo sanctæ prædicationis rationalem informantis ; secundo, beneficio continuæ administrationis concupiscibilem allicientis ; tertio, flagellis correctionis pœnitentiæ irascibilem deterrentis, ut qui insensibiles sunt, et nolunt erudiri per documenta, nec allici per beneficia, sensibiles deterreantur per flagella.

Primo vocat, sive citat nos Deus verbo evangelicæ prædicationis, ut illuminet ; unde³ : « Ite ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. » Per istas nuptias, secundum Glossam, signatur sacramentum incarnationis, per quod Deus Pater Filio suo Ecclesiam tanquam sponsam copulavit : ad quas nos vocat, dum suos prædicatores mittit, dicens : *Ite*, tanquam evangelici prædicatores, *ad exitus viarum*, ubi sunt errores gentium, et defectus actionum, secundum quod dicit Glossa ; *et quoscumque inveneritis*, id est, cujuscumque conditionis, quia⁴ « nulla est acceptio personarum apud

Deum, sed in omni gente, et in omni populo, et in omni conditione beneplacitum est illi : » *Vocate*, tuba evangelicæ prædicationis, *ad nuptias*, id est, ad mysterium fidei.

Secundo vocat nos Deus beneficio continuæ administrationis, ut alliciat ; unde⁵ : « Vocabis me, et ego respondebo tibi ; operi manuum tuarum porriges dexteram. » Vocat Deus, cum muneribus prævenit, et (a) collatis beneficiis, quasi emissis vocibus, ad se ducere studet. Respondet enim homo, quando digna opera juxta percepta munera reddere festinat, eo quod misericors Deus operi manuum suarum, id est, homini formato manu suæ potentiæ, porrigit dexteram suorum beneficiorum. Nam cœlum fecit ad dandam ei lucem in die, ut ibi operaretur, tenebras in nocte, ut quiesceret, et utilem vicissitudinem temporum. Aerem fecit ut præberet ei utilem calorem, et omne genus avium ad suum servitium ministraret. Aquam fecit, ut potum sibi tribueret, et sordes sibi purgaret, arentia irrigaret, et diversitatem piscium ad suum esum nutriret. Terram fecit, ut eum portaret, pane confortaret, et vino lætificaret. Totus mundus servit homini, quia factus est pro homine, ut ipse serviat ei, qui fecit mundum et hominem. Ergo sentis beneficium continuæ administrationis : redde debitum bonæ operationis ; alioquin de ingratitude juste poteris argui.

Tertio vocat flagello correptionis, ut deterreat ; unde⁶ : « Exi in vias (b) et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico enim vobis, quia nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cenam meam. » *Exi in vias (b)*, ubi sunt diaboli tentamenta, secundum Glossam, *et sepes*, ubi sunt inutilia incitamenta vitiorum, *et compelle intrare*, infirmitatibus et calamitatibus præsentis vitæ. Et hoc est, quod dicit Glossa⁷ : « Qui enim hujus mundi adversitatibus fracti (c) ad amorem Dei redeunt, et (d) a præsentis vitæ desideriis corriguntur,

¹ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ² *Luc.*, xvi, 2. — ³ *Matth.*, xxiii, 9. — ⁴ *Act.*, x, 34, paucis mutatis. — ⁵ *Job*, xiv, 15. — ⁶ *Luc.*, xiv, 23. — ⁷ Gloss. ex Bed. in *Luc.*, lib. IV, c. 60.

(a) *Cæt. edit.* ut. — (b) Item *vicos*. — (c) *Ita apud Bed. Cæt. edit.* contracti. — (d) *Cæt. edit.* deest et. —

quid (a) nisi compelluntur ut intrent (b)? *Ut impleatur domus mea coelestis patriæ. Dico autem vobis quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Glossa : « Quidam vocantur, et contemnunt, quia donum intellectus accipiunt, sed opere non implent : et talibus, qui insensibiles sunt ad documenta et beneficia, bonum est, ut frangantur infirmitatibus, adversitatibus, et hujusmodi, ut quos præsens vita, sive Ægyptus, secundum Gregorium ¹, « oppressit blanditiis, adjuvet premens; et dum Deus vocat, cruciatus impellat, » quia dum affligit, expedit. Nam dum violentiam ingerit, festinare ad superna compellit. Unde dum populus Israeliticus a Moyse vocabatur, a Pharaone affligebatur, ut videlicet alter vocando traheret, alius sæviendo impelleret. « Felix, inquam, talis necessitas, quæ ad meliora compellit, » secundum beatum Augustinum ².

Secundo in verbo proposito notatur incusationis insinuatio, cum subdit : *Quid hoc audio de te?* quasi dicat : Valde graviter incusatus es mihi. Nam *audio de te* (c) primo arrogantiam (d) detestabilis inobedientiæ contemnentis celsitudinem immensæ potentiae; unde in Psalmis ³ : « Averterunt se, et non servaverunt pactum, quemadmodum patres eorum, conversi sunt in arcum prævum. In ira concitaverunt eum in collibus suis, ad æmulationem provocaverunt. Audivit Dominus, et sprevit, et ad nihilum redegit valde Israel. » Ecce quod isti maligni et inobedientes ad nihilum redacti sunt in conspectu Dei; timentes autem Dominum, et obedientes ejus præceptis, tanquam amicos glorificat, et exultat ad magnificentiam amicitiae et amoris in præsentibus, quantum ad dona gratiæ; et in futuro, quantum ad donum gloriæ. Unde homo, nisi obediat Deo humiliter, nunquam dignus est ab eo honorari; imo pro nihilo tanquam stercus reputari. O amabilis virtus, mansuetudo obe-

dientiæ, quæ humiles ad tantam nominis excellentiam sustollit, ut potius Dei amici, quam famuli denominentur! Et o detestabile vitium, arrogantia inobedientiæ, quæ de angelo fecit diabolum, de innocente peccatorem!

Secundo *audio de te* malevolentiam impietatis et invidiæ, effundentis sanguinem humanæ naturæ; unde ⁴ : « Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt. Rex cum audisset iratus est, et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos. » *Reliqui* non tantum contempserunt venire ad fidem; imo tenuerunt servos Dei apostolos, et contumeliis affectos occiderunt. *Rex autem cum audisset* vocem sanguinis ad se clamantis de terra, *iratus est*, id est, secundum Glossam, cum tranquillitate judicans in ultionem exarsit, *et missis exercitibus suis* Romanis sub Tito et Vespasiano, sicut dicit Glossa, *perdidit homicidas illos, et civitatem illorum*, scilicet Jerusalem, *succendit*. « Cum Jerusalem inde sit constructa extra portam, ubi Deus crucifixus fuit, apparet illam Jerusalem ex toto fuisse incensam et destructam, » secundum quod dicit Glossa ⁵ super illud ⁶ : *Non relinquent in te lapidem super lapidem. Vel missis exercitibus suis*, id est angelis, secundum Glossam, per quos iudicium exercebit, *perdidit homicidas*, id est sanctos persequentes, *et civitatem succendit*, id est, carnem, in qua habitavit (e), in gehenna cremabit.

Tertio, *audio de te* demulcentiam carnalis lasciviæ subvertentis imaginem divinæ essentiae; unde in Psalmo ⁷ : « Tentaverunt Deum, ut peterent escam animabus suis; » et sequitur : « Ideo audivit Dominus, et distulit : et ira succendit (f) in Jacob, et ira Dei in Israel. » Judæi carnales et gulosi, statim ut passi sunt famem, appetierunt esse in terra Ægypti super ollas carniū : nec adhuc suffecit eis peccare peccato gulæ, concupientis

¹ Gregor., *Moral.*, lib. XXVI, c. XIII, al. IX, n. 21. — ² Aug. — ³ *Psal.* LXXVII, 63-66. — ⁴ *Matth.*, XII, 6-7. — ⁵ Gloss. ex Bed. in *Luc.*, lib. V, c. 80. — ⁶ *Luc.*, XIX, 34. — ⁷ *Psal.* LXXVII, 22, 26.

(a) *Cat. edit.* quia non. — (b) *Item* compulsi intrant. — (c) *Cat. edit.* deest *te*. — (d) *Cat. edit.* arrogantium. — (e) *Suppl.* anima. — (f) *Vulg.* ignis accensus est.

carnalia delectamenta Ægypti; imo *apposuerunt adhuc peccare ei* peccato diffidentia et blasphemia, *male loquentes de Deo*, quod non posset eis *parare mensam in deserto. Ideo audivit Dominus* hanc vocem, et displicuit; sed tanquam misericors *distulit*, disponens omnia suaviter, quousque escæ essent *in ore eorum*, ut experirentur nihil esse impossibile apud Deum; et postea, tanquam justus, punivit eos, cum *ira Dei* descendit super eos. Vere gulosi, *quorum Deus venter est*¹, tanto impetu ad cibum bestialiter feruntur, ut nihil cogitent de Deo, sed tantummodo quomodo possint (a) suum ventrem colere et adimplere, *quorum gloria in confusione*¹ est, propter rancoris subversionem.

Tertio in verbo proposito notatur satisfactionis postulatio, cum subinfert: *Redde rationem villicationis tuae*. Postulat Dominus satisfactionem, ut quilibet reddat rationem principaliter de tribus: primo, de immundis cogitationibus cordis; secundo, de vanis, et duris sermonibus oris; tertio, de malis et pravis maleficiis operis.

Primo homo tenetur reddere rationem de immundis et perversis cogitationibus cordis; unde²: « Omnes astabimus ante tribunal Christi; » et sequitur: « Unusquisque nostrum reddet rationem pro se Deo. » Quis enim non timebit stare ante tribunal istius iudicis, qui scrutatur cogitationes, ponderat affectiones, examinat intentiones, et quærit de perversis cogitationibus, immundis affectionibus, et malis intentionibus rationem, eo quod nulla ipsum latet cogitatio? Certe tunc latere erit impossibile, apparere intolerabile. Charissimi, si nolumus timere stare ante tribunal tanti iudicis, habeamus cor nostrum mundum et purum, ut sit absque tumore superbiæ, absque livore invidiae, absque ardore avaritiæ, absque torpore acediae, et ut brevis dicam, absque omni voluntate peccandi.

Secundo reddere debet homo rationem de

otiosis et criminosis verbis oris; unde³: « De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem Deo (b) in die iudicii: ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. » Illud est verbum otiosum secundum Glossam, quod sine utilitate loquentis dicitur, aut audientis: ut de frivolis et fabulis. Unde si de verbo otioso reddet rationem, quanto magis de verbis criminosis? Certe ex verbis bonis homo justificabitur, et ex verbis malis homo condemnabitur: quia « mors et vita in manu linguæ, » secundum Salomonem⁴. Si nolumus condemnari ex verbis nostris in die iudicii, habeamus in ore nostro verba dulcia, non dura; humilia, non superba; edificatoria, non criminosa et detractoria.

Tertio debet homo reddere rationem de pravis maleficiis operis. Unde in Symbolo Athanasius⁵: « Omnes resurgere habent cum corporibus suis, et redditori sunt de factis propriis rationem. » Et in verbo proposito: *Vocavit illum, et ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuae. Vocavit illum*, quando timorem incutit æternæ damnationis, secundum Glossam. *Et ait illi*, dictante conscientia: *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuae*: id est, secundum Glossam, cogita, dum vivis, qualiter debeas operari, ut evadas pœnas æternas. Ideo enim tempore mortis non poteris villicare, id est, operari ad satisfaciendum. Rogemus, etc.

SERMO II⁶.

*Redde rationem villicationis tuae*⁷. Villicus Domini est omnis homo, cui bona sua naturalia, vel temporalia, commisit dispensare, de quibus oportet Deo rationem reddere. Reddenda est autem de tribus, videlicet, de malorum commissione, bonorum omissione, de subditorum commissione. De primo⁸: « De omni verbo otioso, quod lo- Vigil. Taps. — ⁶ Hunc et seq. usque ad Dom. IX, serm. IV exclusive, habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁷ Luc., XVI, 2. — ⁸ Matth., XII, 36. (a) *Carl. edit.* possent. — (b) *Vulg.* de eo.

¹ Philip., I, 19. — ² Rom., XIV, 10, 12. — ³ Matth., XII, 36-37. — ⁴ Prov., XVIII, 21. — ⁵ Imo, ut videtur,

cuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicii. » O Domine Deus! si reddemus rationem de levibus verbis, quid erit de gravibus factis? si de quadraginta, quid erit de mille marchis, vel decem millibus? ¹ « Cum cœpisset rationem ponere, oblatuſ est ei unus qui debebat decem millia talenta. » Talentum enim est pœnitentia, vel satisfactio, quam ſolvere tenentur pro peccato. Unde decem millia talenta, ſunt condignæ ſatisfactiones pro decem mandatorum multiplicibus transgreſſionibus. De his decem millibus dicitur ²: « Aman promiſit decem millia talenta, ut populus Dei interficeretur. » O miſer homo, tu proximos interficis corporaliter, non ſolum faciēdo, vel conſentiēdo, ſed etiam ſubtrahēdo. Auguſtinus ³: « Paſce fame morientem: ſi non pavisti, occidiſti. » Item interficis ſpiritualiter, ad peccatum mortale quomodolibet inducēdo: Pſalmiſta ⁴: « Interficiſti univerſi voſ, » etc. Auguſtinus ⁵: « Qui in conſpectu alterius male vivit, quantum in illo eſt, illum, a quo attenditur, occidit. » Aman diabolum ſignificat: Interpretatur enim *iniquus in culpa*, vel *comprimens in pœna*. Ut ergo ſecure occidas, ſecure male facias. Aman, id eſt diabolum, pecuniam promittit, quando te ſub ſpe futuræ ſatisfactionis peccare facit; et promittit decem millia, quando de omnibus Decalogi transgreſſionibus te ut ſecure pecces, de futura pœnitentia et miſericordia præſumere facit. Gregorius ⁶: « Diabolum modo (a) aliorum facit graviora, » etc. Require in ſermone ſupra ⁷: *Princeps mundi*, etc.

De ſecundo dicitur hic: *Redde rationem villicationis tuæ*. Bona in corpore, vel in anima, vel in rebus tibi commiſſis, quorum non eſt hæres, vel dominus, ſed villicus, debes ad voluntatem Domini diſpensare. Qui enim vires corporis, vel ſenſus animæ, vel res, vel tempus, vel huiusmodi male expendit, bona Domini diſſipat. Bene dixi: *vel*

¹ *Matth.*, XVI, 24. — ² *Eſth.*, III, 9. — ³ Imo Anbr., *de alend. pauper.*, lib. qui deſideratur, citat. apud Gratian., diſt. 86, c. 21. — ⁴ *Pſal.*, LXI, 4. — ⁵ Aug. — ⁶ Greg., *Poſtor.*, part. III, c. 29. — ⁷ Vid.

tempus. Sicut enim de omni verbo otioſo, ita de omni tempore, homo rationem reddet Deo. Anſelmus ⁸: « Exigetur a te uſque ad momentum omne tempus vivendi tibi impenſum, qualiter fuerit expenſum. » Sed, heu, Domine Deus! timendum eſt: non ſolum rationem reddemus de bonis diſſipatis, ſed etiam de lucris bonorum neglectis. ⁹ « Venit Dominus ſervorum illorum, et poſuit rationem cum eis, » etc., ubi ſubjungitur, quod ille damnatus eſt, qui cum talento ſibi tradito nihil lucratus eſt. Quinque ergo talenta ad lucrandum data ſunt nobis, videlicet naturæ, fortunæ, potentiæ, ſcientiæ et gratiæ. Donum fortunæ dico divitias. De his talentis ſuperbire, tam ſtultum eſt, ac ſi homo de hoc ſuperbiret, quod eſſet multis debitis obligatus, cum potius de hoc deberet humiliari. Gregorius ¹⁰: « Cum augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum. Tanto ergo eſſe humilior, » etc.

De tertio ¹¹: « Obedite præpoſitis veſtris, et ſubiacete eis. Ipi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. » O quam graviffimam rationem pro animabus reddent prælati! quia pro anima neglecta ¹²: « Custodi virum iſtum: qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima ejus. » Non ſolum autem eccleſiaſtici, ſed etiam mundani iudices rationem reddent pro omnibus animabus injuſte perditis, imo de omnibus iudiciis et factis ſuis. Unde bene dicitur ¹³ quod tres principes erant in regno, quibus ſatrapæ debebant reddere rationem. Principi ſacerdotali ratio redditur in confeſſione; principi univerſali, in extrema examinatione; principi infernali, in extrema quadrantis exactione. Et certe non ſolum iudices, imo et quilibet homo reddet rationem de omnibus animabus per eum ſeductis et perditis, et præcipue pro anima propria ¹⁴: « Unuſquiſque pro ſe reddet rationem. »

ſup., Dom. III, poſt Paſch. ſerm. II, pag. 254, col. 2. — ⁸ Anſelm. — ⁹ *Matth.*, XXV, 19 et ſeq. — ¹⁰ Greg., in *Evang.*, hom. IX, n. 1. — ¹¹ *Hebr.*, XIII, 17. — ¹² III *Reg.*, XX, 39. — ¹³ *Dan.*, VI, 2. — ¹⁴ *Rom.*, XIV, 12.

(a) *Cœl. edit.* malorum.

SERMO III.

Facite vobis amicos ¹, etc. Quadruplicem amicum habet homo, scilicet Deum, angelum, hominem, diabolum. Habet homo amicum Deum creatorem, angelum dirigentem, hominem, id est, pauperem exorantem, dæmonem persequentem.

De primo ²: « Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem. » O quanta dignatio, quod Rex vult esse amicus pauperis servi! Vere fidelis amicus rex, qui haberet servum leprosum, vel phreneticum, qui curari non posset, nisi in sanguine regali balnearetur, et tunc rex pro ipso sanguinem suum usque ad mortem effunderet: maximus amicus esset hic. Ita pro peccatoribus lepra vitiorum infectis, et coram Deo phreneticis, fecit Rex æternus, fidelis amicus, ut medicamentum eis esset, non vitæ temporalis, sed spiritualis et æternalis. Unde ³: « Amicus fidelis medicamentum vitæ et immortalitatis. » Augustinus ⁴: « Fusus est sanguis medici, et factum est medicamentum phrenetici. »

De secundo, Dominus ad sponsam, scilicet fidelem animam, ait ⁵: « Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam. » Hortus iste Ecclesia est; unde de grano sinapis dicitur ⁶: « Quod acceptum homo misit in hortum suum, et factum in arborem magnam, et volucres cæli requiescebant sub ramis ejus. » In horto jam, heu! infructuosæ herbæ et plantæ nimis accrescunt, quæ utique extirpatæ in ignem mittuntur (a) ⁷: « Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum. » Granum sinapis est Christus, parvum quidem humilitate, sed efficax virtute: quia jam in fide credentium arbor magna facta est, cujus rami sunt exempla et opera quæ exhibuit pro salute nostra: in quibus volucres cæli, id est, animæ fidelium, per

contemplationem et amorem requiescunt. O quam dulciter in hoc horto istæ volucres, prædicando, orando, suspirando, laudando cantant! Amici sunt auscultantes angeli, qui in tam dulci cantu psallentium delectantur. Bernardus ⁸: « Intersunt angeli cantantibus, adsunt orantibus, insunt meditantibus, supersunt quiescentibus, ordinantibus, et procurantibus præsentibus (b). » Ii amici quanto magis dulcem cantum, et dulciora orationum verba a nobis audiunt, tanto magis amici nostri fiunt ⁹: « Verbum dulce multiplicat amicos. » Unde ipsi, tanquam amici, in morte nostra conveniunt ad exequias. Amici enim corporales corpus ad sepulcrum, infernales animam injustam ad infernum, cælestes vero justam ad regnum cæleste deportant ¹⁰: « Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. »

De tertio amico multa dici possent, quia infidelis et fidelis amicus homo invenitur. Sed de illis amicis ad præsens videamus, de quibus hic Dominus ait: *Facite vobis amicos*, etc. Isti sunt pauperes, quos de mammona iniquitatis, id est, de divitiis temporalibus nobis amicos facimus, cum eis in temporalibus subvenimus ¹¹: « Divitiæ addunt amicos plurimos; a paupere autem et ii, quos habet, separantur. » Videte autem vos, divites, quare pauperes amicos debetis facere: ideo utique, *ut* ¹² *cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Honorandi ergo sunt tales receptores. Bernardus ¹³: « Si patrimonium elemosynis emitur, pauperes non sunt solum audiendi ut egeni, sed ut patroni exorandi. » Sed certe quilibet secundum suas vires dando lucratur hos amicos ¹⁴: « Ante mortem benefac amico tuo, et secundum vires tuas exporrigenis, da pauperi. » Hoc patet in dimidio honorum Zachari, et in calice aquæ frigidae.

¹ Luc., XVI, 9. — ² Prov., XXII, 11. — ³ Eccli., VI, 16. — ⁴ Aug., de verb. Apost., serm. IX, al. CLXXV, n. 3, quoad sensum. — ⁵ Cant., VIII, 13. — ⁶ Luc., XIII, 19. — ⁷ Matth., XIII, 30. — ⁸ Bern., ad Suger.,

epist. LXXVIII, n. 6. — ⁹ Eccli., VI, 5. — ¹⁰ Luc., XVI, 12. — ¹¹ Prov., XIX, 4. — ¹² Luc., XVI, 9. — ¹³ Bern. — ¹⁴ Eccli., XIV, 13.

(a) Leg. mittuntur. — (b) Ita apud Bern. Cat. edit. prosunt.

De quarto ¹ : « Omnis amicus fraudulentè incedet. » Amicus peccatoris est diabolus. Ambrosius ² : « Sicut amat gulosus porcellum ut comedat, sic diabolus animam peccatorum ut perdat. » Vere fraudulentus esset amicus, qui amico propinaret venenum pro vino : hoc utique facit diabolus peccatori. ³ « Væ qui potum dat amico suo miscens fel suum et inebrians, ut aspiciat nuditatem ejus. » Miseri peccatores in vino momentaneæ voluptatis bibunt fel ⁴ : « Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile. » Inebriat autem diabolus animam, ut aspiciat nuditatem ejus. Cum enim vestibus virtutum in vita, et in morte vestimento corporis exiit, tunc omnino anima nuda aspicitur. Istum nobis de mammona iniquitatis facimus amicum, pauperibus subtrahendo ; angelos vero et ipsos pauperes nobis facimus amicos, pauperibus erogando.

SERMO IV.

Facite vobis amicos ⁵, etc., usque : *recipiant vos in æterna tabernacula*. Tabernacula autem sunt mansiones, de quibus ⁶ : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt. » Recipiuntur autem homines ad mansiones cœlestes per veram afflictionem, per inflictam tribulationem, per piam erogationem, per sinceram dilectionem.

De primo ⁷ : « Et statim receptum est vas in cœlum. » Vas istud, sicut ibidem dicitur ⁸, erat « quasi linteam magnum, in quo erant quadrupedia et serpentina, et volatilia, » quod ostensum est Petro, et receptum est in cœlum. Linteam, quod de lino tusionibus et laboribus multis fit, significat pœnitentiam multo labore corporis, et tusione agendam. Bernardus ⁹ : « Si vis agere pœnitentiam, punire debes membra, corpus affligere, judicare teipsum, ut non incidas in manus Dei viventis. » Sed quidam faciunt pœnitentias laboriosas, qui non omnino relinquunt con-

suetudines pravas. Ideo bene dicitur ¹⁰ : « Multo sudatum est labore, et non exivit de ea, » id est, de anima ejus, « minima rubigo. » Ter autem linteam ostensum dicitur, quia in contritione, confessione, satisfactione pœnitentiam agitur. Quadrupedia vero avaros, serpentina luxuriosos, volatilia superbos significant. Ili omnes in cœlum recipiuntur, quotquot in linteo pœnitentiæ continentur. Augustinus ¹¹ : « Animæ sanctæ, quæ in hoc sæculo, aut per vitæ innocentiam puræ sunt, aut per pœnitentiæ satisfactionem purgantur, et a Salvatore nostro recipiuntur. »

De secundo nota, quod cum Tobias flagellatus esset captivitate, et cæcitate, et specialiter uxoris importunitate, dicit ¹² : « Nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum misericordiam, et præcipe. » Revera enim per tribulationem recipitur homo ad æternam consolationem ¹³ : « Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. » ¹⁴ « Hi sunt, qui venerunt de tribulatione. » Sed quis in vitam æternam recipitur, nisi qui in vita transitoria cum Lazaro mala recipit ? Ecce angeli ¹⁵ : « Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur, » etc. Imo certe a Deo recipitur, qui cum Stephano lapidatur. ¹⁶ « Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum. » Recipiuntur autem in pace, qui cum hostibus animæ, et vitiis pacem non habent viventes ; qui autem cum hostibus animæ, et vitiis pacem habent viventes, pace carebunt morientes ¹⁷ : « Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi ; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te. etc. » Nota quod post malam pacem inimici nostri dæmones in morte *circumdabunt*, exitum observando ; *coangustabunt*, spiritum rapiendo ; *prosternent*, in inferno detrudendo.

¹ Jerem., xv, 4. — ² Ambros. — ³ Habac., ii, 15. — ⁴ Deut., xxxii, 33. — ⁵ Luc., xvi, 9. — ⁶ Joan., xiv, 2. — ⁷ Act., x, 16. — ⁸ Ibid., ii, 12. — ⁹ Bern.

— ¹⁰ Ezech., xxiv, 6. — ¹¹ Aug. — ¹² Tob., iii, 6. — ¹³ Act., xiv, 21. — ¹⁴ Apoc., vii, 14. — ¹⁵ Luc., xvi, 22. — ¹⁶ Act., vii, 58. — ¹⁷ Luc., xix, 43-44.

De tertio dicitur hic : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, de divitiis, quæ inique acquiruntur; vel inique, id est non æque dispensantur, cum indignus plus, vel minus abundet, vel quilibet, ut dicit Glossa : Mammon perdet, ut per eas deperdantur homines¹. *Cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Ecce non gratis pauperi elemosynam dedisti, sed hospitium æternum tibi conduxisti. Augustinus² : « Præbe tectum, et accipe cælum : præbe calicem aquæ frigidæ, et accipe torrentem voluptatis æternæ. » Recipe ergo pauperes, ut recipiaris ab eis. Quando enim pauperem recipis, forsitan recipisti eum, qui te recipiet in æterna tabernacula.³ « Hospitalitatem nolite oblivisci, » etc. Vel forsitan recipisti Deum⁴ : « Hospes eram, et collegistis me. » Exemplum de quodam patrefamilias, de quo scribit Gregorius in homilia secundæ feriæ post Pascha⁵.

De quarto⁶ : « Qui receptus es in turbine igneo, in curru equorum. » Currus igneus in quo receptus est Elias⁷ in paradysum, est charitas, sine qua nemo in cælum recipitur. Augustinus : « Invidere fas non est eis, quæ ita perfecta sunt, (a) a sponso recipiantur. » Currus autem charitatis quatuor rotas habet. Prima est amor Dei⁸ : « Diliges Dominum Deum tuum, » etc. Secunda, amor tui : Si quis non amat seipsum, etc. (b) Certe⁹ qui diligit iniquitatem, odit animam suam, » etc. Tertia amor amici¹⁰ : « Diliges amicum tuum sicut teipsum. » Quarta amor inimici¹¹ : « Diligite inimicos vestros. » Quicumque aliqua harum rotarum carneris, in cælum pergere non poteris.

DOMINICA IX POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS.

*Cum appropinquaret Jesus Jerusalem, videns civitatem, flevit super illam*¹², etc. Do-

¹ Locus corruptus. — ² Aug. — ³ *Hebr.*, xii, 2. — *Matth.*, xxv, 35. — ⁴ Greg., in *Evang.*, hom. xxiii, 2. — ⁵ *Ecl.*, xlvi, 1, 3. — ⁶ *IV Reg.*, ii, 11. — *Deut.*, vi, 5. — ⁷ *Psal.*, x, 6. — ⁸ *Levit.*, xix, 18. —

minus Jesu exemplo et verbo ad fletum nos provocat. Exemplo, quia ipse flevit in præsepio. Hinc de Christo Salvatore nostro cantat Ecclesia¹³ :

Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia;

Et hic super civitatem, et super Lazarum mortuum, et in cruce¹⁴ : « Cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. » Verbo, quia dicit¹⁵ : *Quia si cognovisses et tu*, subauditur : fleres. Unde interlinearis : « Quasi flevisses, quæ modo exultas. » Flente ergo Domino pro nobis, omnes cum ipso flere debemus. Flendum autem est pro culpa, ut ignoscatur; pro gratia, ut obtineatur; pro miseria, ut evadatur; pro patria, ut ad eam veniatur.

De primo¹⁶ : « Egressus foras, flevit amare. » Si Petrus pro trina negatione tam amare flevit, quanto plus tu pro mille negationibus flere debes! Quoties enim mortaliter peccasti, toties opere Deum negasti¹⁷ : « Confitentur se nosse Deum; factis autem negant. » Sed quia parum valet fletus oculorum sine conversione morum, ideo dicitur¹⁸ : « Nunc ergo in toto corde vestro convertimini ad me, dicit Dominus, in jejuniis et fletu, » etc. Certe qui esset in domo undique ardenti, instantissime laboraret eam aquis extinguere; quanto magis, o stulte homo, cum cor tuum, anima tua ardeat flammis vitiorum, extinguere debes aquis fletuum! ¹⁹ « Super montem assumam fletum, et super speciosa deserti planctum, quia igne succensa sunt. » Montes sunt prælati et potentes. Desertum est religio vel Ecclesia, ejus speciosa sunt bona opera, boni mores : quibus illi assimilantur, de quo Psalmista dicit²⁰. « Speciosus forma, etc. Sed stultus homo mortem carnis alienæ deflet, non mortem animæ propriæ. Augustinus sic ait : « Culpabiliter

¹³ *Luc.*, vi, 35. — ¹⁴ *Luc.*, xix, 41. — ¹⁵ Hymn. in Dom. Pass. ad Noct. — ¹⁶ *Hebr.*, v, 7. — ¹⁷ *Luc.*, xix, 42. — ¹⁸ *Matth.*, xxvi, 75. — ¹⁹ *Tit.*, i, 16. — ²⁰ *Joel.*, ii, 12. — ²¹ *Jerem.*, ix, 10. — ²² *Psal.*, xliv, 3.

(a) Forte leg. perfectæ sunt, ut. — (b) Leg. quis non amat seipsum?

se durum ostendit, qui damna temporalium, vel mortem amici deflet, et non dolorem peccati ostendit per lacrymas. »

De secundo ¹: « In fortitudine sua directus est cum angelo, et invaluit ad angelum, et confortatus est, et flevit, et rogavit illum. » Verbum illud dicitur de lucta, per quam Jacob obtinuit benedictionem ab angelo, sicut legitur ². Jacob, id est, quilibet fidelis, cum Angelo magni consilii, id est, Christo luctatur, quando insistit desideriis, et exercitiis spiritualibus ad virtutes et devotionem se disponit. Si autem in luctando, vel rogando, fleverit, benedictionem gratiæ obtinere poterit. Quam non solum boni, qui per Jacob, sed mali, qui per Esau significantur, deflendo obtinent ³: « Cumque ejulatu magno fleret, motus Isaac dicit ad eum: In pinguedine terræ et rore cœli desuper erit benedictio tua. » Isaac significat Christum; pinguis terra, bonam voluntatem; ros cœli, gratiam Spiritus sancti. Vides ergo quomodo fletu vincatur Deus. Unde de lacryma ait Bernardus: « Accusantibus iniuriis, » etc. Require in sermone: *Qui lotus est* ³, etc.

De tertio, enumeratis multis miseriis, dicitur ⁴: « Facies mea intumuit fletu, » etc. Est autem miseria triplex deflenda, videlicet corporalis, propria, et aliena. Unde cum flente Susanna ⁵ flebant omnes, qui novebant eam. » ⁶ « Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, » etc. Si autem fles cum flente proximo, quanto magis flere debes cum flente Christo, qui etiam pro te flevit in patibulo! Bernardus: « Flevit Christus in cruce, » etc. Require in sermone ⁷: *Colligite*, etc. Item deflenda est miseria spiritualis; quod hic significatur in fletu Domini, cum dicitur: *Videns civitatem*, etc. Civitas enim Dei, vel diaboli, est homo qui patitur omnia spiritualiter, quæ hic dicuntur de Jerusalem corporaliter. Item æternalis ⁸: « Recedite a

me, amare flebo: dies occisionis, et conculcationis, et fletuum occisorum, » scilicet per mortem æternam. Conculcantur corpora in sepulcro a transeuntibus; animæ in inferno, a dæmonibus; in iudicio autem, simul utraque a sanctis triumphantibus ⁹: « Conculcabitis (a) impios, » etc.; et maxime a Christo, Psalmus ¹⁰: « Ponam inimicos scabellum pedum tuorum. » Hujus triplicis miseriæ pericula miser homo nascendo incurrit: unde bene flendo nascitur. Augustinus ¹¹: « Quid est quod infantia (b) non a risu, sed fletu orditur hanc lucem? Quod malorum vallem ingressa sit, prophetat quodam modo. »

Homo
cur stendo
nascatur.

De quarto, Psalmus ¹²: « Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus. » Flumina Babylonis sunt mundi concupiscentiæ, vel miseriæ. Sion interpretatur *speculum*, vel *speculatio*, et significat patriam, in qua æterna speculatio est Trinitatis, pro qua merito flent exules. Psalmus ¹³: « Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est. » Bernardus ¹⁴: « Futura non sapis, neque gaudia concupiscis, si non quotidie postulas ea cum lacrymis. » Et nota, quod sicut per aquas quilibet in navi facilliter ducitur ad terram, sic in navi pœnitentiæ per aquam fletuum, per torrentem lacrymarum, adducitur quis ad patriam cœlestem ¹⁵: « In fletu venient, et in misericordia reducam eos per torrentem aquarum in via recta, et non impingent. »

SERMO II.

Si cognovisses et tu ¹⁶. *Et tu*, subaudit: fleres. Quadruplex cognitio te, miser homo, ad fletum debet provocare. Si enim cognosceres in transgressione peccati fœditatem, retributionis æquitatem, redemptionis charitatem, resolutionis sive mortis calamitatem, bene flere deberes.

De primo, Psalmus ¹⁷: « Iniquitatem meam ego cognosco. » O peccator, cognosce, sicut

¹ Ose., xii, 3. — ² Gen., xxxii, 26-29. — ³ Gen., xxvii, 38. Vid. sup., in *cæn. Dom.*, serm. iii, pag. 195, col. 2. — ⁴ Job, xvi, 17. — ⁵ Dan., xii, 37. — ⁶ Job, xxx, 25. — ⁷ Vid. sup., in *Parasc.*, serm. vi, pag. 207, col. 1. — ⁸ Isa., xlii, 4, 5. — ⁹ Malac., iv, 3.

— ¹⁰ Psal. cix, 1. — ¹¹ Aug., de *Civit. Dei*, lib. XXI, c. xiv. — ¹² Psal. cxxxvi, 1. — ¹³ Psal. cxix, 5. — ¹⁴ Bern. — ¹⁵ Jerem., xxxi, 9. — ¹⁶ Luc., xix, 42. — ¹⁷ Psal. l, 5.

(a) *Vulg.* calcabit. — (b) *Cæt. edit.* anima.

David, iniquitatis tuæ gravitatem. Psalmus¹: « Sicut onus grave, » etc. Item multiplici-
tatem; Psalmus²: « Multiplicatæ sunt super
capillos capitis mei. » Peccavi super nume-
rum arenæ maris. Item fœditatem, quia pu-
tredo est omnis iniquitas; Psalmista³: Pu-
truerunt et corruptæ sunt cicatrices, etc.
Cicatrices sunt vulnera. Glossa: « Vulnera
sanata sunt per baptismum, vel per pœni-
tentiam; quæ putrescunt, cum peccato ite-
rum consentitur. O quam fœda et fœtida est
coram Deo peccatorum putrefactio! Augu-
stinus⁴: « Tam tolerabilis canis putridus
fœtet hominibus, quam anima peccatrix
Deo. » Necesse certe est quod homo cogno-
scat peccata sua: quomodo enim inimicitia
pacificarentur, quomodo morbi sanarentur,
si non esse cognoscerentur? Sic certe pacem
cum Deo, cum Angelis, et quandoque cum
hominibus, et curationem animæ, et quan-
doque corporis, consequi non potes, nisi
cognoscas per contritionem, per confes-
sionem peccata tua⁵. « Expectavimus pa-
cem, et non erat; bonum tempus medelæ,
et ecce formido: peccavimus enim Domino. »
O si peccata tua cognosceres, quantum cum
Petro flere posses!⁶ « Egressus foras, flevit
amare. » Augustinus⁷: « Qui se cognoscunt, »
etc. Require supra⁸ in sermone: *Est puer
unus hic*, etc.

De secundo, Psalmus⁹: « Cgnovi, Do-
mine, quia æquitas judicia tua. » Illa utique
judicia, de quibus ille qui (a) habebat « dia-
demata multa, et gladium ex utraque
parte acutum, » commendatur, cum dicitur¹⁰: « Cum justitia pugnat et judicat: » ju-
stum judicium, cum diademate coronare
bonos, gladio ferire, et pugnare contra ma-
los. Cognosce, miser homo, judicia Dei nunc
in mundo salubriter, ne in judicio cognoscas
tunc inutiliter. Bernardus¹¹: « Cognosecetur
certe Dominus judicia faciens, qui nunc igno-

ratur misericordiam quærens. » O si pecca-
tor Dei cognosceret judicium, quo fletu flere
posset? Unde de mundo, aut de anima pee-
catrice, sub figura Babylonis, sic dicitur¹²:
« Quam (b) flebunt et plangent super illam re-
ges terræ, dicentes: Væ, væ, væ, civitas illa
magna Babylon, quoniam in una hora venit
judicium tuum. » *Væ* pro peccato cordis;
væ pro peccato oris; *væ* pro peccato operis.
Melius esset hic flere, quam æternaliter.¹³
« Ibi erit fletus et stridor dentium. »

De tertio¹⁴: « In hoc cognovimus charitatem
Dei, quoniam ipse pro nobis animam suam
posuit. » Sicut enim Jonas animam suam
posuit, ut alii salvarentur in navi; sic Chris-
tus, ut in navi Ecclesiæ salvaremur. Quod
si homo recte passionis charitatem Christi
agnosceret, quanta Christus amore nostri in
capite, in manibus, in pedibus, in dorso, in
collo, in facie, in ore, in morte sustinuit,
bene flere posset. Ipse enim judex noster, de
cujus morte dicitur per figuram de morte
Judæ¹⁵: « Fleverunt eum omnis populus
Israel planctu magno. Quomodo cecidit po-
tens, qui salvum faciebat populum Israel, »
etc. Et quis posset transire siccis oculis, quod
lancea militis latus transfixit Salvatoris? Po-
tius tamen flere debet peccator vulnera ani-
mæ suæ, pro quibus patitur, quam vulnera,
quæ corpus Christi patitur¹⁶: « Filiæ Jerusa-
lem, nolite flere super me, sed super vos
ipsas flete. »

De quarto, specialiter: *Si cognovisses et tu*.
Hæc enim angustia fit homini in morte, ubi
inimici dæmones hominem circumdant, exi-
tum observando, sicut canes circumdant
cadaver. Item coangustant, animam rapiendo¹⁷: « Omnes persecutores ejus apprehende-
runt eam inter angustias. » Item prosternunt
in infernum, dicendo: O si homo tantas
mortis angustias cognosceret, quomodo fle-
ret! Unde cum Ezechias audisset se moritu-

¹ Psal. xxxvii, 5. — ² Psal. xxxix, 13. — ³ Psal. xxxvii, 6. — ⁴ Aug. — ⁵ Jerem., viii, 15. — ⁶ Matth., xxvi, 75; Luc., xxi, 62. — ⁷ Aug. — ⁸ Vid. sup., in *Quadray.*, Dom. iv, serm. iii, pag. 175, col. 1. — ⁹ Psal. cxviii, 75. — ¹⁰ Apoc., xix, 12, 15. — ¹¹ Bern.,

in *Epiph.*, serm. 1, n. 4, quoad sensum. — ¹² Apoc., xix, 9, 10. — ¹³ Matth., xiii, 42. — ¹⁴ I Joan., iii, 16. — ¹⁵ I Mach., ix, 20-21. — ¹⁶ Luc., xxiii, 28. — ¹⁷ Thren., i, 3.

(a) *Cæt. edit. deest* qui. — (b) *Vulg. Et.*

rum, convertit faciem suam ad parietem, et flevit fletu magno, ut dicitur¹. Paries significat pœnitentiam peccati, quod dividit inter nos et Deum. Qui istum parietem manu tetigerit, ipsum propria conscientia, tanquam serpens, in morte non mordebit²: « Quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus, et ingrediatur domum ejus, et innitatur manu super parietem, et mordeat eum coluber. » Leo est iudex; ursus est diabolus; coluber, ut dicit Glossa, est propria conscientia: per istam enim arctatur homo in morte.

SERMO III.

*Circumdabunt te, et coangustabunt te undique*³. Inimici, qui animabus hominum ista mala facient, dæmones sunt: qui animas circumdant in mundo, coangustant in extremo, prosternunt in inferno. Circumdant in tentatione; coangustant in expiratione; prosternunt in damnatione. Circa primum, nota quam periculosum sit, quando homo circumdatur hostibus, et fluctibus, vel ignibus: et certe misera anima quotidie circumdatur inimica malignitate, mundi fluctuosa tempestate, carnis ignea voluptate. De primo, Psalmus⁴: « Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. » Canes malignantes, sunt dæmones, qui plus animam tuam, quam canes feram, persequuntur. Bene autem dicitur: *Concilium malignantium obsedit*. Sicut enim castrum ab hostibus ferocissimis, sic anima humana obsidetur a dæmonibus⁵: *Perfecta est obsidio*. Bernardus⁶: « Heu me, Domine Deus, quia undique mihi mala, undique tela volant, undique pericula, undique impedimenta: quoquo vertam me, nulla undique securitas. » Require in sermone: *Tunc assumpsit*⁷. De secundo⁸: « Circumdederunt me aquæ usque ad animam meam, » etc. Mare est mundus, in quo Jonas, id est, qui-

libet justus, aquis miseræ, et fluctibus circumdatur, quamdiu dies hujus vitæ durat. Psalmus⁹: « Circumdederunt me sicut aqua tota die, » etc. Tu ergo, ne submergaris, maneat in navi pœnitentiæ quotidie. De tertio, Psalmus¹⁰: « Circumdederunt sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis. » Sensus carnis sunt quasi apes, mel delectationes carnales colligentes, et aculeum remorseionis in conscientia relinquunt. Sicut enim apes in floribus, sic sensus in delectationibus vagantur. Spinæ autem sunt peccatores rancoribus et injuriis, et scandalis alios lacerantes. Inter quos anima innocens est sicut liliū inter spinas, dum non vulneratur per eorum malitias. Gregorius¹¹: « Flores inter spinas producuntur: rosa, quæ redolet, crescit cum spina, quæ pungit. » Sicut ergo ignis in spinis, sic sensuum concupiscentiæ in peccatoribus ardescunt.

Sequitur: *Et coangustabunt te undique*, scilicet in morte: tunc enim coangustabitur anima corporis infirmitate, iudicis severitate, dæmonis crudelitate. De primo, nota quantum angustatur homo, quando in morte oculi franguntur, cor suffocatur, omnia membra torquentur, anima ab omnibus membris solvitur. Unde de Manasse vinculis aretato dicitur¹²: « Postquam coangustatus esset, oravit Dominum, et egit pœnitentiam valde. » Sicut enim captivi coangustantur vinculis ad extorquendum pecuniam, sic infirmitatibus et adversitatibus coangustat nos Deus ad solvendam pecuniam et justitiam. Psalmus¹³: « Implebit (a) facies eorum ignominia: » Sed, heu! quidam postquam vincula Dei evadunt, Deo emendationem nullam persolvunt. Væ eis, quia dum iterum comprehenduntur (b), gravioribus vinculis coangustabuntur¹⁴: « Ligatis manibus, » etc. De secundo, nota quod sicut sponsa cum adultero jacens in strato, coangustatur superveniente sponso cum gladio, sic anima adultera dia-

¹ Isa., xxxviii, 3. — ² Amos, v, 19. — ³ Luc., xix, 43. — ⁴ Psal. xxi, 17. — ⁵ Eccle., ix, 14. — ⁶ Bern. — ⁷ Vid. sup., Dom. i Quadrag., serm. v, pag. 133, col. 2. — ⁸ Jon., ii, 6. — ⁹ Psal. lxxxvii, 18. — ¹⁰ Psal. cxvii, 12. — ¹¹ Greg., in Evang., hom. xxxviii,

ii, 7. — ¹² H Paral., xxxiii, 42. — ¹³ Psal. lxxxii, 17. — ¹⁴ Matth., xxi, 43.

(a) Vulg. Imple. — (b) Leg. comprehenduntur.

holi coangustabitur in morte, quando sponsus Christus superveniet cum gladio damnationis aeternæ. « Coangustatum est enim ¹ stratum, ita ut alter decadat, et pallium breve utrumque operire non potest. » Interlinearis : « Non capiet me et adulterum, scilicet diabolus. » ² Nemo potest duobus Dominis, » etc. Stratum est cor, pallium amor. De tertio dicitur hoc : *Coangustabunt te undique*, quia subter et supra, intus et exterius. ³ « Omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias. » Gregorius ⁴ : « Maligni spiritus unlique animam angustant, quando ei non solum operis, verum et locutionis, etiam insuper cogitationis iniquitates replicant. »

Sequitur : *Et ad terram prosternent te* : ad terram utique de qua ⁵ : « Terram miseræ, » etc. Prosternitur autem homo corporaliter, spiritualiter, universaliter : corporaliter sepulcro ; spiritualiter in inferno ; universaliter in judicio. De primo ⁶ : « Quorum cadavera prostrata in deserto. » Gregorius ⁷ : « Anima pro reatu cogitationis suæ ad terram consternitur, dum caro, quam vitam suam credidit, redire ad pulverem urgetur. » De secundo dicitur hic : *Ad terram prosternent te*. Ecce, homo, elige quod vis : vel daemones prosternent te in inferno, vel tu eos prosternes in mundo ; maxime autem prosternes eos per orationem, et bonam manus operationem. Manu quidem pugnant ; sed Deum cordibus orantes prostraverunt ⁸ triginta quinque millia. De tertio ⁹ : « Prostrata est (a) Philistæa omnis, » id est, omnes Philistæi, id est malignantium ecclesia, vel quilibet peccator, qui ante iudicium damnationis prosternitur tantum in anima, sed in iudicio prosternitur (b) *omnis*, id est universaliter, corpus et anima, sensus et omnia membra : tunc prosternetur in gehenna, qui nunc prostratus est in culpa. ¹⁰ « Vide ubi non (c) prostrata sis. »

¹ Isa., xxviii, 20. — ² Matth., vi, 24. — ³ Thren., 1, 3. — ⁴ Greg., in *Evang.*, hom. xxxix, n. 4. — ⁵ Job, x, 12. — ⁶ Hebr., iii, 17. — ⁷ Greg., ubi sup. prox. — ⁸ II Mach., xv, 27. — ⁹ Isa., xiv, 31. — ¹⁰ Jerem.,

SERMO IV ¹¹.

*Domus mea, domus orationis vocabitur ; vos autem fecistis illam speluncam latronum*¹². Dominus noster summus Pontifex universalis Ecclesiæ, videns hodierna die domum orationis fieri forum negotiationis, quodam debili flagello, eiecit miraculose negotiatoribus de templo, dure arguit eos de maleficio, cum subdit in verbo proposito : *Domus mea, domus orationis vocabitur*. In quo quidem verbo, primo notatur appropriatio domini ; secundo intentio sacrificii ; tertio, increpatio maleficii. Primum est honoris et magnificentiæ ; secundum est amoris et benevolentiae ; tertium est pudoris et displicentiæ. Appropriatio domini, quod est honoris et magnificentiæ, notatur, cum dicit : *Domus mea*. Intentio sacrificii, quod est amoris et benevolentiae, notatur, cum subdit : *Domus orationis vocabitur*. Ista intentione fit ecclesia, ut sacrificiis Deus honoretur in ea. Increpatio maleficii et displicentiæ notatur, cum subinfert : *Vos autem fecistis illam speluncam latronum*.

Primo ergo in verbo proposito notatur appropriatio domini, cum dicit : *Domus mea*. Vendicat et appropriat sibi dominium Deus in ecclesia, eo quod in ea habet exercere tres actus hierarchicos, sibi soli tanquam efficienti convenientes, et nulli alii. Unde sicut Deus Pater habet in superiori hierarchia angelorum purgare, illuminare, et perficere ; sic ejus Filius, licet indivisa sint opera Trinitatis, in inferiori hierarchia fidelium habet hæc tria facere, licet aliter accipiatur *purgare* hic, et ibi. Unde propter hæc tria, quæ habet fieri in ecclesia, appropriat sibi dominium, et dicit de ea, quod est *domus mea* : primo quia est locus desiderabilis propitiationis, purgantis affectum a sordibus peccati ; secundo est locus salutaris eruditionis, illuminantis, et dirigentis ab errore in

11, 2. — ¹¹ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ¹² Luc, xix, 46.

(a) *Cæt. edit.* Prostratione. — (b) *Leg.* prosternitur. — (c) *Cæt. edit.* nunc ubi.

Deum; tertio, quia est locus sacramentalis refectionis perficientis, et quietantis appetitum dulcedine incomprehensibili. Et sic in ecclesia debet purgari a malo culpæ, et illuminari verbo doctrinæ, et refici, sive perfici cibo Eucharistiæ.

Primo Dominus appropriat sibi dominium in ecclesia, quæ est locus desiderabilis propitiationis purgantis fœditatem affectus. Unde dicitur ¹: « Si populus Israel, quia peccaturus (a) est tibi, gemens et confitens nomini tuo, venient, et adorabunt (b), et deprecati fuerint in domo hac, tu exaudi de cœlo, et dimitte peccata populi. » Qui enim vult obtinere veniam peccatorum, debet habere ordinem, qui in prædicta auctoritate docetur servari per vere pœnitentes. Primo debent gemere per dolorosam contritionem in corde; deinde confiteri peccata sua per recognitionem in ore ad laudem nominis Dei; postea venire per defectuum emendationem in opere: et tunc eum *adorabunt* cum timore: *et si (c) deprecati fuerint* cum devotione *in domo* Ecclesiæ, merebunt (d) obtinere veniam peccatorum, dummodo proponant peccata postmodum non admittere; quia propter hoc dicitur ²: « Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei. » Ille novit custodire pedem suum, qui, ingrediens domum Dei, affectum ab omni immunditia per confessionem purgat, et eam postmodum non proponit admittere.

Secundo Dominus appropriat sibi in ecclesia dominium, quia est locus salutaris eruditionis illuminantis tenebrositatem intellectus. Unde ³: « Appropiate ad me, indocti, congregate vos in domum disciplinæ. » Verbum est divinæ sapientiæ ad laicos, qui *indocti* dicuntur, quia in divinis eloquiis non sunt instructi. Isti autem *appropriant* ad sapientiam increatam, quando præbent tam aurium audientiam, quam cordium intelligentiam ad prædicatoris eloquentiam, ut diligenter intenti his, quæ dicuntur, ea tolis

visceribus anhelantes, festinent quod intelligunt opere adimplere. *Et congregate vos in domum disciplinæ*; quod fit quando fideles adunantur intra parietes ecclesiæ materialis. Unde in diebus solemnibus tractanda sunt verba dominicæ doctrinæ. Et propter hoc dicit Psalmus in persona prædicatoris ⁴: « Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus, et illuxit nobis. » *Benediximus vobis*, scilicet populis, nostra arida corda rore cœlestis doctrinæ compluendo; et hoc, quia *Dominus Deus*, præbens officii salutem, *illuxit nobis*, conferens veritatem evangelicam. Unde in prædicatoribus debet esse officii auctoritas, veritas Evangelii, et unitas populi.

Tertio Dominus appropriat sibi dominium in ecclesia, quia locus sacramentalis refectionis perficientis, et terminantis fluxibilitatem appetitus. Unde ⁵: « Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem; immolavit victimas suas; miscuit vinum, et proposuit mensam. » Et sequitur: « Insipientibus locuta est: Venite, et comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis. » Christus *ædificavit sibi domum* Ecclesiæ; *excidit*, id est, profunde et firmiter in ea collocavit *columnas septem* sacramentorum; *immolavit victimas suas* proprii corporis, *et miscuit vinum* proprii sanguinis, qui exivit de ejus latere, *et proposuit mensam suam* in altare crucis; *et insipientibus* hujus sæculi, qui nolunt humana ratione in cognitionem hujus sacramenti devenire, *locuta est* tam interiori inspiratione, quam exteriori prædicatione: *Venite, et comedite panem meum* cœlestem habentem omne delectamentum, et omnis saporis suavitatem, *et bibite vinum* sapientialis sapientiæ. Unde qui vult comedere panem vitæ, et potare vinum sapientiæ, necesse habet venire ad sacramentum corporis et sanguinis Christi. Ibi enim sentiet quomodo sapientia secundum suum nomen

¹ III Reg., VIII, 33. — ² Eccle., IV, 11. — ³ Eccli., LI, 31. — ⁴ Psal. CXXVII, 26. — ⁵ Prov., IX, 1 et seq.

(a) *Cæt. edit.* prævaricatus. — (b) *Fulg.* venerint et oraverint. — (c) *Cæt. edit.* deest *si*. — (d) *Cæt. edit.* meruerunt.

sit, et gustabit sensibiliter, quomodo ejus gustus est super mel dulcis : cujus immensa magnitudo dulcedinis, quæ in eo absconditur (a), appetitum animæ, quæ est ad infinita, absorbet et quietat. In nullo enim alio fluxibilitas appetitus, et instabilitas mentis potest terminari, et quietari. Nam cor humanum sic lubricum et instabile propter diversitatem appetitus ad multa et varia fluxibilia, ne ejus appetitus in aliquo satietur, continue dissolvitur ad carnalia delectamenta plura ; ut stabiliatur in bono, Deus dedit homini panem in quo inveniet plenitudinem saturitatis, et ebrietatem sapientialis voluptatis. Unde in Psalmo ¹ : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ petabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. »

Secundo in verbo proposito notatur intentio sacrificii in conspectu Dei ; ad quod necesse sunt tres conditiones. Nam primo debet præire orationem humilitas animi, in reputatione ; secundo comitari debet sanctitas desiderii, in affectione ; tertio subsequi sedulitas studii in continuatione.

Primo orationem debet præire humilitas animi in reputatione. Et de hoc habemus exemplum de Pharisæo et Publicano ², qui « ascenderunt in templum, ut orarent ; » sed oratio Publicani adeo reputantis se esse malum, ut non auderet accedere, imo « a longe stans, » cum timore et reverentia, « nolebat nec oculos ad cælum levare » præ verecundia, penetravit et ascendit velut fumus aromatum in conspectu Dei, secundum quod dicitur ³ : « Oratio humiliantis se nubes penetrat (b). » Unde descendit justificatus in domum conscientiæ a Pharisæo, cujus oratio erat cum timore superbiæ, et præsumptione justitiæ de propriis meritis ; quia Deum non orabat, imo se laudabat, et

oranti insultabat. Et propter hoc dicit Augustinus ad Dioscorum ⁴ : « Nisi bene humilitas omnia, quæ bene agimus, præcesserit, vel comitetur, vel subsecuta fuerit, proposita qua moveamur (c), apposita cui adhaereamus, imposita qua reprimamur, jam de aliquo beneficio nobis gaudentibus, totum extorquet de manu vestra superbia. »

Secundo orationem debet comitari puritas desiderii in affectione. Unde ⁵ : « Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione. » Hoc est, ut in tempore orationis nulla occurrat iræ passio, nulla fantasmatum illusio. Quales ergo volumus inveniri in oratione, et allegantes (d) orationem debemus præparare cor. Secundum Augustinum, quidquid ante tempus orationis per sensus hausimus, totum in tempore orationis occurrit. Et propterea bene dicebat Dominus ⁶ : « Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora patrem tuum. » Hoc est, ut præparetur secretum cordis, et claudantur sensus corporis, ut mens transcessis sensibus humanis et similitudinibus imaginariis, non sono vocis et linguæ motu, nulla syllabarum disjunctione, sed conglobatis desideriorum affectibus in Dei amorem et laudem resolvatur ; quia tunc adimpletur quod dicitur ⁷ : « Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo. »

Tertio orationem debet subsequi sedulitas studii in continuatione. Unde ⁸ : « Oportet semper orare, et non deficere : » dicens eis exemplum cujusdam viduæ, quæ ratione suæ importunitatis exaudita est apud judicem. Ad litteram, illi exemplo illius viduæ merentur exaudiri in oratione, qui non impediuntur aliqua superflua occupatione, semper sine intermissione, et cum importunitate orare, quousque obtineant quod desiderant. Et propter hoc dicitur ⁹ : « Melior est

¹ *Psal.* xxxv, 9-10. — ² *Luc.*, xv, 11, 10 et seq. — ³ *Eccle.*, xxxv, 21. — ⁴ *Aug.*, ad *Diosc.*, epist. cxviii, al. lvi, n. 22. — ⁵ *1 Tim.*, ii, 8. — ⁶ *Matth.*, vi, 6. — ⁷ *Apoc.*, viii, 4. — ⁸ *Luc.*, xviii, 1 et seq. — ⁹ *Eccle.*, vii, 9.

(a) *Cæt. edit.* abscondit. — (b) *Vulg.* penetrabit. — (c) *Apud Aug.* quam intueamur. — (d) *Forte leg.* taliter ante.

finis orationis quam principium. » Tamen illud verbum quod dicitur : *Oportet orare semper*, debet sic intelligi secundum Glossam : « Semper orat, qui canonicis horis secundum morem Ecclesiæ insistit. » Vel semper orat justus, dum secundum Deum omnia agit; nec desinit orare, nisi cum desinit justus esse.

Tertio in verbo proposito notatur increpationis maleficium, quod est pudoris et displicentiæ, cum subinfert : *Vos autem fecistis illam speluncam latronum*. Triplici de causa committitur illud maleficium.

Primo, quando in ea est contentio superbiorum. Unde in Psalmo ¹ : « Cujus maledictione os plenum est, et amaritudine et dolo. » Sequitur : « Insidiatur, quasi leo in spelunca sua. » Unde dum homo sanctus in ecclesia læsionem innocentis proximi cogitat, *quasi leo insidiatur in spelunca*, enjus os, ad modum furiosi canis, propter conceptionem superbiæ, *plenum est amaritudine subversionis et dolo* deceptionis. Tales non sunt sustinendi, quin flagello correptionis puniantur, et etiam, si incorrigibiles fuerint, expellantur, ne forte alios per contentionem (a) subvertant, et fiat domus orationis domus contentionis.

Secundo ecclesia fit spelunca latronum, quando in ea est infectio lubricorum. Unde ² : « Dixistis : Liberati sumus, eo quod feceritis abominationes istas. Spelunca ergo latronum facta est ista domus, in qua invocatum est nomen meum. » Bene etiam domus, in qua invocatur nomen Dei, fit spelunca latronum, quando in ea fiunt homicidia et adulteria, quæ sunt abominationes apud Deum : et propter hoc amovenda est illa fetosa abominatio lubricorum ab ecclesia; alioquin non est domus propitiationis, imo abominationis et provocationis.

Tertio ecclesia fit spelunca latronum, quando in ea est negotiatio cupidorum. Unde ³ : « Intravit Jesus in templum, et eji-

cibat omnes ementes, et vendentes in templo : et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit; et dixit eis : Scriptum est : Domus mea domus orationis vocabitur : vos autem fecistis eam speluncam latronum. » Dominus noster intrans templum, ardore spiritus concitatus, quodam vili flagello miraculose eiecit omnes negotiantes de templo. Unde Glossa : « Mirabilia in flagello vendentes de templo eiecere, et nummulariorum mensas subvertere, quo nihil egit mirabilius : igneum et siderum aliquod irradiabat ex ejus oculis, et lucebat in facie majestas. » *Et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit*. Nummularii, secundum Glossam, erant aliqui positi a sacerdotibus, ut mutuarent nihilhabentibus, ut possent emere columbas et alia, vendita, postea reciperent oblata. Verbis et zelo debet agitari prælatus, quando videt in ecclesia vendi sacramenta, per quæ hauritur Spiritus sancti gratia, vel emi ecclesiastica officia : omnes tales, qui luera sectantur, eiciat de ecclesia, ne forte domus orationis fiat domus negotiationis. Rogemus, etc.

DOMINICA X POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS ⁴.

Publicanus a longe stans ⁵, etc. Quicumque in mundo stat in pœnitentia et in justitia, in judicio stabit in magna constantia. In hac ergo vita stare debet homo ad serviendum Deo retribuenti, ad acquiescendum Angelo custodienti, ad subveniendum proximo indigenti, ad resistendum diabolo invadenti.

De primo ⁶ : « Fili, accedens ad servitum Dei, sta in justitia et in timore. » Per justitiam, bonum facis; per timorem, malum fugis. Et certe a justitia bene vivendi, vel recte judicandi, neque timore mortis rece-

quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁵ *Luc.*, XVIII, 13. — ⁶ *Eccli.*, II, 1.

¹ *Psal.*, X, 7 et seq. — ² *Jerem.*, VII, 10-11. — ³ *Matth.*, XXI, 12-13. — ⁴ Hunc et duos seq. habet

(a) *Cœl. edit.* conceptionem.

dere (a) debes. ¹ « Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. » Et certe sic in timore semper esse debes, sicut illi qui in periculis sunt maris. « Semper enim ² quasi timentes super me fluctus timui. » Dei ergo timor et justitia non solum sunt quasi duo crura, quibus fortiter stamus, sed etiam quasi duo brachia, in quibus Christum portamus. Unde de Simone Christum in ulnis portante dicitur ³: « Homo iste justus, » etc. Libenter stare possumus ad serviendum Deo, quia ipse stat ad remunerandum nos. Unde Stephanus, jam remunerandus, dicit ⁴: « Ecce video cœlos apertos, » etc.

De secundo dicitur ⁵: « Ostendit mihi Deus Jesum sacerdotem magnum, stantem coram Angelo. » Ecce, charissimi, coram angelis ad omne bonum nos incitantibus stare debemus, ut eis acquiescamus, neque retro recedamus, ne gaudium, quod de nostra conversione habuerint (b), minuamus. Væ tibi, quicumque es, qui deliberas redire ad lutum, converti ad vomitum; putas quod placatos habebis in judicio, quos modo tanto et sperato privare vis gaudio? Et quia coram angelis stamus, mirum est quod eis presentibus audemus facere, quod coram hominibus facere non audemus: imo ita semper esse devoti deberemus, ac si singulos videremus. Psalmista ⁶: « In conspectu angelorum, » etc. Libenter stare possumus ad obtemperandum eis, quia ipsi stant ad promovendum nos ⁷: « Stetit angelus ante altare habens thuribulum aureum, » etc. Vide ergo ut incensum orationis sæpe ponas in thuribulum angeli tui, ne ad tuam verecundiam vacuo thuribulo stes coram Deo. Fumus autem de incenso orationis ascendens, devotionem significat.

De tertio ⁸: « Stans autem Zachæus, dicit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum, »

¹ *Eccli.*, IV, 33. — ² *Job*, XXXI, 23. — ³ *Luc.*, II, 25. — ⁴ *Act.*, VII, 55. — ⁵ *Zach.*, III, 1. — ⁶ *Psal.* CXXXVII, 1. — ⁷ *Apoc.*, VIII, 3. — ⁸ *Luc.*, XIX, 8. — ⁹ *Eccli.*, XXXIV, 24. — ¹⁰ Chrysost. — ¹¹ *Marc.*, XI, 25. —

etc. Vide ad quid stare debes: quia ad subveniendum egenis. Unde dicit: *Do pauperibus*. Item ad satisfaciendum læsis; unde: *Si quem defraudavi, reddo quadruplum*. Unde non est satis quod pauperibus erogaveris ⁹: « Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui mactat filium in conspectu patris sui. » Joannes Chrysostomus ¹⁰: « De sanguine miserorum tollere, et Deo offerre, illud non est Deo offerre, sed violentiæ suæ socium facere Deum, ubi (c) sibi oblatam pecuniam de peccato libenter accipiat, et sibi consentiat in peccato. » Libenter stare possumus ad subveniendum et ad satisfaciendum proximis, ut et ipsi stent ad indulgendum, et orandum pro nobis. ¹¹ « Dimittite, si quid habetis adversum aliquem. » Sed certe multi stant ad orandum pro aliis, qui potius stare deberent ad orandum pro seipsis: sicut iste publicanus a longe stetit, etc. Augustinus ¹²: « Si non sum dignus orando oculos levare, certe non (d) sum dignus eos vel cæcare plorando. »

De quarto ¹³: « Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loriceam justitiæ. » Armatura nostra virtutes sunt, quibus contra vitia armamur: sicut mansuetudine, contra iram; continentia, contra luxuriam; humilitate, contra superbiam, et sic de aliis virtutibus ¹⁴. « Induamur armalucis. » Certe nullus ita stultus est, qui libenter pugnet nudus contra inimicum mortalem bene armatum. Et ecce diabolus fortissimus inimicus noster armatus est contra nos astutiis et nequitiis multis ¹⁵: « Cum fortis armatus, » etc. Certe si viriliter in armistis contra diabolum in mundo, coronam victoriæ habebis per Christum in cælo. Augustinus ¹⁶: « Non debet frangi, cum præliatur, qui vult post prælium coronari. Vires ille subministrat certantibus, qui præparat inef-

¹² Aug. — ¹³ *Ephes.*, VI, 13-14. — ¹⁴ *Rom.*, XIII, 12. —

¹⁵ *Luc.*, XI, 21. — ¹⁶ Aug.

(a) *Cat. edit.* timorem mortis cedere. — (b) Habuerit. — (c) *Leg. ut.* — (d) *Del. non.*

fabilia bona victoribus. » Libenter stare possumus ad resistendum diabolo, quia ipse stat ad impugnandum nos ¹: « Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei. »

SERMO II.

² *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Propitiationem Dei meretur homo per quatuor, scilicet: per veram confessionem; per fraternam condonationem; per devotam orationem; per piam erogationem.

De primo ³: « Quia magna misericordia Dei, et propitiatio illius convertentibus ad se. » Si ergo vis quod propitietur tibi Deus, convertaris ad Deum, revertaris a diabolo, convertaris ad virtutes, revertaris a vitiis ⁴: « Revertatur unusquisque a via pessima, et propitius ero iniquitati, et peccato eorum, » etc. Via peccatoris mala est, committendo culpam; pejor, extinguendo gratiam; pessima, perdendo gloriam. Ideo bene dicitur supra, quod *magna est propitiatio Dei convertentibus ad se.* Magna namque tripliciter, videlicet 1. in remissione culpæ; Psalmus ⁵: « Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. » De hac propitiatio noli stulte præsumere, neque propter Dei magnam misericordiam, tuam pœnitentiam negligas ⁶: « De propitiato peccato noli esse sine metu, » etc. Nescis enim si vera sit tua conversio, si accepta Deo satisfactio tua. Isidorus ⁷: « Quamvis per pœnitentiam propitiatio peccatorum sit, sine metu homo tamen esse non debet; quia pœnitentiæ satisfactio divino tantum pensatur iudicio, non humano. » 2. In conservacione gratiæ; quod enim quotidie non labimur, quod a diabolo non jugulamur, quod a Deo non derelinquimur, ex Dei propitiacione est ⁸: « Tu autem Deus propitius, et clemens, longanimis et multæ misericordiæ, non dereliquisti nos. » Item 3. in collatione gloriæ ⁹: « Si Dominus propitius fuerit, inducet in eam, et

tradet nobis humum lacte et melle manantem. »

De secundo ¹⁰: « Propitius sit mihi Dominus, ut non mittam manum meam in Christum Domini. » Certe cui Dominus tam propitius est, quod ei gratiam parcendi proximis retribuit, multo eidem propitior erit, dum pepererit. Augustinus ¹¹: « Unusquisque talem indulgentiam accepturus est a Deo, qualem impendit proximo. » Propitius ergo erit tibi Deus, si tu propitius fueris proximo, ipsum non gravando, sicut jam ostensum est in David. Item gravamen non affectando: quidam alios lædere nolunt; si tamen læduntur, diligunt, placet; quod non placet (a), si rancorem non servarent. Contra quod dicitur ¹²: « Ipse cum caro sit (b), servat iram, et propitiationem petit a Deo? » (c) qualem impendit proximo. Item gravamen ejus alleviando, et secum portando; Psalmista ¹³: « Apud te propitiatio est, et propter legem tuam, » etc. Glossa: « Sine lege misericordiæ et veritatis, quia (d) ¹⁴ « alter alterius onera portate, » legem nullus sustinet, vel frustra sustinet. Qui ergo hanc legem servando, Dominum sustinent, apud Dominum propitiationem inveniunt.

De tertio ¹⁵: « Exaudies in cœlo orationem eorum, et facies iudicium eorum, et propitiaberis populo tuo, » etc. Propitiatur homini Dominus propter orationem factam a seipso, a proximo, a Christo. A seipso, unde hic dicitur: *Percutiebat pectus suum*, etc. Licet percutiendum esset os et manus, et omnia membra iniquitatibus subjecta, præcipue tamen cor et pectus, unde omnia peccata exeunt, etc. Item propter orationem factam a proximo ¹⁶: « Deus, propitius esto. » Et sequitur: « Misertus est Dominus super hoc. » Et ¹⁷: « Orate pro invicem, ut salvemini. » Item propter orationem factam a Christo ¹⁸: « Advocatum habemus apud Dominum Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio

¹ Zach., III, 1. — ² Luc., XVIII, 13. — ³ Eccli., XVII, 28. — ⁴ Jerem., XXXVI, 3. — ⁵ Psal., CII, 3. — ⁶ Eccli., V, 5. — ⁷ Isid. — ⁸ II Esdr., IV, 17. — ⁹ Num., XIV, 8. — ¹⁰ I Reg., XXVI, 11. — ¹¹ Aug. — ¹² Eccli., XXVIII, 5. — ¹³ Psal., CXXIX, 4. — ¹⁴ Gal.,

VI, 2. — ¹⁵ III Reg., VIII, 50. — ¹⁶ Amos, VII, 2, 3. — ¹⁷ Jac., V, 16. — ¹⁸ I Joan., II, 2.

(a) Leg. placeret. — (b) *Cort. edit.* dum caro lit. — (c) *Suppl.* Talem accipiet. — (d) *Leg.* qua.

pro peccatis nostris. » Quis autem dubitet omnes sanctos cum Christo orare, qui vident eum pro nobis advocando orare? Augustinus ¹: « Dominus noster Jesus Christus adhuc interpellat pro nobis, et omnes martyres: non transeunt interpellationes eorum, nisi eum transierit gemitus noster. »

De quarto ²: « Susceptam pecuniam, quae collata est a filiis Israel, trades in usus tabernaculi, ut sit in mōnimentum eorum coram Domino, et propitiatur animabus eorum. » Quicumque ergo ad cultum Dei, vel etiam ad necessitatem pauperum tribuis, ad propitiationem tibi proderit ³: « Peccata tua elemosynis redime, » etc. Augustinus ⁴: « Redime te, homo, dnm (a) vivis. » Require supra in sermone: *Estote misericordes* ⁵. O homo, vilia omnia temporalia sunt: da ergo pro tua propitiatione illius amore vilissima, qui ad propitiationem tibi dedit speciosissima. Dedit enim Pater Filium ⁶: « Misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. » Item Filius dedit sanguinem ⁷: « Proposuit Deus propitiationem (b) per fidem in sanguine ipsius. » Item beata Trinitas dedit nomen suum. Psalmista ⁸: « Propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. » De quo nomine: « Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Vide ergo, miser, quod tempus propitiationis nunc (c) negligas ⁹: « Ante iudicium, interroga te ipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem. »

SERMO III.

Descendit hic justificatus in domum suam ab illo ¹⁰. Domus est Ecclesia, vel conscientia. Considerandum autem est, quod quadruplex est descensus. Descendunt enim homines, 1. per transitionem (d) mortalem, per humiliationem pœnitentialem; 2. per resolutionem corporalem, per demersionem infernalem. De

primo ¹¹: « Vae qui descendunt in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes. » Ægyptus interpretatur *tenebrae*. Vae ergo qui descendunt in tenebras peccatorum, quoniam propter tenebras nesciunt quando cadant in foveam inferni ¹²: « Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant. » Equi corpora nostra sunt; unde ibidem ¹³: « Equi eorum caro, et non spiritus. » Hos equos spiritus rationales, sive animæ, regere debent tanquam milites eis insidentes ¹⁴: « Militia est vita hominis super terram. » Si in hoc equo bonus miles fueris, et hostes superaveris, tunc coronaberis; et quanto (e) equo fuerit pugna diuturnior, tanto erit corona gloriosior. Gregorius ¹⁵: « Labor protrahitur pugnae, ut crescat corona victoriae. » In equis autem male sperant, qui de fortitudine et sanitate corporis præsumentes, differunt pœnitere. Et saepe fallimur (f); Psalmista ¹⁶: « Fallax equus ad salutem, » quoniam antequam sciant, mortis lancea equo transfixo, ejicientur.

De secundo ¹⁷: « Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon. » Babylon *confusio* interpretatur. Filia Babylonis est anima peccatrix confusa coram Deo, et coram angelis æternaliter confundenda ¹⁸: « Confunderis, et erubesces ab omni malitia tua. » Neque obstat quod talis anima virgo dicatur: est enim quandoque virgo per apparentem integritatem coram hominibus; sed est meretrix pessima per occultam iniquitatem coram Deo et angelis. Quandoque homo apparet fidelis, et comes (g), vel amicus, et est traditor, vel adulter, vel inimicus. Bernardus: « Si iudicantium super facie (h), verbo et vultu hominum, simulator illedat opinionem, sed non ejus, qui iudicat renes, et corda, fallit vel evadit iudicium. » Talis ergo anima, etsi videtur virgo, tamen fatua, non habens

¹ August. — ² *Eccl.*, xxx, 16. — ³ *Dan.*, iv, 24. — ⁴ August. — ⁵ Vid., Dom. 1. post Pent., serm. II, pag. 327, col. 2. — ⁶ *Juan.*, iv, 10. — ⁷ *Rom.*, III, 25. — ⁸ *Psal.*, lxxviii, 9. — ⁹ *Eccli.*, xviii, 20. — ¹⁰ *Luc.*, xviii, 14. — ¹¹ *Isa.*, xxxi, 1. — ¹² *Prov.*, iv,

19. — ¹³ *Isa.*, xxxi, 3. — ¹⁴ *Job.*, vii, 1. — ¹⁵ Greg., *Moral.*, lib. X, c. xviii, n. 35, quoad sensum. — ¹⁶ *Ps.*, xxxii, 17. — ¹⁷ *Isa.*, lviii, 1. — ¹⁸ *Jerem.*, xxii, 22.

(a) *Cal. edit.* de. — (b) *Item* propitiatorum. — (c) *Leg.* nou. — (d) *Leg.* transgressionem. — (e) *Leg.* equuli. — (f) *Leg.* falluntur. — (g) *Leg.* coms. — (h) *Cal. edit.* faciem.

oleum charitatis. Ad quid autem homo descendere debeat, docet, cum dicit ¹ : « Sede in pulvere, mole farinam, denuda turpitudinem tuam, transi flumina. » *Sedere* enim debes *in pulvere* per mortis jugem recordationem. Qui enim, quod pulvis futura est caro, non recogitat, non sedit (*a*) in pulvere, sed transit. *Molere* autem debes per pœnitentiam, per veram contritionem. Mola enim inferior est timor gehennæ; superior vero, spes gloriæ : inter quas voluntatem malam et carnalia desideria conterere debes; sed aqua lacrymarum necessaria est ad molendum. *Denudare* quoque debes *turpitudinem tuam* per confessionem, et *transire flumina* concupiscentiarum per bonam vitam, et per satisfactionem.

De tertio, Psalmista ² : « Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? » Quod quilibet homo potest dicere : *Quæ utilitas in sanguine meo*, tam nobili, tam superbo, tam luxurioso, tam furibundo, et multa mala faciendo, *dum descendo in corruptionem?* sed oportet eum corrumpi putredine ³ : « Quasi putredo consumendus sum, » etc. Horribiles tineæ sunt serpentes, et vermes, vestimentum animæ, id est corpus, in sepulcro comedentes, neque imperiali, neque papali vestimento parentes. Unde Gregorius Papa de seipso ait ⁴, quod « ego nimirum non longe post futurus, post hominem vermis, atque post vermem pulvis. »

De quarto ⁵ : « Dilatavit infernus animam suam, et os suum aperuit absque ullo termino, et descendunt fortes ejus, et sublimes gloriosique ejus ad eum. » Possunt ergo peccatorum animæ in multitudine magna in inferno habitare post ejus dilatationem : possunt etiam sine obstaculo intrare per oris ejus apertionem. Descendunt autem fortes per (*b*) potentiam; sublimes per (*b*) excellentiam; gloriosi per (*b*) opulentiam, qui talibus abutuntur : fortes utique, in proximorum oppressionem; sublimes, in honorum

ambitione; generosi, in rerum possessione. Quid mirum, si peccatores descendunt, cum sint lapides? Lapidem enim cito descendunt ad fundum. ⁶ « Descenderunt in profundum quasi lapis. » De quo profundo dicitur Luciferus ⁷ : « Ad infernum traheris in profundum lacu. »

SERMO IV ¹.

Qui se exaltat, humiliabitur ². In hoc verbo, quod est infallibile divinæ justitiæ, continetur summa totius salutis humanæ, quæ consistit in humilitate meriti, et sublimitate præmii. Unde in eo primo præmittitur humilitas, sive opportunitas meriti, per modum antecedentis; secundo adjungitur sublimitas præmii, per modum consequentis. Primum autem, quantum ad statum viæ, sub ratione cognoscentis; secundum, quantum ad statum patriæ, sub ratione allicientis. Et primo præmittitur humilitas meriti per modum antecedentis, cum dicitur : *Qui se exaltat*, scilicet in statu viæ; secundo adjungitur sublimitas præmii per modum consequentis, cum subditur : *Exaltabitur*, scilicet in statu patriæ.

Dicit ergo : *Qui se humiliat*; ubi notatur humilitas meriti. Ut autem verbis Evangelii nos conformemus, possumus dicere quod ille est vere pœnitens, et habet meritoriam humilitatem, qui exemplo istius publicani habet humilitatem operis, oris et cordis. Unde ille qui ratione suæ perfectæ humilitatis descendit justificatus in domo conscientiæ, primo habuit humilitatem reverentiæ in opere ex consideratione altissimæ majestatis. Et ideo dicitur : *Publicanus a longe stans nolebat nec oculos ad cælum levare*. Glossa : « *A longe* : sicut humilis, non audet appropinquare, ut ad eum appropinquetur; non aspicit, ut aspiciatur. » Secundo habuit humilitatem contritionis et pœnitentiæ in corde, ex recordatione commissæ iniquitatis;

¹ Isa., XIV, 15. — ² Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ³ Luc., XVIII, 11.

⁴ Isa., ubi sup. — ⁵ Psal. XXIX, 10. — ⁶ Job, XLII, 28. — ⁷ Gieg. — ⁸ Isa., V, 14. — ⁹ Exod., XV, 5. —

(a) Leg. sedet. — (b) Leg. propter.

unde *percutiebat pectus suum*. Glossa: « Premit conscientia, sed specie subleuat; percussit pectus, de se pœnas exigit. » Tertio habuit humilitatem recognitionis culpæ in ore, ex timore æternæ calamitatis, sive severitatis; unde dicebat: *Deus, propitius esto mihi peccatori*, cui ratione culpæ debetur pœna sempiterna. Ubi Glossa: « Confitere, ut Deus ignoscat. » Et sic movebat eum ad humilitatem divinæ majestatis fastigium, quod est venerandum; commissæ iniquitatis opprobrium, quod est erubescendum; extremæ severitatis iudicium, quod est metuendum: et sic perfectum habuit motivum ad humilitatem, scilicet quod erat supra ipsum Deus, qui præsidebat; quod erat infra ipsum dedecus, quod displicebat; quod erat contra ipsum iudicium, quod imminebat.

Sed ut recto ordine procedamus, possumus dicere quod ille publicanus, gerens formam veri pœnitentis, primo habuit humilitatem contritionis et pœnitentiæ in corde ex recordatione commissæ iniquitatis. Unde convenit ei quod dicitur ¹: « Mœror in corde viri humiliabit illum. » Mœror est dolor de peccatis præteritis: quod est optimum motivum ad humilitatem cordis, quia pœnitens dolens de peccatis, et se libenter subdens Domino, quem offendit, salubriter veniam impetrat, secundum quod dicitur in Psalmo ²: « Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias. » Unde pœnitenti dicitur ³: « In dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum; homines vero receptibiles in camino humiliationis. »

Secundo ille publicanus gerens formam pœnitentis habuit humilitatem recognitionis culpæ in ore, ex timore æternæ calamitatis; unde ⁴: « Humilia valde spiritum tuum, quia vindicta carnis impii ignis et vermis. » Considerans peccator quod vindicta et punitio suæ (a) carnis erit ignis gehennæ, qui non

extinguetur, et vermis conscientiæ, qui non morietur, valde debet humiliare spiritum suum per timorem eorum vicario Dei, et ejus pedibus provolutus, cum dolore et lacrymis sua peccata confiteri, ut dolore et amaritudine compunctionis vermem interficiat, et flumine lacrymarum ignem extinguat. Unde de ista humiliatione dicitur ⁵: « Presbytero humilia animam tuam: » quod fit, quando peccator, considerans quod presbyter tenet locum Dei, non vult tanquam superbus sedere ad latus ejus, imo tanquam humilis se prosternit ejus pedibus, quousque confiteatur, quia tunc impletur in eo, quod dicitur ⁶: « Quia humiliatus est causa mei, non inducam malum in diebus illius. »

Tertio iste publicanus habuit humilitatem subjectionis et reverentiæ in opere, ex consideratione altissimæ majestatis: unde non accessit impudenter; sed stans a longe reverenter, nolebat supercilium oculorum in altum elationis elevare, sed in imum dejectionis deprimere, ut per hoc posset Deum honorare, secundum quod dicitur ⁷: « Magna potentia Dei solius et ab hominibus honoratur. » Magna res, quod excelsus Deus humilia subjectionis in publicano approbat, et alta superbiæ in pharisæo reprobatur, quia non Deum orabat, imo de propriis meritis se laudabat, et alii insultabat. Nam *justificatus descendit* publicanus a pharisæo *in domo conscientiæ propriæ*. Et hoc est quod (b) secundum regulam divinæ justitiæ, quæ est: *Omnis qui se exultat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur*. Certe nunquam ille pharisæus publicano insultasset, si attendisset quod dicit Glossa Augustini ⁸ super illud ⁹: *Superiores invicem arbitantes*: « Non ita debemus arbitrari, vel æstimare hoc, ut æstimare (c) fingamus; sed vere æstimemus (d) posse esse aliquod occultum in aliquo, quo nobis superior est (e), etiam si bonum nostrum, quo illo videmur (f) superiores,

¹ Prov., xii, 25. — ² Psal., l, 19. — ³ Eccli., ii, 4-5. — ⁴ Ibid., vii, 19. — ⁵ Ibid., xv, 7. — ⁶ III Reg., xxi, 29. — ⁷ Eccli., iii, 21. — ⁸ Aug., de divers. Quæst. LXXXIII, q. lxi, n. 5. — ⁹ Philip., iii, 3.

(a) *Cart. edit.* sive. — (b) *Del.* quod. — (c) *Leg.* Non hoc ita debemus existimare, ut non existimemus, sed nos existimare. — (d) *Al.* existimemus. — (e) *Al.* sit. — () *Cart. vlt. add.* esse. — (g) *Al.* iudicemur.

occultum non sit. » Sed dicit forsitan aliquis : Timeo me humiliari plus quam veritas habeat, ne forte ratione humiliationis incurram mendacium simulationis, etc. Respondit beatus Bernardus, *super Cantica* ¹ : « Justius tutiusque est profecto (a), juxta ipsius Veritatis consilium, novissimum locum eligere, de quo postmodum cum honore superius educamur, quam præsumere altioiorem, unde mox recedere oporteat cum rubore? ² Non est periculum, quantumcumque (b) te humilies, quantumcumque (b) te reputes vilioiorem (c) quam sis. Est autem grande malum horrendumque periculum, si vel modicum (d) plus vero (e) te extollas, si vel uni (f) in tua cogitatione te præferas, quem (g) forte parem tibi Veritas judicat, aut etiam superiorem (h) : quemadmodum si ostium transeas, cujus (i) superliminare sit nimium (j) bassum, non nocet quantumcumque te inclinaveris, sed nocet, si te erexeris. »

Secundo in verbo proposito notatur sublimitas præmii sub ratione allicientis, cum subdit : *Exaltabitur*. Triplici exaltatione sublimabitur verus pœnitens, respondente triplici humiliationi. Nam primo, quia habuit humilitatem contritionis et pœnitentiæ in corde ex recordatione commissæ iniquitatis, exaltabitur decore cœlestis gratiæ delentis maculam peccatoris. Secundo, quia habuit humilitatem subjectionis et reverentiæ in opere ex consideratione altissimæ majestatis, exaltabitur virtute abundantioris justitiæ, accumulantis bona meritorum. Tertio, quia habuit humilitatem recognitionis culpæ in ore ex timore futuræ calamitatis, exaltabitur honore deiformis gloriæ, sublimantis ad gaudia angelorum, sive æternorum. Duæ exaltationes sunt in statu viæ, et disponunt ad tertiam, quæ est in statu patriæ.

Primo, propter humilitatem contritionis et pœnitentiæ in corde ex recordatione commissæ iniquitatis, exaltabitur decore cœles-

tis gratiæ delentis maculam peccatorum. Unde ³ : « Dominus exaltans animam, et illuminans oculos, dans sanitatem, et vitam, et benedictionem. » Deus *exaltat animam*, cum ejus affectum expoliat ab ignobilitate velustatis culpæ, et induit novitatem decorantis gratiæ. Et *illuminans oculos* intellectus, a tenebrositate cæcitatatis et ignorantiæ, splendore veritatis et intelligentiæ. *Dans sanitatem* ejus carni per repressionem carnalis concupiscentiæ, et *vitam* æternæ immortalitatis, et *benedictionem* supernæ hæreditatis, ut possit dicere illud Psalmi ⁴ : « Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas (k) in portis filiæ Sion. »

Secundo, propter humilitatem subjectionis et reverentiæ in opere ex consideratione majestatis altissimæ, exaltabitur virtute abundantis justitiæ accumulantis opera meritorum. Unde in Psalmis ⁵ : « Custodi viam ejus, et exaltabit te, ut hæreditate capias terram. » *Custodi viam ejus* per executionem præceptorum, et *exaltabit te* per accumulationem meritorum, *ut hæreditate capias terram*, per retributionem præmiorum. Et propter hoc dicitur ⁶ : « Qui operatur justitiam » multiplicando merita, « exaltabitur » ad magna præmia. Et quia hoc habet fieri mediante timore Domini, ideo dicitur ⁷ : « Facultates et virtutes exaltant cor, et super hoc timor Domini. »

Tertio, propter humilitatem recognitionis culpæ in ore ex timore æternæ calamitatis, exaltabitur honore deiformis gloriæ, sublimantis ad gaudia præmiorum. Unde ⁸ : « Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. » Non enim possumus aliter sublimiter exaltari in patria, nisi humiliemus nos totaliter sub potenti manu Dei in via. Nam si aliter nitimur ascendere, non fit nobis spes de exaltatione

Exaltatio
tertia
in statu
patriæ.

Verus
pœni-
tens tri-
plici
exalta-
tione su-
blimabi-
tur.

Exalta-
tiones
duæ in
statu viæ

¹ Bern., in *Cant.*, serm. xxxvii, n. 6. — ² Ibid., n. 7. — ³ *Eccli.*, xxxiv, 20. — ⁴ *Psal.* lx, 13. — ⁵ *Psal.* xxvii, 34. — ⁶ *Eccli.*, xv, 30. — ⁷ Ibid., vi, 26. — ⁸ 1 *Petr.*, v, 6.

(a) *Cat. edit.* perfectio. — (b) *Item* quantumcumque. — (c) *Al.* minorem. — (d) *Al.* modice. — (e) *Cat. edit.* deest vero. — (f) *Cat. edit.* vel si aliis. — (g) *Item* quantumcumque. — (h) *Item* veritas est, vel parem sibi, vel superiorem judices. — (i) *Item* cum. — (j) *Item* minus. — (k) *Item* opera laudationis tuæ.

cœlestis gloriæ, sed de ejectione infernalis ignominia. Unde ¹: « Ego Dominus humiliavi lignum sublime, et exaltavi lignum humile. » Causa autem justitiæ hujus et equitatis est, quia quanto quis magis se exaltat, et supra se erigitur, tanto minus honorat Deum, et a superioribus se elongat, et inferioribus se subjicit: ac per hoc magis dejicitur. Sed e converso, quanto quis magis se humiliat, tanto magis honorat Deum, et ad superiora appropinquat, et inferioribus superponitur, ac per hoc justo Dei judicio magis exaltabitur. Rogemus ergo, etc.

DOMINICA XI POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS ².

Statim apertæ sunt aures ejus ³. Aperire debemus oculos, aures, os, manus: oculos, ad credendum fideliter; aures, ad obediendum humiliter; os, ad loquendum utiliter; manus, ad subveniendum misericorditer.

De primo ⁴: « A sæculo non est auditum, quod quis aperuit oculos cæci nati. » De his oculis ⁵: « Pater gloriæ det vobis (a) oculos sapientiæ et revelationis, in agnitione (b) ejus, illuminatos oculos cordis vestri (c). » Aperiantur autem per sputum et lutum; unde versus:

Est caro nostra lutum, Patris sapientiæ sputum.

Bene autem Sapientiæ, quæ est Filius Dei, significatur per sputum de ore procedens ⁶: « Ego ex ore Altissimi prodii, » etc. Lutum ergo est caro nostra ⁷: « Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, » etc. Regratiemur ergo Dei Filio, quod in lutum se posuit propter nos, ut nos de luto vitiorum extraheret. Psalmista ⁸: « Eripe me de luto, ut non infigar, » etc. Lutum ergo eum sputo super oculos ponitur, quando Verbum caro creditur: et sic post lotionem baptismi illu-

minantur oculi animarum, quia dum divinitas defectum carnis suscepit, humanum genus lumen, quod amiserat, recepit. Hoc utique collyrium gratis recipere possumus, et gratis illuminari per Christum ⁹: « Justificati gratis per gratiam ipsius, » etc.

De secundo dicitur hic: *Statim apertæ sunt aures ejus*. O quam apertas aures habent scholastici coram magistro, ut capiant et teneant lectionem, ne verberentur virga correctionis! Sed et nos debemus habere eas apertas, ne verberemur virga damnationis ¹⁰: « Ut audiam tanquam magistrum, Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico, retrorsum non abii. » Quomodo autem aperiantur, ostenditur hic, quia misit digitum in auriculam ejus. Digiti Christi sunt dona Spiritus sancti ¹¹: « In digito Dei ejicio dæmonia, » etc. Ecce apparet, quod clausas habuit aures, id est, inobedientes: digito Dei, id est Spiritu sancto, non tanguntur. Unde adhuc a diabolo non sunt liberati, qui solum hoc digito ejicitur. Tales ergo contumaces aures ad obediendum, quando non aperiantur Dei digito, necesse est, ut quandoque feriantur Petri gladio, id est, sententia excommunicationis ¹²: « Amputavit auriculam ejus dextram. » Non percussit aliud membrum, quam auriculam, quia sola inobediencia contumax excommunicationis gladio ferienda est. Quidam autem non attendentes, manum, pedem, et quodcumque membrum amputant, quando propter quamlibet causam excommunicationis sententiam fulmiant. Nihilominus tamen gladius ille semper timendus est. Gregorius ¹³: « Utrum juste an injuste obliget pastor, pastoris tamen sententia timenda est. Væ ei (d), qui subest, injuste si (e) forsitan ligatur, ipsam suæ obligationis sententiam ex alia culpa meretur (f). »

De tertio ¹⁴: « Apertum est illico os ejus, »

¹ *Ezech.*, xvii, 24. — ² Hunc habet quæque edit. Paris. an. 1521. — ³ *Marc.*, vii, 35. — ⁴ *Johan.*, ix, 32. — ⁵ *Ephes.*, i, 17-18. — ⁶ *Eccli.*, xxiv, 5. — ⁷ *Job.*, x, 9. — ⁸ *Psal.*, lxxviii, 15. — ⁹ *Rom.*, iii, 24. — ¹⁰ *Isa.*, l, 4-5. — ¹¹ *Luc.*, xi, 20. — ¹² *Luc.*, xiii, 50. —

¹³ *Gregor.*, in *Evang.*, hom. xxvi, n. 6. — ¹⁴ *Luc.*, i, 61.

(a) *Cert. edit.* dat nobis. — (b) *Item* agnitionem. — (c) *Item* nostri. — (d) *Al. apud Greg.* ne is. — (e) *Item* et cum injuste. — (f) *Item* meretur.

etc. Hoc dicitur de Zacharia. Debemus autem os aperire ad orandum ¹ : « Aperiet os suum in oratione, » etc. Item ad docendum ² : « Os suum aperuit sapientiæ. » Item ad confitendum, et ad alia quæcumque justa sunt loquendum (a) ³ : « Aperit os tuum muto, et causis omnium filiorum, qui pertranserunt. » *Aperit os tuum*, hoc est, decerne quod justum est, et judica inopem et pauperem. Mutus debet esse confessor, ut nihil revelet. Os aperire debet ad utilia, non ad turpiloquia, vel scurrilia, vel inutilia. Unde ⁴ : « Omnis sermo malus de ore vestro non procedat; sed si quis bonus est, ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. » Timendum enim est, ne sicut ad bene loquendum aperit os tuum Dominus, ita ad male loquendum aperiat os tuum diabolus. Joannes Chrysostomus ⁵ : « Omnis sermo malus qui dicitur, immundo spiritu dictante, profertur. »

De quarto ⁶ : « Manum suam aperuit inopi. » ⁷ « Ego præcipio tibi, ut aperias manum tuam fratri egeno, et pauperi, qui tecum versatur in terra. » Frustra aperient manum ad præmium accipiendum, qui eas nunc claudunt ad benefaciendum. Unde vulgariter dicitur : Væ manui libenter accipienti, et nihil danti. ⁸ « Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta. » Sicut ergo mendicus somnians se habere magnum thesaurum in manu, dum vigilat, nihil invenit; sic anima perversi divitis evigilantis in morte. Psalmus ⁹ : « Dormierunt somnum suum, » etc. Augustinus ¹⁰ : « Transit somnus iste, transit vita ista, et nihil inveniunt in manibus suis, qui nihil posuerunt in manu Christi. »

SERMO II ¹¹.

Solutum est vinculum lingue ejus, et loquebatur recte ¹². Quoniam, secundum sanctos, quod semel fiebat a Domino nostro tunc

corporaliter, modo etiam fit ex ipso continue spiritualiter; ideo possumus dicere, quod in verbis istis spiritualiter intellectis, pro quolibet peccatore tria notantur ad nostram instructionem : primum est lubrica sceleris circumvolutio; secundum est dolorosa cordis contritio; tertium est perfecta oris confessio. Et hæc tria habent semper ordinem. Nam non habet efficaciam oris confessio, nisi primo præcedat perfecta cordis contritio; nec cor conteri et pœnitere decet, nisi primo peccati perpetratio viam contritioni præstet. Et per hoc recto ordine proceditur in verbo proposito, eo quod primo notatur lubrica sceleris circumvolutio, cum dicit : *Vinculum lingue ejus*. Sicut enim lingua materialis nimia nervi constrictione, sive alio impedimento ligatur, ne posset vocem formare; sic lingua intellectualis stricta in peccati delectatione circumvolvitur, et enervatur, ut non sufficiat sua peccata recogitare, vel recognoscere. Secundo notatur dolorosa cordis contritio, cum subdit : *Solutum est*. Optime dolor contritionis solvit peccati delectationem, eo quod contraria delectationis culpæ contrariis doloris et amaritudinis pœnitentiæ curantur. Tertio notatur perfecta oris confessio, cum subinfertur : *Et loquebatur recte*; quod fit, quando homo ¹³ « non declinat cor suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, » sed confitetur humiliter et aperte omnia peccata sua.

Dicit ergo : *Vinculum lingue ejus*; ubi notatur primo lubrica sceleris circumvolutio. Sicut enim lingua materialis involvitur et ligatur, ut non possit exire in actum debitum, primo morbi inflammatione, secundo hujus vocis infrigidatione, tertio nervi enervatione; sic lingua spiritualis, id est, pars (b) superior animæ isto triplici modo ligatur et involvitur, ne possit debite moveri in vim propriam, et in subjectum proprium. Nam

LXXV, 6. — ¹⁰ August., Enarr. in *Psal.* LXXV, n. 9. — ¹¹ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ¹² *Marc.*, VII, 35. — ¹³ *Psal.* CXL, 4.

(a) *Cæt. edit. interser. ibid.* — (b) *Cæt. edit. Psalmus.*

¹ *Eclli.*, XXXIX, 7. — ² *Prov.*, XXXI, 26. — ³ *Ibid.*, 8. — ⁴ *Ephes.*, IV, 29. — ⁵ Chryso-st. — ⁶ *Prov.*, XXXI, 19. — ⁷ *Deut.*, XV, 11. — ⁸ *Eclli.*, IV, 36. — ⁹ *Psal.*

primo superbus ligatur vinculo mentalis superbiæ, ne possit moveri ad honorandum Deum; secundo ligatur infrigidatione cordialis invidiæ, ne possit moveri ad ordinandum seipsum.

Primo ligatur superbus vinculo mentalis superbiæ, ne possit moveri ad honorandum Deum. Unde ¹ « persuasum habent iniqui nationi sanctæ posse dominari, vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti. » *Iniqui*, id est elati et superbi, effigentes patrem suum diabolum, qui ² « regnat super omnes filios superbiæ, » *persuasum habent* ab eo *posse dominari et præesse* omnibus, et *nationi sanctæ, vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti* superbiæ excæcantis. Compediti et circumvoluti, ne possint se ad humilitatem inclinare, per quam celsitudo divine majestatis honoratur. Nam « magna potentia Dei solius ³ » a solis humilibus honoratur, ut (a) talibus, qui gigantea magnitudine elati, nolunt humiliari, et aliis propter Deum subjecti esse: futurum enim est, ut tales de limo (b) finalis judicii suffocentur. Parvulos Christus custodit arca humilitatis. Unde tales figurantur per Sedechiam, qui noluit, tanquam elatus et arrogans, submittere collum jugo divini præcepti: de quo dicitur ⁴ quod rex Babylonis, id est diabolus, « oculos Sedechiæ eruit, et vinxit eum in compedibus, ut duceretur in Babylonem. »

Secundo ligantur invidi vinculis cordialis invidiæ, ut non possint moveri ad diligendum proximum. Unde in Psalmo ⁵: « Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus. Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum. » *Principes sacerdotum convenerunt (c) in unum adversum Dominum, et adversus Christum ejus*, quando colligati vinculis cordialis invidiæ, consilium iniierunt adversus Christum, ut eum morti traderent, et vinctum adduxerunt (d), et tradi-

derunt Pontio Pilato, secundum quod dicitur ⁶. Unde ne istis vinculis cordialis invidiæ circumvolvamur odiendo proximos, qui sunt membra Christi, ideo addidit: *Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis infernale et diabolicum jugum*, sub quo se subjugaverunt, cum dixerunt (e) ⁷: « Sanguis hujus super nos, et super filios nostros. » Charissimi, non odiamus proximum, Christi membrum. Qui odit proximum, homicida est, et sanguis proximi super eum est, clamans ad Deum pro sui vindicta.

Tertio ligantur lubrici vinculo corporalis lasciviæ, ne possint moveri ad ordinandum et diligendum seipsum. Unde ⁸: « Inveni mulierem morte amariorem, quæ laqueus est venatorum: sagena cor ejus, vincula manus illius. » Unde dicit: *Inveni amariorem morte muliere* *v.* Nam mors occidit corpus corporaliter; sed nequam mulier corpus et animam æternaliter. *Quæ laqueus est venatorum*, id est, dæmonum. Isto enim muliebri laqueo dæmones venati sunt genus humanum in primo parente. Nam ⁹ « mulier est initium peccati. » *Sagena* infernalis est lubricum cor ejus ad capiendum lubricos in aquis carnalitatatis. Et *manus illius*, id est opera, *vincula* sunt ad trahendum ad lubricitatem peccati. Unde qui non vult illaqueari a dæmonibus laqueo carnalis lasciviæ, sed vult seipsum mundum conservare per puritatem pudicitia, debet quantum potest declinare spectacula vanitatum, fugere consortia mulierum: quia sicut rosa, vel lilium, cum frequenter tangitur, incipit marcescere, et amittere colorem; sic castus homo, quando se exponit hujuscemodi spectaculis vanitatum et mulierum, ita aliquando tangitur et percutitur cor ejus, ut statim incipiat marcescere per immundam cogitationem, amittere colorem et odorem interioris munditiæ per consensum ad illam cogitationem.

Secundo, in verbo proposito notatur dolo-

¹ Sap., xvii, 2. — ² Job, xli, 25. — ³ Eccli., iii, 11. — ⁴ IV Reg., xxv, 7; Jerem., lii, 11. — ⁵ Psal. ii, 2-3. — ⁶ Matth., xxvii, 1-2. — ⁷ Ibid., 25. — ⁸ Eccli., vii, 27. — ⁹ Eccli., xxv, 33.

(a) Forte leg. non autem. — (b) Item tales diluio. — (c) Cæc. edit. cum venerint. — (d) Item adducerent. — (e) Item dixerint.

rosa cordis contritio, cum subdit : *Solutum est*. Solvitur enim per contritionem veram vinculum triplicis prædicti peccati, scilicet superbæ, invidiæ, et luxuriæ, triplici dono quod Deus infundit animæ contritæ, scilicet dono humilitatis, charitatis, et castitatis, ut sic contraria culpæ contrariis gratiæ curentur. Nam primo vinculum mentalis superbæ solvitur per timorem filialis reverentiæ, honorantis Deum; secundo vinculum cordialis invidiæ solvitur per amorem universalis, vel utilis benevolentiae, diligentis proximum; tertio vinculum carnalis lasciviæ solvitur per decorem cœlestis pudicitiae, ordinantis et decorantis subjectum proprium.

Primo vinculum mentalis superbæ solvitur per timorem filialis reverentiæ honorantis Deum. Unde ¹ : « Solve vincula colli tui, captiva filia Sion. » Sion, quæ interpretatur *specula*, est anima christiana, quæ apta nata est in seipsa videre Deum, eo quod est speculum et imago divini essentiae. *Solve* per mansuetudinem timoris et humilitatis *vincula colli tui*, id est, cervicosæ arrogantiae, et rebellantis superbæ, quibus adeo (a) captivata et subjugata eras durissimo imperio diaboli, ut non posses militare sub principe Christo, eo quod nemo potest duobus dominis servire, scilicet Deo, et diabolo, contraria jumentibus.

Secundo vinculum cordialis invidiæ solvitur per amorem universalis benevolentiae diligentis proximum. Unde ² : « Dissolve colligationes impietatis, » id est, motus iræ et rancoris, quibus intellectus impeditur, ne possit cernere verum, et affectus provocatur ad nocendum proximo, solve per vinculum pacis et concordiae. Similiter *fasciculos*, id est prava opera, alios *deprimentes*, solve per condignam satisfactionem. Nam primo debet homo reconciliari, et remittere proximo ex corde; deinde, si eum læserit, per opera satisfacere, quia reconciliatio cordis parum

valet sine satisfactione operis, si possibilitas adest.

Tertio vinculum carnalis lasciviæ solvitur per decorem cœlestis munditiæ pulchrificantis (b) corpus proprium. Et de hoc potest exponi illud ³ : « Hanc filiam Abrahæ, quam alligavit satanas, nonne oportuit solvi a vinculo in die sabbati? » Quasi dicat sic : Ista mulier habens spiritum immundum, quæ erat inclinata ad terram, et non poterat sursum respicere, significat quemlibet labricum habentem immundum spiritum luxuriæ, ratione ejus tantam habuit pronitatem ad malum, ut semper sit inclinata ad terram sapiendo carnalia, et etiam tantam difficultatem ad bonum, ut sic non possit sursum respicere, apprehendendo spiritualia. Isto enim duplici vinculo, scilicet pronitatis ad malum, et difficultatis ad bonum, quæ nobis insunt carnis corruptione, et spiritus aggravatione, alligavit eam satanas : a quo solvitur per Christum, in die pulchritudinis gratiæ, tempore Evangelii. In quo plus commendatur castitas mentis, quam carnis. Nam castitas non est in carne, sed in mente; et ex corde redundat in corpus. Unde melior est castitas mentis, quam corporis. Nam si cor fuerit castum, et corpus; non autem si corpus, et cor : quamvis Judæi, tempore legis, crederent illud esse dictum (c) antiquis ⁴ : *Non mæchaberis*, tantum de castitate carnis. Sed Deus, ad legis impletionem, addidit non solum castitatem esse servandam in carne et corpore, sed etiam cogitatione et visione, cum subjunxit ⁵ : « Ego autem dico vobis : omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo. »

Tertio in verbo proposito notatur perfecta oris confessio, cum subinfert : *Loquatur recte*. Ille loquitur perfectam confessionem, qui loquitur primo humiliter, cum opprobrio accusandi seipsum; secundo loquitur utiliter, cum proposito emendandi defectum; tertio lacrymabiliter, cum desiderio placandi

¹ Isa., LV, 2 — ² Ibid., LVIII, 6. — ³ Luc., XIII, 16. — ⁴ Exod., XX, 14; Matth., V, 27. — ⁵ Matth., V, 28.

(a) *Cet. edit.* ad ea. — (b) *Forte leg.* purificantis. — (c) *Cet. edit.* præmitt. ab.

Deum. Nihil valet confiteri, et explanare peccatum, sine proposito emendandi defectum, vel delictum, quia aliter non potest placare Deum.

Primo loquitur ille recte in confessione, qui loquitur humiliter, cum opprobrio accusandi seipsum. Et de hoc potest exponi illud ¹: « Tædet animam meam vitæ meæ, dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo: Noli me condemnare. » Verbum potest esse perfecte pœnitentis, cui ita displicet peccatum quod perpetravit, ut potius præreligat velle se incurrisse mortem sui corporis, quam peccasse mortaliter, et amisisse Deum, qui est vita animæ, et dicat: *Tædet animam meam vitæ meæ*. Et quasi dimisso eloquio corporali præ nimio dolore contritionis, loquitur in amaritudine animæ suæ, reducendo ad memoriam omnes abominationes, et scelera perpetrata, quibus ad iram Deum provocavit: ut sic justus possit dicere Deo per veram confessionem: *Noli me condemnare*, quia peccata mea paveo, et ante te erubescio.

Secundo ille loquitur recte in confessione, qui loquitur utiliter, cum proposito corrigendi peccatum. Unde in Psalmis ²: « Locutus sum in lingua mea: Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum, quis est, ut seiam quid desit mihi? » *Locutus sum in lingua mea*, propalando peccata mea in confessione: non signo, vel scripto, sed *lingua mea*, et ore proprio. Sed ut valeam meos defectus emendare, *notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum*; quasi diceret: Quia brevis velut umbra: *ut sciam quid desit mihi* ad corrigendum, et satisfaciendum de peccatis. Nihil enim tantum movet peccatorem ad emendandum suos defectus, et corrigendum peccata sua, quantum notitia et memoria mortis. Nam ³ « facile emendat peccata sua, qui cognoscit se semper (a) moriturum. »

Tertio ille loquitur recte in confessione, qui loquitur lacrymabiliter cum proposito placandi Deum. Et de hoc potest intelligi quod dicitur in hodierno evangelio: *Apprehendens illum de turba seorsum, misit digitum in auriculam ejus, et suspiciens in cælum, ingemuit, et ait illi: Effeta, quod est aperire. Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte*. Glossa exponit sic: « Educit Dominus infirmum de turba, cum mentem languidam peccatoris illustrat, a consuetæ conversationis morbo revocat, et ad sequenda præcepta sua provocat. » *Digitos in auriculam mittit*, cum per dona Spiritus sancti ad intelligenda et suscipienda verba salutis aperit. *Sputum*, quod de Domini capite descendit, divinam sapientiam signat, cujus virtute a lapsu humana ignorantia solvitur. *Suspiciens in cælum ingemuit*, ut per hoc doceret thesaurum nostri cordis in cælum erigere, quod per compunctionem et lacrymationem cordis a frivola carnis lætitia purgatur: quia tunc statim aperiuntur aures ad audiendam vocem divinæ comminationis, cum timore solvitur vinculum peccati per contritionem. *Et loquebatur recte* per perfectam confessionem, cujus loquela miro modo Deus misericors placatur. Et ista expositio quasi tota extrahitur de Glossis, etc.

SERMO III ⁴.

Solutum est vinculum linguæ ejus ⁵. Vinculum, quo diabolus animam ligat, est peccatum, quo peccator ligatur pedibus per pravum affectum; manibus, per iniquum tactum; collo, per nocivum verbum; lingua, per indebitum silentium.

De primo ⁶: « Oculos Sedechiæ eruit, et vinxit eum compedibus, et duxit eum rex Babylonis in Babylonem, et posuit in domum carceris, usque ad diem mortis suæ. » Oculus dexter interior hominis est respectus ad

¹ Job, x, 1-2. — ² Psal. xxxviii, 5. — ³ Hieron., ad Cypr., epist. cxxxix, col. m. 461, quoad sensum.

— ⁴ Hunc et quatuor seq. habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁵ Marc., vii, 35. — ⁶ Jerem., lxi, 11.

(a) Apud Hieron. se recordatur quotidie esse.

gloriam æternam; sinister vero, respectus ad gehennam ¹: « Oculi sapientis in capite ejus; stultus in tenebris ambulat. » Oculum sinistrum multi habent; dexterum vero, soli sapientes. Ille vero sapiens, cujus animus in Christo, cujus interior oculus erigitur ad summa. Hunc diabolus *eruit*, quando homo neque pœnam, neque gloriam respicit, vel timet. Pedes affectuum tunc *vincit* cum (a) vinculo, quando sensus ad peccandum trahit. Postea *in Babylonem adducit*, dum in multitudine, vel enormitate peccatorum, hominem confundit: Babylon enim *confusio* interpretatur. Postea in inferni *carcerem* mittit. Qui hæc vincula vult evadere, debet virtutes Joseph habere, de quo ²: « In vinculis non derelinquit eum: » in illis utique vinculis, de quibus Psalmus ³: « Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, » etc.

De secundo ⁴: « Post te vincetis manibus pergunt, et te adorabunt, et deprecabuntur. » Vincula manuum sunt peccata operum. Certe ad patibulum itur, quando manus furis ad tergum vincitur. O quanta instantia et gemitu tunc fur liberari petit! O quanta promittit! Sic miser homo, qui vincetis per peccatum manibus ad patibulum inferni trahitur, instare debet orationibus, ut liberetur. Ideo bene dicitur, quod *vincetis manibus deprecabuntur*. Vincetis enim miseretur Dominus, et eos libenter exaudit. Psalmus ⁵: « Exaudivit pauperes Dominus, et vincetos suos non despexit. » Imo, quod plus est, Dominus, ut manus nostras a vinculis liberaret, manus suas vinciri fecit in cruce, imo ante crucem vincetus fuit. ⁶ « Vincetum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato, » etc. Bernardus ⁷: « Vide, homo, quo amore te dilexit Deus, ut vestigia ejus imiteris: pro te ligatus est, ut a vinculis peccatorum solvereris. » Ecce quam potens fuit manus Christi, qui vincetu manuum suarum nostra vincula solvit ⁸: « Dissoluta sunt vincula ma-

num et brachiorum ejus, per manus potentis Jacob. » His vinculis diabolus manus peccatorum tenet, ne ad bonum opus, vel pauperes extendantur; et ideo vineulis exterius ligabuntur ⁹: « Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores. »

De tertio ¹⁰: « Solve vincula colli tui, filia Sion, » id est, quælibet christiana anima, quæ per peccatum es captiva diaboli. Quodcumque autem peccatum, sive pejerando, sive detrahendo, et hujusmodi per locutionem, per collum transit. Homo bestiam per vinculum colli domat: sic diabolus hominem; sed soluto per Dei gratiam colli vinculo, liberatur a diabolo domino suo. Unde ¹¹: « Conteram jugum ejus de collo tuo, et vincula ejus dirumpam, et non dominabuntur ei amplius alieni. » Aliqui dæmones, dum jumenta sua, id est, peccatores amittere timent, ipsos vanis timoribus et spe in vinculis retinent. Gregorius ¹²: « Multos sæpe vidimus vitam quidem sanctæ conversationis appetere; sed ne hanc consequi valeant, modo irruentes in se casus, modo adversa futura formidant, qui incerta mala dum quasi cauti aspiciunt, in peccatorum suorum vineulis incauti retinentur. » Sed, heu! non sufficit diabolo, quod collum peccatoris, seu peccatricis animæ vinculo peccati constringat, quin etiam collum ejus gravissimo obstinationis, vel scandali lapide deprimat. ¹³ « Væ illi, per quem scandalum venerit! utilius illi esset, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, » etc.

De quarto dicitur hic: *Solutum est vinculum linguæ ejus*, etc. Quando enim diabolus vinculo peccatores vinculaverit pedibus per malum consensum, manibus per malum actum, collo per malum verbum, tunc etiam linguam ligat per periculosum silentium, ne miser homo per confessionem vincula sua rumpat. Et breviter, omnis difficultas confitendi, orandi, laudandi, et utilia loquendi, ^{xxii}, 13. — ¹⁰ Isa., lxi, 2. — ¹¹ Jerem., xxx, 8. — ¹² Greg. — ¹³ Matth., xviii, 7.

(a) *Cæt. edit.* timet pedes affectuum. Tunc vincit eum.

¹ *Eccle.*, ii, 14. — ² *Sap.*, x, 14. — ³ *Psal.* civ, 18. — ⁴ *Isa.*, xlv, 14. — ⁵ *Psal.* lxxviii, 34. — ⁶ *Matth.*, xxvii, 2. — ⁷ Bern. — ⁸ *Gen.*, xlix, 24. — ⁹ *Matth.*,

vinculum est diaboli. Sed miser homo peccator nescit quam periculosum sit hoc vinculum, quo diabolus linguam suam tenet, neque morbum lethalem animæ suæ videt silendo; videt tamen accipiendo. ¹ « Vidit (a) Effraim languorem suum, et Judas vinculum suum. » Judas *confitens* interpretatur.

SERMO IV.

Bene omnia fecit ². Bonus est Dominus, et ideo bene fecit: omnipotens est, et ideo omnia facere, omnia trahere, omnia prospicere, omnia innovare potest. Omnia facit per potentiam, omnia trahit per gratiam, omnia prospicit per notitiam, omnia innovat per gloriam.

De primo Psalmus ³: « Qui fecit cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt. » Hic intrare potest per potentiam Dei, qui considerat singulas creaturas in cœlo, et in terra, et in mari. Nam sicut summam creaturam fecit in cœlo, sic extremam fecit in terra. Qui fecit angelos, fecit vermiculos. Unde quando vos serpentes et alia venenata lædunt, muscæ et ciniphes pungunt, non dicatis, quod diabolus illa creavit, Deus enim fecit omnia ⁴: « Omnia per ipsum facta sunt, » etc. Augustinus ⁵: « Per quem factus est angelus, et per ipsum factus est vermiculus. » Unde omnes reges, et pontifices, et imperatores de tota potentia sua non possent creare unam muscam. Creaturæ autem, quæ lædunt homines, lædere cœperunt propter peccatum. Qui ergo omnia fecit, ille animam, et corpus, et sensus, totum facit (b). Quidquid ergo isti surdo et muto per miraculum restituit, hoc tibi per naturam contulit. Sed, heu! sicut dicitur ⁶: « Deum qui te genuit, dereliquisti, » etc.

De secundo ⁷: « Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. » Traxit Christus animas justorum de inferno. Trahit quotidie homines per doctrinam et gratiam

in mundo. Trahet quoque omnes, et angelos, et homines, et dæmones ad locum judicii in die novissimo. Merito ergo traxit homines Christus ad se, qui etiam traxit de mundo latronem in cruce, cui dixit ⁸: « Hodie mecum eris in paradiso. » Traxit utique homines mortis suæ merito, traxit multiplici beneficio, traxit doctrinæ verbo. Trahunt quoque cum ipso doctores ⁹: « Traxit rete in terram, » etc. Sed, heu! diabolus plures trahit, quam Christus ¹⁰: « Totum in hamo sublevabit. Traxit illud in sagenam suam, et congregavit in rete suam. » Diabolus hamum æternæ mortis abscondit sub esca voluptatum carnalium, vel rerum temporalium, et ideo trahit quidquid hamum Christi evadit. Trahantur autem ad pœnam morientes, qui in esca diaboli exultant viventes. Augustinus: « Noli gaudere ad morem piscis, qui in esca sua exultat. Nondum hamum suum traxit piscator, quem in faucibus habet peccator. » Sicut autem captos pisces piscator assat super carbones, sic diabolus animas assat super carbones inferni.

De tertio ¹¹: « Omnia autem nuda, et aperta sunt oculis ejus, » etc. Vere *omnia* ¹²: « Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi, » etc. Sicut ergo peccata sua per hypocrisim palliare quispiam non potest, quia *nuda sunt*, sic nec per dissimulationem claudere potest, quia omnia *aperta* sunt oculis Domini. Unde ¹³: « Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda, intuentes in absconditas partes. » Solus videt modo corda, quæ omnes videbimus in judicio ¹⁴: « Illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. » Glossa: « Gesta, vel cogitata, mala, vel bona, tunc erunt aperta. » Et quia tunc omnia erunt aperta omnibus, poterit quisque de se et de aliis judicare. Ibi ergo corda uxorum maritis, ibi corda maritorum erunt

¹ Ose., v, 13. — ² Marc., vii, 37. — ³ Psal. cxlv, 6. — ⁴ Joan., i, 3. — ⁵ Aug. — ⁶ Deut., xxxii, 18. — ⁷ Joan., xii, 32. — ⁸ Luc., xiiii, 13. — ⁹ Joan., xvi,

11. — ¹⁰ Habac., i, 15. — ¹¹ Hebr., iv, 13. — ¹² Joan., xvi, 30. — ¹³ Eccli., xxiii, 28. — ¹⁴ I Cor., iv, 5.

(a) *Cat. edit.* Videt. — (b) *Leg. fecit.*

Deus
quomo-
do sit
oculus,
manus et
pes.

uxoribus manifesta. Plus confundi, et plus timere debet homo solum Deum videntem, quam totum mundum peccata sua videntem. Ubi enim ille non videt quod agis, qui ubique est? Augustinus ¹: « Deus totus oculus, et tota manus, totus pes. Totus oculus, quia videt omnia; tota manus, quia operatur omnia; totus pes, quia ubique est. »

De quarto ²: « Ecce nova facio omnia. » Innovabitur enim terra, et cœlum, et sancti in resurrectione. ³ « Ego creo cœlos novos, et novam terram, et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor, et exultabitis, et gaudebitis usque in sempiternum. » Certe cœlum et terram mira pulchritudine innovabit propter homines: multo magis ipsos homines justos per ineffabilem corporis glorificationem innovabit. Quomodo enim tam fragibilia vasa, sicut nunc sumus, tam fortissimum æternæ jucunditatis vinum sustinere possent, nisi nova per gloriam, et fortia fierent? ⁴ « Vinum novum in utres novos mittunt. » Per utre corium nostri corporis significatur, quod resurrectione innovabitur. Qui ergo hoc vino impleri desiderat, aqua compunctionis hydriam cordis impleat.

DOMINICA XII POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS.

Beati oculi, qui vident quæ vos videtis ⁵. Beati, qui corporaliter; beatiore, qui spiritualiter; beatissimi, qui æternaliter vident Christum. Non solum autem Christus, sed et alia nobis videnda sunt, ut beati simus. Videre autem debemus, quid dolendum, quid agendum, quid spernendum, quid recipiendum. Vide ergo peccata dolenda, bona agenda, terrena spernenda, æterna recipienda.

De primo ⁶: « Scito, et vide quia malum et amarum est reliquisse te Deum tuum. »

Si enim amarum malum est reliquisse episcopum, vel amicum, vel oculum, in infinitum amarius et confusibilis est relinquere Deum. ⁷ « Domine Deus, qui te derelinquunt, confundentur. » O si ista bene videremus, quantum flere deberemus! Gregorius ⁸: « Debemus pensare malum, quod consequuntur; pensantes, gemere; gementes, vitare; ea, quæ commisimus, peccata indesinenter aspicere; aspicientes, flere; flentes, abstergere. » Tu ergo peccata propria, sed iudex videre debet aliena. Unde Petrus Ecclesiæ prælatus dixit Simoni Mago ⁹: « In felle amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse. « Ut autem videas veritatem, descendas in te ad inquisitionem, exemplo Domini ¹⁰: « Descendam, et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverunt. »

De secundo ¹¹: « Videte, fratres, quomodo caute ambuletis. » Augustinus ¹²: « Ambulare operibus et virtutibus, perficere est. » ¹³ Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. *Facere iudicium*, scilicet de teipso; *diligere misericordiam in proximo*; *et sollicitum ambulare cum Deo tuo*. Nonne iudicium facit, qui furem vel latronem suspendit? Sic peccator seipsum, tanquam furem, et animæ suæ jugulatorem, suspendere debet in cruce pœnitentiæ. ¹⁴ « Elegit suspendium anima mea. » *Videte ergo, quomodo caute ambuletis*, proficendo in bono. *Videte quomodo caute*, scilicet cavendo a malo. ¹⁵ « Qui se existimat stare, videat, ne cadat: » utique in foveam inferni. ¹⁶ « Si cæcus cæco ducatur, » etc. Propter hoc sancta « quatuor animalia ¹⁷ plena sunt oculis, et ante, et retro: » quoniam sancti plenam debent habere circumspeditionem: ante, ad proficiendum in bono; retro, ad præcavendum in malo. Gregorius ¹⁸: « Sanctorum actio ab omni parte circumspecta

¹ August., *ad Fortunatum*, epist. cxxviii, al. cxi, n. 14. — ² *Apoc.*, xxi, 5. — ³ *Isa.*, lxxv, 17. — ⁴ *Matth.*, ix, 17. — ⁵ *Luc.*, x, 23. — ⁶ *Jerem.*, ii, 19. — ⁷ *Jerem.*, xvii, 13. — ⁸ Greg. — ⁹ *Act.*, viii, 23. — ¹⁰ *Gen.*, xviii, 21. — ¹¹ *Ephes.*, v, 15. — ¹² Aug.

Enarr. in *Psal.* xxxii, n. 10. — ¹³ *Mich.*, vi, 8. — ¹⁴ *Job*, vii, 15. — ¹⁵ *1 Cor.*, x, 12. — ¹⁶ *Matth.*, xv, 14. — ¹⁷ *Apo.*, iv, 6. — ¹⁸ Greg.

est, bona desiderabiliter providens, mala solummodo cavens. »

De tertio ¹ : « Vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem (a) animi, et nihil permanere sub sole. » Vere in omnibus, in honoribus, in divitiis, in voluptatibus vanitas est : sicut vanitas est somnium, vana est umbra. Umbra enim equi pro equo tenere vanitas est : sic transitoria respectu æternorum. Ideo si omnia quasi fumum, vel umbram, quasi fœnum, et fœni florem nominemus, sicut somnium dixerimus, minus profecto, quam se habet ipsa veritas, dicimus. Hanc umbralitatem et vanitatem cognoscent in inferno, qui nolunt salubriter recognoscere in hoc mundo ² : « Quid nobis profuit superbia et divitiarum jactantia? quid contulit nobis? Transierunt omnia velut umbra. » ³ si bene ista videres, quam miseram temporalium avaritiam judicares! Bernardus ⁴ : « Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum, tu desines jam ea sequi, quæ consequi miserum est. » Vidisti nunc vanitatem transitoriorum, vide nunc vanitatem amatoris eorum. Psalmista ⁵ : « Vidi impium superexaltatum, » etc. Unde ⁶ « non est inventus locus ejus, » scilicet, non in mundo, neque in cœlo. Habent tamen impii locum in inferno ⁷ : « Ne ipsi veniant in locum hunc tormentorum. »

De quarto ⁸ : « Circumspice Hierusalem ad orientem, et vide jucunditatem a Deo tibi venientem : » jucunditatem utique æternam. Gregorius ⁹ : « Quis intellectus capere sufficit illius supernæ civitatis quanta sint gaudia? » etc. O si visum in illam jucunditatem intenderes, quam parum poenitentiarum, et adversitatum dura fimeres! Unde neque Stephanus lapides timuit, quando, sicut dicitur ¹⁰, « intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, » etc. Vides ergo quid recipiendum sit bonis, etc. Vide quoque quid recipiendum sit malis ¹¹ : « Quid tu vides! Ollam succen-

sam ego video. » Hæc olla infernum significare potest, in quo diabolus, tanquam cocus horribilis, carnes suas, id est carnales vel luxuriosos, coquit : quæ succensa est igne æterno. ¹² « Ignis succensus est in furore meo. »

SERMO II.

Diliges Dominum Deum tuum ¹³. Sicut diligit filius patrem, amicus amicum, sponsus sponsam, vivens vitam; sic Dominus diligendus est. Ipse enim est nobis pater creatione, amicus redemptione, sponsus amore, vita glorificatione.

De primo ¹⁴ : « Omnis qui diligit eum qui genuit, diligit eum qui natus est ex eo : » hoc est : Qui diligit Deum, diligit proximum ex Deo natum. Deus enim genuit nos creando ad similitudinem et imaginem suam : quia sæpe solet similis filius esse patri, et ideo sicut patrem, imo millies plusquam carnalem patrem diligere debemus. Bernardus ¹⁵ : « Si naturaliter amat filius patrem, a quo habet partem corporis sui, quanto plus amare debet Deum, qui corpus ejus, et animam ex nihilo fecit? » Si oculo, vel pede, vel manu careres, multum eum diligeres, qui ista tibi daret. Quantum ergo diligendus est pater cœlestis, qui tibi omnia membra, et vitam, et animam donavit nobilissimam? Bernardus ¹⁶ : « Homo, cogita qualem te fecit : nempe secundum corpus, egregiam formam; sed secundum animam, imaginem Creatoris insignem, rationis participem, beatitudinis capacem. » Sed, heu! tu superbe, tu avaro, tu luxuriose, tu peccator, sicut dicitur ¹⁷ : « Deum, qui te genuit, dereliquisti. »

De secundo ¹⁸ : « Diliges amicum, » id est, Christum. ¹⁹ « Omni tempore diligit, qui amicus est. » Hujus amici fidem considerare possumus in quadam parabola duorum amicorum, quorum unus, proferto amici sui, se fecit suspendi, et amicus, pro quo suspende-

¹ *Eccle.*, II, 11. — ² *Sap.*, V, 8-9. — ³ Bernard. — ⁴ *Psal.* XXXVI, 35. — ⁵ *Ibid.*, 36. — ⁶ *Luc.*, XV, 28. — ⁷ *Bar.*, IV, 36. — ⁸ Gregor., in *Evang.*, hom. XXXVII, u. 1. — ⁹ *Act.*, VII, 55. — ¹⁰ *Jerem.*, I, 13. — ¹¹ *Deut.*, XXXII, 2. — ¹² *Luc.*, X, 27. — ¹³ *Joan.*, V, 1. —

¹⁴ Bern. — ¹⁵ *Id.* — ¹⁶ *Deut.*, XXXII, 18. — ¹⁷ *Levit.*, XIX, 18. — ¹⁸ *Prov.*, XVII, 17.

(a) *Cæt. edit.* attritionem.

batur, stabat sub patibulo, et iterum furabatur. Amici isti sunt Christus et homo. Homo autem fuit furatus Deo Patri animam suam : qui, cum ad mortem fuisset condemnatus, fidelissimus amicus ejus Jesus, pro ipso, in crucis patibulo se fecit suspendi. Gregorius¹ : « Qui pro nobis mortem carnis indebitam reddidit, nos a debita morte animæ liberavit. » O quanta dilectio !² « Majorem hac dilectionem, » etc. Et ecce vere hujus amici mors quotidie in altari, tanquam in cruce, repræsentatur. Et quia alte pro te pendebat in cruce, alte levatur a sacerdote quasi patibulum de suis brachiis faciente ; ubi tu stas, perverse, voluptatibus, invidiæ, luxuriæ, avaritiæ, adhuc animam tuam furans. Talis ergo amicus est amandus. Bernardus³ : « Super omnia reddite. » Require in sermone : *Spiritus oris mei*⁴, etc., in Parasceve.

De tertio⁵ : « Adjuro vos, filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei : quia amore langueo. » *Filiæ Jerusalem* sunt intelligentiæ angelicæ, vel animæ beatæ, vel animæ in mundo devotæ, quarum mater superna est Jerusalem⁶ : « Illa autem, quæ sursum est, Jerusalem libera est, quæ est mater nostra. » His filiabus supplicare debet sponsa, fidelis anima, ut dilecto suo Christo amoris sui desideria annuntientur, et pro ipsa interpellent. O felix, quare sic langues propter dilectum ? Certe propter vocis ejus dulcedinem⁷ : « Vox enim tua dulcis. » Item propter aspectus pulchritudinem⁸ : « Dilectus meus candidus, » etc. Item propter amplexus suavitatem⁹ : « Læva ejus, » etc. Nota quod vox ad prædicationem, aspectus ad contemplationem, amplexus ad delectationem pertinet. Felix anima, quæ nunc amore languet, sponso absente ! Augustinus¹⁰ : « Desideremus, et amemus, et flagitemus, si sponsæ sumus. Sponsus absens est, sustineamus : veniet, quando desideramus. »

De quarto¹¹ : « Diligas Dominum Deum, et

obedias voci ejus, et illi adhæreas. Ipse enim est vita tua : » vita utique spiritualis et æternalis¹² : « Hæc est vita æterna, » etc. Hæc enim est ratio quare Christus potuerit pro nobis satisfacere : quia enim debitores mortis fuimus, cum vita nostra Christus moriebatur, tunc debitum solvimus. Si diligis vitam temporalem, plus debes diligere Christum, vitam æternalem. Stultus est, qui dat vitam suam pro obolo ; merito stultior est, qui dat vitam æternam pro aliquo transitorio. Vere ergo diligendus est Deus. Anselmus¹³ : « Ecce, Domine, quia me fecisti, debeo meipsum amori tuo totum, imo totum plus quam meipsum, quoniam tu major me es, pro quo dedisti teipsum. »

SERMO III.

*Appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum*¹⁴. Samaritanus hic fecit illud, de quo conquerebatur propheta Isaias factum non esse, dicens¹⁵ : « Vulner, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo, » scilicet misericordiæ. *Vulnus* concupiscentiæ, *livor* invidiæ, *plaga* superbiæ, *non est circumligata* præceptis justitiæ, *neque curata medicamine* pœnitentiæ, *neque fota oleo* misericordiæ. Cesset jam querela, quia ecce Samaritanus noster Christus vulnera non tantum concupiscentiæ, sed omnium generaliter peccatorum sanat ligatura observantiæ mandatorum, oleo misericordiæ egenorum, vino pœnitentiæ peccatorum.

Circa primum nota, quod Dominus ligaturis, scilicet decem præceptis hominem ligat sicut vulneratum, ne de vulneribus moriatur ; sicut vas, ne liquor gratiæ effundatur.

De primo dicitur hic : *Alligavit vulnera ejus*, etc. Psalmus¹⁶ : « Qui alligat contritiones eorum. » Quicumque alligaverit vulnus mortalis culpæ, mortem æternam eva-

¹ Greg., in *Evang.*, hom. XL, n. 2. — ² *Joan.*, xv, 13. — ³ Bern. — ⁴ Vid. sup., in *Parasc.*, serm. IV, pag. 203, col. 1. — ⁵ *Cant.*, v, 8. — ⁶ *Gal.*, IV, 26. — ⁷ *Cant.*, II, 14. — ⁸ *Cant.*, v, 10. — ⁹ *Cant.*, II, 6.

— ¹⁰ Aug. — ¹¹ *Deut.*, xxx, 16, 20. — ¹² *Joan.*, xvii, 3. — ¹³ Anselm. — ¹⁴ *Luc.*, x, 34. — ¹⁵ *Isa.*, I, 6. — ¹⁶ *Psal.*, cxlvi, 3.

det. Insuper et alligaturam habebit immortalitatis contra vulnus miseriæ ¹ : « Lux solis erit septempleriter sicut lux septem dierum in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi sui. »

De secundo, Psalmista ² : « Ad alligandos reges, » etc. Quomodo vinentis præceptorum alligentur fideles, require in sermone : *Joannes autem* ³, in tertio membro. Et nota, quod justii dicuntur reges et nobiles : vere nobiles, quorum Dens Pater est, qui ligantur compedibus mandatorum. Compedes enim sunt vincula, quæ impediunt hominem, et maxime pedem, ne eat quo vult, vel faciat quod vult : sic mandata, ne secundum desideria carnis vel mundi moveatur. Et vere ignobiles sunt, quorum pater diabolus est ⁴ : « Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. » Et tales non a Deo, sed a diabolo alligantur ⁵ : « Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit satanas, » etc.

De tertio ⁶ : « Vincula illius, alligatura salutis. » Vere *salutis*, quia salutaris gratia (a) observantia divinorum præceptorum conservatur in cordis vase. Alioqui, sicut dicitur ⁷, « Cor fatui quasi vas confractum, » etc. Vas ergo ligatum est ad fontem gratiæ applicandum. Augustinus ⁸ : « Vas ad fontem attuli : imple me, *quoniam ad te levavi animam meam.* » Quicumque non alligatus fuerit in gratia, alligabitur in pœna ⁹ : « Alligate ea in fasciculos, » etc.

Circa secundum nota, quod per oleum misericordiæ et pietatis subvenitur, quia ægram sanat animam, multiplicat gratiam, consecrat ad gloriam.

De primo dicitur hic, quia vulnerato oleum infunditur, hoc est, peccatori misericordia et pietas inspiratur, ut sanetur, ut bene mundetur. Leprosus pro emundatione suâ offerre debet olei sextarium ¹⁰, id est, misericordiam sex operum (b), de quibus ¹¹ : « Esurivi, » etc.

De secundo legitur ¹², quod mulier, quæ congregavit in domo sua vasa non pauca, parum olei, quod habuit, in omnia vasa vacua dimisit, et sic crevit oleum, per quod sic mulier a creditore liberatur. Vasa vacua sunt pauperes, quos in domum debes congregare ¹³ : « Egenos vagosque induc in domum tuam. » Ambrosius : « Si peregrinum sub tectum tuum inducas, suspiciasque egenum, ille tibi acquirat sanctorum amicitiam, et æterna tabernacula. » Parum autem olei per omnia vasa distribuitur, juxta illud ¹⁴ : « Si exiguum tibi fuerit, » etc. Inde ergo cum oleum misericordiæ crescit per meritum et gratiam, anima creditori Deo satisfacit.

De tertio dicitur ¹⁵ : « Tulit Samuel cornu olei, et unxit David in regem. » Si ergo coronam regni vis habere in cœlo, oleo misericordiæ ungi debes in mundo ¹⁶ : « Et David in sua misericordia consecutus est sedem regni in sæcula. »

Circa tertium nota, quod vinum pœnitentiæ et compunctionis sanat, lavat, inebriat. Habetur autem per hoc vinum animæ sanitas, vitæ puritas, gratiæ ebrietas.

De primo dicitur hic, quod vulnerato vinum infudit : hoc autem fit, quando peccatori compunctionis gratia confertur. De hoc vino Psalmus ¹⁷ : « Potasti nos vino compunctionis. »

De secundo ¹⁸ : « Lavabit in vino stolam suam, » id est, vestem conversationis. Qui enim vitam suam, tanquam vestem, non laverit, dicetur ei illud ¹⁹ : « Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem ? »

De tertio ²⁰ : « Bibens vinum inebriatus est, et jacuit in tabernaculo (c). » Ebrietas enim spiritus in compunctione facit denudari turpitudinem in confessione. Et sicut ebrius mortis periculo, ita compunctus periculo pœnitentiæ voluntariæ se exponit. Vinum

¹ *Isa.*, xxx, 26. — ² *Psal.* cxliv, 8. — ³ Vid. sup., Dominie. III *Adv.*, serm. III, pag. 30, col. 1. — ⁴ *1 Reg.*, II, 30. — ⁵ *Luc.*, xli, 16. — ⁶ *Eccli.*, vi, 31. — ⁷ *Eccli.*, xxi, 7. — ⁸ Aug., Enarr. in *Psal.* cxlii, 8, n. 15. — ⁹ *Matth.*, xiii, 30. — ¹⁰ *Levit.*, xiv, 10. —

¹¹ *Matth.*, xxv, 35 et seq. — ¹² *IV Reg.*, iv, 5. — ¹³ *Isa.*, lviii, 7. — ¹⁴ *Tob.*, iv, 9. — ¹⁵ *1 Reg.*, xvi, 13. — ¹⁶ *1 Mach.*, II, 57. — ¹⁷ *Psal.* lxxv, 5. — ¹⁸ *Gen.*, xlix, 11. — ¹⁹ *Matth.*, xxii, 12. — ²⁰ *Gen.*, ix, 21.

(a) *Cæt. edit.* gratiæ. — (b) *Forte leg.* misericordiæ sex opera — (c) *Cæt. edit.* tabernaculis.

ergo lacrymarum, quod, ut innuitur¹, de tribus propagininibus contritionis, confessionis, satisfactionis, in calicem exprimi debet, charitas est. Hoc vino angeli delectantur. Bernardus² : « Gaudent angeli in conversione et pœnitentia peccatorum, salutem hominis sitientes : lacrymæ pœnitentium vinum eorum. »

SERMO IV³.

*Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum*⁴. Quia faciliter rudes et sensibiles homines ducuntur in cognitionem alicujus rei spiritualis, cum circumvelatur exemplorum veritate ; ideo Dominus noster volens istum Judæum, et etiam populum judaicum, rudem et insensibilem, per invisibilia ad visibilia manu ducere, describit in verbo proposito, juxta vocabulorum proprietates, primum parentem sub metaphora hominis ab Jerusalem in Jericho descendens, in latrones incidentis, cum dicit : *Homo quidam descendebat ab Jerusalem, etc.* In quo quidem verbo si diligenter attendantur Jerusalem et Jericho interpretationes et conditiones, et etiam expoliatio facta per latrones, valde eleganter describitur primus parens quantum ad tres conditiones, videlicet : quantum ad primum statum suæ creationis, qui fuit status originalis innocentiae ; medium, prævaricationis lapsus, detestabilis culpæ ; ultimum, prævaricationis damnum, sive defectus pœnalis miseriae. Hæc tria se habent per ordinem. Nam Deus primo creavit hominem rectum quantum ad statum innocentiae ; deinde voluntas, cadens a rectitudine justitiæ, acquisivit pœnalitatis defectus et miseriae. Primo ergo in verbo proposito describitur primus parens, quantum ad statum originalis innocentiae, cum dicit : *Ab Jerusalem.* Per Jerusalem interpretatur visio pacis, intelligitur status innocentiae, in quo erat summa concordia, et harmonia inter car-

nem et spiritum primi parentis, licet merito sui peccati adversentur ad invicem. Secundo, quantum ad lapsum detestabilis culpæ, cum subdit : *Descendebat in Jericho.* Per Jericho, quæ interpretatur luna sive defectus, signatur lapsus peccati. Nam peccare idem est quod deficere. Tertio, quantum ad damnum pœnalis miseriae, cum subinfertur : *In latrones*, id est, dæmones, qui despoliaverunt eum indumento innocentiae. Et ista divisio habetur ex Glossa, quæ dicit sic : « Homo ille Adam intelligitur, qui ab altitudine cœlestis Jerusalem prævaricationis lapsu ad miserias et defectus hujus vitæ mutabilis et erroneæ descendit. »

Primo, in verbo proposito per Jerusalem intelligitur status originalis innocentiae : et bene, si attendantur ejus conditiones, et interpretationes. Nam Jerusalem locus erat, primo, dignitatis et honorificentiae, quia regalis præsentiae ; secundo, deliciositatis et affluentiae, quia emanativus lacte et melle ; tertio, securitatis perfectæ, quia custoditus ab angelis die ac nocte. Et hæc tria erant perfectiori modo in statu innocentiae. Nam Adam statu illo habebat dignitatem originalis innocentiae, secundo, deliciositatem oblectabilis gratiæ ; tertio, securitatem protectionis divinæ. Et per hæc tria perfecte ordinabatur ad illam beatam Trinitatem. Nam ratione primi ordinabatur ad speciositatem Filii ; ratione secundi, ad benignitatem Spiritus sancti ; ratione tertii, ad potestatem Patris æterni.

Primo per Jerusalem intelligitur status innocentiae. Et de hoc potest exponi quod dicitur⁵ : *Elevavit me spiritus inter cælum et terram, et adduxit me in Jerusalem in visione Dei.* Ad litteram Dominus elevavit hominem primum, quasi inter cælum et terram, quando eum posuit in paradiso. Nam, secundum Magistrum⁶ : « Homo extra paradysum creatus est, et postmodum in paradiso positus, » ut melius cognosceret Dei beneficium, dum videret se aliunde adductum.

¹ Gen., xl, 10-12. — ² Bern., in Cant., serm. xv, n. 3. — ³ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. —

⁴ Luc., x, 30. — ⁵ Ezech., viii, 3. — ⁶ H Sent., dist. xvii. Vid. huj. edit. tom. III, pag. 2.

Unde secundum sanctos paradisi terrestris est locus valde eminens et altus, quasi medium tenens inter hanc vallem miseriæ, et patrias cœlestes, juxta æquinortialem, ubi est magna temperies temporis, in oriente vergens in meridiem: et ratione suæ altitudinis non ascendunt illuc vapores in aere elevati, quibus luna dominatur; sed est ibi puritas aeris ad contemperantiam caloris, et ideo locus idoneus statui (a) perpetuitatis. Et sicut locus est medius, quia inter cœlum et terram, ita cognitio illius status innocentiae quasi medium tenebat inter statum gloriæ, et statum miseriæ. Nam in statu gloriæ videtur Deus in majestate in sui substantia, ita quod nulla est ibi obscuritas; in statu vero miseriæ, mediante speculo obscuro in ænigmate. Ænigma enim, secundum beatum Augustinum¹, est similitudo obscura. Sed in statu innocentiae videbatur mediante speculo claro, sine aliqua obscuritate, eo quod nulla erat in anima peccati nebula, sed omnimoda puritas, et nulla rebellio carnis et virium inferiorum ad spiritum, sed omnimoda subjectio; et propter tantam harmoniam et concordiam pacis inter carnem et animam, subditur in prædicta auctoritate²: *Et adduxit (b) me in Jerusalem*, quæ interpretatur visio pacis; sed propter omnimodam puritatem, ratione cujus modo (c) oculo rationis videbat Deum sine obscuritate, subinfert, quasi antonomastice, quod fuerat ductus *in visione (d) Dei*. Hujus amissæ innocentiae recuperationem credens fidelis Tobias, dicebat³: *Beatus ero, si fuerint reliquæ seminis mei ad videndum (e) claritatem Jerusalem*, id est, originalis innocentiae, quæ fuit in Christo.

Secundo per Jerusalem intelligitur status innocentiae, quia in eo habebat primus homo deliciositatem oblectabilis gratiæ. Et de hoc potest intelligi illud⁴: *Oculi tui videbunt civitatem Jerusalem opulentam*. Vere Adam in statu innocentiae erat velut civitas Jerusalem

opulenta, pulchra et decora, propter abundantiam gratiarum, et⁵ *terribilis ut castrorum acies ordinata*, propter refulgentiam virtutum. Hanc Jerusalem⁶, *quæ edificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum*, videns diabolus, statim invidit. Unde Bernardus⁷: « Cum videret patrem nostrum, omnium hominum æmulus, charitate circumdatum, et omni virtute vestitum, et accepisse terrenum hominem gratiam, quam ipse amiserat per superbiam, invidit insatiabilis homicida; et cum didicit quod fecit hominem innocentem, rectum, virtuosum, sine sollicitudine, sine tristitia, omni virtute decoratum, omnibus donis ornatum. » Nec est intelligendum, quod statim quando Deus hominem condidit, virtute vestierit, et ornavit; sed quia tunc disposuerit, et non longo tempore post ornavit, quemadmodum major mundus ille sensibilis prius tempore fuit creatus, et post ornatus. Unde sicut esse gratuitum est alterius generis quam esse naturale, sic in diversis temporibus fuit animæ creatio, et gratiæ superinfusio. Nunquam enim Deus, quantum est de lege communi, alicui adulto infundit gratiam, nisi sit præparatio ex parte hominis: et propter hoc non fuit concreata gratia homini, sed dilata quousque homo quodam modo paratum ad usum rationis se disponeret ad suscipiendam gratiam.

Tertio per Jerusalem intelligitur status innocentiae, quia in eo habebat primus homo securitatem protectionis Dei. Et de hoc potest intelligi illud Psalmistæ⁸: *Non commovebitur qui habitat in Jerusalem. Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui*. Vere Adam existens in statu innocentiae nunquam commotionem, sive dissolutionem sui corporis passus fuisset, nisi ab intrinseco: quia licet compositus ex contrariis, et contrarietas sit causa pugnae, et pugna in composito sit causa dissolutionis, et non aliter se

Adam an
luerit in
gratia
statim
creatus.

¹ Aug., *de Trinit.*, lib. XV, s. 16; Enarr. in *Psal.* XLVIII, n. 5. — ² *Ezech.*, VIII, 3. — ³ *Tob.*, XIII, 20. — ⁴ *Isa.*, XXXIII, 20. — ⁵ *Cant.*, VI, 3. — ⁶ *Psal.*, CXXI, 4. — ⁷ Bern. — ⁸ *Psal.*, CXXIV, 1-2.

(a) *Cæt. edit.* statu. — (b) *Item duxit.* — (c) *Leg.* homo. — (d) *Cæt. edit.* visionem. — (e) *Vulg.* videndam.

habent contraria in compositione corporis secundum statum naturæ lapsæ, et secundum statum naturæ institutæ. Secundum enim statum naturæ lapsæ non solum agunt in aliquod extrinsecum, sed etiam ad invicem mutuo agunt et patiuntur, tam in ipsa constitutione, quam post constitutum esse. In statu vero innocentie taliter omnia ista fuerunt comproporcionata in prima compositione, vel ad tantam concordiam educta, ut mutuo, illo statu manente, non pugnant. Et ideo illud corpus commoveri, sive dissolvi sub intrinseco necesse non erat. Unde etsi erat mortale et corruptibile, et habuit causam corruptionis in se; tamen voluntati subiacebat ex ordine divinæ justitiæ: et ideo, nisi voluntas eorum dominaretur, corpus nunquam corrumpetur, quamvis nunc verum sit quod dicit Philosophus, quod omne corruptibile de necessitate corrumpitur, corruptibile non subjacet voluntati, sicut corruptibile corpus Adæ, sed solum virtute (a) naturali. Non enim similiter poterat commoveri, sive lædi ab extrinseco, eo quod *montes*, id est angeli, et *Dominus in circuitu ejus* ad custodiam. Non enim ordo divinæ justitiæ talem deordinationem et punitionem in illo statu debebat admittere, quia nulla culpa præcesserat: quamvis modo permittat innocentem occidi ab impio, eo quod omnis homo, merito peccati originalis, est mortis debitor. Et propter hoc merito poterat sibi dici a Deo illud ¹: *Veni mecum, ut requiescas securus in Jerusalem*.

Secundo in verbo proposito describitur status culpæ sub nomine Jericho, quod interpretatur *defectus*, eo quod peccare nihil aliud est quam deficere. Unde primus homo cum peccavit, bene descendit in Jericho, quia ratione sui peccati incurrit triplicem defectum: primo defectum obscuritatis et ignorantie ad cognoscendum verum; secundo, defectum tepiditatis et ignaviae ad operandum

bonum; tertio, defectum timiditatis et inconstantie ad fugiendum et superandum malum. Et hæc tria mala sunt contra tria bona, quæ erant in statu innocentie. Et sicut per illa bona ordinabatur et assimilabatur sacratissime Trinitati, sic per ista tria mala deordinatur et efficitur dissimilis. Nam cæcitas, sive obscuritas deordinat, sive dissimilat eum a claritate sapientie Filii; tepiditas, a benignitate clementie Spiritus sancti; timiditas, ab immobilitate et stabilitate potentie Patris æterni.

Primo dicitur homo descendisse in Jericho, cum peccavit, quia incurrit defectus cæcitatibus et ignorantie ad cognoscendum verum. Unde ²: *Cum appropinquasset Jericho, cæcus sedebat secus viam, mendicans*. Glossa ³: « Cæcus signat humanum genus, quod a fraterna claritate exclusum (b), damnationis suæ patitur tenebras; sed a Domino appropinquante Jericho sanatur, (c) dum infirmitatem et defectum nostræ carnis et mortalitatis suscipit, cæcus ad cognoscendum divina redit; sed juxta viam, dum incipit credere in Christum, qui dicit ⁴: *Ego sum via, veritas et vita*. Mendicat, dum rogat; et clamat, dum lumen meretur accipere. »

Secundo dicitur homo descendisse in Jericho, cum peccavit, quia incurrit defectum tepiditatis et ignaviae ad operandum bonum. Unde in figura dicitur ⁵: *At ille, scilicet Elisæus, habitabat in Jericho: dixerunt ergo viri civitatis ad Elisæum: Habitatio civitatis optima est, sicut tu ipse, Domine, perspicias (d); sed aquæ pessimæ sunt, et terra sterilis*. Sic (e) isti habitatores Jericho, licet carerent aqua dulci ad bibendum, et terra bona ad panem producendum, quæ maxime sunt necessaria habitationi hominum; tamen æstimabant habitationem tam defectuosam, optimam: sic peccatores existentes in Jericho, id est, in defectu peccati, licet habeant penuriam aquæ sapientie sa-

Triplex
hominis
defectus
ex pec-
cato ori-
ginali.

¹ H Reg., xix, 33. — ² Luc., xviii, 35. — ³ Gloss., ex Bed. in Luc., hb. V, c. 76. — ⁴ Joan., xiv, 6. — ⁵ 1 V Reg., ii, 18.

(a) virtuti. — (b) Apud Bed. in parente primo a paradisi gaudii expulsum, claritatem supernæ lucis ignorans. — (c) Suppl. quia. — (d) Cæt. edit. *Dominus prospicias*. — (e) Leg. Sicut.

lutaris, et in tantam sterilitatem terræ corporalis, ut non valeat (a) ratione tepiditatis et ignaviæ educere de ea panem vitæ et intellectus, quibus nutritur anima, tamen reputant tam defectuosum statum culpæ, optimum.

Tertio dicitur homo descendisse in Jericho, cum peccavit, quia incurrit defectum timiditatis et inconstantiae ad fugiendum malum. Unde in figura dicitur ¹: *Ceperuntque civitatem Jericho, et interfecerunt omnia, quæ erant in ea.* Et sequitur ²: *Deprecatus est Josue dicens: Maledicetur vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit Jericho.* Quia omnia ³ contingebant illis in figura, ideo sicut isti existentes in Jericho non valuerunt resistere præ nimia tepiditate et timiditate, nec fugere, ut non interficerentur, sic peccatores finaliter existentes in statu peccati, ratione cujus tantam timiditatem et inconstantiam incurruunt, ut non valeant fugere malum culpæ, et ideo justo Dei judicio puniuntur malo infernalis pœnæ.

Tertio in verbo proposito describitur primus parens quantum ad damnum pœnalis miseriae, cum subinfert: *Incidit in latrones*, id est dæmones, quia intulerunt ei tria damna: nam primo despoliaverunt eum gratuitis virtutibus; secundo vulneraverunt eum in potentiis naturalibus; tertio debilitaverunt eum in potentiarum viribus, cum semivivum reliquerunt. Sed contra ista tria damna tria bona adhibuit verus Samaritanus et custos Dominus noster Jesus Christus: nam primo, contra spoliationem, tribuit ornamentum gratiæ in incarnatione, ad decorandam animam nudam et deformem; secundo, contra vulnerationem, adhibuit medicamentum misericordiæ in passione, ad sanandam animam sauciatam et languentem; tertio, contra debilitationem, contulit vehiculum, sive adjutorium potentiæ in re-

surrectione ad roborandam animam caducam et debilem. Et hæc omnia eliciuntur ex ipso textu, qui secum portat expositionem. Nam persona indigens ex miseria est genus humanum, quod in Adam per peccatum descendit ab Jerusalem in Jericho, id est, paradiso in mundum, et incidit in latrones, id est, potestatem dæmonum: *qui spoliaverunt eum virtutibus gratuitis, vulneraverunt in potentiis, semivivum relinquendo*: sed persona transiens eum durissima fuit legalis justitia, quæ nec misericordiam, nec medicinam præstabat. Unde glossa Bedæ: « Sacerdos Dei legem nuntiat. » Descendit quidem lex in mundum per Moysen, et nullam sanitatem contulit homini. Descendit Levita, qui typum ostendit prophetarum; sed hoc nullum sanat: quia lex peccata arguit, sed pertransit, cum indulgentiam non largitur. Persona vero subveniens ex misericordia est Dominus noster Jesus Christus, quia Samaritanus custos interpretatur. Hic subvenit humano generi, cum tria remedia contulit contra tria prædicta damna. Primo animam nudam et deformem vestivit ornamento gratiæ incarnationis contra despoliationem. Et hoc est quod dicitur: *Samaritanus quidam iter faciens venit secus viam, et misericordia motus est.* Glossa: « Samaritanus, qui custos interpretatur, Dominus est, qui propter nos homo factus, vitæ præsentis iter arripuit, et venit secus viam in similitudinem hominum factus ⁴, et habitu inventus ut homo, ex cujus adventu homo in gratiam Dei restituitur. Secundo animam sauciatam et languentem sanavit medicamento misericordiæ, in passione, contra vulnerationem. Unde subditur ⁵: *Et appropinquans alligavit vulnera ejus.* Alligamenta adhibuit secundum Magistrum ⁶, quia contra originalis et actualis peccati vulnera sacramentorum remedia instituit, quæ efficaciam habent a passione Christi. Unde sequitur: *Infundens oleum*, id est, charisma sancti Spiritus, *et vinum*, id est, calicem suæ passio-

(a) *Lev.* valeant.

¹ *Jos.*, vi, 21. — ² *Ibid.*, 26. — ³ *I Cor.*, x, 6. — ⁴ *Philip.*, ii, 8. — ⁵ *Luc.*, x, 31. — ⁶ *IV Sent.*, in Proæm. Vid. huj. edit. tom. V, pag. 241, col. 2.

nis, secundum quod dicit Glossa; et *ponens illum in jumentum* corporis sui, cum ¹ « peccata nostra portavit in corpore suo super lignum, cujus livore sanati sumus, » *duxit illum in stabulum* Ecclesiæ. Tertio animam caducam et debilem roboravit in resurrectione, aperiendo sensum sacræ Scripturæ contra debilitatem. Unde subinfert: *Altera die protulit duos denarios*. Glossa: « Altera die, id est post suam resurrectionem, quando amplior æternæ lucis splendor, quam ante passionem, effulsit in mundo, protulit duos denarios, id est, duo testamenta apostolis: quia ipsis ² *aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas* ad regendum et adjuvandum populum. Unde per doctrinam duorum testamentorum, quæ intelligitur in prolatione duorum denariorum, quos dedit stabulario, id est prælato, cujus est doctrinam ministrare, et explanando supererogare, adjuvantur viatores in æternam patriam redeuntes, etc.

DOMINICA XIII POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS ³.

Cum ingrederetur Jesus quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi ⁴. Castellum est mundus. Decem leprosi sunt peccatores, decem mandatorum transgressionibus vitiosi. Considerandum autem unde lepra vitiorum contrahatur, et unde sanetur.

Contrahitur autem lepra animæ corde, ore, opere, consuetudine. Corde ⁵: *Si fuerit plaga lepræ in ædibus, ibit cujus est domus nuntians sacerdoti*. Domus leprosa est cor in affectu, delectatione, et consensu, et voluntate mala. Heu miseria! non potest homo sustinere domum leprosorum in civitate sua; et sustinet cor leprosum in anima sua. Item ore; unde Maria, quia Moysi fratri suo

detraxerat, percussa est lepra, sicut significatur ⁶. Sic etiam doctrinis hæreticis, perjuriiis, detractionibus, mendaciis et malis consiliis, et hujusmodi, lepra contrahitur animarum, unde de fœtido malorum colloquiorum anhelitu alios corrumpunt. Unde præcipitur leprosis ⁷ quod debent habere *os veste contectum*, id est, consuetudine clausum. ⁸ *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat*. Item opere, et spiritualiter opere cupiditatis. Unde de Giezi accipienti pecuniam et vestes a Naaman sanato dicitur ⁹: *Lepra Naaman adhærebit tibi*. Timeant hoc, qui vendunt spiritualia. Item opere præsumptionis, vel usurpationis officii sacerdotalis. Unde dicit de Ozia rege quod percussus est lepra ¹⁰, quia præsumpsit adolere incensum. Timeant hoc, qui invadunt jura sacerdotalia et ecclesiastica. Item de opere crudelitatis; unde de Joab, qui occidit Abner, dicitur ¹¹: *Ne deficiat de domo Joab fluxum seminis sustinens, et leprosus, et tenens fusum*. Timeant hoc, qui crudelia exercent. Item consuetudine; unde præcipitur ¹² vestem leprosam igne comburi. Sicut vestis munda est consuetudo bona, ita vestis leprosa est consuetudo vitiosa, quæ debet igne comburi. Unde vae ei qui munda veste caret et sordidam habet. ¹³ *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Talis vestis comburetur igne gehennæ. *Vestimentum mixtum sanguine* ¹⁴, id est, combustionem.

Circa secundum nota, quod leprosa anima sanatur per baptismalem regenerationem, per pœnitentialem compunctionem, per veram confessionem, per integram satisfactionem. De primo et secundo signatum est ¹⁵ in mundatione Naaman leprosi septies in Jordane loti: per Jordanem enim non solum baptismus, sed etiam compunctionis et lacrymarum torrens significari potest ¹⁶: *Deduc quasi torrentem lacrymas*, etc. Unde bene *Jordanis* interpretatur rivus iudicii: rivus

¹ I Petr., II, 24. — ² Luc., XXIV, 45. — ³ Hunc et duos seq. habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁴ Luc., XVII, 12. — ⁵ Levit., XIV, 35. — ⁶ Num., XII, 10. — ⁷ Levit., XIII, 45. — ⁸ Ephes., IV, 29. — ⁹ IV Reg., V, 27. — ¹⁰ II Paral., XXVI, 19. — ¹¹ II Reg.,

III, 29. — ¹² Levit., XIII, 55. — ¹³ Matth., XXIII, 12. — ¹⁴ Isa., LX, 5. — ¹⁵ IV Reg., V, 10, 14. — ¹⁶ Thren., II, 18.

enim lacrymosæ compunctionis oritur ex timore iudicii. Isidorus ¹ : « Compunctio est humilitas mentis cum lacrymis, exoriens de recordatione peccati, et timore iudicii. » Septies autem lavatur, non septiformis gratiæ qui fluctibus mundatur, sed qui pro singulis septem vitiiis imbribus lacrymarum irrigatur, qui scilicet flet pro invidia, flet pro ira, etc. Psalmus ² : *Lavabo per singulas noctes*, id est per singula peccata, *lectum meum*, id est conscientiam meam. De tertio dicitur hic ³ : *Qui cum irent ad sacerdotem, sanati (a) sunt*. O quanta putas animam leprosam invenire peccata, quæ ostendere debet omnia sacerdoti per confessionem, ex quo mundatur, quæ contrita ad sacerdotem vadit! De hoc Isidorus ait ⁴ : « Confessio sanat, » etc. Require supra in sermone tertio ⁵ : *Confitemini*. Qui vult carere lepra vitiorum, debet sacerdotem quærere ⁶ : *Hic ritus leprosi qui mundatus est : ducetur ad sacerdotem*. De quarto significatum est ⁷, ubi Moyses manum e sinu suo protulit leprosam, secundo protulit mundam. Avarus manum in sinu habet ad conservandam pecuniam congregatam : manus autem quæ profertur ad accipiendam per rapinam, per usuram, per furtum, per quamcumque injustam acquisitionem, est leprosa. Si vero profertur secundo modo, scilicet ad restitutionem, ad largiendum in usus pios, tunc efficitur munda ⁸ : *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis*. Unde bene præcipitur ⁹, ut leprosus mundandus offerat sextarium olei, id est sex opera misericordiæ, de quibus ¹⁰ : *Esurivi*, etc. Oleum enim misericordiam significat. Satisfactio autem non solum est in eleemosynis, sed etiam in orationibus. Ideo etiam oratio ad mundandam leprosam animam valet. Unde et isti decem *levaverunt vocem* ¹¹, etc. Coöperatur quoque non solum propria, sed etiam aliena oratio. Unde, ut legitur ¹², per orationem Moysis Maria mundata est.

SERMO II.

Levaverunt vocem dicentes : Jesu præceptor, miserere nostri ¹³. Verbum istud est de decem leprosis, qui significant peccatores et transgressores decem mandatorum Dei : qui levare debent vocem orationis, ut sanentur. Unde, quia anima gerit typum leprosi, cum peccatrix est, ideo Evangelista excitat torporem ejus negligentiae detinentis : *Levaverunt*, etc.; invocat vigorem divinæ potentiae præsentis : *Jesu præceptor*; obsecrat dulcorem summæ clementiæ remittentis : *Miserere*; insinuat languorem miseriæ affligentis : *Nostri*. Considerandum est autem, quod quatuor sunt, quæ nos fideliter levare debemus, videlicet : oculos, ad lucem contemplationis; linguam, ad vocem orationis; manus, ad virtutem operationis; mentem seu caput, ad spem æternæ retributionis.

De primo Psalmus ¹⁴ : *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis* : non lupinos, non vulturinos, sed columbinos ¹⁵ : *Oculi tui columbarum*. Hos enim levare debemus ad Dominum ¹⁶ : *Levantes autem oculos, neminem viderunt nisi solum Jesum*. Qui enim Jesum vult videre, non debet pulchras mulieres, vel viros, non mundi concupiscibilia videre vel aspicere. Unde Apostolus ¹⁷, cum tribus diebus haberet oculos clausos exterius, habebat apertos interius. Augustinus ¹⁸ : « Eo tempore quo cætera non videbat, Deum videbat. » Si non levas oculos ex amore, leves saltem ex timore, sicut sponsa, quando est cum adultero, sæpe levat oculos pro eavendo periculo, ne superveniens sponsus utramque feriat, vel comburat. ¹⁹ *Leva oculos tuos in directum, et ubi nunc prostrata sis*. Adulter enim iste est diabolus; sponsus vero Dominus, qui peccatorem non continentem paratus est percutere.

De secundo, dicitur hic de leprosis quod

¹ Isid., *Sent.*, lib. II, c. XII. — ² *Psal.* VI, 7. — ³ *Luc.*, XVII, 14. — ⁴ Isid., *Synon.*, lib. I, pag. m. 310, col. 2. — ⁵ *Inno octavo in dieb. Rogat.*, sup., pag. 276, col. 2. — ⁶ *Levit.*, XIV, 2. — ⁷ *Exod.*, IV, 6. — ⁸ *Luc.*,

XI, 41. — ⁹ *Levit.*, XIV, 10. — ¹⁰ *Matth.*, XXV, 35. — ¹¹ *Luc.*, XVII, 13. — ¹² *Num.*, XII, 13-15. — ¹³ *Psal.* CXXII, 1. — ¹⁴ *Cant.*, I, 14. — ¹⁵ *Matth.*, XVII, 8. — ¹⁶ *Act.*, IX, 9. — ¹⁷ *Aug.* — ¹⁸ *Jerem.*, III, 2.

(a) Vulg. dum irent mundati.

steterunt a longe, et levaverunt vocem. Si leprosi non audebant appropinquare ad Jesum, scilicet a longe clamabant, quomodo leprosi hodie in animabus audent appropinquare, et non solum appropinquare, imo etiam tangere corpus Christi, cum lepra animæ multo abominabilior sit lepra corporis? Levanda est ergo vox in oratione¹: *Levavit omnis populus, qui erat cum eo, vocem, et planxerunt, donec deficerent in eis lacrymæ*: hoc enim fecerunt viri, qui erant cum David, quando Achis fecit eum reverti, quia non placebat satrapis, et quia invenerunt Sicelech (a) civitatem suam captam et destructam ab inimicis, et fleverunt, et voluerunt David lapidare, quia uxores et filios duxerant inimici captivos. *Sicelech (a)* interpretatur defæcatio vocis. Civitas vero *Sicelech (a)* animam tuam, vel corpus tuum significare potest, quæ vocem orationis defæcatam et puram ab affectibus vitiorum edere debet, contra illud²: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me*. Hæc autem succenditur igne. Uxor autem est conversatio tua; bona vita, uxor bona; mala vita, uxor mala. Filii tui, opera tua.³ « Jussit eum Dominus venundari, et uxorem ejus, et filios. » Hi etenim venundantur, quando diabolo relinquuntur: venundantur, quando pro culpa æterna tormenta redduntur. Pro his ergo, dum per diabolica tormenta accenduntur, levanda est vox orationis cum lacrymis contritionis. Levanda est autem vox cordis, plusquam oris. Unde Gregorius⁴: « Preces valentiores apud sanctissimas aures Dei faciunt non nostra verba, sed desideria. »

De tertio Psalmus⁵: *In nomine tuo levabo manus meas*. Sed ad quid? Et certe ad subveniendum proximis, ad implendum mandatum charitatis. Psalmus⁶: *Levavi manus meas ad mandata tua, que dilexi*. Levanda autem sunt manus in nomine Domini, non

¹ I Reg., xxx, 4. — ² Matth., xv, 8. — ³ Matth., xviii, 25. — ⁴ Gregor., *Moral.*, lib. XXII, c. xviii, al. xviii, vel xiiii, n. 43. — ⁵ Psal. lxxii, 5. — ⁶ Psal. cxviii, 48. — ⁷ Bern., in *Cant.*, serm. vii, n. 4. —

in nomine diaboli, sicut persecutores, raptores, luxuriosi et avari, et alii perversi sæpe illicite levant manus. Noli, miser, levare manus ad mala, ut in conspectu angelorum levare possis manus ad cælum. Unde Bernardus⁷: « Credimus angelos sanctos astare orantibus, offerre Deo preces hominum, si sine ira et deceptione levare manus prospexerint. » Levare ergo vocem parum prodest, nisi manus ad bonum operandum leventur. Unde⁸: *Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel; si autem paululum remisisset, superabat Amalech*: in quo significatur, quod victoria contra hostes animæ obtinetur, si cum voce orationis manus bonæ operationis leventur.

De quarto⁹: *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra*. Caput mentis levatur pro spe æternæ retributionis. Quicumque enim sunt bonæ vitæ et conscientie, bene possunt levare caput ad Deum, maxime propter tria, de quibus Bernardus sic ait¹⁰: « Tria considero, in quibus tota spes nostra consistit: charitatem adoptionis (b), veritatem promissionis, et potestatem redditionis. » Sed quidam ita turpes sunt in capite¹¹: *Omne caput languidum, et omne cor mærens*, quod præ confusione conscientie non possunt capita levare per sanctam fiduciam. Levant tamen per superbiam¹²: *Si ascenderit in cælum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine perdetur*. Ut autem boni caput levent per spem, inclinant primo per humilitatem, sicut Christus, qui pro nobis¹³ *inclinato capite tradidit spiritum*.

SERMO III.

*Nonne decem mundati sunt*¹⁴? etc. Sicut decem leprosi significant decem mandatorum transgressores, ita decem mundati significant eos, qui per Christum ad observantiam

⁸ *Erol.*, xvii, 11. — ⁹ *Luc.*, xxi, 28. — ¹⁰ Bern., in Dom. VI, post Pent., serm. iii, n. 6. — ¹¹ *Isa.*, i, 5. — ¹² *Job.*, xx, 6. — ¹³ *Joan.*, xix, 30. — ¹⁴ *Luc.*, xvii, 17.

(a) Vulg. *Siceleg*. — (b) *Cæl. edt.* adorationis.

decem mandatorum sunt conversi. Considerandum ergo, quod decem mandatorum observatores a lepra culpæ mundantur, a pœna gehennæ liberantur, pecunia gratiæ ditantur, vita gloriæ non privantur.

De primo dicitur hic : *Nonne decem mundati sunt*, a lepra vitiorum, qui scilicet vere conversi fuerunt ad observantiam decem mandatorum. Multum abhorret homo lepram corporis. O quanto magis abhorrenda est lepra animæ ! propter illam enim ab hominibus temporaliter, propter istam autem ab angelis et sanctis omnibus æternaliter ejicietur ¹ : *Ejicient de castris omnem leprosum*, etc. Bernardus ² : « Quis, putas, quantus luctus erit, quis mœror, quæ tristitia, quando separabuntur mali a consortio bonorum ad damnationem ; quando traditi in potestatem dæmonum ibunt cum ipsis in ignem æternum, ibi nunquam miseri lucem, nunquam requiem adepturi, sed per millia millium annorum igne cruciandi, nec unquam inde liberandi ? » Sed Christus, ut leprosas animas mundaret, ipse tanquam leprosus passus est se contemni ³ : *Nos reputavimus eum quasi leprosum*. Mundatur autem anima leprosa, vel in aqua baptismi, sicut significatur in Naaman ; vel in via pœnitentiæ. Unde de decem leprosis hic dicitur ⁴ : *Qui dum irent, mundati sunt*. Quomodo eundem sit in via pœnitentiæ, dicitur in Psalmo (a) ⁵ : *Euntes ibant et flebant*, etc.

De secundo ⁶ : *Non delebo propter decem*. Nota ista : quomodo Dominus propter quinquaginta, vel quadraginta, vel viginti, vel propter decem pepercisset Sodomis, quos igne et sulphure delevit. In quo damnatio æterna significatur : Psalmus ⁷ : *Ignis, sulphur, et spiritus procellarum*, etc. Hanc non solum observatores decem mandatorum evadunt, sed etiam eorum meritis damnatio reproborum differtur, sicut patet ex promissis (b). ⁸ *Considerate, et querite in plateis*

Jerusalem, an invenietis virum facientem judicium, et querentem fidem : et propitius ero eris. Sed ad quid differtur ? Augustinus ⁹ : « Omnis malus, aut ideo vivit, ut corrigatur, aut ut per eum bonus exerceatur. » Sed nota quod infra decem non descendit, quia sine decem mandatis nullus justus esse potest, nullus damnationem evadit. Licet autem per justos damnatio impiorum possit differri, non tamen per justos potest auferri, si non corrigantur ¹⁰ : *Si fuerit Noe et Daniel, et Job in medio ejus, filium et filiam non liberabunt ; sed ipsi in justitia sua liberabuntur*.

De tertio ¹¹ : *Vocatis decem servis suis, dedit eis decem mnas*, etc. Homo nobilis est Christus, qui decem servis suis, id est, decem mandatorum observatoribus pecuniam, id est, bona sua tradidit. Committit ergo ad augenda luera meritorum ¹² : *In viis justitiæ ambulo, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam*. Sed valde timendum est, quod servus damnatur, qui pecuniam, sive materiale, sive spiritualem scientiæ, vel enjuslibet gratiæ non legitur turpiter, sicut filius prodigus, expendisse, sed tantum luera bona et operum augmentum neglexisse. Propter hoc ait Augustinus ¹³ : « Nulla nos a spirituali opere cura terrena impediatur, ne, si in terra talentum abscondatur, Dominus ad iracundiam provocetur. » Unde et Dominus bene dicitur ¹⁴ maledixisse ficum, quia non habuit fructum. Quod ergo erit de facientibus pessimos fructus ?

De quarto ¹⁵ : *Decem viri dixerunt ad Ismaelem : noli occidere nos, quia habemus thesaurum in agro, frumenti, vini, et olei, et hordei, et mellis. Et non interfecit eos*. Thesaurus iste virtutes significat, quæ in agro cordis esse debent ¹⁶ : *Simile est regnum cælorum thesauro*, etc. Frumentum, quod est granum omnium nobilissimum, significat charitatem, quæ nobilior est cæteris virtuti-

Psalm. LIV, II, 4. — ¹⁰ *Ezech.*, XIV, 16. — ¹¹ *Luc.*, X, 13. — ¹² *Prov.*, VIII, 21. — ¹³ *Aug.* — ¹⁴ *Marc.*, XI, 14. — ¹⁵ *Jerem.*, XLI, 8. — ¹⁶ *Matth.*, XIII, 44.

(a) *Cæt. edit.* dicitur. *Psalmus*. — (b) *Forte leg. præmissis*.

¹ *Num.*, V, 2. — ² *Bern.* — ³ *Isa.*, LIII, 4. — ⁴ *Luc.*, XVII, 14. — ⁵ *Psalm.* CXXV, 6. — ⁶ *Gen.*, XVIII, 32. — ⁷ *Psalm.* X, 7. — ⁸ *Jerem.*, V, 1. — ⁹ *August.*, *Euarr. in*

bus; hordeum autem, vitæ austeritatem; oleum, misericordiæ pietatem; mel, devotionis dulcedinem significat. Ismael vir auditus interpretatur, et significat diabolum, qui libenter audit perjuriam, traditiones, mundana, et omne malum ¹: *Omnes inimici mei audierunt malum meum: letati sunt, quoniam tu fecisti*, etc. Vel etiam significat Christum, cujus auditum nihil fugere potest ²: « Auris zeli audit omnia. » Interlinearis: « Auris Dei zelantis per amorem, quem habet ad animam. » Diabolus ergo, vel Christus, vita æterna illos non privant, qui spirituales thesauros in agro cordis habent.

SERMO IV ³.

Steterunt a longe, et levaverunt vocem dicentes: Jesu præceptor, miserere nostri ⁴. Quia solent reges et iudices petitiones indiserete formatas refellere, nec effectui (a) mancipare; hinc est quod isti leprosi gerentes typum pœnitentium, ne reprehensibiles invenirentur, coram majestate magni regis Jesu Christi, ostenduntur in verbo proposito discrete et prudenter suas petitiones porrexisse. Nam primo in verbo proposito ostenduntur religiosissimi, quantum ad gestum circumspectionis, quia perfusum timore humilitatis; secundo ostenduntur devotissimi, quantum ad præconium laudationis, quia invocabant principium humanæ salvationis; tertio ostenduntur prudentissimi, quantum ad intentum petitionis, quia versabantur contra defectum propriæ infectionis. Primo namque habuerunt religiosum gestum circumspectionis, quia perfusum timore humiliationis per distantiam positionis. Non enim accesserunt tanquam superbi præsumptuose, sed tanquam humiles reverenter: *Steterunt a longe*. Secundo habuerunt devotum præconium laudationis, quia invocabant principium humanæ salvationis cum vehemen-

tia clamoris. Unde *elevaverunt vocem*, cum desiderio proferentes, dicentes: *Jesu*, quod interpretatur *salus*. Tertio habuerunt discretum intentum petitionis: quia versabantur contra defectum propriæ infectionis, sine verecundia propalationis. Et ob hoc subjuxerunt: *Miserere nostri*, scilicet quia sumus infecti morbo lepræ. Non enim verecundati sunt suum defectum propalare.

Dicit ergo: *Steterunt a longe*; ubi commendantur quantum ad religiosum gestum circumspectionis, qui primo stat humiliter, ad deplorandum commissa peccata; secundo stat viriliter ad superandum diabolica tentamenta; tertio stat perseveranter ad obtinenda æterna præmia.

Primo illa anima pœnitens habet religiosum gestum circumspectionis, quæ stat humiliter ad deplorandum sua peccata. Unde ⁵: *Publicanus a longe stans volebat nec oculos ad cælum levare; sed percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori*. Unde Glossa: « A longe stat, sicut humilis: non aulet appropinquare, ut Deus ad ipsum appropinquet: non aspicit, ut aspiciatur: premit conscientiam, sed spem elevat: percutit pectus, de seipso pœnitentias exigit, ut Deus parcat: confitetur, ut Deus ignoscat: ignorat Deus quod ille agnoscit. » Intellexerat enim ille publicanus illud quod dicitur ⁶: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et in timore*. Hoc modo stabat Maria Magdalena, secundum quod dicitur ⁷: *Stans retro secus pedes ejus, lacrymis caput rigare pedes, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat*. Moraliter autem ista sex, quæ dicuntur de ista peccatrice, debent esse in quolibet peccante, scilicet 1. pudor erubescentiæ, quod notatur, cum dicit: *Stans retro*; 2. timor reverentiæ, ibi: *Secus pedes*; 3. dolor pœnitentiæ, ibi: *Et lacrymis caput rigare*; 4. amor pudicitiae, ibi: *Capillis capitis sui tergebat*; 5. ardor benevolentiae, ibi: *Et osculabatur*; et 6. dulcor de-

(a) Cæt. edit. affectum.

¹ Thren., I, 21. — ² Sap., I, 10. — ³ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ⁴ Luc., XVII, 12-13. — ⁵ Luc., XVIII, 13. — ⁶ Eccli., II, 1. — ⁷ Luc., VII, 38.

volitionis internæ, ibi : *Et unguento ungebat.*

Secundo illa anima habet religiosum gestum, quæ stat viriliter ad superanda diabolica tentamenta; unde ¹ : *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidius diaboli.* Et sequitur : *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induite*

Memoria
passio-
nis
Christi
arma-
tura ad
omnia
diabolica
tentam-
enta
superan-
da.

Narrat
S. Bon.
quantum
sibi pro-
fuert
memo-
ria pas-
sionis
Christi.

loricam justitiæ. Ista armatura, qua debemus indui ad hoc, ut possimus superare diabolica tentamenta, est memoria passionis Christi, quæ si ad memoriam affectuose reducatur, omnes demones cum tremore effugantur, secundum quod experientia me docuit pluries. Nam semel cum diabolus fortiter me stringens in gutture vellet strangulare, jam non valens præ nimia strictione gutturis clamare, ut fratrum adjutorium imprecarer, incipiebam cum ingenti dolore spiritum exhalare, statimque habita dominicæ passionis memoria, incœpi ex compassione dominicæ passionis singultum geminare et magna suspiria loco vocis submittens cordis medullis emittere : quo finito, virtute dominicæ passionis, ego servus crucis, qui præsens sermonum opusculum ad laudem nominis Christi et sanctæ crucis honorem compegi, tam crudeli nece profiteor me esse liberatum. Scio, quod postea ex revelatione didici, quod exigentibus meis peccatis, quanquam de peccato mortali mihi conscius non essem, hoc mihi evenire divina justitia permittebat. Sed quia nullus potest istam armaturam induere, nisi carnis luxuriam per carnis continentiam coaretet, ideo sequitur in prædicta auctoritate ² : *Succincti (a) lumbos in charitate* per refrænationem carnalium desideriorum. Et « quia minus est mala non agere, nisi quisque studeat bonis operibus insudare ³; » ideo adjungit : *Induite loricam justitiæ* per impletionem divinatorum præceptorum. Unde talis, qui est præcinctus lumbis suis per castitatem, indutus lorica justitiæ per bonam ope-

rationem, et armatus memoria dominicæ passionis per continuam meditationem, redditur diabolo et ejus satellitibus *terribilis, ut castrorum acies ordinata* ⁴.

Tertio illa anima habet religiosum gestum, quæ stat perseveranter ad obtinendum æterna præmia; unde ⁵ : *Abierunt iterum discipuli ad semetipsos; Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.* Ecce quod, discipulis recedentibus, Maria Christi amoris igne succensa ad monumentum perseverabat, quia desideria dilatione non deficiebant, sed potius Maria sui cordis desiderii acquiescebat; et ideo ratione suæ perseverantiæ meruit primo videre gloriam Christi resurgentis : ut posteris per hoc daretur intelligi, quod nullus potest esse particeps gloriæ, nisi perseveret ad monumentum pœnitentiæ, usque ad ultimum finem vitæ suæ.

Secundo in verbo proposito commendantur leprosi, quantum ad devotum præconium laudationis, invocando principium humanæ salvationis, quod est Christus Jesus. Unde *levaverunt vocem suam, dicentes : Jesu præceptor.* Et bene ille, qui *salus* interpretatur, dignus est laudis præconio. Nam per ipsum tria nobis donantur, in quibus perfecta salus humani generis consistit : et primum est remissio omnium peccatorum, quantum ad dona veniæ; secundum est infusio charismatum divinatorum, quantum ad dona gratiæ; tertium est consummatio mentalium desideriorum, quantum ad dona gloriæ.

Primo Jesus dignus est laudatoriæ invocationis præconio, quia per ipsum tribuitur pœnitentibus remissio omnium peccatorum. Unde ⁶ : *Pœnitentiam agite, baptizetur unusquisque in nomine Jesu in remissionem peccatorum.* De hoc similiter dicit apostolus Paulus ⁷ : *Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quia Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Unde talis sermo est dignus omni laude et

¹ Ephes., vi, 11, 14. — ² Ibid., 14. — ³ Ex hom. xiii, n. 1, Greg., in Evang. — ⁴ Cant., vi, 3. — ⁵ Joan., xx, 10-11. — ⁶ Act., ii, 38. — ⁷ I Tim., i, 15.

(a) Cant. edit. *Præcincti.*

acceptatione, cum Filius Dei mira sua benignitate dignatus est venire in hunc mundum per carnis assumptionem, ut ovem perditam morte propria de ore dæmonum liberaret, et ejus vulnera pigmento proprii corporis et sanguinis limret vel sanaret.

Secundo Jesus dignus est laude et præconio, quia per ipsum tribuitur proficientibus infusio charismatum divinorum. Unde¹: *De plenitudine ejus omnes nos accepimus, gratiam pro gratia : quia lex per Moysem data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est.* Quia divinitas fuit in Christo homine, ex quo conceptus est, implevit illum, nullis præcedentibus meritis, omni plenitudine gratiæ secundum Glossam. Ideo *de ejus plenitudine* redundantiam, ab ipso capite nos ejus membra *accepimus*. Nam omnis dulcedo gratiæ est per Jesum. Et propter hoc Ecclesia omnes orationes terminat : *Per Dominum nostrum Jesum Christum.* Et *pro gratia*, quæ gratis et sine merito datur, *gratia* meriti, cum in illa proficimus. Unde Glossa : « Gratia simpliciter, quæ non est ex meritis, in inceptatione boni datur; sed postea cum per illam operamur, et in bonum crescimus, tunc (a) datur *gratia* pro *gratia* priori : *quia lex*, id est, salutis prænuntiatio et præfiguratio, sive promissio, *per Moysem* servum *data est*; *gratia et veritas*, id est, salutis adimpletio, *per Jesum Christum facta est.* »

Tertio Jesus est dignus præconio laudationis, quia per ipsum tribuitur perseverantibus consummatio mentalium desideriorum. Unde² : *Salvatorem expectamus Dominum Jesum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ* : et hoc erit per manifestationem gloriæ Christi, in ejus assimilatione et beatificatione omnia desideria nostra complebuntur. In nullo enim alio possunt quietari et quiescere humilia (b) desideria, nisi in Christo Jesu. Nam si ab ipso declinaverunt, non plena,

imo vacua erunt. O Deus! quanta aviditate appetendus est Jesus, unica salus humana, totum bonum Christianorum, plenum gaudium bonorum, in quo corporaliter habitat plenitudo deificæ voluptatis, in quo anima absorpta proficit, omnia ejus desideria consummantur!

Tertio in verbo proposito commendantur illi leprosi, quantum ad discretum meritum petitionis, quia versabatur contra subjectum propriæ infectionis, cum subinfert : *Miserere nostri.* Habebant enim triplicem defectum, ratione cujus interior et exterior homo gravabatur : nam primo habebant calamitatem corporalis miseriæ; secundo habebant cæcitatem intellectualis ignorantiæ; tertio habebant iniquitatem affectualis malitiæ. Ab isto enim triplici defectu discrete petebant liberari, cum dicebant : *Miserere nostri.* Primo, inquam : *Miserere nostri*, relevando defectum corporalis miseriæ per collationem exterioris sanctitatis; secundo : *Miserere nostri*, relevando defectum intellectualis ignorantæ per illustrationem infallibilis veritatis; tertio : *Miserere nostri*, relevando defectum affectualis miseriæ per donationem interioris sanitatis.

Primo : *Miserere nostri*, relevando defectum corporalis miseriæ, collatione exterioris sanitatis. Hunc effectum in se petebat Job relevari ab amicis, cum dolore eis calamitatem inflictam exponendo, secundum quod dicitur³ : *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Dicit enim bis : *Miseremini, miseremini*, ut ostendat quod misericordia debet esse in affectu interiori, et in effectu exteriori. Sed ubi deficiunt omnes amici mei humani, non deficit verus amicus Christus, secundum quod patet in parabola ulcerati⁴ : *Samaritanus autem iter faciens, misericordia motus, et appropians alligavit vulnera ejus.* Qui *custos* interpretatur; qui, tanquam verus medicus, conservat et custodit animas et corpora in perfecta

¹ *Jonn.*, I, 16-17. — ² *Philipp.*, III, 20-21. — ³ *Job*, XIX, 21. — ⁴ *Luc.*, X, 33-34.

(a) *Cæst. edit.* tuncque. — (b) *Leg.* humana.

sanitate, *iter* faciens, visitando post condescensionem majestatis, *miseriordia motus est*, miserando per affectum pietatis et vulnera ejus sanando per virtutem divinitatis. Ipse enim est medicus totius experientiae, qui sanat omnem languorem, sine unguento, sine ferro, sine quocumque terreo medicamento; sed tantum solo verbo, et suae voluntatis nutu et beneplacito.

Secundo: *Miserere nostri*, relevando defectum intellectualis ignorantiae illustratione infallibilis veritatis, unde ¹: *Cæcus multo magis clamabat: Miserere mei. Stans autem Jesus jussit eum adduci ad se.* Sicut enim iste cæcus non dimittebat propter turbæ tumultum et inreparationes, quin multo magis clamaret, ut lumen corporale mereretur accipere, sic qui vult a Jesu illuminari spiritualiter, cum tumultus carnalium vitiorum dissipet cogitationes hominum, et perturbet voces orationis, ne instet, atque ita illuminari non possit, jam sentiens gravari phantasmate priorum vitiorum, et vocem suæ orationis impediri, ardentius clamet: quia dum vehementius insistit orationi, ducitur ad Jesum stantem, et recipit lumen, eo quod Deus in corde firmo figitur, et sic lux amissa recuperatur, secundum quod dicit Glossa. Ad hoc similiter pertinet quod dicitur ²: *Miserere nostri, Deus, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum*, ut ipsa nos dirigat, ne in via morum præcipitio ruamur (a); adducat per cognitionem et amorem ad montem sanctum tuum Jesum Christum.

Tertio: *Miserere nostri*, relevando defectum affectualis malitiæ decoratione interioris sanctitatis; unde ³: *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Quia nullus potest sperare veniam peccatorum, nisi prius

dimittat retrahens peccatum, ut possit toto corde redire ad Dominum; ideo primo hortatur ad desertionem impediti retrahentis, cum dicit: *Derelinquat impius viam suam*, id est, peccatum operationis, *et vir iniquus cogitationes suas*, id est, peccatum cordis. Unde homo non tantum debet relinquere peccatum in opere; sed in corde evitare immundas cogitationes et inordinatas affectiones, ne eis consentiat (b), eo quod ⁴ *præversæ cogitationes separant a Deo.* Post desertionem impediti retrahentis, inducit ad reprehensionem complementi expedientis, cum subdit: *Et revertatur ad Dominum cum timore, et ad Deum nostrum cum amore.* Postremo exprimit dulcedinem bonitatis omnem iniquitatem relaxantis, cum subinfert: *Et miserebitur ejus* per condonationem omnium delictorum: *quoniam multus est ad ignoscendum*, eo quod tanta est offensa quæ relaxatur, quantus est ipse qui offenditur. Rogemus, etc.

DOMINICA XIV POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS ⁵.

Nemo potest duobus Dominis servire ⁶. Quatuor sunt necessaria ad salutem, quæ tamen nemo potest habere, nisi eo modo, quo scriptum est: nemo potest Deum cognoscere credendo, nisi per revelationem; nemo potest ad Deum venire pœnitendo, nisi per attractionem; nemo potest Deo servire bene vivendo, nisi per temporalium repudiationem; nemo potest ad Deum ascendere evolvendo, nisi per unionem, ut videbitur.

De primo ⁷: « Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit revelare. » Sicut nemo vidit solem, nisi per lumen, et ipsum lumen nemo vidit, nisi per ipsum lumen; sic (c) nemo noscit Patrem, nisi per filium, qui est lumen revelans ⁸: « Lumen ad revelationem

in codice Assis. sæc. XIII. — ⁶ *Matth.*, VI, 24. — ⁷ *Ibid.*, XI, 27. — ⁸ *Luc.*, II, 32.

(a) *Leg.* ruamus. — (b) *Cæt. edi.* sentiat. — (c) *Al.* sic ut.

¹ *Luc.*, XVIII, 39-40. — ² *Eccli.*, XXXVI, 1. — ³ *Isa.*, LV, 7. — ⁴ *Sap.*, I, 3. — ⁵ Hunc et duos seq. habet quoque edit. Paris. an. 1521, secundus vero desidera-

gentium. » Hoc lumen ille Simeon non solum vidit, sed etiam in manibus accepit ¹. Radius enim luminis hujus per ventum tentationis cito in nobis extinguitur, nisi manibus honorum operum circumfoveatur ² : « In manibus abscondit lucem, et præcipit ei, ut rursus adveniat. » Sicut autem sol per lumen suum omnibus æqualiter adest, non tamen æqualiter revelat clausis et apertis, lippis et claris oculis; sic se habet revelatio luminis æterni ad visum fidei. Augustinus ³ : « Deus omnibus æqualiter adest; ille autem plus habet loci, qui plus attulerit non argenti, sed fidei. »

De secundo ⁴ : « Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. » *Nemo potest venire*, etc. Sæpe nemo permittitur a dæmoniacis et perversis hominibus alios a bono retrahentibus ⁵ : « Occurrerunt ei duo habentes dæmonia, sævi (a), » id est crudeliter, « nimis, ita ut nemo posset (b) transire per illam viam, » scilicet pœnitentiæ, in qua venit filius prodigus, filius famelicus ad patrem gratiarum abundantem. Augustinus ⁶ : « Pauper, veni ad divitem; miser, ad misericordem, ne redeam vaeuus et contemptus : et nunc *antequam comedam suspiro* ⁷, da vel suspiria, ut comedam. » Ut autem homo veniat ad eum, oportet ipsum trahi per funem gratiæ. De hoc require supra ⁸, in sermone : *Nemo potest venire ad me* (c), etc., feria IV, post Pentecostem, sermo 1, in membro 4. Sed certe si non traheris a Deo in cælum, traheris a diabolo in infernum ⁹ : « Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli. »

De tertio dicitur hic : *Nemo potest duobus dominis servire*. O quam dissimiles sunt illi duo domini, Deus, et diabolus! Primus enim est suavissimus; Psalmus ¹⁰ : « Suavis Dominus universis. » Secundus autem crudellissimus ¹¹ : « Tradam Ægyptum in manus dominorum crudelium. » Alter enim remu-

nerat servos suos cum corona, alter cum gehenna. Istis ergo dominis nemo potest simul servire, sicut nemo potest flere et ridere, vigilare et dormire, ascendere et descendere. Deo servitur flendo per pœnitentiam; diabolo, ridendo per lasciviam ¹² : « Plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit. » Si quis enim compungitur, hunc fletum quærit, hunc risum fugit. Joannes Chrysostomus ¹³ : « Sola enim compunctio, quæ facit ipsam animam horrescere purpuram, desiderare silentium, amare lacrymas, fugere risum. » Item Deo servitur vigilando in custodia contra diabolum; diabolo autem servitur dormiendo in negligentia contra Deum. ¹⁴ « Non dormiamus, sicut et cæteri; sed vigilemus et sobrii simus. » Item Deo servitur ascendendo de virtute in virtutem, usque in cælum; diabolo autem, descendendo de vitio in vitium, usque ad infernum. Psalmus ¹⁵ : « Ascendunt montes, et descendunt campi. » Et illi quidem ascendunt usque ad cælos; isti autem descendunt usque ad abyssos. Cum ergo nemo possit duobus dominis servire, repudiemus alterum, scilicet diabolum, ut soli Deo serviamus ¹⁶ : « Præparate corda vestra, et servite illi soli. »

De quarto ¹⁷ : « Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, » etc. O Domine, quid erit de nobis miseris? Ubi est ergo Petrus? ubi Joannes? beata ubi Maria? Sed nullus desperet : si enim dicitur : Nullus ascendit palatium, nisi rex; ex hoc non sequitur quod manus et pes regis non habeat ascendere. Sic certe cum Christo ascendunt, qui per fidem et amorem Christo tanquam membra capiti ununtur. Glossa : « Renati spiritualiter ascendunt in cælum, sed non nisi membra cohærentia Christo. » Item, si dicitur : Rex solus ascendit (d); ex hoc non sequitur, quod vestis qua indutus est non ascendit. Ecclesia est vestis Christi, quæ in

¹ Luc., II, 28. — ² Job xxxvi, 32. — ³ August. — ⁴ Joan., VI, 44. — ⁵ Matth., VIII, 28. — ⁶ August. — ⁷ Job, III, 24. — ⁸ Sup., pag. 315, col. 2. — ⁹ Apoc., XII, 4. — ¹⁰ Psal. cxlv, 9. — ¹¹ Isa., XIX, 4. — ¹² Joan.,

xvi, 20. — ¹³ Chrysost., *de Compunct.*, lib. II, n. 3. — ¹⁴ I Thess., V, 6. — ¹⁵ Psal. ciii, 8. — ¹⁶ I Reg., VII, 3. — ¹⁷ Joan., III, 13.

(a) *Cat. edit. omis. sævi.* — (b) *Cat. edit. possit.* — (c) Et etiam. — (d) *Cat. edit. add. et.*

monte cœlesti est cum eo transfiguranda per gloriam. ¹ « Vestitus ejus albus et refulgens. »

SERMO II.

Scit enim Pater vester, quia omnibus his indigetis ². Pater vester Deus propter paternam procreationem, propter paternam dilectionem, propter paternam procuracionem, propter paternam hæreditatis collationem.

De primo ³ : « Nonne ipse est pater tuus, qui possedit, et fecit, et creavit te? » Fecit corpus, creavit animam, possidet totum. Bernardus : « Si naturaliter amat, » etc. Requirit ⁴ in sermone : *Diliges* ⁵, etc. Augustinus ⁶ : « Amandus est generator, sed præponendus est Creator. » Non solum autem pater noster est nos creando, sed etiam recreando. Vis autem scire si pater tuus sit Deus? auri quod dicitur ⁷ : « Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum, » id est, avaritiam, luxuriam, superbiam, invidiam, infidelitatem, etc. Unde bene dicitur ⁸ : « Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo : quia omne quod in mundo est, » etc. Qui ergo talia diligunt, non est pater eorum Deus, sed diabolus ⁹ : « Vos ex patre diabolo estis, » etc., et hujus patris hæreditatem, id est, ignem æternum possidebunt.

De secundo ¹⁰ : « Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater illius, et misericordia motus accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum. » Filius iste, qui consumpsit bona patris sui luxuriando, et tamen in tanta dilectione receptus a patre, peccatorem significat. Bona Patris, quæ consumpsit in luxuriis, sunt vires, sensus, sanitas, tempus conditum (a), et hujusmodi. Quanta hujus Patris dilectio apparet, quando peccator jam nec vires, nec sanitatem, nec tempus habet, quia vitam suam in peccatis consumpsit! Tamen si ad Patrem per veram

contritionem revertitur, Pater misericordia movetur. Psalmus ¹¹ : « Quomodo miseretur pater filiorum, » etc. (b) Sed in osculo reconciliationis eum recipit. Patent ista in latrone sero converso ¹². Unde etiam tanquam ad osculum caput in cruce inclinavit ¹³ : « Inclinato capite tradidit spiritum. »

De tertio dicitur hic ² : *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis*. Ne autem in necessitatibus temporalibus de procuracione hujus Patris diffidamus, instruxit nos de victu, exemplo voluerum; de vestitu, exemplo liliorum : in quibus credentium avaritia reprehenditur. Adhuc enim vivit, qui Judæos quadraginta annis in deserto, nec se-rentes, nec metentes pavit, et eisdem quadraginta annis non sunt attrita vestimenta eorum, sicut dicitur ¹⁴. Quid ergo timent Christiani, quando ita liberaliter procurantur Judæi? Non solum autem corporibus, sed etiam animabus providet (c) Pater iste ad salutem. ¹⁵ « Si ergo vos cum sitis mali, etc., usque : « petentibus se? » Bernardus ¹⁶ : « Deum meum timeo, vitæ meæ non solum gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, sollicitum gubernatorem, sed insuper etiam copiosissimum redemptorem, æternum conservatorem, ditatorem, glorificatorem. » O Christiane, quare es avarus? Qui tibi dat seipsum, quomodo non daret tibi eibum? qui tibi dat Spiritum sanctum, quomodo non dare potest victum? Qui ergo dat tibi fidem et virtutes, quomodo non daret tibi vestes? Dic ergo fideliter ¹⁷ : « Pater noster, » etc. ¹⁸ « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. » Reprehenditur ergo Christianorum sollicitudo avaritiæ, non providentiæ. Qui enim Heliam per corvum cibavit ¹⁹, et Agnem (d) celeriter vestivit, potest et tibi providere.

De quarto ²⁰ : « Nolite timere, pusillus grex,

¹ Luc., IX, 29. — ² Matth., VI, 32. — ³ Deut., XXXII, 6. — ⁴ Bernard. — ⁵ Vid. sup., in Dom. XII, post Pent., serm. II, pag. 401, col. 2. — ⁶ August. — ⁷ I Joan., V, 4. — ⁸ Ibid., II, 15-16. — ⁹ Joan., VIII, 44. — ¹⁰ Luc., XV, 20. — ¹¹ Psal. CII, 13. — ¹² Luc.,

XXIII, 43. — ¹³ Joan., XIX, 30. — ¹⁴ Deut., XXIX, 5. — ¹⁵ Luc., XI, 13. — ¹⁶ Bern. — ¹⁷ Matth., VI, 9. — ¹⁸ Luc., XI, 3. — ¹⁹ III Reg., XVII, 4. — ²⁰ Luc., XII, 32.

(a) Forte leg. concessum. — (b) Hic desunt quædam. — (c) Cat. edit. repet. etiam. — (d) Leg. Agnetem.

quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum. » Pusilli sunt homines, quorum est hæreditas regni cœlestis : quod bene significavit in filiis Isaïæ, quorum nullus unctus in regem, nisi ille de quo dictum ¹ : « Adhuc reliquus est parvulus, et pascit oves. » Non enim grandibus per elationem et inflationem, sed humilibus per humilitatem, regnum cœlorum dabitur. Unde bene de Saule dicit Dominus ² : « Nonne, cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es, unxitque te Dominus in regem ? » Augustinus ³ : « Esto parvulus, » etc. Requiritur ⁴ in sermone, *Nemo potest venire*, etc., Sermone I, in secundo membro.

SERMO III.

Quærite ergo primum regnum Dei ⁵. Legitur ⁶ : « Si quæritis, quærite : convertimini, venite (a). » Sicut ergo ægrotus medicinam, vel medicum, avarus thesaurum, dilecta sponsum, hæres regnum ; sic et vos quærite medicinam pœnitentiæ, thesaurum gratiæ, sponsum Ecclesiæ, regnum gloriæ.

De primo ⁷ : « Quærite me, et vivetis, » non corpore tantum, sicut vivunt boni et mali, sed etiam anima. Psalmista ⁸ : « Quærite Dominum, et vivet anima vestra, » etc. ; ac si diceretur ægrotis : Quærite medicum, scilicet Christum. ⁹ « Non est opus valentibus medicus. » Hujus medicina est pœnitentia : hanc imprudentes propter amaritudinem, heu ! abhorrent, volentes potius esse leprosi, quam sumere amara. Contra quos dicitur ¹⁰ : « Altissimus de terra creavit medicinam, et vir prudens non abhorrebit eam. » Quærit tamen quandoque medicum spiritualiter leprosus, cum jam per infamiam incipit inter homines quasi in facie esse ignominiosus. Psalmus ¹¹ : « Implebit facies eorum, » etc. Dominus quoque hominem vulnerat et per-

cutit affligendo, ut medicum quærat pœnitendo. Psalmus ¹² : « Cum occideret eos, quærebant eum, » etc. Sicut autem stultus esset, qui asino suo, et non sibi ægrotanti quæreret medicum ; sic stultus est, qui medicum corporis quærit, medicum autem animæ negligit, sicut Asa, ut dicitur ¹³ : « Nec in infirmitate quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est. »

De secundo ¹⁴ : « Si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies : quia Dominus dat sapientiam ; et ex ore ejus prudentia, et scientia. » Studioso ergo in terra proprii cordis fode, quære, si de facili thesaurum virtutum vis invenire. Gregorius ¹⁵ : « De facili thesaurum in se invenit, qui molem cogitationis terrenæ a se repellit. » Pensa quantis die noctuque curis et studiis, et cogitationibus, quærant thesaurum negotiatores per terram et per mare, in periculo corporum et rerum quærent denarium. Sicut igitur instantius quæritur, quod instantius diligitur, Augustinus ¹⁶ : « Plus diligit modica charitas verbum Dei, quam cupiditas millia auri et argenti. » O quam negotiator quærit merces pro vili pretio ! Quid autem speciosius gemmis virtutum ? et quid vilius stercore temporalium ? ¹⁷ « Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, » id est, virtutes. « Inventa una pretiosa margarita, » id est, charitate, « dedit omnia » temporalia. ¹⁸ « Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. »

De tertio ¹⁹ : « Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum ? quo declinavit dilectus tuus, et quæremus (b) eum ? » Pulchra fuit in corporis virginitate, pulchrior in animæ puritate, pulcherrima in prolis fœcunditate.

¹ I Reg., xvi, 11. — ² Ibid., xv, 17. — ³ Aug., Enarr. in Psal. Lxii, n. 46. — ⁴ Vid. sup., Fer. iv. Pent., serm. I, pag. 315, col. 1. — ⁵ Matth., vi, 33. — ⁶ Isa., xxi, 12. — ⁷ Amos, v, 4. — ⁸ Psal. Lxviii, 33. — ⁹ Matth., ix, 42. — ¹⁰ Eccli., xxxviii, 4. — ¹¹ Psal. Lxxxii, 17. — ¹² Psal. Lxxxvii, 34. — ¹³ II Paral., xvi,

22. — ¹⁴ Prov., ii, 4-5. — ¹⁵ Gregor., in Evang., hom. xi, n. 1, quoad sensum. — ¹⁶ Aug. — ¹⁷ Matth., xiii, 45, 46. — ¹⁸ Cant., viii, 7. — ¹⁹ Ibid., v, 17.

(a) Edit. Ven. et videte. — (b) Cat. edit. quæramus.

O quanta est sponsi, id est Christi, pulchritudo, qui tam ex pulcherrima matre natus est secundum humanitatem, ex pulcherrimo Patre secundum divinitatem? Sed sponsus iste pulcherrimus propter nos apparuit quasi turpissimus¹: « Morte turpissima condemnemus eum. » Sic enim ejus turpitudine facta est per sanguinem suum nostra pulchritudo. Augustinus²: « Absens est, qui nos sanguine suo redemit, sponsus ille, quo nihil est pulchrius, qui quasi fœdus apparuit inter manus persequentium. » Quære ergo, o anima Christiana, absentem non solum tanquam sponsum pulcherrimum, sed etiam jucundissimum. Psalmista³: « Exultent, et lætentur omnes. » Item tanquam ditissimum, per quem semper abundabis bonis gratiarum. Psalmista⁴: « Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. » Item tanquam optimum.⁵ « Quærite bonum. » Glossa: « Christum, qui dicit⁶: *Ego sum pastor bonus.* » Item potentissimum⁷: « Si fortitudo quæritur, robustissimus est. »

De quarto dicitur hic⁸: *Primum quærite regnum Dei.* Si aliquis expulsus esset de regno patris sui, o quantis bellis et consiliis quæreret reversionem in regnum! Et certe omnes in Adam expulsi sumus. Psalmista⁹: « Expulsi sunt, neque potuerunt stare. » Magnis ergo consiliis et bellis contra diabolum, carnem et mundum, corona regni quærenda est.¹⁰ « Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. » Sed certe quærendo Deum, quæris hæreditatem hujus regni, et omnia bona prædicta. Augustinus¹¹: « Patrem quæramus propter hæreditatem: tu es Deus meus. » Primum ergo quærite, etc. Sed, heu! qui primum modo nolunt quærere regnum Dei, primi quærentur in regnum diaboli¹²: « Colligite primum zizania. »

SERMO IV¹³.*Primum quærite regnum Dei, et justitiam*

¹ Sap., 11, 20. — ² August. — ³ Psal., LXIX, 5. — ⁴ Psal., XXXIII, 11. — ⁵ Amos, V, 14. — ⁶ Joan., X, 11. — ⁷ Job, IX, 19. — ⁸ Matth., VI, 33. — ⁹ Psal., XXXV, 13. — ¹⁰ II Tim., II, 5. — ¹¹ August. — ¹² Matth., XIII,

*ejus*¹⁵. Quia¹⁵ « comparatione supernorum vilescunt omnino omnia quæ habentur in terris; » ideo Dominus noster, tanquam verus et bonus magister, docet discipulos suos rebus omnibus (regnum Dei summum bonum) præponere in quærendo, cum dicit in verbo proposito: *Primum quærite regnum Dei,* etc. In quo quidem verbo, miro modo ordinate procedit. Nam primo hortatur ad diligentiam debitæ inquisitionis; secundo exprimit magnificentiam supernæ habitationis; tertio introducit ad efficaciam virtuosæ operationis. Ratione primi, rationalis disponitur ad cognitionem veri; ratione secundi, concupiscibilis allicitur ad dilectionem boni; ratione tertii, irascibilis roboratur et regitur ad aggressionem ardui.

Primo igitur in verbo proposito dirigit intellectivam per studium ordinatæ inquisitionis, cum dicit: *Primum quærite,* scilicet diligenter per fidem, quia sine luce fidei impossibile est aliquid dirigi ad debite inquirendum; secundo allicit affectivam per præ eminentiam regni coronationis, cum subdit: *Regnum Dei,* cujus obtentu terreni homines tanti nominis excellentia extolluntur, ut reges regni cælorum nominentur; tertio stabilit effectivam per exercitium virtuosæ operationis, cum subinfert: *Et justitiam ejus.* Glossa: « Justitia regni est omnia, quæ docuit Christus, servare. »

Dicit ergo: *Quærite;* ubi primo incitat diligentiam ordinatæ inquisitionis. Ille debita diligentia inquiri, quando quærit toto conatu, scilicet interiori et exteriori, secundum triplicem virtutem theologicam: et primo cum soliditate cogitatus, in contemplationibus veris; secundo cum aviditate appetitus, in delectationibus puris; tertio cum strenuitate effectus, in conversationibus sanctis. Prima inquisitio est potentiæ cognitivæ per fidem; secunda potentiæ affectivæ per charitatem; tertia, potentiæ operativæ per

20. — ¹³ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ¹⁵ Matth., VI, 33. — ¹⁵ Greg., in *Evang.*, hom XXXVII, II, 1.

spem. Primo *querite* cum soliditate cogitatus in contemplationibus veris. Unde ¹ : « In simplicitate cordis *querite* illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent in illum. » *Querite illum*, scilicet Deum, investigatione continuæ meditationis. *In simplicitate cordis*, per puritatem ordinatæ affectionis, elongando et separando cor ab omnibus terrenis. Nam quot res cor diligit, tot sibi unit et componit, eo quod amor, sive humanus, sive divinus, est vis unitiva secundum beatum Dionysium ² : quanto enim cor plura et diversa diligit terrena, tanto compositius redditur; sed cum se elongat et separat ab istis terrenis, ut uni et simplici, cui totum cor sine defectione debetur, adhæreat, et uniat per amorem, (a) ex tali unione simplici et pura acquirit cordis (b) simplicitatem et puritatem. A talibus vero invenitur, si non tentant illum per curiositatem præsumptuosæ et temerariæ investigationis. Nam præsumptuosus et temerarius perscrutator majestatis, qui quasi per tenebrositatem pedestram ratiocinationum sic innititur, ut velit figere aspectum in splendoribus æternis, præ phantastica tenebrositate opprimitur a gloria : apparet autem eis qui fidei adminiculo, per excessus contemplationis altius supra seipsos elevantes, Deum perspicaciter contemplantur. Unde Richardus ³ : « Contemplatio est libera mentis perspicacia in sapientiæ speculo suspensa cum admiratione. » Secundo *querite* cum aviditate appetitus in delectationibus puris. Unde ⁴ : « Quæ sursum sunt *querite*, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. » Potiora bona patris (c), *quæ sursum sunt, ubi Christus est in dextera Dei sedens*, id est, in quantum illis potioribus bonis et dulcioribus perpetuo fruitur, *querite* per desideria; et hæc eadem bona et delectationes, *quæ sursum sunt, in dexte-*

ra Dei, sapite per elevationem appetitus et gustus, cum adhærentia amoris ad superna : *non quæ super terram*, per depressionem affectus ad ista fœda et immunda. Nam istæ fœdæ et delectationes terrenæ potius amarificant, quam delectent. Nam ubi credit homo invenire delectamentum, experitur cruciamentum, eo quod omnis delectatio in præsententi aspersa est amaritudine. Sed delectationes *quæ sunt in dextera Dei*, per fidem delectant, eo quod conjungunt et uniunt animam illi, ad cujus imaginem et similitudinem facta est, ex cujus unione amans transformatur in amatum, dum illi per affectum conjungitur. Cum ergo secundum Hugonem ⁵ tanta vis amoris est, ut talem te esse necesse sit, quale est id quod amas, et dum per affectum conjungeris in ipsius similitudine, ipsa (d) quadam societate conformaris. Si anima convertit se super fœdum per amorem, transformatur in fœditatem; si supra pulchrum, in pulchritudinem : pulchrum ergo generat delectationem : ergo divina sapientia generat pulchrum delectationis in eo, quod ei per amorem unitur. Et de hoc intelligitur quod dicitur : « Surgam, et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea : quæsi vi illum, et non inveni : invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea : tenui eum, nec dimittam, » donec experiar delectationem et dulcedinem ejus deificæ voluptatis. Tertio, *querite* cum strenuitate effectus in conversationibus sanctis. Unde ⁷ : « Si sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ, si quæsieris eam, quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem, et scientiam Dei invenies. » *Si sapientiam invocaveris* per sanctitatem vitæ : nulla melior invocatio sapientiæ, quam præparatio habitaculi per sanctitatem. *Si inclinaveris cor tuum pru-*

¹ Sap., I, 4. — ² Dion. Areop., de Div. Nom., c. IV, § 15. — ³ Richard., de Contempl., lib. I. — ⁴ Coloss., III, 1. — ⁵ Hug., de Arrha Spous., lib. III. — ⁶ Cant., III, 2-4. — ⁷ Prov., II, 3-5.

(a) Cæt. edit. add. ut. — (b) Cæt. edit. acquirit corporis. — (c) Forte leg. patriæ. — (d) Leg. ipsi.

dentiae, per rigorem disciplinæ. *Si quæsieris eam quasi pecuniam* cum aviditate concupiscentiæ, *et quasi thesauros effoderis illam* per sollicitudinem diligentiae. Nam sicut qui thesauros fodit, terram trahit, et foveam in altum facit, sedulus existens, donec inveniat quod quærit; sic qui desiderat thesaurum sapientiæ, omne pondus terrenum a se retrahit, et foveam humilitatis in se facit, neque quiescit donec inveniat: quia *tunc intelliget (a) timorem Domini* initium omnis boni, per quem declinat omnis a malo, *et scientiam Dei inveniet (b)*, cujus dictamine dirigitur omnis homo. Augustinus¹, libro *Confessionum (c)*: « Pereant omnia, et dimittamus hæc vana et inania, conferamus nos ad solam inquisitionem veritatis. » Ibidem: « Quid eunctamur? ergo, relicta spe sæculi, conferre nos totos oportet ad quærendum Deum, et vitam beatam. »

Secundo in verbo proposito exprimit excellentiam supernæ inhabitationis, cum subdit: *regnum Dei*. Hanc autem inexplicabilem excellentiam supernæ inhabitationis, scilicet regni Dei, tria sunt, quæ aliquo modo de longinquo manifestant. Et primum est refulgentia divinæ claritatis, ex qua redditur speciosum ad vivendum; secundum est redundantia immensæ bonitatis, ex qua redditur deliciosum ad perfruendum; tertium est carentia mundanæ corruptionis, ex qua redditur sempiternum ad permanendum. Et sic refulgentia lucida sapientiæ supersplendentis circumdabit rationalem in aperta visione; influentia placida superabundantis benevolentiae sanabit concupiscibilem in quietâ fruitione; et efficacia virtuosæ potentiæ perpetuitatis assecurabit irascibilem in firma tentione.

Primo regnum Dei est speciosum ad inveniendum propter refulgentiam divinæ claritatis. Unde²: « Accipient sancti regnum decoris, et diadema speciei de manu Do-

mini. » Sicut cælum ornatur luminaribus, sic regnum Dei refulgentiis sapientialibus, ex præsentia lucis æternæ irradiantis super hos, quæ est speciosior sole: sic glorificant dies lætitiæ et exultationis, ad cuius præsentiam micant radii divini splendoris, facientes illam supernam habitationem *regnum decoris*. Sed tunc *accipient diadema decoris (d)* de manu Domini, quando manu divinæ potentiæ adducti, per dotem apertæ visionis contemplantur Dei unius et trini pulchritudinem, cuius visio omnem animam sui desiderio in ejus concupiscentiam trahit, quod est sine labore et terrore, et cum delectatione. Unde Augustinus, *de Trinitate*³: « Veritatem sine ulla difficultate videbimus, eaque (e) clarissima et certissima perfruemur, nec aliquid quæremus mente ratiocinante, sed cernemus contemplante. »

Secundo regnum Dei est deliciosum ad perfruendum, propter influentiam deificæ voluptatis. Unde⁴: « Beatus qui manducabit panem in regno Dei. » Iste vivus panis de cælo descendens, qui habet⁵ « omne delectamentum, omnis saporis suavitatem, » est Jesus Christus, qui, sine fastidii generatione, desiderii continuatione (g), satiat interiorem gustum immensitate deitatis, exteriorem delectatione humanitatis. Nam in ipso invenitur redundans plenitudo sanitatis. O quam felix, quam illustris, quam sanctus, quanta aviditate est appetendus ille cibus deificæ voluptatis, cibus verarum deliciarum! Solo ejus odore sancti in via utique sustentantur, cum in spiramentum ejus suavitatis de longinquo venit ad eos, quod est super odorem balsami, fragrantiam thuris ac myrrhæ, omnisque generis suavia odoramenta, quando per sapientialia desideria in excelsum contemplationis introducitur in regnum Dei. Unde⁶: « Concupiscentia sapientiæ deducet ad regnum perpetuum. »

Tertio regnum Dei est sempiternum ad

¹ Aug., *Confess.*, lib. VI, xi, 19. — ² *Sap.*, v, 17. — ³ Aug., *de Trinit.*, lib. XV, c. xxv, n. 45. — ⁴ *Luc.*, xiv, 15. — ⁵ *Sap.*, xvi, 20. — ⁶ *Sap.*, vi, 21.

(a) Edit. Vat. *intelliges*. — (b) *Invenies*. — (c) *De Confessione*. — (d) *Leg. speciei*. — (e) *Cæt. edit. ea*. — (f) *Aliud*. — (g) *Leg. discontinuatione*.

permanendum, propter continuam omnimodæ contrarietatis amotionem. Unde in Psalmo¹: «Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur, ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ regni tui, regnum tuum Domine, regnum omnium sæculorum.» *Gloriam regni tui dicent*, hoc est, quando glorificati quidquid boni habent resolvunt in primum principium: et ideo beati sunt in continua laude et glorificatione, quia omne illud, quod accipiunt, in eum solum, qui potest glorificare, resolvunt: nihil enim agitur ibi, nisi vacare Dei laudibus. *Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ regni tui.* Latitudinem capacitatis incoaretabilis, quæ non coarctabatur multitudine possidentium, quia tantum gaudent beati de bono proximi, quantum de bono proprio. *Regnum tuum, Domine, regnum omnium sæculorum*: tum propter longitudinem æternitatis interminabilis: nihil enim obest sibi, et ideo nulla violentia potest sibi fieri. Cum ergo regnum Dei ratione æternitatis sit omnino intransmutabile, et incorruptibile, necesse est quod non sit in istis inferioribus, sed in superioribus, secundum quod dicit Dominus²: «Regnum meum non est de hoc mundo;» alioquin esset defectivum: quod absit, eo quod in regno Dei nullus est defectus. Unde considerare jugiter regnum Dei, et æternitatem, multum valet ad spernendam præsentis vanitatis mobilitatem.

Tertio, in verbo proposito stabilit effectivam per efficaciam virtuosæ operationis, eum subinfert: *Et justitiam ejus.* Tria enim sunt, quæ faciunt hominem efficaciter operari, et inquirere justitiam regni Dei: primum est simplicitas intentionis in declinando malum; secundum est strenuitas operationis in faciendo bonum; tertium est studiositas sollicitudinis in corrigendo erratum.

Primo, *querite justitiam regni*³, per sim-

¹ Psal. CXLIV, 11-13. — ² Joan., XVII, 36. —

plicitatem intentionis in declinando malum. Unde⁴: «Pœnitentibus autem dedit viam justitiæ, et confirmavit deficientes sustinere, et destinavit illis sortem veritatis. Convertere ad Dominum, et relinque (a) peccata.» *Pœnitentibus*, qui relinquunt peccata corde et opere, et convertuntur ad Dominum cum puritate conscientiæ, *dedit viam justitiæ* per remissionem culpæ: sed quia pœnitens de novo conversus in viam justitiæ deficit, si suæ voluntati sive culpæ relinquatur, ideo *confirmavit* documento divinorum eloquiorum, et exemplo aliorum sanctorum, et talibus *destinavit* et donavit sortem æternæ veritatis, et supernæ hæreditatis. Et de hoc dicitur similiter⁵: «Justitia simplicis diriget viam ejus.»

Secundo, *querite regni*³ *justitiam* per strenuitatem operationis in faciendo bonum. Unde⁶: «Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum, honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.» *Via rectæ* sunt divina præcepta, per quæ Dominus suaviter duxit justum tendentem ad supernam patriam, ostendendo illi regnum Dei, ne torpore (b) ignaviæ gravaretur; sed spe et desiderio perveniendi ad regni felicitatem fortiter de virtute in virtutem incedat, et veniat in viam mandatorum, ne ruat præcipitio vitiorum. *Dedit illi scientiam sanctorum*, cujus est eligere bonum, et declinare malum. *Honestavit illum in laboribus suis, et complevit labores illius*, pro eis viam mercedem reddendo.

Tertio, *querite regni*³ *justitiam* per studiositatem sollicitudinis in corrigendo erratum. Unde⁷: «Avertere ab injustitia tua, et nimis odito execrationem, et cognosce justitias et judicia Dei: sta in sorte propositionis et orationis altissimi Dei. *Avertere ab injustitia tua*, corrigendo proprium erratum et defectum, et si incumbat, alienum; *et ni-*

³ Suppl. Dei. — ⁴ Eccli., XVII, 20-21. — ⁵ Prov., XI, 5. — ⁶ Sap., X, 10. — ⁷ Eccli., XVII, 23-24.

(a) Cat. edit. relinquere. — (b) corpore.

mis odito execrationem justorum (a), qui de erratis et defectibus propriis non curant, et alienos dissimulant. *Et cognosce justitias et judicia Dei*, quæ severa sunt in puniendo : quorum terrore perterritus, *sta in sorte propositionis, et orationis* devotæ coram conspectu *altissimi Dei*; quia tunc adimplebitur illud ¹ : « Ecce in justitia regnabit rex, et principes in judicio præerunt. » Rogemus ergo, etc.

DOMINICA XV POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS ².

Ecce defunctus efferebatur ³, etc. Sicut defunctus effertur corporaliter, sic per inimicos, per dæmones et malos consiliarios, et per quoslibet ad malum instigantes peccator effertur spiritualiter. Effertur, inquam, de mala voluntate ad malam actionem, de mala actione ad consuetudinem, de vitio ad vitium. Considerandum autem quod homines effertur in transgressione mortali, in conversione pœnitentia, in resolutione corporali, in resurrectione generali.

Primo modo effertur de gratia in culpam, de bono statu in malum, de templo gratiæ ad regnum spiritualis Babylonis ⁴ : « Sacra vasa aurea, » id est, perfectos homines, « et argentea, » id est, imperfectos, « extulit Nabuchodonosor de domo Dei, quæ est in Jerusalem. » Et sicut raptores et fures libentius effertur aurea quam argentea, vel lignea vasa; sic et diabolus per se, vel per alios homines, trahit ad peccatum libentius chariora Ecclesiæ membra. Unde et hic filius *unicus* efferebatur : unicus enim est charissimus. Sed certe ad malum opus non effertur, nisi qui prius in voluntate moritur. In voluntate enim mors animæ ponitur : morere, si vis; vive, si vis. Augustinus ⁵ : « Deus amissus, mors animæ : anima amissa, mors corporis. » Mors corporis necessaria;

mors animæ voluntaria. Homo ergo moritur in mala voluntate, effertur in peccati perperatione, sepelitur in consuetudine. Hæc significata sunt in tribus mortuis, de quibus require infra in proximo sermone.

Secundo modo effertur homines de culpa ad gratiam, de malo statu ad bonum, de mundo ad religionem. Effertur (b) autem per rectores, per doctores, per orationes bonorum. ⁶ « Ipsum vero vitulum efferet extra castra, atque comburet. » Vitulus est quilibet per martyrium, vel per pœnitentiam Deo immolatus in altari fidei; Psalmista ⁷ : « Imponent super altare tuum vitulos. » Qui extra hujus mundi castra effertur, de mundi malitia, ac malorum societate vitiorum separantur. Ab his turbis et castris debet sequestrari, qui Dominum desiderat contemplari. ⁸ « Quærebat videre Jesum, et non poterat præ turba. » Fuge ergo turbam. Cassiodorus ⁹ : « Turba vitiorum sine crimine vincitur, quando sollicitudo gratiæ suffragatur. » Effertur autem debet, ut comburatur igne contritionis vel amoris. De quo igne ¹⁰ : « Totus mons Sinai, » id est, tota mens fidelis, « fumabat (c) » per contritionem, « eo quod descendisset Dominus super eum in igne, » videlicet zeli, vel amoris. Bernardus ¹¹ : « Tunc scit anima quod juxta est Deus, cum se senserit illo igne succensam. »

De tertio ¹² : « Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, et effertent te. » Notent hanc historiam, et timeant, qui usurpant aliena, si sic subitanea morte pereunt, qui occultant propria. Timeant ergo maxime, qui in congregatione religionis, ignorante Petro, id est, prælato, occulte aliquid retinere præsumunt. In resolutione autem corporali effertur corpus ad sepulcrum, mala anima ad infernum ¹³ : « Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gal-

¹ *Isa.*, XXXII, 1. — ² Hunc et duos seq. habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ³ *Luc.*, VII, 12. — ⁴ *1 Esdr.*, VI, 5. — ⁵ Aug., Enarr. in *Psal.* LXX, n. 3, quoad sensum. — ⁶ *Levit.*, IV, 21. — ⁷ *Psal.* L, 21. — ⁸ *Luc.*,

XIX, 3. — ⁹ Cassiod. — ¹⁰ *Exod.*, XIX, 18. — ¹¹ Bern., in *Cant.*, serm. LVII, n. 7, quoad sensum. — ¹² *Act.*, V, 9. — ¹³ *Isa.*, XXXII, 17.

(a) *Forte leg.* injustorum. — (b) *Cat. edit.* Effertur. — (c) *fumi* abal.

linaceus, qui demisso ad terram capite, et ligatis pedibus, ad forum portatur. » Item bona anima ad cœlum effertur ¹: « Factum est, ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. » Joannes Chrysostomus ²: « Non sufficit pauperi unus angelus ad portandum; sed propterea plures veniunt, ut chorum lætitiæ faciant. » Homines igitur ad sepulcrum, dæmones ad infernum, angeli ad cœlum efferunt suos charos.

De quarto ³: « Si reliqui fuerint decem viri in domo una, et ipsi morientur, et tollet eum propinquus suus, et comburet eum, ut efferat ossa. » Per viros decem, et per decem virgines, idem significari potest, boni scilicet, qui quinque sensibus bene utuntur, et mali, qui quinque sensibus subnigrantur, qui in domo Ecclesiæ moriuntur, vel numero, vel merito. Propinquus autem malorum est diabolus, qui tollit eos ad comburendum perpetuo. Propinquus bonorum est angelus, cujus ministerio ossa et cineres in resurrectione colligentur, et efferentur de domo sepulcri. Vel propinquus est Christus, de quo ⁴: « Non attingas parvulorum terminos, et agrum pupillorum ne introeas. Propinquus enim illorum fortis est, et ipse judicabit contra te causam (a) illorum. » Iste propinquus est Christus, qui spiritum contrahit in gehennam, vel in purgatorio (b), et ossa effert de sepulcro, quia ejus auctoritate, et spiritus punitur, et corpus resuscitatur.

SERMO II.

Resedit qui erat mortuus ⁵. Secundum quadruplicem mortem, quatuor sunt genera mortuorum. Nam quidam sunt mortui morte naturæ; quidam, morte culpæ; quidam, morte gratiæ; quidam, morte gehennæ. Mors est privatio vitæ. Primi ergo

mortui privantur vita naturali; secundi, vita spirituali; tertii, vita corporali, seu carnali; quarti, vita æternali.

De primo ⁶: « In quacumque die comederitis, morte moriemini. » Omnes nos ex hac morte morimur; sed ⁷ « beati mortui qui in Domino moriuntur. » Nihil in homine moritur, quod in eo ante non vixerit: unde manus mea, pes meus, et alia membra, quæ in me non vivunt, in morte in me mori non possunt. Sic in Domino moritur, quicumque est membrum Domini per fidem et amorem, et nullus in eo moritur, qui in eo non vivit. Multi tamen mori volunt, qui nolunt vivere in Domino, imo vivunt in diabolo: sicut Balaam, qui dixit ⁸: « Moriatur anima mea morte justorum. » O quam dissimilis mors eorum, qui in diabolo moriuntur, sicut patet ⁹: « Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus autem dives, et sepultus est in inferno. » De utraque sic ait Bernardus ¹⁰: « Bona mors justi propter requiem; melior, propter novitatem; optima, propter securitatem. E contrario mors peccatorum pessima: mala siquidem est in amissione (c) mundi; pejor, in separatione carnis; pessima, in vermibus et ignis triplici contritione. »

De secundo significatum est in tribus mortuis, quos in Evangelio legitur Dominus suscitasse. Puellam enim ¹¹ mortuam suscitavit in domo; adolescentem in fero; Lazarum ¹² in sepulcro. Moritur enim homo in anima per peccatum mortale. Augustinus ¹³: « Sicut vita corporis anima, sic vita animæ est Deus: si anima deseratur, moritur corpus: sic anima moritur, si Deus deseratur. » Peccatum autem mortale quandoque est in voluntate, et tunc est mortuus in domo, adhuc enim latet interius; quandoque in opere, tunc venit extra portam; quandoque in consuetudine, et tunc est in sepulcro. Unde versus:

Tres
mortui
resuscitati.

¹ Luc., XVI, 22. — ² Chrysost. — ³ Amos, VI, 10. — ⁴ Prov., XXIII, 10-11. — ⁵ Luc., VII, 15. — ⁶ Gen., II, 17. — ⁷ Apoc., XIV, 13. — ⁸ Num., XXIII, 10. — ⁹ Luc., XVI, 22. — ¹⁰ Bernard, ad Rom., epist. CV. — ¹¹ Matth., IX, 25. — ¹² Joan., XI, 44. — ¹³ Aug., Enarr. in Psal. LXX, II, 3.

(a) Cœl. edit. contra causas. — (b) Forte leg. purgatorium. — (c) Cœl. edit. emissione.

Mens mala, mors intus : malus actus, mors foris :
 usus (a),
 Tumba. Puella, puer, Lazarus ista notant.

Quam periculosa sit tertia mors, ostendit Dominus, cum reliquos duos de facili suscitavit, et in suscitatione Lazari infremuit spiritu, et turbavit seipsum, et lacrymatus est, et voce magna clamavit : ostendens quid agendum sit eis, qui in sepulcro malæ consuetudinis, et qui lapide obstinationis pressi sunt. Fremitu enim timorationis, turbatione contritionis, lacrymis satisfactionis, clamore orationis suscitandi sunt. Hujus mortis signum est, quando infirmus nullum cibum doctrinæ sumere, vel retinere potest. Psalmista ¹ : « Omnem escam abominata, » etc. usque : « mortis. »

De tertio ² : « Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo, » et cætera usque (b) : « in gloria : » mortui in exteriori homine, et vivi in interiori esse debemus. Mori debemus mundo et peccatis, abscondi autem Deo (c), qui pro nobis mortuus est, ut ei vivamus. ³ « Peccata nostra pertulit ipse in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus. » Sicut ipse Christus mortuus est carne, et vixit deitate; sic nos in his, quæ carnis sunt, mori, in iis, quæ Dei sunt, vivere debemus. Unde ⁴ aries moritur, sed vivit Isaac, qui spiritum significat. Carnales vero e contrario, dum pro carnis voluptate spiritum extinguunt. Hanc mortem fervens Dei amor debet in nobis operari ⁵ : « Fortis ut mors dilectio. » Isidorus ⁶ : « Sicut mors violenter separat animam a corpore, ita dilectio Dei violenter segregat animam a mundo, et carnali amore. »

De quarto ⁷ : « Mortuorum luctum non facies. » Quid enim prodest lugere, quos lugendo de morte æterna non possumus salvare ? Psalmista ⁸ : « Sicut oves in infer-

no, » etc. Si (d) enim nulla est defensio ovi contra lupos infernales, id est contra lupos diabolos, heu ! quid facient leones, id est, superbi, et lupi avari, et porci luxuriosi, ex quo etiam oves morte æterna devorantur ? Bernardus ⁹ : « Quis det eis semel mori, ne moriantur in æternum ? » cum dicent montibus ¹⁰ : *Cadite super nos, et cooperite nos.*

SERMO III ¹¹.

*Resedit, qui erat mortuus, et cœpit loqui*¹². Mortui spiritualiter in animabus debent incipere loqui confitendo, laudando. Ecce autem quam stupenda et mira ! Invenimus enim in Scripturis loqui brutum, loqui mortuum, loqui cornu, loqui tonitruum. Loquitur autem brutum in indebita subditi afflictione ; mortuus, in pia confessione ; cornu in maledicta Antichristi blasphematione ; tonitruum, in ultima Christi disceptatione.

De primo ¹³ : « Subjugale mutum voce hominis loquens, prohibuit prophetæ insipientiam. » Propheta est prælatus malus, vel princeps, qui bene Balaam dicitur, qui interpretatur *turbans gentes, et devorans populum* ¹⁴. ¹⁵ « Leo rugiens, ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem. » Asina vero animam subditi significat, super quam auctoritate regiminis sedet prælatus, quam solvere, et ad Christum deberet adducere ¹⁶ : « Solvite, et adducite mihi. » Asina quando urgebatur a propheta procedere contra voluntatem Dei, contradixit, et declinavit : sic subditus, si papa, vel imperator, sive dux, sive episcopus, si pater, vel mater, si dominus, vel domina cogit eum aliquid facere contra Deum, debet os aperire, et contradicere. Ibi enim non oportet obedire. Bernardus ¹⁷ : « Hoc advertendum, quod quædam sunt pura bona, quædam pura mala, et in his nullam deberi hominibus

¹ *Psal.* cvi, 18. — ² *Col.*, iii, 4. — ³ *I Petr.*, ii, 24. — ⁴ *Gen.*, xxii, 13. — ⁵ *Cant.*, viii, 6. — ⁶ *Isid.* — ⁷ *Ezech.*, xxiv, 17. — ⁸ *Psal.* xlviii, 15. — ⁹ *Bern.* — ¹⁰ *Luc.*, xxiii, 30. — ¹¹ Hunc habet codex Assis. æc. xiiii. — ¹² *Luc.*, vii, 15. — ¹³ *II Petr.*, ii, 16. — ¹⁴ *לל*, *Balal, confudit, vel בלע*, *Balah, Devoravit,*

et *לל*, *Ham, populus.* — ¹⁵ *Prov.*, xxviii, 15. — ¹⁶ *Matth.* xxi, 2. — ¹⁷ *Bern., ad Adam., epist.* vii, n. 4.

(a) *Cæt. edit. deest* usus. — (b) *Cæt. edit. non habent* et cætera usque. — (c) *Leg.* abscondi autem in Deo. — (d) *Cæt. edit. in inferno.* Sicut.

obedientiam : quia neque illa omittenda sunt, (a) cum prohibentur; neque ista, (b) cum jubentur, committenda. » Contradicendum autem est timore gladii, quem asina vidit. Hic est gladius iudicii, de quo¹ : « Si acnero, ut fulgur, gladium meum. » Sed, heu ! homo non timet ; sed asinus timet.

De secundo dicitur hic : *Resedit, qui erat mortuus, et cœpit loqui*. Mortuus per transgressionem peccati : justificatur autem per contritionem, loquitur per confessionem et per Dei laudem, vel quæcumque vera, utilia, vel ædificatoria verba. Non solum autem spiritualiter, sed etiam corporaliter mortuum legimus adhuc loqui. Unde de Abel dicitur² : « Per illam defunctus adhuc loquitur. » Et dicitur³, quod habemus « sanguinem melius loquentem, quam Abel. » Sanguis enim proximi injuste effusus loquitur, petens vindictam de occisione ; sanguis Christi loquitur, petens misericordiam pro peccatore. Quid mirum, si sanguis Christi loquatur, cum omnia vulnera ejus pro nobis loquantur ? Augustinus⁴ : « Multa pertulit in corpore suo cruenta vulnera, ut multa essent pro nobis ora clamantia. »

De tertio⁵ : « Ecce oculi hominis erant in cornu isto, et os loquens ingentia. » Cornu istud, secundum Glossam, est Antichristus. Sicut enim animal cornu ferit, et impugnat animalia, ita diabolus Ecclesiam per Antichristum. Sicut Christus fuit cornu salutis⁶ : « Erexit cornu salutis nobis, » etc. ; ita Antichristus cornu perditionis. Diabolus enim per ipsum potenter operabitur⁷ : « Cujus est adventus secundum operationem satanæ in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, » etc. Oculi autem in cornu significant cognitionem profundæ scientiæ, quam videbitur habere. Os ejus loquetur mendacia blasphemando, quia se dicet Christum esse Judæis promissum⁸ : « Ostendens se

tanquam sit Deus. » Glossa : « Dicens se Deum esse. » Ergo Satan, qui prius loquebatur in colubro, in fine loquetur in cornu, id est, Antichristo. Mystice autem quotidie fidelibus in colubro loquitur, et in cornu : in colubro, per occultam suggestionem ; in cornu, per apertam persecutionem.

De quarto dicitur de Angelo⁹ : « Clamavit voce magna, quemadmodum leo, cum rugit ; et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas. » Clamor rugitus leonis est illa vox, de qua Jeremias¹⁰ : « Surgite, mortui, venite ad iudicium. »¹¹ « Media nocte clamor factus est. » Septem tonitrua sunt septem descriptiones in sententia iudicis. Primum tonitruum est¹² : « Discedite a me, maledicti, » etc. Secundum tonitruum est : « Esurivi, et non dedistis, » etc. Tertium : « Sitivi. » Quartum : « Hospes eram, » etc. Quintum : « Nudus fui. » Sextum : « Infirmus fui. » Septimum : « In carcere. » Sed quid loquuntur ista septem tonitrua ? Unde ista gravissime loquuntur, insinuant, et incutiant terrorem et horrorem : tam intolerabilia sunt, quod præ magnitudine scribi non possunt, imo neque intellectu capi.¹³ « Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri ? » Parva stilla fuit, cum dicit¹⁴ : « Ego sum : » de qua stellæ ceciderunt in terram. Gregorius¹⁵ : « Quis ejus iram tolere, ejus et ipsa non potuit mansuetudo (c) tolerari ? »

SERMO IV¹⁶.

*Resedit, qui erat mortuus, et cœpit loqui, et dedit illum matri sue. Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum*¹⁷. Misericors et benignus Dominus noster, ad cujus benignitatem pertinet afflictos et desolatos consolari, videns hodierna die oculo divinæ

¹ *Deut.*, xxxii, 41. — ² *Hebr.*, xi, 4. — ³ *Ibid.*, xii, 24. — ⁴ *August.* — ⁵ *Dan.*, vii, 8. — ⁶ *Luc.*, i, 69. — ⁷ *II Thess.*, ii, 9. — ⁸ *Ibid.*, 4. — ⁹ *Apoc.*, x, 4. — ¹⁰ Textum hunc, quævis aliunde satis notum, nuncupate reperimus in Vulgata. — ¹¹ *Matth.*, xxv, 6. — ¹² *Ibid.*,

11 et seq. — ¹³ *Job*, xxvi, 14. — ¹⁴ *Joan.*, xviii, 6. — ¹⁵ *Greg.*, *Moral.*, lib. xvii, c. xxxiii, n. 54. — ¹⁶ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ¹⁷ *Luc.*, vii, 15-16.

(a) *Suppl.* etiam. — (b) *Suppl.* vel. — (c) Ita *Apud Greg. Cart. edit.* iram, ejus verbi non potuit magnitudo tolerari, etc.

pietatis mulierem viduam dolentem et fletum de morte unigeniti filii sui; ut omnes alios exemplo suo ad pietatem subventionis provocaret, dignatus est eam dulciter alloqui, et consolari, cum ei reddidit filium proprium vivum a mortuis resuscitatum, secundum quod dicitur in verbo proposito: *Resedit, qui erat mortuus*. In quo quidem verbo, primo notatur stipendiatio peccati, secundum exigentiam ordinis justitiæ; secundo suscitatio mortui, quantum ad notitiam approbationis loquelæ; tertio, promotio fidei, quantum ad reverentiam creatricis sapientiæ. Primo ergo in verbo proposito notatur stipendiatio peccati secundum exigentiam ordinis justitiæ, cum dicit: *Qui erat mortuus*. Ordo enim divinæ justitiæ exigit, ut peccatum morte stipendietur. Nam ¹ « stipendium peccati mors, » secundum Apostolum. Secundo notatur suscitatio mortui quantum ad notitiam approbationis loquelæ, cum subdit: *Resedit, et cepit loqui*, ut esset ejus resuscitatio nota assistentibus. Nam vita corporalis dupliciter dignoscitur, scilicet sensu et motu. Tertio notatur promotio fidei, quantum ad reverentiam creatricis sapientiæ, cum subinfert: *Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum*, qui mortuum hominem, quem creaverat, vivificaverat (a) interius in anima, et exterius in corpore recreaverat. Nam nullum curavit Deus exterius corporaliter, quem primo non curaret interius spiritualiter.

Dicit ergo: *Qui erat mortuus*: ubi notatur stipendiatio secundum exigentiam ordinis justitiæ. Ordo enim divinæ justitiæ exigit, ut peccatum triplici pœnali stipendio puniatur. Et primum est pœnalitas præsens miseriæ humanum genus multipliciter affligentis; secundum est calamitas mortis naturæ animam a corpore crudeliter separantis; tertium est acerbitas infernalis gehennæ animam cum corpore æternaliter cruciantis.

Primo peccatum stipendiatur pœnalitate præsens miseriæ humanum genus multipliciter affligentis; unde ²: « Melior est mors, quam vita amara; et requies æterna, quam languor perseverans. » Vere mors melior est quam vita amara, propter multiplicem pœnalitatem nobis ratione peccati originalis a Deo inflictam, quæ nihil aliud est, quam languor perseverans. Unde Gregorius ³: « Quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud, quam quædam prolixitas mortis? » Et propter hoc dicebat Apostolus ⁴: « Quamdiu sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, donec absorbeatur quod mortale est a vita. » Sed certe, quamdiu sumus in hoc misero tabernaculo corporis, ingemiscimus, nunc gravati paupertate, modo oppressi nuditate, aliquando afflicti siti. Sæpe cruciatum hujus calamitosæ vitæ pœnalitatem considerans, dicebat ille ⁵: « Laudavi magis mortuos, quam viventes. »

Secundo peccatum stipendiatur calamitate mortis naturæ animam crudeliter corpore separantis. Unde ⁶: « Judicium mortis a Deo omni carni. » Licet mors sit a Deo infligente tanquam a justo judice, tamen origo et immediata causa non est Deus, qui est summe ens et indeficiens, et (b) mors sit maximus defectus inter omnes defectus pœnales; sed libertas arbitrii cadens a stabilitate et perpetuitate justitiæ. Unde ⁷: « Deus mortem non fecit: » justitia enim perpetua est, et immortalis. Unde radix et origo mortis est elatio mentis mulieris, cum voluit comparari Deo in sapientia, secundum quod dicitur ⁸: « A muliere initium est peccati, et per illam omnes morimur. »

Tertio peccatum stipendiatur acerbitate infernalis gehennæ animam cum corpore æternaliter cruciantis. Unde ⁹: « Judicatum est de singulis secundum opera eorum: et infernus et mors missi (c) sunt in stagnum ignis. » Et « hæc est secunda mors » æternæ

(a) *Cæt. edit.* vivificat. — (b) *Løg. emm.* — (c) *Cæt. edit.* ipsorum, et in ore inferni mors; missi.

¹ *Rom.*, VI, 23. — ² *Eccli.*, XXX, 17-2. — ³ *Greg.*, in *Evang.*, hom. XXXVII, n. 1. — ⁴ *II Cor.*, V, 4. — ⁵ *Eccle.*, IV, 2. — ⁶ *Eccli.*, XLI, 5. — ⁷ *Sap.*, I, 13. — ⁸ *Eccli.*, XXV, 33. — ⁹ *Apoc.*, XX, 13-14.

damnationis, qua cruciatur homo peccator in igne infernali : quæ est valde metuenda, et per luctum pœnitentiæ præcavenda, eo quod, perpetuo dolorosa, non potest declinari ad modicam morulam. Unde ¹ : « Dimitte me ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine; terram miseræ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. »

Secundo, in verbo proposito, notatur suscitatio mortui quantum ad notitiam approbationis loquelæ, cum subdit : *Resedit, et cœpit loqui*. Invenimus autem Dominum suscitasse triplicem mortuum, scilicet puellam, Lazarum, et hunc adolescentem : et cujuslibet eorum suscitatio sua approbatione dignoscitur. Nam primo (*a*) suscitatio puellæ probatur manducatione; secunda suscitatio Lazari probatur ambulatione; tertia suscitatio adolescentis probatur locutione. Manducatio respicit actum vegetabilis; ambulatio, actum sensibilis; locutio, actum rationalis.

Ut autem triplici probatione ostendatur Dominus dator vitæ et salutis animæ secundum trinam sui potentiam et virtutem (*b*), prima suscitatio puellæ probatur manducatione, quæ respicit actum vegetabilis; unde ² : « Ipse autem tenens manum ejus clamavit, dicens : Puella, surge. Et reversus est spiritus ejus, et resurrexit continuo, et jussit illi dari manducare, et stupuerunt parentes ejus. » *Ipsæ autem Christus tenens manum ejus*; ecce virtutis adjutorium. *Clamavit dicens : Puella surge*; ecce majestatis imperium. *Et reversus est spiritus ejus* per intimam conjunctionem, et resurrexit continuo per vitalem operationem. Nam surgere operatio est viventis. *Jussit illi dari manducare*, quantum ad vitalem manifestationem, ut non phantastica, sed vera suscitatio probaretur : hoc autem est signum veræ suscitationis. Ideo dat sensibus, ut mentes elevet

in excelsum admirationis; unde sequitur : *Et stupebant parentes ejus*.

Secundo suscitatio Lazari probatur ambulatione, quæ respicit actum sensibilis. Unde ³ : « Jesus voce magna clamavit : Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus et pedes institis. » Ut dicit Glossa : « Sicut potentiæ Dei est, quod surgit, sic quod adhuc ligatus prodiit et ambulabat. » Ille, in quo caro conjuncta est Verbo æterno, *clamavit voce magna*, interius operando, et exterius excitando : *Lazare, veni foras*, tuis propriis pedibus, ut tua suscitatio innotescat populo, qui circumstat, ut (*c*) credat, quia ego sum principium humanæ conditionis et reparationis, qui loquor tibi. *Et statim prodiit qui fuerat mortuus* : Et hoc est quod dicitur secundum Augustinum ⁴ : « Nemo tam facilis excitat dormientem de somno, sicut Christus revocat de sepulcro. »

Tertio suscitatio adolescentis probatur locutione, quæ respicit actum formalis, sive finalis. Unde in Evangelio hodierno : *Resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui, et dedit illum matri suæ*. Non est dubium quin iste adolescens suscitatus loqueretur verba laudis divinæ : quod non est mortuorum, sed viventium. In quo apparet manifeste quod vivebat, eo quod vita dignoscitur et per motum, et per sensum. Hoc (*d*) quia istum suscitavit ad matris consolationem, ideo dedit illum matri suæ. Non enim vacat mysterio, quod puella in sua suscitatione dicitur surrexisse, adolescens iste resedissee, Lazarus vero ligatus manus et pedes prodiisse. Nam per puellam mortuam in domo, intelligitur peccatum cogitationis; per adolescentem in porta, peccatum operationis; per Lazarum in sepulcro, peccatum consuetudinis. Et secundum quod peccata sunt graviora, majores relinquunt sequelas. Ideo qui solum cogitatione peccavit, vivificatus continuo surgit, et parva remanet difficultas. Qui vero opere peccavit vivificatus, sedet, quia adhuc pro-

Mysterium de
tribus
suscitatis.

¹ Job, x 21-22. — ² Luc, viii, 51-56. — ³ Joan, xi, 13-14. — ⁴ Aug.

(a) Forte leg. prima. — (b) Cæt. edit veritatem. — (c) Leg. et. — (d) Forte leg. Post hoc.

nitatis remanet. Qui autem in consuetudine peccavit vivificatus, ligatus est, quia habet magnam pronitatem ad malum et difficultatem ad bonum.

Tertio, in verbo proposito notatur laudis amplificatio, quantum ad reverentiam creatricis sapientiæ, cum subinfert : *Acceptit autem omnes timor, et magnificabant Deum.* Est enim reverenter magnificandus Deus de opere recreationis, eo quod est primo declarativum potentiæ in dejectione hostis antiqui ; secundo manifestativum sapientiæ in revelatione hominis prostrati ; tertio expressivum misericordiæ in missione Spiritus sancti. Et propter hoc debemus laudare Deum de opere recreationis ; quod in reformatione et resurrectione illius adolescentis signatur : tum quia sua (a) virtuositate potentiæ deiecit crudelem tyrannum ; tum quia sua (a) sagacitate sapientiæ relevavit hominem prostratum ; tum quia sua (a) benignitate clementiæ misit ad nos Spiritum sanctum.

Primo magnificabant Deum de opere recreationis, propter virtuositatem potentiæ in dejectione hostis antiqui ; et hoc est quod dicit beata Virgo ¹ : « Magnificat anima mea Dominum. » Et sequitur : « Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. » Virgo gloriosa toto affectu ostendit se laudare divinam virtutem (b) beneficio incarnationis, cum dicit : *Magnificat anima mea Dominum* ; deinde reddit rationem, cum subdit : *Fecit potentiam in brachio suo*, id est, in Filio : *dispersit superbos mente cordis sui*, id est, diabolum et ejus sequaces, qui mente cordis sui superbivit in intellectu per præsumptionem, et in affectu per ambitionem. Vel *dispersit superbos mente cordis sui*, cum ex diffinitione consilii sui dæmones superbientes deiecit. Ista autem dejectio diabolicæ crudelitatis, per quam tenemur ad magnificationem divinæ virtuositatis, fuit figurata in dejectione ægyptiacæ potestatis,

secundum quod dicitur ² : « Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine ; dextera tua, Domine, percussit inimicum : et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos. »

Secundo magnificabant Deum de opere recreationis, propter sagacitatem sapientiæ, in revelatione hominis prostrati. Unde in Psalmo ³ : « Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum. Exquisivi Dominum, et exaudivit me, et ex omni tribulatione mea eripuit me. » Propheta David, magnus præco, et ampliatio divinæ laudis, considerans, quoniam sagaciter divina sapientia, secundum quod ordo nostræ salutis, et revelationis deposcebat, sua multiformi arte fefellit artem proditoris, inde medelam ferendo hostis, unde læserat, ut (c), sicut de ligno dejectio mortis oriebatur, ita de ligno relevatio vitæ resurgeret : invitat omnem hominem ad gratiarum actionem, cum dicit : *Magnificate Dominum mecum*, corde, ore, opere ; *et exaltemus nomen ejus in idipsum*, sibi soli honorem et gloriam tribuendo. Vel cum laudis amplificatione adjungit laudationem, dicens in persona sanctorum Patrum : *Exquisivi Dominum*, devota precum instantia, petendo accelerari illud beneficium misericordiæ revelationis. *Et exaudivit me*, aures suæ misericordiæ ad preces meæ humilitatis inclinando. ⁴ « Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, » cujus donatione ex omnibus tribulationibus, quibus opprimebar ab ægyptiaca crudelitate, eripuit me transferendo de Ægypto peccati in regnum dilectionis Filii sui. De hoc similiter potest intelligi illud ⁵ : « Magnificabo regem cæli, quoniam opera ejus vera, et viæ ejus judicæia. »

Tertio magnificabant Deum de opere recreationis, propter benignitatem misericordiæ in missione Spiritus sancti. Unde ⁶ : « Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : major est enim omni

(a) Leg. suæ.—(b) Suppl. pro.—(c) Cæt. edit. Unde.

¹ Luc., I, 46, 51. — ² Exod., xv, 6-7. — ³ Psal. xxxiii, 4-5. — ⁴ Luc., I, 73. — ⁵ Dan., iv, 34. — ⁶ Eccli., xliii, 33-35.

laude. Exaltantes illum, replebimini virtute : ne (a) laboretis : non enim comprehendetis. Quis videbit (b) illum, et narrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio? » Unde debemus *benedicere et exaltare* Deum juxta modulum nostræ possibilitatis de tanto beneficio, scilicet de missione Spiritus sancti, quamvis *major sit omni laude* humana. Nam sic *exaltantes* verbo et opere, *replebimini virtute Spiritus sancti : non laboretis* curiose scrutando ejus inscrutabilem originem : *non enim comprehendetis*. Nam omnes philosophi, magi et christiani defecerunt, ejus scrutantes originem scrutinio in hoc tertio signo. Nam quis vidit eum, cognoscendo ejus originem humana investigatione, et enarrabit, et magnificabit eum sicut a principio penuria humani sermonis? Certe nullus : quia ¹ « Spiritus, ubi vult, spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat. » Rogemus ergo, etc.

DOMINICA XVI POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS ².

Cum intrasset in domum cujusdam principis ³, etc. Princeps est Christus, princeps angelus, princeps homo, princeps diabolus.

De primo principe ⁴ : « Factus est principatus ejus super humerum ejus, » et cætera usque : « princeps pacis. » Hic princeps misericordiæ in mundo ⁵ : « Hunc principem Deus, et salvatorem exaltavit dextera sua ad dandam pœnitentiam, et remissionem peccatorum. » Item princeps justitiæ est Christus in judicio ⁶ : « Cum vadis cum adversario tuo ad principem in via, da operam liberari ab illo, ne forte tradat te judici, » etc. Et princeps est judex ⁷ : « Cum appauerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. » Nota quod hic exactor, in *Matthæo* ⁸ minister ; et quod hic *minutum*, ibi *quadrans* dicitur. De his require

¹ *Joh.*, III, 8. — ² Hunc et duos seq. habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ³ *Luc.*, XIV, 1. — ⁴ *Isa.*, IX, 6. — ⁵ *Act.*, V, 31. — ⁶ *Luc.*, XII, 58. — ⁷ *Petr.*, V, 4. — ⁸ *Matth.*, V, 25. — ⁹ Vid. infra, *Dom.* XXV, post

in sermone, *Reddite* ⁹, in quarto membro. Item princeps gloriæ in cœlo ⁴ : « Pater futuri sæculi, princeps pacis. » Revera in futuro sæculo summa pax est, sub principe Christo.

De secundo ¹⁰ : « Ecce Michael unus de principibus venit in adjutorium meum. » Istorum principum, scilicet angelorum, habemus ministerium in exilio. Unde angelo evaginatam tenenti gladium dicitur ¹¹ : « Noster es, an adversariorum? Qui respondit : Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini. » Item testimonium in judicio ¹² : « Dominus ad judicium venit cum senatoribus populi sui, » id est, cum apostolis, « et principibus ejus » angelis, qui erunt testes humanorum actuum, sicut dicit Glossa super illud ¹³ : *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo*. Item consortium in regno ¹⁴ : « Suscitavit de pulvere egenum, et de stercore elevavit pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. » In stercore solent esse vermes. O quanta gratia, quod Deus stercoreum vermes collocabit in solis principum ! Bernardus ¹⁵ : « Nonne de vermiculis estis, et de pulvere isto restaurati sunt muri Jerusalem? » Familiaritatem principum istorum assequimur per munera orationum, et operum honorum ¹⁶ : « Donum hominis dilatat viam ejus, et ante principes spatium ei facit. »

De tertio, Psalmus ¹⁷ : « Reprobat consilia principum. » Principes in Scripturis large dicuntur prætores, et judices præpositi aliorum, sicut Joseph, de quo Psalmus ¹⁸ : « Constituit eum dominum, » etc. Reprobatur autem in principibus non solum nequitia consiliorum, sed etiam injustitia, et officii negligentia. Unde, cum populus peccasset, iratus est Dominus principibus, dicens ¹⁹ : « Tolle eunetos principes populi, et suspende

Pent., serm. III. — ¹⁰ *Don.*, X, 13. — ¹¹ *Jos.*, V, 14. — ¹² *Iac.*, III, 11. — ¹³ *Matth.*, XXV, 31. — ¹⁴ *I Reg.*, II, 7, 8. — ¹⁵ Bern. — ¹⁶ *Prov.*, XXIII, 16. — ¹⁷ *Psal.*, XXXII, 10. — ¹⁸ *Psal.*, CIV, 21. — ¹⁹ *Num.*, XXV, 4.

(a) *Carl. edit.* Non enim. — (b) *Item* vidit.

eos contra solem in patibulis, » scilicet infernalibus. Item ipsorum violentia ¹ : « Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius (a) super populum pauperem. » Item malorum adhærentia ² : « Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. » Qui tanto gravius cadunt, quanto plures involvunt. Bernardus ³ : « Principis error multos involvit, et tot obest, quot (b) præest. » Item familiæ indecentia ⁴ : « Principes qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. » Contra quos ait Ambrosius ⁵ : « Laus domini, ubi munda possessio, et innocens familiæ disciplina. » O miseri principes, cogitate quam brevis, et quam nullus sit vester principatus. Isidorus ⁶ : « Dic, ubi sunt reges, ubi principes, ubi imperatores, ubi locupletes rerum, ubi potentes sæculi, ubi divites mundi? Quasi umbra transierunt, et velut somnium evanuerunt. »

De quarto ⁷ : « Principes mundi hujus jam judicatus est. » Et merito autem (c) judicatus est, quia iniquissimus est. Tot autem habemus contra nos principes, quot dæmones adversantes. Principes autem illi nos expugnant, nos subjugant, nos jugulant. Impugnant in tentatione ⁸ : « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, » etc. Iniquissime autem nos impugnant, non læsi a nobis. Psalmus ⁹ : « Principes persecuti sunt me gratis. » Item subjugant per vincula in transgressione, per jugum et vincula peccatorum. Psalmista ¹⁰ : « Principes conveniunt in unum adversus Dominum, » etc., usque : « Projiciamus a nobis jugum ipsorum. » Item jugulant in damnatione; unde de habitatoribus inferni dicitur ¹¹ : « Ibi principes aquilonis omnes, et universi venatores, qui deducti sunt cum interfectis. » *Principes aquilonis* sunt dæmones. *Venatores*

autem diaboli, sunt homines perversi, per quos animæ hominum in peccatis capiuntur. *Interfecti* autem sunt damnati, a principibus infernalibus per tormenta infernalicia jugulati.

SERMO II ¹².

Amice, ascende superius ¹³. Infelices autem sunt qui non ascendunt per divinam invocationem (d). Considerandum est autem quod ascendere debet homo ad veritatem per contemplationem; ad virtutem, per conversationem; ad dignitatem, per vocationem; ad immortalitatem, per evolutionem et resurrectionem.

De primo ¹⁴ : « Ascende in montem istum Abarim, et contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israel, » terram scilicet viventium. Mons autem altitudinem mentis nostræ, vel fidei significat, per quam transimus ad Deum. Unde Abarim interpretatur *pertransitio*. Ascendere per contemplationem non potest carnalis, sed spiritualis. Sic, ad litteram, carnosus et pinguis altos montes non bene ascendere possunt. Unde, cum Joannes vidisset ostium apertum, audit dicentem sibi ¹⁵ : « Ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri cito. » Et sequitur : « Et statim fui in spiritu. » Debes ergo non in carne, sed in spiritu, non cum asino, sed cum puero montem visionis ascendere. Bernardus ¹⁶ : « Intentiones, cogitationes, voluntas, affectiones, et omnia interiora mea, venite, ascendamus in montem Domini, ubi Dominus videt, et videtur. » Sicut autem ostium in cælo apertum est ascendentibus, sic ostium in inferno apertum est descendentibus ¹⁷ : « Dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino : et descendent fortes ejus, et populus ejus, et sublimes gloriosique ejus ad eum. »

De secundo ¹⁸ : « Quæ est ista quæ ascendit

¹ Prov., xxviii, 15. — ² Isa., i, 23. — ³ Bern., ad Guillelm., epist. cxxvii. — ⁴ Prov., xxix, 12. — ⁵ Ambros. — ⁶ Isid. — ⁷ Joan., xvi, 14. — ⁸ Ephes., vi, 12. — ⁹ Psal. cxviii, 161. — ¹⁰ Psal. ii, 2-3. — ¹¹ Ezech., xxiii, 23. — ¹² Hunc habet codex Assis.

sæc. xiiii. — ¹³ Luc., xiv, 10. — ¹⁴ Num., xxxvii, 12. — ¹⁵ Apoc., i, 2. — ¹⁶ Bern. — ¹⁷ Isa., v, 14. — ¹⁸ Cant., iii, 6. — (a) Cat. edit. ipsius. — (b) Apud Bern. edit. Mabill. tantis... quantis. — (c) Del. autem. — (d) Leg. vocationem.

per desertum? » Desertum est mundus, in quo serpentes et vermes, scilicet vitia, et latrones, id est dæmones : quos, ascendendo ad virtutes, evadimus; descendendo autem per vitia, in eos incidimus ¹ : « Homo quidam descendit ab Jerusalem, » etc. Sequitur ² : « Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii. » In myrrha, contritio; in thure, oratio; in pulvere pigmentarii, diversarum virtutum compositio; in virgula fumi, suavissima devotio significatur. Nota quod prædicto pulvere homo suavem facit potum adversitatis. Solent enim homines pulverem sumere, ut sapidius possint bibere. ³ « Potestis bibere calicem, » etc. Bene dicunt : « Possumus » : jam enim de pulvere Spiritus gustaverunt aliquid. *Quæ est ergo ista anima fidelis, quæ ascendit non gressibus, sed virtutibus; non corpore, sed corde?* Psalmista ⁴ : « Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit. » Bernardus ⁵ : « Hi ascensiones in corde suo disponunt, qui de virtute in virtutem eunt, et videre Deum deorum in Sion eo feliciter merentur in retributione, quo summo bono familiariter adherere studuerunt puriori conversationis ordine. » Sed, heu! multi non ascensiones ad cælum, sed descensiones in infernum disponunt in corde suo, de vitio in vitium descendentes usque ad profundum inferni. ⁶ « Descendunt (a) in profundum. »

De tertio ⁷ : « In loco magnorum ne steteris (b) : melius est tibi ut dicatur : Ascende huc, quam ut humiliaris coram principe, » id est Christo. Magnorum ergo merito, vel officio, vel sanctitate, vel dignitate locum nullus præsumendo usurpet, vel ambitione. Unde in hoc Evangelio : *Recumbe in novissimo loco*, etc., usque : *Ascende superius*. Sed, heu! quomodo criminosi scalam ecclesiasticæ dignitatis, vel mundanæ potestatis, audent ascendere, cum Jacob ⁸ non dæmo-

nes, sed homines ascendentes, et descendentes angelos vidit in scala? Angeli enim debent esse per bonitatem, non dæmones per malignitatem, quicumque in scala potestatis volunt ascendere. Isidorus ⁹ : « Non debet homo honoris ducatum recipere, qui nescit subditos tramite vitæ melioris præire. Neque enim quisquam ad hoc præficitur, ut subditorum culpas corrigat, et ipse vitiis serviat. » Sed, heu! multo jam plures dæmones, quam angeli hanc scalam ascendunt. Gregorius ¹⁰ : « Minorem major præcedit, sicut honore, sic et crimine. »

De quarto Psalmista ¹¹ : « Quis ascendet in montem Domini, » etc. « Innocens manibus, » etc., usque : « Hic accipiet benedictionem, » etc. Iste autem ascensus in curru bonæ vitæ igneo per charitatem ¹² : « Ascendit Elias, » etc. « Ecce currus igneus. » Hunc autem ascensum facere non possunt nisi nobiles : nobiles non sanguine, sed virtute : nobiles utique qui coronandi sunt tanquam reges. ¹³ « Ingredietur per portas (c) civitatis hujus reges et principes, ascendentes in curribus et in equis. » Currus significare possunt diversos status, et professiones salvandorum. Alii enim ascendunt in curru conjugali, alii in viduali, alii in virginali, alii in circuitu ordinis sancti Francisci, et sic de aliis. Equi autem sunt corpora, in quibus boni per resurrectionem ascendunt in cælum.

SERMO III.

Qui se humiliat, exaltabitur ¹⁴. Ecce magnus fructus, magna utilitas humilitatis, Qui ergo vult se humiliare, debet causam, modum et fructum humilitatis attendere. Attendat, inquam, humiliationis necessitatem, qualitatem, utilitatem.

Circa primum, scilicet causam humiliationis sive necessitatem, considera quod humili-

¹ Luc., x, 30. — ² Cant., III, 16. — ³ Matth., xx, 22, 23. — ⁴ Psal. LXXXIII, 6. — ⁵ Bern. — ⁶ Exod., xv, 5. — ⁷ Prov., xxv, 7. — ⁸ Gen., xxviii, 12. —

⁹ Isid., Sent., lib. III, c. xxxiv. — ¹⁰ Greg. — ¹¹ Psal. xxiii, 3. — ¹² IV Reg., II, 11. — ¹³ Jerem., xvii, 25. — ¹⁴ Luc., xiv, 11.

(a) Vulg. descenderunt. — (b) Cæt. edit. steteritis. — (c) Item Ingredietur.

lis debet esse propter tria, scilicet : propter conditionis utilitatem ; propter salvantis humilitatem ; propter salvationis necessitatem. De primo Psalmista ¹ : « Humiliata est in pulvere anima nostra. » Quid enim est corpus nostrum, nisi pulvis? ² « Pulvis es, et in pulverem reverteris. » Merito ergo se humiliat, qui miseram hanc conditionem recogitat. Gregorius, *super Ezechielem* ³ : « Heu ! unde processit homini tanta superbia, cuius tam ærumnosa nativitas, cuius pœnalitatem concludit mortis necessitas, cui esse momentaneum, mundus exilium, vita periculum? »

De secundo ⁴ : « Discite (a) a me, quia mitis sum, et humilis corde. » Disce, miser homo, humilitatem ab humilibus sanctis generaliter. ⁵ « Induite vos ergo, sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, » etc. Disce a beata Maria specialiter ⁶ : « Respexit humilitatem ancillæ suæ. » Disce a Christo humilitatem excellentem, cuius exemplo usque ad mortem crucis vitam potius quam humilitatem amittas ⁷ : « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. » Augustinus ⁸ : « Si tanta humilitate se deprimat divina majestas, superbi- re audeat in aliquo humana infirmitas? »

De tertio ⁹ : Humiliare (b) Domino, et expecta manum ejus. » Habet Dominus manum misericordiæ, et manum damnantem. Has manus homo cum timore expectat, ignorans utrum in iudicii, an misericordiæ manum incidat : unde merito se humiliat. ¹⁰ « Humiliamini sub potenti manu Dei, » etc. Gregorius ¹¹ : « Nobis cuncta de meritis nostris incerta sunt, ut certam gratiam teneamus humilitate. »

Circa principale, scilicet modum humiliationis, considera quod homo debet humiliari

totaliter, scilicet corde, ore, et opere. Corde ; Psalmista ¹² : « Cor contritum et humiliatum, Deus, non despiciet (c). » Psalmista ¹³ : « Humilia respicit in cœlo, et in terra : » *in cœlo*, per gloriam ; *in terra*, per gratiam. Humiliare ergo in terra, ne humiliaris in gehenna. ¹⁴ « Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij, ignis et vermis. » Si humilitate cor bene armetur, sagittis diaboli non facilliter vulneratur. Joannes Chrysostomus ¹⁵ : « Humilis corde non capitur passione : non ira hunc molestare potest, non æmulatio, non zelotypia. » Ore debet humiliari ; Psalmista ¹⁶ : « Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis, » etc. Si vere humilis es, a bonis ex humilitate silebis. Quam longe sunt ab humilitate, qui etiam a malis non silent ! Humilitas autem oris non solum est in silendo humiliter, sed etiam in loquendo humiliter. Patet in Maria, quæ ¹⁷ se *ancillam* dixit, et in David qui ¹⁸ se *canem mortuum* dixit. Opere debet humiliari ¹⁹ : « Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine. » Digne ambulare est in bonis actibus proficere. Unde in humilitate ambulare, in via actionis et bonæ vitæ semper corde, ore, et opere, humilitatem insinuare. Augustinus ²⁰ : « Pergite viam humilitatis : ipse exaltat humiliter sequentes, quem descendere non piguit ad jacentes. »

Circa tertium, scilicet fructum et utilitatem humiliationis, considera, quod homo per humilitatem a malo liberatur, in bono adjuvatur, in cœlo exaltatur.

De primo, Psalmista ²¹ : « Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam » : de necessitatibus utique culpæ mortalis, pœnæ gehennalis, miseræ temporalis. Psalmista ²² : « Cir-

¹ *Psal.* XLIII, 25. — ² *Gen.*, III, 19. — ³ *Greg.*, in *Ezech.* — ⁴ *Matth.*, XI, 29. — ⁵ *Col.*, III, 12. — ⁶ *Luc.*, I, 48. — ⁷ *Philip.*, II, 9. — ⁸ *August.*, Enarr. in *Psal.* XVIII, n. 15, quoad sensum. — ⁹ *Eccli.*, XII, 9. — ¹⁰ *I Petr.*, V, 6. — ¹¹ *Greg.*. — ¹² *Psal.* L, 19. — ¹³ *Psal.* CXII, 6. — ¹⁴ *Eccli.*, VII, 19. — ¹⁵ *Chrysost.*, in *Matth.*,

honi. III, n. 6. — ¹⁶ *Psal.* XXXVIII, 3. — ¹⁷ *Luc.*, I, 38. — ¹⁸ *I Reg.*, XXIV, 15. — ¹⁹ *Ephes.*, IV, 2. — ²⁰ *Aug.*, Enarr. in *Psal.* LXXVII, n. 12, quoad sensum. — ²¹ *Psal.* XXX, 8. — ²² *Psal.* CXIV, 3-4, 6.

(a) *Cat. edit.* Disce. — (b) *Item* Humiliate. — (c) *Item* despiciet.

cumdederunt me gemitus mortis, » scilicet culpæ mortalis, « et pericula inferni invenerunt me, » scilicet pœnæ gehennalis. « Tribulationem et dolorem inveni, » scilicet miseriam, vel temporalis adversitatis. Sed quomodo, o David, evasisti? « Humiliatus sum, et liberavit me. »

De secundo ¹ : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Domino invenies gratiam. » Bene dicitur : *invenies gratiam*; quia gratia humilitate invenitur, quæ oratione quæritur. ² « Oratio humiliantis se nubes penetrat. » Psalmista ³ : « Respexit in orationem humilium, » etc. Sicut autem gratia humilitate invenitur, sic humilitate custoditur. Gregorius ⁴ : « Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi qui inventum plumas portat. »

De tertio dicitur hic : *Qui se humiliat, exaltabitur*. Et ⁵ : « Humilem spiritu suscipiet gloria. » Rogemus, etc.

SERMO IV ⁶.

Ipsè vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit ⁷. Quia, pharisæorum judicio et reputatione, bos vel asinus, ruens in foveam, extrahi poterat die sabbati sine legis transgressione; hinc est quod Dominus noster in hodierno evangelio, persimile efficaciter arguens a minori, ostendit se multo fortius non solvere sabbatum in languidi hominis curatione, cum salus hominis præferenda sit saluti bovis et asini. Unde, ad confutationem malignitatis et susurrii Judæorum, tria dantur nobis intelligi de ipso verbo proposito. Et primum est humilitas in tangendo, et apprehendendo infirmum; secundum est virtuositas in curando ejus morbum; tertium est liberalitas in dicendo eum abire liberum: ut sic per humilitatem confutet Judæorum superbiam; per virtutem, eorum desidiâ; per liberalitatem, eorum perfidiâ: cum ipsi non dignarentur eum tangere, nec po-

terant curare, nec vellent liberare. Et quia per ista facta, quæ gessit Christus exterius in corpore, docemur ea fieri interius spiritualiter in anima; ideo per humilem apprehensionem signatur gratiæ infusio; per efficacem curationem, culpæ expiatio; per liberalem dimissionem, pœnæ relaxatio. Unde, in verbo proposito, primo spiritualiter infirmum apprehendit per gratiæ infusionem in incarnatione, quia nunquam angelos apprehendit, sed filios Abrahæ, secundum quod dicitur ⁸; secundo ejus morbum sanavit per culpæ expiationem in passione; tertio dimisit abire liberum per pœnæ relaxationem in sancti Spiritus missione, quia ⁹ « ubi Spiritus Domini, ibi libertas. » Non enim tanquam avarus voluit ab eo exigere pretium, redigendo in servitutem legis veteris Testamenti propter collatum beneficium; sed tanquam liberalis et largus, ut se transferat ad libertatem Evangelii, dicitur: sic eum fecit abire liberum. Et propter hoc, cum illud esset opus misericordiæ et liberalitatis, per illud sabbatum non solvebatur, sed tantummodo per opus avaritiæ servitutis, quod in eo fieri prohibebatur, secundum quod dicitur ¹⁰: « Et opus servile non facietis in eo. »

Primo igitur in verbo proposito notatur Salvatoris humilitas in apprehendendo infirmum per gratiæ infusionem in incarnatione, cum dicit: *Ipsè vero apprehensum*. Apprehendit autem infirmum spiritualiter, infundendo suam gratiam tripliciter. Primo per amaritudinem pœnitentiæ in detestatione peccati; unde ¹¹: « Apprehendi manum eorum, » id est, opera præveniendi per internam inspirationem, « ut educerem eos, » adjuvando per boni operis persecutionem, « de terra Ægypti, » id est, de statu peccati. Ægyptus enim *tenebra* interpretatur, et significat peccatum: ratione cujus ita homo obtenebratur, ut non videat quid agere debeat, cum non possit dirigi in bonum sine

¹ *Eccli.*, III, 20. — ² *Eccli.*, XXXV, 21. — ³ *Psal.* CI, 18. — ⁴ Greg., in *Evang.*, hom. VII, n. 4. — ⁵ *Prov.*, XXXIX, 23. — ⁶ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521.

— ⁷ *Luc.*, XIV, 4. — ⁸ *Hebr.*, II, 16. — ⁹ II *Cor.*, III, 17. — ¹⁰ *Exod.*, XXIII, 7. — ¹¹ *Jerem.*, XXXI, 32.

luce gratiæ; sed delectatione peccati obtenebratus, ad omnia peccata est pronus. Secundo apprehendit Deus infirmum per recitandam justitiæ in adimpletionem divini præcepti; unde ¹: « Ego Dominus vocavi te in justitia, » præcepta ad observandum fideliter imponendo; « apprehendi manum tuam, » imposita ad complendum opera adjuvando. Nam per manus opus intelligitur; sed per apprehensionem adjutorium, eo quod tanta est humana fragilitas, quod nisi a divina potentia adjuvetur, in nullo bono per se potest proficere, sed potius deficere. « Et servavi te ad permanendum in eis, perseverantiam dando. Tertio apprehendit Dominus infirmum per fortitudinem patientiæ in toleratione mali inflictæ; de quo potest intelligi illud Psalmistæ ²: « Apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium mihi. » Per *arma* designantur virtutes, quibus vitia impugnantur; per *scutum* patientia intelligitur, per quam mala tolerantur illata. Unde tunc Deus apprehendit arma et scutum, quando infundit homini virtutes quibus impugnat vitia et peccata, et patientiam, cum qua tolerat mala illata; sed surgit *in adjutorium*, quando cum tentatione vitiorum facit proventum virtutum. Unde Gregorius ³: Nisi misericors Deus (a) viribus tentamenta modificet, nullus est qui malorum (b) insidias evitare possit (c). »

Secundo notatur culpæ expiatio, cum subdit: *Sanavit*. Quia quælibet Christi actio nostra est instructio, ideo per procuraciones infirmitatum corporum a Christo factas instruimur spiritualiter intelligere curationes vitiorum spiritum. Unde si volumus scientialiter procedere, primo videamus quæ accidunt isti morbo hydropisi materiali, quia per hoc devenimus in cognitionem hydropisis spiritualis, id est, peccati; et (d) sic cognito morbo utriusque hydropisis, melius explicabimus curationes et remedia exhibita

a Christo, medico corporum et animatum. Quamvis enim multa accidunt morbo hydropisis principaliter, tamen tria sunt ejus accidentia: et primum est corporis tumor, sive inflammatio, per quam intelligitur superbia; secundum, anhelitus fœtor, sive abominatio, per quam intelligitur luxuria; tertium est sitis ardor, et anhelatio, per quam intelligitur avaritia. Unde tunc Dominus sanavit hydropicum non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter, quando sanavit primo tumorem inflationis superbiæ per timorem humilitatis; secundo fœtorem abominationis luxuriæ per decorem castitatis; tertio ardorem exitialis avaritiæ per amorem paupertatis, ut (e) sic anima deordinata, et aversa a Trinitate personarum, videlicet a Patris potentia per tumorem superbiæ, a Filii sapientia per fœtorem luxuriæ, et a Spiritus sancti clementia per ardorem avaritiæ, ordinetur et convertatur ad Patrem per timorem humilitatis, ad Filium per decorem castitatis, et ad Spiritum sanctum per amorem paupertatis; et sic in quo fuerat peccati, vel diaboli vestigium, reluceat in eo vestigium Trinitatis.

Primo sanat Dominus spiritualiter hydropicum a tumore inflationis superbiæ per timorem humilitatis; et de hoc potest exponi illud ⁴: « Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: propter quod meipsum arbitratus non sum dignus venire ad te: sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. » Et sequitur: « Invenerunt servum, qui languerat (f), sanum. » Primo ille centurio, considerando divinæ majestatis altitudinem, dicit: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum*. Secundo, recognoscendo propriæ infirmitatis vilitatem, (g) subdit: *Propter quod meipsum non sum dignum arbitratus venire ad te: non enim indignitatis vilitas eum latebat per superbiam, sed nota erat per humilitatem præcipuam.*

¹ Isa., XLII, 6. — ² Psal. XXXIV, 2. — ³ Gregor., *Moral.*, lib. IX, c. XLVI, al. XXV, n. 71. — ⁴ Luc., VII, 6-7, 10.

(a) *Suppl. cum.* — (b) *Apud Greg. malignorum spirituum.* — (c) *Ibid. non corruens portet.* — (d) *Cæt. edit. ut.* — (e) *Item et.* — (f) *Item languebat.* — (g) *Cæt. edit. præmitt. cum.*

Tertio, profitendo divinæ virtutis facilitatem, addit : *Sed dic verbo, et sanabitur puer meus* ; quasi dicat : Cum apud te non sit impossibile omne verbum, non differt dicere, et facere : quia es illud Verbum ¹ per quod facta sunt omnia, et ille ² sermo vivus (a) et efficax, ³ potestate plenus, qui ⁴ sanat omnia. Et quia ⁵ « juxta est Dominus, qui tribulatio sunt corde, et humiles spiritu salvabit ; » ideo subinfertur quarto cœlestis gratiæ appropinquatio, sive operatio divinæ pietatis ad domum ægroti per morbi curationem, cum sequitur : *Invenerunt servum, qui languebat (b), sanum*. Prius pervenit virtutis operatio, quam nuntiorum reversio : et hoc est, quia libenter Deus condescendit humilibus. Unde Augustinus ⁶ : « Altus est Deus : humilias te, et venit ad te ; exaltas te, et fugit a te. » Et quamvis aliter humiliaret se Zachæus, aliter centurio, quia Zachæus sustinendo, centurio suscipere non audendo ; utroque modo fit divina reverentia. Unde exemplo istorum benefacit, qui pro reverentia corpus dominicum frequenter in sacramento suscipit, et qui reverentia cessat : utrique (c) enim salus datur, sicut Centurionis servo, et ipsi Zachæo. Unde Ecclesia in susceptione corporis dominici reverentiam centurionis representat in dicto, et devotionem Zachæi in facto : eo quod corpus dominicum debet suscipi centurionica reverentia et zachæica devotione.

Secundo sanat Dominus hydropicum spiritualiter a fœtore abominationis luxuriæ, per decorem castitatis ; et de hoc potest intelligi illud Psalmi ⁷ : « Quoniam lumbi mei repleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea. Afflictus sum, et humiliatus sum nimis. » Nomine lumborum, secundum Gregorium ⁸, luxuria generatur et oritur, cum lumbi implentur illusionibus, id est, turpibus mulierum imaginationibus, im-

mundis cogitationibus, et fœtidis affectionibus. Unde quemadmodum, quando abundant multi humores in corpore, generant scabiem quamdam, et impetiginem, et aliquando lepram, quæ tollit munditiam corporis ; sic quando abundant immundæ cogitationes, inordinatæ affectiones, turpes mulierum imaginationes et illusiones in corde, generant quosdam mores corruptos, inordinata desideria in carne. Et quia hæc corpus continent, auferendo sanitatem et munditiam castitatis, ideo dicit : *Non est sanitas in carne mea : quare ? Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus omnibus*. Certes summo studio debet homo amovere a corde istas illusiones, quia ex his luxuria principaliter generatur in corde, et ex corde redundat in carnem, secundum illud ⁹ : « Quicumque viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. » Ita, ex contrariis, castitas generatur principaliter in corde, et de corde redundat in corpore. Et propter hoc sequitur : *Afflictus sum, et humiliatus sum nimis : rugiebam a gemitu cordis mei. Domine, ante te omne desiderium meum*. Unde dicitur : *Afflictus sum*, per carnis mortificationem, quia sine ea castitas fundari non potest, eo quod carnis delectationes corrumpit, motus et desideria carnis restringit. *Et humiliatus sum nimis*, per delectationis dejectionem. *Rugiebam a gemitu meo*, per doloris compunctionem, quia (d) potest dicere : *Domine, ante te omne desiderium meum* per perfectam cordis ordinationem.

Tertio sanat Dominus spiritualiter hydropicum ab ardore exitialis avaritiæ per amorem paupertatis ; unde in Psalmo ¹⁰ : « Commovisti terram, et conturbasti eam : sana contritiones ejus, quia commota est. » Per terram intelligitur anima terrenis lucris dedita, quæ, ad modum terreni pulveris, per varios cogitatus dispergitur : et quia hujusmodi contritiones affligentium cogitationum

¹ *Jonn.*, I, 3. — ² *Hebr.*, IV, 12. — ³ *Eccle.*, VIII, 4. — ⁴ *Sap.*, XVI, 12. — ⁵ *Psal.* XXXIII, 19. — ⁶ *Aug.*, *Enarr. in Psal.* LXXIV et LXXXV, II, 2, quoad sensum. — ⁷ *Psal.* XXXVII, 8-9. — ⁸ *Greg.*, in *Evang.*, hom. III, II, 1. — ⁹ *Matth.*, V, 28. — ¹⁰ *Psal.* LIX, 4.

(a) *Cœt. edit.* unius. — (b) *Item* languebat. — (c) *Item* utriusque. — (d) *Fortè leg.* qua.

non possunt sanari, nisi prius amoveantur et confringantur Dei timore, concidantur et conturbentur peccati dolore, et dilatentur Christi amore; ideo inquit propheta: *Commovisti terram*, restringendo timore per considerationem divinorum judiciorum: *Conturbasti (a) eam*, concidendo dolore per deplorationem omnium peccatorum: *sana* contritiones ejus, eam dilatando amore per promissionem æternarum retributionum: *Quia commota est* per compassionem ad eleemosynarum largitionem, ut qui aliena rapiebat, propria largiatur. Unde Gregorius¹: « Terrena omnia servando amittimus, largiendo servamus: diu enim cum rebus durare non possumus, quia aut nos illas moriendo deseremus, aut illæ nos viuentes deserunt pereundo. Agendum est ergo, ut perituras res in non perituram mercedem transferamus. » Tertio subinfert: *Ac dimisit*; ubi notatur pœnæ relaxatio, quæ habet fieri per instantiam devotæ supplicationis, per vehementiam dilectionis divinæ, sive indulgentiam alienæ offensionis. Ratione primi ordinat ad seipsum; ratione secundi ad Deum; ratione tertii ad proximum. Primo autem dimissio (c) aut relaxatio fit per instantiam devotæ supplicationis; unde in Psalmo²: « Dixi: Confitebor, et tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. » Quasi dicat, cum peccator pœnitet, et conteritur, et proponit dicendo in corde: *Confitebor*, propositum adimplendo; *et tu*, scilicet Deus, et non alius, *remisisti impietatem peccati mei*. Solus enim Deus potest dimittere, et delere peccata, licet peccator mediante ministerio sacerdotis absolvatur. *Pro hac*, scilicet misericordia, quæ parcit faciliter, *orabit ad te omnis sanctus devota precum instantia*, tamen implorando *in tempore opportuno*, id est tempore et loco. Et de hoc similiter dicitur³: « Omne

debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. » Secundo fit dimissio propter vehementiam divinæ dilectionis; unde⁴: « Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. » Ecce quod Dominus probat istam mulierem purgatam a peccato per affectum dilectionis, eo quod ardor dilectionis divinæ consumpsit in ea peccatorum rubiginem. Nec est intelligenda ista sententia, ut ille, qui plus peccaverat, plus approbaretur; sed ostenditur quod, quantum est de ratione obligationis, cui plus dimittitur, plus obligatur, supposita tamen gratia, et rectitudine voluntatis. Nam multi ad magnas gratias tenentur, qui nullas, vel paucas reddunt. Tertio fit ista dimissio, propter indulgentiam alienæ offensionis; unde⁵: « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Debita dicuntur peccata, quia faciunt nos debitores eorum, quæ non possumus solvere. Unde ad eorum veniam impetrandam requirit hæc conditio: *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Justum est: qui fugit legem clementiæ, cadit in legem justitiæ; et propter hoc dicitur⁶: « Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater cœlestis peccata vestra: si vero non dimiseritis, nec Pater cœlestis dimittet vobis peccata vestra. » Unde Gregorius⁷: « Dominus peccata dimittit per misericordiam: repetit per justitiam. » Rogemus, etc.

DOMINICA XVII POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS⁸.

*Diliges Dominum Deum tuum*⁹. Sine dilectione salvari non possumus, et dilectionis certitudinem non habemus: probatur tamen, et perpenditur Dei dilectio ex quatuor signis et affectibus suis, videlicet ex sollicitudine cogitationis, ex fortitudine affectionis, ex rectitudine intentionis, ex promptitudine operationis.

Dilectio
Dei in
nobis
quibus
signis
probetur

¹ Gregor., *Moral.*, lib. XVIII, c. XVIII, n. 28. — ² *Psal.* xxxi, 5. — ³ *Matth.*, xviii, 32. — ⁴ *Luc.*, vii, 47. — ⁵ *Matth.*, vi, 12. — ⁶ *Ibid.*, 14, 15. — ⁷ Greg., *Moral.*, lib. XVI, c. LXVIII, al. XXVIII, n. 82, quoad

sensum. — ⁸ Hunc et duos seq. habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁹ *Matth.*, xxii, 37.

(a) Cæt. edit. *Conturbat*. — (b) Item sanat. — (c) Item dimisso.

De primo ¹ : « Surgam et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea. » Ecce quod omnis anima diligens Deum sollicita est quomodo Deum inveniatur, quomodo Deum teneatur, quomodo placeatur eidem. Ideo bene sollicitudo amoris his tribus verbis exprimitur, cum dicitur : *Surgam*, et *circuibo*, et *quæram*. Surgit enim anima amans, mentem a terrenis elevando ² : « Surge, Hierusalem, et sta in excelso. » Gregorius ³ : « Frigescit quis a curis sæculi, quanto surgit ardentius in amore Dei. » Item *circuit*, opera Dei et beneficia considerando, præcipue beneficium passionis Christi. ⁴ « Sume citharam, circuiti civitatem. » Sicut enim in cithara chordæ super lignum, ita membra Christi in ligno crucis extendebantur. Civitas est Ecclesia, in qua per plateas mandatorum, per vicos consiliariorum quærendus est Christus. Item quærit Deum ferventer desiderando : ad quid autem quærendus sit, Bernardus nos instruit, dicens ⁵ : « Occultat se Dominus, ut ardentius quærat, quæsitus cum gaudio inveniatur, inventus cum sollicitudine teneatur, tentus non dimittatur, donec in amoris cubiculum mansurus introducatur. » Requirit supra, sermone ⁶ : *Pater tuus et ego dolentes quærebamus te.*

De secundo ⁷ : « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio. » Bene sentit homo, quando sic fortiter diligit Deum, quod dilectio sua invincibilis sit sicut mors. Augustinus ⁸ : « Resistitur ignibus, undis, ferro, regibus, et potestatibus : venit una mors, quis ei resistet? Propterea viribus ejus comparata est dilectio. » Bene autem dicitur : *Pone me ut signaculum super cor tuum* : sicut enim sigillum in cera molli, sic sponsus charitatis Christus facile imprimitur, non cordi duro per impietatem,

sed molli per contritionem et per devotionem. Psalmista ⁹ : « Factum est cor meum, » etc. Debet ergo ita sigillum amoris esse in corde, ut dictum est. Item in opere; unde addidit : *Ut signaculum supra brachium tuum*. In operibus enim et laboribus, quæ brachia sunt amoris, ostenditur ¹⁰ : « Qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua. » In ore ¹¹ : « Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum? » Sigillum ergo amoris apparet in ore, cum de delicto libenter loquitur. Joannes Chrysostomus ¹² : « Amantium mos est, ut amorem suum silentio tegere nequeant. » Sigillum amoris optime claudit os, et custodit a tacendis. Augustinus ¹³ : « Sive taces, dilectione tace; sive clamas, dilectione clama. »

De tertio ¹⁴ : « Recti diligunt te. » Si servis Deo timore gehennæ, vel pœnæ transitoria, vel amore commodi, vel laudis mundana, rectus non es, sed inclinatus ad inferiora, neque oculum intentionis habes ad cœlestia, sicut signatum est in muliere, de qua ¹⁵, quæ « erat inclinata, neque omnino poterat sursum respicere. » Si autem in amore Dei servis, rectus es. Rectitudo autem hominis in tribus consistit : primo, in mali declinatione, et hoc est innocentia ¹⁶ : « Erat vir simplex, rectus, » etc., usque : « retinens innocentiam. » Secundo, in boni operatione, et hoc beneficentia ¹⁷ : « Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sunt opera ejus. » Tertio, in amoris Dei intentione, et hoc est conscientia. Recta enim conscientia amore beatitudinis Deo servit, non principaliter timore damnationis. Per primam rectitudinem virgo es; per secundam, lampadem habes; per tertiam, oleum possides. Si vis ergo rectus esse per amorem, abjicere debes servilem timorem ¹⁸ : « Noli timere, serve meus Jacob rectissime, quem elegi. »

¹ Cant., III, 2. — ² Bar., v, 5. — ³ Gregor., Moral., lib. XVIII, c. IV, al. VIII, n. 16. — ⁴ Isa., XXIII, 16. — ⁵ Bern., in Cant., serm. LXXIV, n. 3, quoad sensum. — ⁶ Vid. sup., inf. Oct. Epiph., serm. VI, pag. 85, col. 2. — ⁷ Cant., VIII, 6. — ⁸ August., in

Psal. CXXI, n. 12. — ⁹ Psal. XXI, 15. — ¹⁰ Job, XXXVII, 7. — ¹¹ Eccli., XXIII, 33. — ¹² Chrysost., Expos. in Psal. XLI, n. 3. — ¹³ Aug., in Epist. Joan., tract. VI, n. 8. — ¹⁴ Cant., I, 1. — ¹⁵ Luc., XII, 11. — ¹⁶ Job, I, 1-2. — ¹⁷ Prov., XX, 11. — ¹⁸ Isa., XLIV, 2.

Noli, inquam, *timere*, quasi dicat : Non tantum ex timore, sed ex amore servus meus tu es rectissimus. Rectus utique in declinatione criminis, rector in operatione virtutis, rectissimus in intentione amoris. Rectitudo ergo amoris signum, et effectus est dilectionis. Quantum enim servus Dei a servili timore deficit, tantum in amore proficit. Qui Deo servit amore, rectus et bonus est; qui tantum timore, curvus est, et malus in voluntate. Augustinus¹ : « Vivit enim in eo peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, si speretur impunitas. Peccare non vult charitas, etiam si speretur impunitas. »

De quarto² : « Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. » De hoc require in sequenti sermone per totum.

SERMO II.

*Diliges Dominum Deum*³, etc. Exigit a nobis Dominus totum cor, quasi proprium hospitium.

Exigit totum cor ad credendum⁴ : « Dixit autem Philippus : Si credis ex toto corde ? » Ex toto corde non credit, cujus vita a corde discordat⁵ : « Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est. » Signa autem fidei integra sunt, de quibus⁶ : « Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur, » etc. Expone moraliter, sicut habes in sermone⁷ : *Nolite contristare Spiritum sanctum*, etc.

Item ad pœnitendum⁸ : « Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu. » Quid est in toto corde converti? Respondit Augustinus, dicens⁹ : « Convertitur enim totus, et omnino vertitur, » etc. Require supra in sermone : *Ascendit Simon Petrus*¹⁰. Toto quoque corde convertitur, qui contritionem habet interiori, cujus signum est fletus in satisfactione

exteriori, ad quam pertinet jejunium. Certe melius est pro peccatis flere temporaliter, quam æternaliter¹¹ : « Ibi erit fletus, et stridor dentium. »

Item ad bene vivendum¹² : « Servies Domino Deo tuo in toto corde tuo, » etc.¹³ « Serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris. » *In sanctitate*, scilicet munditiæ a peccatis¹⁴ : « Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Domini (a). » *Et justitia coram ipso*; Psalmista¹⁵ : « Dilexisti justitiam, » quoad secundum : « et odisti iniquitatem, » quod ad primum. Perseverantia autem notatur, cum dicitur : *omnibus diebus nostris*.

Item ad obediendum¹⁶ : « Custodias mandata ejus, et hæc impleas ex toto corde tuo. » Implet ex toto corde, qui contritionem habet interiori, si impleat¹⁷, de quibus¹⁸ : « Non omnes obediunt Evangelio. » Imple toto corde mandata Dei in mundo, ut impleatur cor tuum lætitia in cœlo. Psalmista¹⁹ : « Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. » Impleas autem non solum divina, sed etiam humana toto corde. Bernardus²⁰ : « Quidquid vice Dei præcipit homo, imple, si est sicut præcipit (b) Deus. »

5. Item ad orandum²¹ : « Ex toto corde orabant omnes, ut visitaret populum suum. » Non orat (c), qui corde non intendit²² : « Populus hic labiis me honorat, cor autem, » etc. Tales orant Deum a tergo, non ad faciem. Contra quod Psalmus²³ : « Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo. » Etiam corde non orant, qui orationem in lingua, sed justificationem non habent in vita. Contra quod²⁴ : « Clamavi in toto corde meo, » etc., usque : « requiram. » *Requiram*, inquam, bene vivendo. Deus non attendit tuam

¹ Aug., in *Psal.* cxviii, serm. xxv, n. 7. — ² *Joan.*, xiv, 21. — ³ *Matth.*, xxii, 37. — ⁴ *Act.*, viii, 37. — ⁵ *Jac.*, ii, 26. — ⁶ *Marc.*, xvi, 17. — ⁷ Vid. sup., in *die Pentec.*, serm. i, pag. 290, col. 2. — ⁸ *Joel.*, ii, 12. — ⁹ August. — ¹⁰ Non reperitur inter editos. — ¹¹ *Matth.*, xiii, 42. — ¹² *Deut.*, x, 12. — ¹³ *Luc.*, i, 74-75. — ¹⁴ II *Cov.*, vii, 1. — ¹⁵ *Psal.* xlii, 8. —

¹⁶ *Deut.*, vi, 2. — ¹⁷ Locus corruptus. — ¹⁸ *Rom.*, x, 10. — ¹⁹ *Psal.* xv, 11. — ²⁰ Bern., de *Præc. et Disp.*, c. ix, n. 21. — ²¹ *Judith.*, iv, 17. — ²² *Matth.*, xv, 8. — ²³ *Psal.* cxviii, 58. — ²⁴ *Ibid.*, 145.

(a) *Vulg.* Dei. — (b) *Apud Bern. leg.* homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat. — (c) *Cæt. edit.* errat.

orationem, si non quæris suam justificationem. Joannes Chrysostomus ¹: « Qui orat Deum, et peccat, non orat Deum, sed deludit eum. »

6. Item ad diligendum; sic hic, et ²: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. » Ex toto corde non diligit, qui de se aliquid relinquit. Augustinus ³: « Totum, inquit, cor meum flamma tui amoris accendat. Nil in me relinquatur mihi; sed totus in te æstuem, in te ardeam, totus te diligam. » Item toto corde non diligit, qui dilectionem in effectu non ostendit ⁴: « Si quis diligit me, sermones meos servabit. » Gregorius ⁵: « Nunquam est amor Dei otiosus, » etc. Unde et arca testamenti intus et extra auro vestiebatur. Charitatis igitur vestis sit interius per affectum, exterius per effectum.

7. Item ad reminiscendum Deum ⁶: « Quoniam memor fuit Dei sui in toto corde suo, dedit ei Dominus gratiam in conspectu Salmanasar regis. » Item inter cætera Dei beneficia, quæ in memoria habere debemus, præcipue passio in corde debet esse memoriter ⁷: « Recordare paupertatis meæ, et transgressionis, absinthii, et fellis. » Expone qualiter hæc habere debemus in memoria, ut ea imitemur.

8. Item ad gratias agendum, Psalmus ⁸: « Confitebor tibi, Domine, in toto corde, etc. » Hæc est confessio laudis. Bene ait: *In æternum*: semper enim homo invenit, in quo Deum laudare possit. Augustinus ⁹: « Quæcumque homo fecerit, invenit in suis factis Deum. Si recte non egerit, laudabilem invenit per justitiam suppliciorum; si peccator conversus ad recte vivendum redierit, laudabilem invenit per misericordiam indulgentiarum. »

SERMO III.

Diliges Dominum Deum tuum, etc. Gre-

¹ Chrysost., *Quod non oporteat peccata frat. evulg.*, n. 10, quoad sensum. — ² *Deut.*, vi, 5. — ³ Aug. — ⁴ *Joan.*, xiv, 23. — ⁵ Greg., *in Evang.*, hom. xxx, n. 2. — ⁶ *Tob.*, i, 13. — ⁷ *Thren.*, iii, 19. — ⁸ *Psal.* ix, 2. — ⁹ Aug., *in Psal.* cxlvi, n. 2, quoad sensum.

gorius ¹⁰: « Probatio dilectionis exhibitio est operis. » Dilectio ergo Dei probatur ex sex signis: ex detestatione peccatorum; ex repulsione inimicorum; ex operatione mandatorum; ex provisione subditorum; ex renuntiatione terrenorum; ex toleratione adversorum.

De primo, Psalmus ¹¹: « Qui diligitis Dominum, odite malum. » Certum est enim quod quantum homo diligit Deum, tantum odit peccatum. Si multum diligit, multum odit, et tunc multum ei dimittitur ¹²: « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit (a) multum. » Qui ergo Deum diligit, peccatum odit. Gregorius ¹³: « Qui adhuc per illicita desideria diffluit, profecto Deum non amat, quia ei in sua voluntate contradicit. » Imo qui peccatum diligit, seipsum odit; Psalmus ¹⁴: « Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. »

De secundo, scilicet de repulsione inimicorum, Psalmista ¹⁵: « Custodit Dominus omnes diligentes se, et vias peccatorum disperdet, » id est, dæmones disperdet. Per dilectionem homo custoditur, diabolus confunditur. Certum enim est quod, quantum fortiter Deum diligimus, tanto contra tentationes diaboli fortiores sumus. Psalmista ¹⁶: « Diligam te, Domine, fortitudo mea. » Si ergo fortis es in Dei dilectione, Deus est fortitudo tua in tentatione. Diabolus maxime persequitur charitatem; Augustinus ¹⁷: « Nihil speciosius Deo virtute dilectionis; nihil desiderabilius est diabolo extinctione charitatis. » Habes itaque signum veræ dilectionis, si non superaris impetu tentationis. Gregorius ¹⁸: « Ille vere amat, cujus videlicet mentem delectatio prava consensu non superat. » Quantum enim Dominus diligitur, tantum malus contemnitur, scilicet diabolus,

— ¹⁰ Greg., *in Evang.*, hom. xxx, n. 4. — ¹¹ *Psal.* xcvi, 10. — ¹² *Luc.*, vii, 47. — ¹³ Greg., *Moral.*, lib. xviii, c. ix, al. viii, n. 16. — ¹⁴ *Psal.* x, 6. — ¹⁵ *Psal.* cxliv, 20. — ¹⁶ *Psal.* xvii, 2. — ¹⁷ Imo Gregor., *Pastor.*, part. iii, adm. 24. — ¹⁸ Greg., *in Evang.*, hom. xxx, n. 2.

(a) *Cæt. edit.* quasi dicat.

caro, mundus ¹ : « Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget, » etc.

De tertio ² : « Si diligitis me, mandata mea servate. » Et ibidem ³ : « Si quis diligit me, sermones, » etc. Sed nota quod inter mandata opere servanda, Deum diligere « est maximum et primum mandatum; » secundum autem simile huic ⁴ : « Diliges proximum tuum sicut teipsum. » Unde nemo se Deum diligere putet, qui de omnibus proximis unum odit ⁵ : « Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est. »

De quarto ⁶ : « Simon Joannis, diligis me plus his? » etc., tertio, usque : « Pasce oves meas. » Certum enim, quia pastor ecclesiasticus, quantum diligit Deum, tanto pro ovibus suis habet zelum. Gregorius enim ait ⁷ : « Ille apud Deum magis in amore ejus est, qui ad ejus amorem plurimos trahit. » Sed nota quod ter dixit : *Pasce*, etc. Prælati enim, qui diligit Deum, pascit verbo, pascit exemplo, pascit subsidio. Et certe non solum prælati, sed etiam omnes dilectores Dei pascere debent oves Dei verbo consolationis, vel orationis, exemplo conversationis, subsidio subventionis per temporalem substantiam ⁸ : « Qui habent substantiam hujus mundi, » etc.

De quinto ⁹ : « Si homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione dederit, quasi nihil despiciet eam. » Certum enim est quod quantum homo diligit Deum, tantum omnia temporalia despiciet quasi stercus ¹⁰ : « Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. » Joannes Chrysostomus ¹¹ : « Qui pecuniam concupiscentiamque dimiserunt, hi maxime sunt, qui, ut debent, diligunt. » Omnem substantiam dedit, qui dixit ¹² : « Ecce nos reliquimus omnia, » etc. Sic etiam dedit omnia sua ille evangelicus negotiator pro dilectione margaritæ ¹³, id est,

Christi. Bonæ enim margaritæ sunt omnes sancti; una vero pretiosa est Christus. Si ergo omnem substantiam dare non potes, des Deo saltem partem in elemosynis.

De sexto ¹⁴ : « Majorem charitatem, » etc. Certum enim est, quia tantum diligit, quantum amore sui (a) patienter adversa sustinet, et etiam mortem. Videat ergo unusquisque utrum paratus sit pro amico suo Jesu Christo ponere animam suam, et ante mori, quam vivere et relinquere legem Dei. ¹⁵ « Parati sumus magis mori, quam patrias leges prævaricari. » Augustinus ¹⁶ : « Eligat homo magis, Deo dilecto, mori, quam, offenso, vivere. » Hoc est experimentum veræ dilectionis. ¹⁷ « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, » etc. usque : « neque creatura alia. »

SERMO IV ¹⁸.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua ¹⁹. Quoniam bonitatis est se licite communicare malis et inimicis; ideo Dominus noster, tanquam bonus doctor, voluit communicare doctrinam veritatis malignis Judæis dolose eum interrogantibus, cum ad eorum quæstionem utilitatis (b), quamvis procederet ex animi dolositate, dedit responsum veritatis, cum dicit in verbo proposito : *Diliges Dominum Deum tuum*, etc. Ubi elegantissimo et miro modo ordinate procedit, ordinando totum hominem secundum omnem sui potentiam ad Deum medicum triplici virtute theologica. Nam primo regulat concupisibilem in summo diligibili, imperando actum charitatis; secundo elevat irascibilem in summo honorabili, insinuando objectum divinitatis; tertio illustrat rationalem in summo intelligibili, explicando

¹ *Matth.*, vi, 21. — ² *Joan.*, xiv, 15. — ³ *Ibid.*, 23. — ⁴ *Matth.*, xxii, 39. — ⁵ *1 Joan.*, iv, 20. — ⁶ *Joan.*, xxi, 15-17. — ⁷ *Greg.*, *Moral.*, lib. vii, c. xxiv, al. x, n. 28, quoad sensum. — ⁸ *1 Joan.*, iii, 17. — ⁹ *Cant.*, viii, 7. — ¹⁰ *Philip.*, iii, 8. — ¹¹ Chrysost. — ¹² *Matth.*,

xix, 27. — ¹³ *Ibid.*, xiii, 46. — ¹⁴ *Joan.*, xv, 13. — ¹⁵ *1 Mach.*, vii, 2. — ¹⁶ *Aug.*, *de Civit. Dei*, lib. x, c. xxiv, quoad sensum. — ¹⁷ *Rom.*, viii, 35 et seq. — ¹⁸ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ¹⁹ *Matth.*, xxii, 37.

(a) *Suppl. amici.* — (b) *Forte leg. subtilitatis.*

modum veritatis. Primum habet per charitatem; secundum per scientiam; tertium per fidem.

Primo igitur imperat nobilem actum charitatis, regulando (a), cum dicit: *Diliges*. Iste actus dilectionis elicitur a concupiscibili potentia. Secundo insinuat honorabile objectum charitatis, elevando irascibilem, cum subdit: *Dominum Deum tuum*. Deus enim proprie et principaliter est objectum charitatis: et hæc est ratio, quia dilectio Dei est principium, et via; et proximus, et omnis homo, non debet diligi nisi propter Deum, aut in Deo, ratione imaginis et similitudinis: unde simile mandatum reputatur. Si autem aliter diligatur aliquis quam propter Deum, aut in Deo, scilicet per affectum cognationis et carnis, vel alicujus commodi, non virtus charitatis, sed actus naturalis dici potest. Tertio explicat utilem modum veritatis illustrando rationalem, cum subinfert: *Ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua*. Dicamus igitur: *Diliges*, ubi imperat charitatis actum: iste actus dilectionis est virtus charitatis ratione incomparabili per eminentiam utilitatis et excellentiæ. Primo et principaliter imperatur, et ponitur sub legis præcepto, et etiam dicitur maximum propter tres rationes. Nam respectu præceptorum habet primitatem virtuositatis in essendo; respectu virtutum habet majoritatem dignitatis in merendo; respectu operum habet delectabilitatem acceptabilitatis in remunerando. O virtus deifica, in qua omnia præcepta radicabiliter fundantur, per quam ceteræ virtutes ad meritum informantur, et secundum quam cuncta opera acceptantur!

Primo illud præceptum dilectionis respectu præceptorum habet primitatem virtuositatis in essendo; unde ipsa est quæ dat præceptis vigoris efficaciam secundum Gregorium, qui dicit super illud ¹: *Hoc est*

præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos ²: « Quid est quod de dilectione, quasi de singulari mandato, nos admonet? Quia omnia præcepta multa sunt, et unum: multa propter diversitatem operis; unum in radice charitatis. » Et propter hoc dicitur in evangelio hodierno ³: « In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ: » quia ad dilectionem Dei et proximi, tanquam ad primarium et radicale fundamentum, introducuntur (b). Hoc intelligens Apostolus, dicebat ⁴: « In charitate radicati et fundati, » etc. Miseri, qui hoc fundamento carent, quia quidquid superædificant, totum arescit: unde et opera facta extra charitatem nunquam reviviscunt, cum fuerint sine radice. Et ob hoc dicit Gregorius ⁵: « Nec habet ramus aliquid viriditatis, nisi maneat in radice charitatis. »

Secundo ista virtus dilectionis respectu virtutum habet virtuositatem in merendo, eo quod virtutibus dat formam. Unde ⁶: « Major autem horum est charitas. » Ubi Apostolus, discurrendo per omnes virtutes, tam politicas quam theologicas, concludit, tum ratione remotionis, tum ratione positionis, quia charitas habet majoritatem. Nam, posita charitate, ponitur omne meritum; et illa remota, removetur omne utile ad salutem. Ipsa certe sola est, quæ dat formam meriti. Unde ceteræ virtutes sunt informes sine ipsa, quia non habent meritum gratuitum nisi per ipsam. Quemadmodum enim colores perdunt esse formale et pulchrum, discedente luce, et recuperant, ea adveniente; ita virtutes, discedente charitate: et hoc est quod dicitur ⁷: « Qui diligit, in luce manet; qui autem odit, in tenebris. » Hinc est quod Augustinus dixit ⁸: « Habe charitatem, et fac quidquid vis. »

Tertio iste actus dilectionis respectu operum habet delectabilitatem acceptationis in remunerando, eo quod operibus imponit re-

Præceptum dilectionis maximum.

¹ Joan., xv, 12. — ² Greg., in *Evang.*, hom. xxvi, n. 1. — ³ *Matth.*, xii, 40. — ⁴ *Ephes.*, iii, 17. — ⁵ Greg., ubi sup. — ⁶ *1 Cor.*, xiii, 13. — ⁷ *1 Joan.*, ii,

10, 11 — ⁸ Aug., de *gratia Christi*, xxvi, 27, quoad sensum.

(a) *Suppl.* concupiscibilem. — (b) *Leg.* reducuntur.

tributionis mensuram : secundum enim charitatem viæ mensurabitur gloria patriæ, ut ubi plus de dilectione, ibi plus de beatifica visione : quia magnitudo meriti non consistit in exteriori opere, sed interiori dilectione. Hinc est quod martyrium, quod est majoris præmii inter omnia quæ facit homo, dicitur esse opus charitatis, secundum illud ¹ : « Majorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » Ratione hujus assignat Apostolus ² : « Si quid est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur : *Diliges proximum tuum, sicut teipsum* : plenitudo ergo legis est dilectio : » quasi dicat : Si homo deficiat, et cum eo dispensetur ratione necessitatis in mandatis, potest in isto recuperari suæ plenitudinis ratione. Gregorius ³ : « Nimirum cum una eademque sit charitas, si mentem plene habeat, ad innumera opera multiformiter accendat, et perfectionem. » Sed tamen in isto non potest dispensari, eo quod ejusdem est defectus et amissio, et in aliis mandatis non potest instaurari, quoniam ⁴ « non est digna ponderatio animæ, » etc.

Sequitur : *Domini Deum tuum*. Ubi insinuat honorabile objectum divinitatis, et etiam totius Trinitatis. Non enim vacant a mysterio hæc tria vocabula, *Domini, Deum, Tuum*, eo quod per ipsa manifestatur Trinitas personarum conferentium nobis tria maxima beneficia, per quæ ad dilectionem delectabiliter allicimur. Unde *Domini* dicitur propter conditionem naturalis esse in creatione ; *Deus*, propter collationem multiplicis gratiæ in conservatione ; *Tuus*, propter donationem sui ipsius, sive hæreditatis perpetuæ, in glorificatione : et sic appropriate loquendo, per Patris potentiam creamur ; per Filii sapientiam conservamur ; per Spiritus sancti clementiam glorificamur.

Primo : *Diliges Dominum* propter conditionem naturalis esse in creatione ; unde ⁵ :

« Et nunc quid aliud Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et diligas eam? » Quia homo tenetur et obligatur Dominum timere humiliter, et obedienter, et fideliter, et diligere ferventer ratione beneficii, quod sibi contulit in creatione. Cum ejus esse fecit insignitum divina imagine, ratione cujus ad hæc tria adimplenda habet possibilitatem, ideo tanquam ex debito hoc requirit, cum dicit : *Et nunc quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum?* Ecce timor humilitatis et subjacentiæ. *Et ambules in viis ejus* : ecce labor fidelis obedientiæ in executione mandatorum, quæ nomine *viarum* designantur. *Diliges eum* : ecce fervor sinceritatis et benevolentiæ.

Secundo : *Diliges Deum* propter collationem multiplicis gratiæ in (a) conservatione. Unde in Psalmo ⁶ : « Qui diligitis Dominum, » operando bonum per amorem, « odite malum : custodit Dominus animas sanctorum suorum. » *Qui diligitis Dominum* per amorem operando bonum, « odite malum, » declinando malum et peccatum per timorem : quia per Dei amorem homines sancti efficiuntur, et beneficium custodiæ et conservationis a Deo merentur. Unde sequitur : *Custodit Dominus animas sanctorum suorum* multorum beneficiorum collatione. Nam ad hominis custodiam et conservationem, omnium creaturarum servitia et beneficia concurrunt. Angeli enim ministrant ei ; cælum dat ei lucem in die, ut operetur ; tenebras in nocte, ut quiescat ; et ipsorum utilem vicissitudinem, aerem fecit Deus, ut præberet homini utilem calorem, et omne genus avium ei ministraret. Aquam fecit, ut sibi potum tribueret, sordes purgaret, arentia irrigaret, et diversitatem piscium ad suum usum nutriret. Terram fecit, ut eum portaret, pane confortaret, et vino lætificaret. Totus mundus servit homini, quia factus est pro homine. Ratione ergo tantorum beneficiorum, qui diligitis Deum,

(a) *Cæt. edit.* id est.

¹ *Joan.*, xv, 13. — ² *Rom.*, xii, 9-10. — ³ *Greg.* — ⁴ *Eccli.*, vi, 13. — ⁵ *Deut.*, x, 12. — ⁶ *Psal.*, xcvi, 10.

hæc probate per exhibitionem bonæ operationis; alioquin de ingratitude arguemini.

Tertio : *Diliges Dominum Deum tuum* propter donationem hæreditatis perpetuæ, et glorificationem. Unde in Psalmo ¹ : « Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. » Iste decor nihil aliud est nisi divina refulgentia, ex qua micant divini radii splendoris facientes cælum empyreum domum decoris propter refulgentiam divinæ claritatis : *Et locum habitationis gloriæ tuæ*, propter communitatem gloriæ divinitatis. O quam illustris et speciosus est iste decor domus tuæ, Deus, et quanto davidico desiderio diligenda ! O quam felix et sanctus est iste locus habitationis gloriæ, quanta aviditate appetendus, in quo Deus abundantius seipsum delectabiliter beatis perpetualiter communicat, in eis habitando per gloriam !

Tertio subinfert : *Ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua* : ubi explicans utilem modum veritatis, miro et ineffabili modo summus magister Christus docuit qualiter sit Deus diligendus in his tribus vocabulis, *corde, animo et mente*. Nam homo non potest diligere, nisi eum cognoscat, habeat et teneat secundum tres nobiles suas potentias, id est, intelligentia, voluntate, memoria, quibus est Dei imago, secundum Augustinum ² ; cognoscere vero sit intelligentiæ, habere voluntatis, tenere memoriæ. Ideo necessario ad Deum diligendum actus istarum trium potentiarum debet (a) concurrere, quæ nomine cordis, animæ et mentis designantur, quoniam intelligentia per cor, voluntas per animam, et memoria per mentem secundum Augustinum in hoc loco accipitur. Primo est Deus diligendus fideliter, ne intelligentia seducatur erroris falsitate ; secundo sinceriter, ne voluntas alliciat carnalis voluptate ; tertio indesinenter, ne memoria frangatur operis discontinuitate.

Et ista divisio traditur a beato Augustino, qui hunc locum ita exponit : *ex toto corde*, id est, intellectu sine errore ; *ex tota anima*, id est, voluntate sine contradictione ; *et ex tota mente*, id est, memoria sine oblivione. Et sic divina dilectio est illuminativa omnium credendorum, aspernativa carnalium delectationum, et continuativa bonarum operationum.

Primo : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, id est, cum soliditate fidei, ne intelligentia seducatur fallaciis. Unde ³ : « Audi, Israel : unus est Dominus Deus tuus : » fideliter credendo corde, ut nulla æquipares dispersa (b), fecte imaginando alios deos esse. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, efficaciter comprobando opere, ut nulla admittas contraria, eo quod nihil aliud debet per affectum cor alligare præter eum, cui totum cor debetur in dilectione. Unde cum aliquid amamus supra Deum, vel præter Deum, nequam est. Ex toto ergo corde diligamus eum. Nam sicut intellectus errat in cognoscendo, ita et affectus in diligendo.

Secundo : *Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua*, id est, cum sinceritate animi in affectiva, ne alliciaris blanditiis. Unde ⁴ : « Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est mihi. » Tunc anima liquefit ad Dei mulcentis locutionem, sicut cera, quæ fluit a facie ignis, cum in ejus meditatione exardescit ignis divini amoris : tunc resolvitur in aquam devotionis, ad inspirationem et immissionem alicujus radii spiritualis, velut glacies quæ resolvitur ad ardorem ignis materialis, quando est in ferventissimo desiderio et amore Solis spiritualis, ut totaliter recolligat se ad interiora, nec sit dispersa ad exteriora, ne interponatur aliqua nubes aquosa carnalis frigiditatis, sed immediate recipiat immissionem divinatorum radiorum totum cor inflammantium.

(c) *Diliges Dominum Deum ex tota mente*

¹ Psal. xxxv, 8. — ² Aug., de Trinit., lib. X, c. xi et xii. — ³ Deut., vi, 5. — ⁴ Cant., v, 6.

(a) Leg. debent. — (b) Forte leg. disparia. — (c) Suppl. Tertio.

tua, id est, cum sedulitate studii in affectiva, ne frangaris obsequiis. Unde dicit Dominus ¹: « Quis det eos talem habere mentem, ut timeant me, et custodiant mandata mea universa omni tempore? » Ecce Dominus ostendit effectum suæ bonitatis, cum optat in nobis, ut per ejus timorem filialis reverentiæ continue et indesinenter sine diminutione adimpleamus ejus præcepta, ut impleatur in nobis illud ²: « Omni tempore diligit, qui amicus est: » quia divina dilectio ratione continuitatis debet esse ad modum mortis et inferni, quia quod semel ab eis rapitur, nunquam dimittitur. Unde in Canticis ³: « Fortis est ut mors, dilectio: dura ut infernus, æmulatione. » Rogemus ergo, etc.

DOMINICA XVIII POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS ⁴.

Ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto ⁵. Sic enim ægri offeruntur medico ad sanandum; parvuli, episcopo ad confirmandum; rei judicii, vel domino, ad judicandum; sponsa sponso ad colositandum.

De primo ⁶: « Obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus, et tormentis, et qui dæmonia habebant, et lunaticos, et paralyticos. » *Languor* naturæ, et *tortentum* conscientia, est peccatum. *Dæmoniaci* sunt maligni: dæmones enim ex malitia peccant. Dæmonium ergo malignæ voluntatis non est ejectum, quamdiu novis orationum et confessionum linguis non loqueris ⁷: « In nomine meo dæmonia ejicient, » etc. *Lunatici* sunt iracundi et impatientes, qui valde sunt mutabiles ⁸: « Stultus ut luna mutatur. » *Paralytici* sunt acediosi: paralysis enim aufert usum membrorum, ita ut reddat membra ad labores inutilia. Semper enim in lecto carnalis commodi sunt pigri: quocumque se vertunt, lectum carnalitatatis

non relinquunt ⁹: « Sicut ostium vertitur in cardine, sic piger in lecto suo. » Ostium enim, quando vertitur, cardinem non exit. Surge, paralytice, de lecto; surge, piger, ad labores. Augustinus ¹⁰: « Noli piger esse laborare (a) breviter, et gaudere incessabiliter. »

De secundo ¹¹: « Offerebant illi parvulos, ut manus eis imponeret, et oravit (b). » Interlinearis: « Ut eis voce et manu benediceret. » Unde ad benedicendum etiam in cruce manus extendit. Psalmista ¹²: « Aperis tu manum, » etc. Quid mirum, si ad benedicendum, vel ad confirmandum in gratia, Christus imponit manus, cum sit episcopus ¹³: « Conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum. » Bene autem eis, qui parvuli sunt humilitate, infantes innocentia, et pueri puritate. Psalmus ¹⁴: *Innocens manibus*. « Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, et mundo corde, qui non accepit in vanum animam suam, nec juravit in dolo proximo suo: hic accipiet benedictionem a Domino, » etc. Vel parvuli sunt pœnitentes, qui more parvulorum sæpe plorant. Isti benedictionem obtinent bene plorando, sicut Esau. Require ¹⁵, quando Jacob et Esau benedicuntur. In Jacob innocens, in Esau pœnitens significatur.

De tertio ¹⁶: « Oblatus est ei unus, qui debebat decem millia talenta. » Interlinearis: « Id est, multarum decalogi transgressionum reus. » Et ad litteram timendum aliquos esse, qui decem millium mortalium peccatorum debitis constricti sunt: hi sunt qui offeruntur in judicio speciali in confessione, vel in judicio generali in fine, vel in judicio particulari, in morte, sicut offertur denarius monetario examinandus ¹⁷: « At illi obtulerunt ei denarium. » In morte enim anima Deo offertur. Tunc certe Deus

¹ Deut., v, 29. — ² Prov., xvii, 17. — ³ Cant., viii, 6. — ⁴ Hunc et duos seq. habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁵ Matth., ix, 2. — ⁶ Ibid., iv, 24. — ⁷ Marc., xvi, 17. — ⁸ Eccli., xxvii, 12. — ⁹ Prov., xxvi, 14. — ¹⁰ Aug., in Psal. xciii, n. 23. — ¹¹ Marc.,

x, 13, 16. — ¹² Psal. cxliv, 16. — ¹³ I Petr., ii, 25. — ¹⁴ Psal. xxiii, 3-5. — ¹⁵ Gen., xxvii, 23-41. — ¹⁶ Matth., xviii, 21. — ¹⁷ Ibid., xxi, 19.

(a) Apud Aug. esse in labore — (b) Vulg. et imponens manus super illos, benedicebat eos.

examinabit imaginem et superscriptionem, utrum sit Dei, an diaboli. Si enim est Dei, reponetur in thesaurum cœli; si est diaboli, projicietur in fornacem inferni ¹: « Eo quod versi estis omnes in scoriam, ecce ego congregabo vos congregatione argenti, et æris, et ferri, et stagni, et plumbi in medio fornacis, ut succendam in ea ignem ad conflandum. »

De quarto, Psalmista ²: « Offerentur (a) regi virgines. » Glossa: « Ministerio angelorum: *In templum regis*, id est, in cœlum, in quo laudabitur Deus æternaliter et universaliter. Psalmista ³: « In templo ejus omnes dicent gloriam: « *Virgines* ejus, quæ offeruntur Christo *in lætitia et exultatione*, sicut signatum est in virginibus adductis regi Assuero in Susa, id est, patria lætitiæ æternæ: Susa enim *lætitia* interpretatur. Psalmista ⁴: « Lætificabis eum in gaudio, » quicumque vult adduci ad veram lætitiã in mundo. Gregorius ⁵: « Et hic, charissimi, vanam lætitiã (b), e si illic flere (c) formidatis. Nemo enim potest et hic gaudere cum sæculo, et illic gaudere cum Christo. » Virgines enim istæ, id est, animæ a peccatis mundæ, civitatem Susa non intrabunt, nisi cum oleo charitatis. De prudentibus oleum habentibus dicitur ⁶: « Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. »

SERMO II.

Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata ⁷, etc. Potestatem habet Jesus in mundo justificandi, in judicio judicandi, in cœlo regnandi, in inferno cruciandi.

De primo dicitur: *Ut autem sciatis, quia filius*, etc. Bene dicitur: *in terra*, non in cœlo, non in inferno: in cœlo enim peccatum non dimittitur, quia nullum ibi com-

mittitur: qui autem peccatum ibi commisit, Lucifer cum suis, nullam remissionem consecutus fuit; in inferno non dimittitur, quia nullus in mortali peccato existens, et ad inferos descendens, inde liberabitur. Undequamdiu in terra, vel in mundo sumus, petere veniam debemus: nam *in terra* dimittuntur mortalia peccata, non alibi. Unde quæstuarii decipiunt homines simplices, qui peccata in inferno hominum se relaxare promittunt: quia neque sacerdos, neque episcopus, neque Papa illud mortale peccatum solvere possunt. Unde de Petro dicitur ⁸: « Quodcumque ligaveris super terram. » In inferno enim non est baptismus, neque pœnitentia, sine quibus non dimittuntur peccata mortalia. Unde de hac potestate dicitur ⁹: « Potestas ejus a mari usque ad mare. » Mare baptismum significat ¹⁰: « Omnes in Moyse baptizati in nube et mari. » Mare etiam significat pœnitentiam ¹¹: « Magna velut mare contritio tua. » Potestas ergo dimittendi peccata a mari, id est, a baptismo, usque ad pœnitentiam extenditur in mundo; sed non extenditur in inferno. Ibi enim neque tempus est peccata dimittendi, ubi neque locus, neque tempus pœnitendi. Joannes Chrysostomus ¹²: « Neque resistendi virtus, nec fugiendi facultas, nec pœnitentiæ locus, nec satisfactionis tempus erit: ex angustia omnium rerum nihil remanet nisi luctus. » Requiritur in sermone primo (d): *Omnis arbor* ¹³, etc.

De secundo ¹⁴: « Videbitis (e) filium hominis venientem in nubibus, cum potestate magna, et majestate. » Omnes enim angeli venient cum eo, sicut dicitur ¹⁵. Nisi enim potestatem magnam ostenderet, imperatores, et reges, et potentatus, et alii potentes damnandi, maxime dicere possent, sicut principes sacerdotum, cum eiecisset eos de templo, quidam dixerunt ei ¹⁶: « In qua potesta-

sup., Domin. VII, post Pentec., serm. II, pag. 370, col. 1. — ¹⁴ Luc., XXI, 27. — ¹⁵ Matth., XXV, 31. — ¹⁶ Ibid., XXI, 23.

(a) Vulg. adducentur. — (b) Ita apud Greg. Cœl. edit. gloriam. — (c) Item falli. — (d) Leg. secundo. — (e) Vulg. Videbunt.

¹ Ezech., XXII, 19. — ² Psal. XLIV, 15. — ³ Psal. XXVIII, 8. — ⁴ Psal. XX, 7. — ⁵ Gregor., in Evang., hom. XI, d. 4. — ⁶ Matth., XXV, 10. — ⁷ Matth., IX, 6. — ⁸ Matth., XVI, 19. — ⁹ Zach., IX, 10. — ¹⁰ I Cor., X, 2. — ¹¹ Thren., II, 13. — ¹² Chrysost. — ¹³ Vid.

te hæc facis? » etc. In iudicio autem de templo Ecclesiæ eijciet malos, et merito : quid enim facerent canes in templo? Canis enim, qui intrat ecclesiam, statim viriliter eijcitur : ita peccatores in die iudicii. Unde ¹ : « Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et qui amat et facit mendacium. » Nota quod nobiles bene sustinent canes super lectos, et super sedes ; sed tempore commixtionis(a) eijciuntur. Sic Dominus permittit peccatores esse in lectis carnalitatibus, et sedibus sæcularis dignitatis ; sed in iudicio, utpote incipiente æterno convivio, expelluntur. Unde ait : *Foris canes*. O quantus horror in illa expulsionem de consortio bonorum erit ! Bernardus ² : « Quis, putas, quantusve luctus erit? » etc. Require in sermone supra : *Nonne decem mundati* ³. Tunc ergo non debet quæri in qua potestate hoc faciat, quia apertissime ejus potestas videbitur.

De tertio ⁴ : « Data est mihi omnis potestas. » Rex in regno suo plenam habet potestatem, qui nullum habet ibi, vel sibi, vel suis adversarium. Talem utique potestatem habet Filius Dei in cœlo, expulsis adversariis Luciferi, et angelis ejus ⁵ : « Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei, et potestas Christi, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, scilicet draco, qui ⁶ « cauda sua traxit tertiam partem stellarum, » id est angelorum, quorum quidam sunt assistentes, quidam ministrantes, quidam superbientes. Et hanc tertiam partem traxit Lucifer. Multas etiam adhuc stellas, id est, justos traxit diabolus per caudam deceptionis. Sed accusator ille in patria nullam contradicendi habet potestatem, ubi Christus in suis sanctis plenam habet potestatem. Augustinus ⁷ : « Inimicus vere excluditur de corde credentium, quando excludetur de civitate viventium. »

De quarto ⁸ : « Timete eum, qui postquam

¹ *Apoc.*, xii, 13. — ² Bern. — ³ Vid. sup., Domin. xiii, post Pent., serm. iii, p. 411, col. 1. — ⁴ *Matth.*, xxviii, 18. — ⁵ *Apoc.*, xii, 10. — ⁶ *Ibid.*, 4. — ⁷ Aug. — ⁸ *Luc.*, xii, 5. — ⁹ *Apoc.*, v, 13. — ¹⁰ *Act.*, iii, 26.

occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. » Hæc potestas sub terra est ⁹ : « Omnem creaturam, quæ in cœlo est, et super terram, et sub terra, et mare, et quæ in eo sunt, audivi dicentes : Sedit in throno et agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum. » Ecce ergo in cœlo ; ecce super terram, id est, in iudicio, quod erit in aere super terram ; ecce sub terra, in inferno ; ecce in mari, in mundo fluctuanti. Ergo scitur potestas Dei. Benedictio tamen referri potest ad primam potestatem ¹⁰ : « Filium suum misit benedicientem vobis ; » Honor ad secundam ; Psalmus ¹¹ : « Honor regis iudicium diligit ; » gloria ad tertiam ¹² : « Vidit gloriam Dei, » etc. Potestas autem proprie ad quartam ; Psalmus ¹³ : « Quis novit potestatem? »

SERMO III.

Tolle lectum tuum ¹⁴, etc. Considerandum est quod quadruplex est lectus, concupiscentiæ, conscientiæ, pœnitentiæ, sapientiæ.

De primo ¹⁵ : « Intexui funibus lectum (b) meum, » etc. Nota quod ibi dicitur de muliere occurrente juveni in ornatu meretricio præparata ad decipiendas animas, garrula, et vaga, etc. Mulier ista est caro, vel sensualitas, quæ multas animas decipit. Hæc est mulier, quæ decepit Samsonem ¹⁶. Juvenis quem apprehendit deosculatum, est spiritus. ¹⁷ « Habitavit juvenis cum virgine, » id est, spiritus cum casta carne, vel etiam cum Maria Virgine, cum qua spiritus tuus per devotionem, et dilectionem, et spiritualem venerationem sæpe debet habitare. Lectus concupiscentiæ ¹⁸ : « Qui tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua. » Vestimenta lavantur, dum vita mundatur. Funes autem, quibus lectus intexitur, sunt vitia cogitationum, consensus, operationum. ¹⁹ « Iniquitates suæ capient impium, et funibus peccatorum

— ¹¹ *Psal.*, xcvi, 4. — ¹² *Act.*, vii, 55. — ¹³ *Psal.*, lxxxix, 11. — ¹⁴ *Matth.*, ix, 6. — ¹⁵ *Prov.*, vii, 16. — ¹⁶ *Judic.*, xvi, per totum. — ¹⁷ *Isa.*, lxi, 5. — ¹⁸ *Levit.*, xv, 22. — ¹⁹ *Prov.*, v, 22.

(a) *Leg.* comestionis. — (b) *Vulg.* lectulum.

suorum constringitur. » Funibus solent constringi bestiae; et homines insani, et luxuriosi sunt insensati, et bestiae diaboli. Hieronymus ¹: « Fornicatio aut voluptas pervertit sensum, animam excæcat, corpus debilitat, et de rationali homine brutum efficit animal. »

De secundo Psalmista ²: « Lavabo per singulas noctes lectum meum, » etc., id est, conscientiam meam. Gregorius ³: « Quo uberius culpa defletur, eo altior cognitio veritatis attingitur: quia ad videndum internum lumen polluta dudum conscientia, lacrymis baptizata renovatur. » Conscientiam per singulas noctes lavat, qui singula vitia deplorat. Unde bene Naaman septies ⁴ in Jordane lavatur: qui enim a lepra vitiorum vult mundari, per singula septem vitia lacrymis debet lavari. Neque tantum unius anni, sed etiam omnium annorum vitæ suæ mala debet flere ⁵: « Recogitabo omnes annos, » etc. Iste luctus conscientiae virtutibus, tanquam fortissimis militibus, ad modum lecti regalis custodiendus est, ut rex noster Christus in eo securus quiescat ⁶: « En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, » etc.

De tertio Psalmista ⁷: « Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus. » Infirmi in lecto jacentes enim dolore torquentur, libenter confitentur: ita in lecto pœnitentiæ confitentur; dolor contritionis cogit hominem confiteri. Hoc autem dolore arguit Dominus peccatorem pro omni sua transgressione ⁸: « Increpat quoque per dolorem in lectulo, et omnia ossa eis marcescere facit. » Et certe sæpe dolor increpationis ostenditur per lacrymas contritionis, sicut patet in Magdalena ⁹, et in Petro ¹⁰. Unde Augustinus ¹¹: « Sicut comes pœnitentiæ dolor est, ita sunt lacrymæ testes doloris. » Qui ergo talem in-

crepationem in corde sentit, signum est quod argutor vitiorum Spiritus in eum venit ¹²: « Cum autem venerit ille (Spiritus veritatis), arguet mundum, » etc. Et nota quod isto lecto pœnitentiæ mori debet homo, sicut signatum est in Jacob patriarcha, de quo ¹³: « Collegit pedes suos super lectum, et obiit. » Beatus ergo est, qui non in patibulo superbiæ, non in igne avaritiæ, non in luto luxuriæ, sed in lecto pœnitentiæ moritur: ¹⁴ « In lectulo (a) moriar. »

De quarto, de lecto sapientiæ, sive Scripturæ ¹⁵: « Quando (b) irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo. Tunc aperit aures virorum, et erudiens instruit disciplina. » *Irruit in lectulo* Scripturæ, vel quietis contemplatione. *Dormiunt homines* per sensuum abstractionem exterius; vigilant vero per meditationem et desiderium interiorius ¹⁶: « Ego dormio, et cor meum vigilat. » Sed, heu! terribiliter dicitur ¹⁷: « Erunt duo in lecto, unus assumetur, et alter relinquetur. Duæ erunt (d) molentes, una assumetur, et altera relinquetur. Duo in agro, unus assumetur, et alter relinquetur. » In lecto sunt contemplativi, in mola activi, in agro prælati. Sed in omnibus his assumendi per gloriam, et relinquendi in gehennam inveniuntur. Augustinus ¹⁸: « Firmissime tene, et nullatenus dubites, in omni statu (e) hominum bonos, et malos esse. »

Secundum hos quatuor lectos invenimus lectum ferreum, eburneum, floridum, aureum. De primo ¹⁹: « Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabath, » qui interpretatur grande peccatum, hic est lectus concupiscentiæ. De secundo ²⁰: « Qui dormitis in lectis eburneis: » hic est lectus conscientiæ, in quo dormit sæpius homo per torporem et negligentiam. Quod autem sequitur: « Et lascivitis in stratis vestris, » ad lectum con-

¹ Hieron., in *Ose.*, c. IV, col. 1260. — ² *Psal.* VI, 7. — ³ Gregor., in *Ezech.*, lib. I, hom. XI, n. 43, quoad sensum. — ⁴ *IV Reg.*, V, 14. — ⁵ *Isa.*, XXXVIII, 15. — ⁶ *Cant.*, III, 7. — ⁷ *Psal.* XL, 4. — ⁸ *Job.*, XXXIII, 19. — ⁹ *Luc.*, VII, 38. — ¹⁰ *Matth.*, XXVI, 75. — ¹¹ Aug., serm. CCCLI, n. 4. — ¹² *Joan.*, XVI, 8. — ¹³ *Gen.*, XLIV, 33. — ¹⁴ *Job.*, XXIX, 18. — ¹⁵ *Job.*, XXXIII, 15-16. —

¹⁶ *Cant.*, V, 2. — ¹⁷ *Luc.*, XVII, 34-35. — ¹⁸ Imo Fulgent., *de Fid. ad Petr.*, c. XLIII, n. 86, inter spuria August., Append., tom. VI. — ¹⁹ *Deut.*, III, 11. — ²⁰ *Amos*, VI, 4.

(a) *Vulg.* nidulo meo. — (b) *Cæt. edit.* Quoniam. — (c) *Item* Dormivi. — (d) *Item* enim. — (e) *Al.* professione.

cupiscentiæ pertinet. De tertio ¹ : « Lectulus noster floridus » : hic est lectulus penitentiæ, habens flores virtutum. De quarto ² : « Lectuli quoque aurei, et argentei super pavimentum. » *Pavimentum* est cor pavidum; lectus sapientiæ est *aureus*, quoad novum Testamentum; *argenteus*, quoad vetus : vel aureus, quoad contemplationem divinitatis; argenteus, quoad contemplationem humanitatis.

SERMO IV ³.

Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam ⁴. Quoniam secundum Philosophum potentiæ distinguuntur, sive agnoscuntur per actus, vel opera; hinc est quod Dominus, per opus miraculosum supra naturam, fecit cognosci suam potentiam divinitatis, dimittendo peccata, cum solo verbo paralyticum perfecte restituit sanitati, dicens in verbo proposito : *Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam*. Unde, tanquam perfectus medicus corporum et animarum, in ipso verbo valde artificialiter procedit, eo quod istis tribus vocabulis, scilicet : *surge, tolle, et vade* perfecta sanitas, tam hominis exterioris quantum ad corpus, quam hominis interioris quantum ad spiritum designatur, contra tria mala, quæ facit paralysis materialis in corpore, et peccatum, quod est paralysis in mente. Nam ista infirmitas reddit hominem corporaliter inhabilem ad standum, impotentem ad operandum, impossibilem ad ambulandum : ita peccatum suo modo aufert animæ rectitudinem status per culpam, fortitudinem actus per justitiam, et promptitudinem motus per negligentiam. Sed Dominus contra ista tria mala præcepit tria bona. Nam primo imperat rectitudinem status per desertionem culpæ, cum dicit : *Surge*; secundo, fortitudinem actus per executionem justitiæ, cum subdit : *Tolle lectum*, id est justitiam, per quam firmiter in omni opere exequi inci-

pias; tertio, promptitudinem motus per acquisitionem gloriæ, cum subjungit : *Vade in domum tuam*. Glossa : « Domum ire est ad paradysum redire, eo quod paradysus est propria habitatio hominis, quia ad hoc factus homo fuit. »

Dicit ergo : *Surge*; ubi imperat rectitudinem status per desertionem culpæ : quia anima cadit tripliciter, scilicet per ignorantiam erroris, concupiscentiam carnis, et violentiam diabolicæ tentationis; et ideo, ad hoc ut habeat rectitudinem status deserendo culpam, attendendum est ut ab his tribus resurgat : et primo a tenebris ignorantie erroris obcæcantis; secundo, (a) illecebris concupiscentiæ defœdantis; tertio a præsentis potestatis diabolicæ opprimentis. Primum habet fieri per aspectum veritatis; secundum, per amplexum castitatis; tertium per exercitium virtutis.

Primo qui vult habere rectitudinem status, debet surgere a tenebris erroris et ignorantie obcæcantis, et hoc per aspectum veritatis; et de hoc dicitur ⁵ : « Surge, et ingredi civitatem, et dicetur quid te oporteat facere. » Ecce quod Paulus persequabatur discipulos Christi zelo legis ductus, credens se obsequium Deo præstare; sed quia hoc non est ex certa causa, aut ex malitia, sed tenebratus erroris ignorantia, ideo præcipitur ingredi in civitatem, per quam congregatio fidelium intelligitur, qui sub eodem jurejurando sunt collecti, ut ab eis instruantur quod eum oporteat facere. Dignum et justum fuit, ut qui sapientem se tenebat, et ducem aliorum se faciebat, ad manum sicut cæcus traheretur, et Ananiæ in discipulum traderetur. Præterea maxima fuit violentia in convertendo Paulum, quia ex ignorantia, et zelo decipiente, rectum credebatur quid faciebat. Unde Gregorius ⁶ : « Cum vitium virtus creditur, difficiliter emendatur. Hinc est quod hi qui sanctitatem appetunt,

A tribu-
surgenti-
deni.

¹ Cant., 1, 16. — ² Esth., 1, 6. — ³ Hunc non habet edit. Paris., an. 1521. — ⁴ Matth., 13, 6. — ⁵ Act.,

13, 7. — ⁶ Greg., *Pastor. cur.*, part. III, admon. 17, quoad sensum.

(a) *Suppl. ub.*

in errorem lapsi, tardius corrigantur, recutum æstimantes quidquid faciunt, et sicut extolluntur virtute, sic vitio perseverantiam jungunt.»

Secundo, *surge* ab illecebris carnalis concupiscentiæ deformantis. Unde ¹: «Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccavi in cælum, et coram te.» Per istum hominem prodigum intelligitur homo luxuriosus. Unde et *adolescentior* dicitur, eo quod vanior, et ad carnalia delectamenta magis intentus: qua (a) erecta cervice petit portionem substantiæ, volendo uti libero arbitrio, ut non jam secundum imperium divinæ voluntatis, sed secundum nutum voluntatis suæ incedat. Beda ²: «Substantiam, et omne quod agimus, vivimus et sapimus, cogitamus et loquimur, rumpit petulantia, malis dispensat libertas.» Et tunc *abiit in regionem longinquam*, perpetrando peccatum. Glossa ³: «Abiit in regionem longinquam non mutando locum, sed animum. Quanto quis in pravo delinquit, tanto a Dei similitudine recedit longinquius.» Adhæret *uni civium*, id est diabolo, ejus voluntatem faciendo; et merito recedens a Dei similitudine, accedit peccator ad dæmonum similitudinem, quos continue pasebat, dum carnis voluptates non deserebat. Propterea expendit omnia bona naturalia vivendo luxuriose, et cupit implere ventrem suum de siliquis, quas porci comedebant, id est, cupit adinvenire peccata diversa carnis. Siliqua, ut dicit Glossa, est quoddam genus leguminis sonorum et vacuum, quo magis ventrem onerat quam reficiat; et significat delectationes vitiorum, quæ satiant et delectant exterius corpus, et intus animam non reficiunt, imo onerant. *Et nemo illi dabit*, quia nec in his omnibus satiatur, et frequenter ubi credit invenire delectationes, invenit amaritudines. Sed tandem videns se in tantis amaritudinibus et miseriis peccatorum

prostratum, *ad se reversus* (b) per sui considerationem, et peccati recognitionem, dicit (c): *Surgam*, per mali peccati desertionem sive declinationem; *Et ibo ad patrem meum*, per boni inceptions; *Et dicam*, per oris confessionem: *Pater, peccavi in cælum*, in contemptum majestatis divinæ omnibus præeinentis; *Et coram te*, propter contemptum veritatis omnia cernentis. Ideo *non sum dignus vocari filius tuus*, propter contemptum bonitatis, bonos in filios adoptantis. Quem Deus Pater astringit per amplexum charitatis, et suscipit ad osculum pacis, proferendo stolam interioris puritatis, et induendo vestem exterioris honestatis.

Tertio, *surge* a præsentis crudelitatis diabolicæ. Unde ⁴: «Surge velociter, quia ceciderunt catenæ de manibus tuis.» Petrus positus in vinculis ferreis, ex (d) diabolica suggestionem, et sub custodia militum, ut interficiatur, significat peccatorem ligatum vinculis diabolicæ fraudis, et positum (e) sub custodia dæmonum ad perdendum morte damnationis æternæ. Hic autem excitatur ad surgendum angelica admonitione, quia per auxilium virtutis Christi, confringentis æreas portas diabolicæ custodiæ, ceciderunt catenæ diabolicæ fraudis de manibus maiorum operum ejus. De his similiter dicitur ⁵: «Surrexit David in die illa, et fugit a facie Saul.» Saul qui interpretatur *abutens*, et significat diabolum, qui abutitur creaturis Dei, de ejus potestate bonus David surgit per auxilium virtutis Christi, fugiens ab ejus notitia (f).

Secundo in verbo proposito imperat fortitudinem actus per executionem justitiæ, cum subdit: *Tolle lectum tuum*. Ille habet fortitudinem in exequendo justitiam, qui tollit a prophetis et apostolis primo peccatum, per documentum instructivum fidelis intelligentiæ; secundo, a patriarchis et vir-

¹ Luc., xv, 18. — ² Bed. — ³ Gloss. ex Bed., in Luc., lib. IV, c. 63. — ⁴ Act., xii, 7. — ⁵ 1 Reg., xxi, 10.

(a) Forte leg. quare. — (b) Cæt. edit. dicitur reversus. — (c) Cæt. edit. dicitur. — (d) Item et. — (e) Item ponitur. — (f) Leg. malitia.

ginibus, per (a) exemplum inflammativum charitatis et benevolentiae; tertio, a confessoribus et martyribus, per (a) auxilium confortativum longanimitatis et patientiae, sive perseverantiae. Et haec tria sunt necessaria omni conditioni, sexui et aetati, scilicet: veritas fidei, dans intelligentiam; charitas Christi, dans benevolentiam; et longanimitas, dans perseverantiam: nullus enim adultus est in statu salutis, nisi habeat fidelem intelligentiam in intellectu, charitativam benevolentiam in affectu, et longanimem perseverantiam in effectu.

Primo (b) ergo ille habet fortitudinem in exequendo justitiam, qui tollit peccatum primo per instructivum documentum fidelis intelligentiae, et de hoc potest exponi illud¹: «Tolle tecum de omnibus escis, quae mandata possunt:» quoniam omnia scripta sunt ad nostram doctrinam: ideo, ad hoc ut possimus evadere iracundiam generalis iudicii, exemplo tollentis omnes escas comestibiles et licitas ad conservationem corporis, instruiamur spiritualiter tollere ex omnibus verbis sacrae Scripturae, quae possunt juxta facultatem intelligentiae esse ad conservationem et salutem animarum.

Secundo qui (c) tollit peccatum per exemplum inflammativum charitatis et benevolentiae. Unde²: «Tolle filium tuum quem diligis Isaac, et offeres illum mihi in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.» Qui enim vult experiri utrum diligat Deum, vadat ad terram visionis, id est, ingrediatur secreta conscientiae, et ibi videbit quantum diligat Deum. Si enim paratus est ad exemplum Abrahamae super unum montium, quem Deus demonstrat: perfecto statu religionis, vel poenitentiae, quem Deus docet inspirando, offerre quicquid carnale, vel temporale, potest eum retrahere, et ab amore Dei elongare, maxime excludendo a se primo demulcentiam consanguinitatis, prop-

ter quod dicitur: *Tolle filium*, quia³ «qui diligit patrem, aut matrem, aut filium, aut fratrem,» vel quemcumque affinentem sibi jure propinquitatis, supra Christum, «non est (eo) dignus.» Secundo avaritiam proprietatis; unde subditur *tuum*: quoniam⁴ «nisi quis renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest (Christi) esse discipulus.» Tertio illecebram delectabilitatis; unde addit: *Quem diligis*. Solent ista tria attrahere et inclinare hominem ad amorem suum, et retrahere ab amore divino: quae omnia exemplo Abrahamae debet homo spiritualis a se excludere, ut possit acquirere Dei amorem et amicitiam.

Tertio, qui (c) tollit peccatum per auxilium confortativum longanimitatis, et patientiae. Unde⁵: «Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.» *Qui vult venire post me*: ecce postpositio et subjectio voluntatis; et dicit (d): *vult*, ut libere et sine coactione hoc faciat. *Abneget semetipsum*: ecce captatio (e) libertatis, ut non secundum seipsum, sed secundum Deum vivat. *Et tollat crucem suam*: ecce assumptio poenitentiae, et hoc per patientiam. *Et sequatur me*: ecce dilectio exemplaritatis, qui tamdiu clypeum patientiae portavit, donec vitam finivit.

Tertio in verbo proposito imperat promptitudinem motus per acquisitionem gloriae, cum adjungit: *Vade in domum tuam*. Ille cum promptitudine acquirit gloriam, qui vadit primo humiliter ad deplorandum peccata perpetrata; secundo, indesinenter ad acquirendum aeterna munera; tertio, viriliter ad superandum diabolica tentamenta. Primum fit per oris confessionem; secundum, per terrenitatis despectionem; tertium per divinae virtutis protectionem.

Primo, *vade* (f) humiliter, ad manifestandum perpetrata peccata, et hoc per oris confessionem⁶: «Vade, et ostende te sacer-

¹ Gen., VI, 21. — ² Gen., XXII, 2. — ³ Matth., X, 37. — ⁴ Luc., XIV, 33. — ⁵ Matth., XVI, 24. — ⁶ Luc., V, 14.

(a) Cat. edit. deest per. — (b) Cat. edit. Unde. — (c) Cat. edit. quis. — (d) Item dicere. — (e) Forte leg. captivatio. — (f) Cat. edit. valde.

doti. » In hoc mandato instituit Dominus sacerdotale officium omnibus esse reverendum, et ad curationem peccatorum esse necessarium. Unde quamvis Dominus mundet per interiorem contritionem, nihilominus ad sacerdotale officium legat, cum dicit : *Vade, et ostende te sacerdoti.*

Secundo, *vade* indesinenter ad acquirendum æterna munera, et hoc per terrenitatis despectionem; unde¹ : « Vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælis. » *Vade* per negligentiam exclusionem; *vende omnia quæ habes*, per terrenæ substantiæ despectionem. Bernardus² : « Non commuta, vel conserva. » Omnia, non partem. *Et da pauperibus* per divinæ complacentiæ acceptionem : non divitibus, quia tunc Deus non acceptaret. *Et habebis thesaurum in cælo*, per æternæ gloriæ adeptionem.

Tertio, *vade* viriliter ad superandum diabolica tentamenta, et hoc per divinæ virtutis protectionem; unde³ : « Vade, et Dominus sit tecum in ultionem inimicorum » : quasi dicat : Cum insurgunt diabolicæ tentationes et suggestiones, non metiaris tuas vires, ne intuitu fragilitatis remollescas; sed vade viriliter per virtutum exercitationem : quia tunc Dominus erit tecum tanquam bellator fortis ad auxilium, et protector in ultionem inimicorum tuorum, id est demonum, faciendo cum tentatione proventum virtutum, ut possis superare. Unde Gregorius⁴ : « Nisi misericors Deus nostris viribus testamenta modifcet, nullus est qui malignorum insidias vitare possit. » Rogemus ergo Dominum, etc.

DOMINICA XIX POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS⁵.

Simile factum est regnum colorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo⁶. Filio

¹ *Matth.*, XIX, 21. — ² Bern. — ³ *Judith*, VIII, 34. — ⁴ Greg., *Moral.*, lib. XXIX, c. XXII, n. 46, quoad sensum. — ⁵ Hunc habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁶ *Matth.*, XXII, 2. — ⁷ *Usc.*, II, 19. — ⁸ *Hebr.*, 1,

suo Domino Jesu Christo nuptias fecit Pater cælestis, Ecclesiam ipsi desponsando. Nuptiæ autem commendabiles sunt propter sponsi magnitudinem, propter sponsæ pulehritudinem, propter donorum (a) multitudinem, propter convivarum plenitudinem.

De primo dicitur hic : *Simile factum est regnum*, etc., usque : *filio*. Ecce quam magnus est sponsus : quia filius summi Regis est, cui per fidem et amorem Ecclesia, et fidelis anima desponsatur⁷ : « Desponsabo (b) te mihi. » Istius filii magnitudo describitur⁸ : « Locutus est nobis in filio suo, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula. Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis, et purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius præillis nomen hæreditavit, » etc. Filius ergo iste sponsus est Ecclesiæ nobilissimus. Unde dicitur : *in filio*; non in servo, non in angelo, non in homine puro. Item est ditissimus; unde additur, quod *constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula*. Item speciosissimus; unde additur, *cum sit splendor*, etc. Item fortissimus; unde dicitur : *portansque omnia verbo*. Item honoratissimus; unde sequitur : *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis*. Item est optimus; unde additur : *Tanto melior angelis*, etc. O vere diligendus sponsus! Augustinus⁹ : « Ipsum ama, ipsi flagra, ipsi inhia, quo jucunderis : nihil inveneris, quo lætius, quo melius, quo diuturnius. » Sed quidam, tanto sponso contempto, nubere parati sunt diabolo. De quibus require in sermone : *Nuptiæ factæ sunt* in secundo membro¹⁰.

De secundo¹¹ : « Venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se, et datum est ei ut cooperiat se byssino splendenti et candido. » *Byssus splendens et candidissimus*, beatissimam et justam conversationem significat

1-3. — ⁹ Aug. — ¹⁰ Vid. sup., Domin. II, post Epiph., serm. I, pag. 86, col. 2. — ¹¹ *Apoc.*, XIX, 7-8.

(a) *Cat. edit.* filiorum. — (b) *Vulg.* sponsabo.

sanctorum. *Uxor Agni* est Ecclesia Christi, cujus pulchritudo non solum splendore, sed etiam membrorum decore constat ¹ : « Tota pulchra es, » etc. Tota certe, quia in visceribus et in membris : utique in omnibus membris ². Nota, quæ sint omnia membra. Oculi sponsæ, id est, Ecclesiæ, sunt prælati et provisores. Os, advocati et doctores. Aures, pœnitentiarii et confessores, vel etiam causarum auditores. Nasus sunt sapientes bonorum et malorum discretiores : per nares enim discernuntur odores. Collum sunt clerici et cantores. Pectus sunt nobiles et potentes. Ubra sunt consiliarii, qui, heu ! pro lacte saniem habent. Brachia sunt milites. Manus sunt operarii, et artifices. Coxæ sunt famuli et traditores. Pedes, qui portant totum corpus, sunt rustici et agricultores. Quibus membris tota constat sponsa ; et pulchra, quia etiam totus pulcher sponsus. Augustinus ³ : « Ecce totus pulcher sponsus ille, et speciosus forma præ filiis hominum veniebat ad fœdam, ut faceret pulcherrimam. » Heu ! quantum periit sponsæ Christi pulchritudo ! Sic ostendi potest in singulis membris. ⁴ « Egressus est a filia Sion omnis decore ejus. »

Tertium signatur (a) in nuptiis Assueri regis, de quo dicitur ⁵ : « Jussit convivium præparari permagnificum cunctis principibus, et servis suis pro conjunctione et nuptiis. Et dedit requiem universis provinciis, ac dona largitus est, » etc. (b). Quot consolationes et delectationes spirituales sunt in Ecclesia ! Per has enim nuptias requies datur in provincia cœli. Item, in provincia mundi, a concussionem et vexationem data est requies victorum bonis. Item, in provincia inferni, in liberatis de lyngo. Item, in provincia purgatorii. Etiam in his nuptiis dona dantur Spiritus sancti. In cruce autem Dominus dedit corpus suum tortori, matrem suam Joanni, paradisum latroni, spiritum Patri.

De quarto, dicitur in hoc Evangelio ⁶ : *Congregavit omnes, quos invenit, bonos et malos, et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.* Gregorius ⁷ : « Boni nusquam soli sunt, nisi in cœlo ; et mali nusquam, nisi in inferno. Hæc autem vita, quæ inter cœlum et infernum sita est, sicut et in medio subsistit, ita utrarumque partium cives recipit. » Fide vero informi, modo in vita, numero, et non merito, sunt mali in nuptiis Ecclesiæ. Boni a malis in his nuptiis discernuntur per humilitatem ⁸ : « Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, » etc. Item per charitatem ; unde de habentibus oleum charitatis dicitur ⁹ : « Quæ autem paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias. » Item per vitæ sanctitatem, quæ per vestem significatur nuptialem.

SERMO II ¹⁰.

Rex autem cum audisset, iratus est : et missis speculatoribus suis, perdidit homicidas illos ¹¹. Quoniam bonitati judicis attestatur, audito consilio, concitare (c) zelo justitiæ, detestari eum (d) in corde, et etiam, si possibilitas adest, punire opere ; hinc est quod Dominus noster, ad commendationem divinæ æquitatis, hæc tria per ordinem divinæ propositi insinuat. Et primum est divinæ justitiæ concitatio ; secundum est culpæ detestatio ; tertium est pœnæ inflictio. Unde divina justitia fuit concitata in audacia, culpa detestata in affectu, et pœna inflicta in effectu. Primum notatur, cum dicitur : *Rex autem cum audisset.* Secundum notatur, cum additur : *Iratus.* Tertium, cum adjungitur : *Perdidit homicidas illos.*

Dicit ergo : *Rex cum audisset* : ubi notatur concitatio justitiæ per auditum. Tunc divina justitia concitatur, cum audit primo arrogantiam detestabilis inobedientiæ ; secundo, malevolentiam impietatis, et sævitæ ;

¹ Cant., IV, 7. — ² Vid. Greg., *Moral.*, lib. XXX, c. VI, n. 23. — ³ Aug. — ⁴ *Thren.*, I, 6. — ⁵ *Esth.*, II, 18. — ⁶ *Matth.*, XXII, 10. — ⁷ Gregor., in *Evang.*, hom. XXXVIII, n. 7. — ⁸ *Luc.*, XIV, 8. — ⁹ *Matth.*,

XXV, 10. — ¹⁰ Huc non habet edit. Paris, an. 1521. — ¹¹ *Matth.*, XXII, 7.

(a) *Cæt. edit.* signum. — (b) *Item servilia, nullo sensu.* — (c) *Forte leg. concitari.* — (d) *Item reum.*

tertio, demulcentiam carnalis gulæ. Ratione primi contemnitur Deus; ratione secundi offenditur proximus; ratione tertii inficitur corpus.

Primo concitatur divina justitia, cum audit arrogantiam detestabilis obedientiæ Dominum contemnentis. Unde ¹: « Audiat Dominus Deus tuus verba Rapsacis, quem misit rex Assyriorum Dominus suus ad blasphemandum Deum viventem, et exprobandum sermonibus (a) quos audivit Dominus Deus. » Per Rapsacem missum a rege Assyriorum ad blasphemandum Deum, intelligitur malus Christianus missus a diabolica suggestionem ad peccandum: ratione cujus blasphematur Deus. Unde Beda ²: « Qui tunc cæsus est colaphis Judæorum, nunc cæditur blasphemis falsorum Christianorum; et ³ qui consputus est salivis infidelium, nunc vesanis opprobriis peccatorum exhonoratur. » De hoc similiter dicitur ⁴: « Audivimus superbiam Moab: superbus est valde. Superbia enim et arrogantia, et indignatio ejus plus quam fortitudo ejus. » Hæc dicit Dominus zelo justitiæ concitatus, peccatum ejus reprobandum.

Secundo concitatur Deus, cum audit malevolentiam crudelitatis et sevitiæ opprimentis proximum, et de hoc dicitur in hodierno evangelio: *Reliqui tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cum audisset iratus est, et missis exercitibus suis perdidit homicidas illos.* Reliqui vero non solum contempserunt venire ad fidem, imo tenuerunt servos suos, id est, apostolos capiendo et incarcerando, et afflietos vexatione innumerabilium tribulationum occiderunt corporaliter. Rex autem, cum audisset vocem sanguinis ad se clamantis de terra, iratus est, secundum Glossam in ultionem exarsit, et missis exercitibus suis Romanis sub Tito et Vespasiano, perdidit homicidas illos, id est Judæos, sanctos persequentes, et civitates eorum succendit, sci-

licet Jerusalem. Unde satis apparet eam fuisse ex toto succensam, et funditus destructam, cum sit modo constructa extra portam, ubi Christus crucifixus fuit, cum locus crucifixionis Christi sit extra portam civitatis.

Tertio concitatur Deus, cum audit demulcentiam carnalitatibus gulæ inficientis proprium subjectum. Unde in Psalmo ⁵: « Tentaverunt Deum, ut peterent escas animabus suis. » Et sequitur: « Audivit Dominus, et distulit, et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel. » Ut passi sunt famem, appetierunt esse in terra Ægypti super ollas carniū, nec adhuc suffecit eis peccare peccato gulæ, concupiscendo carnalia delectamenta Ægypti; imo adhuc apposuerunt peccare ei peccato diffidentiae et blasphemiae, male loquendo de Deo, quod non posset parare eis mensam in deserto. Ideo audivit Deus vocem, et displicuit; sed tanquam misericors, distulit disponens omnia suaviter, quousque escæ essent in ore ipsorum, ut experirentur nihil impossibile esse apud Deum: et postea juste punivit eos, cum ira Dei descendit super eos. Vere gulosi, quorum Deus venter est, tanto impetu ad cibum bestialiter feruntur, ut nihil cogitent de Deo, sed tantummodo ut possint ventrem implere: ⁶ « Quorum gloria in confusione est, » propter rationis subversionem.

Secundo, in verbo proposito notatur detestatio culpæ in affectu, cum subdit: *Iratus est.* Tria sunt, quæ detestatur Deus, et propter quæ irascitur: primum est elatio superbiæ, in præeminendo; secundum est negotiatio avaritiæ, in acquirendo; tertium est defœdatio luxuriæ, in lasciviendo. Et hoc dicitur plenius alibi quam in hodierno evangelio. Nam ⁷ unus dixit: *Villam emi.* Alius dixit ⁸: *Juga boum enim quinque.* Tertius respondit ⁹: *Uxorem duxi.* Hoc est dictu: unus, propter superbiam principiandi; alius, propter avaritiam accumulandi, unde per

Tria
sunt pro-
pter quæ
irascitur
Deus.

¹ Isa., xxxvii, 4. — ² Bed., in *Matth.*, xxvi. — ³ Id., in *Marc.*, xiv. — ⁴ Isa., xvi, 6. — ⁵ *Psal.* lxxvii, 18, 21.

— ⁶ *Philip.*, iii, 19. — ⁷ *Luc.*, xiv, 18. — ⁸ *Ibid.*, 19. — ⁹ *Ibid.*, 20. — (a) *Cert. edit.* pro hominibus.

juga boum intelligitur superflua occupatio quinque sensuum circa terrena; tertius, propter luxuriam lasciviendi, provocavit iram Dei contemnendo venire.

Primo irascitur Deus propter elationem superbïæ præeminendo. Unde ¹ : « Confragit in ira furoris sui omne cornu Israel. » Per cornu intelligitur elatio superbïæ, quæ si non humilietur interiori inspiratione, vel exteriori prædicatione, aliquando Deus in ira furoris sui ratione effectus confringit mortis punitione, secundum quod dicitur ² : « Misisti iram tuam, quæ devoravit eos quasi stipulam. »

Secundo irascitur Deus propter negotiationem avaritiæ in acquirendo. Unde dicitur in canonica Jacobi ³ : « Aurum et argentum vestrum æruginavit : et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras, sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram iu novissimis diebus. » Aurum et argentum male acquisitum generat æruginem, quando relinquit in anima remorsum conscientïæ, qui ærugo et vermis appellatur, eo quod ad modum vermis mordebit, et colaphizabit. *Vermis* reservabitur perpetuo, quia ⁴ *non morietur, et ignis pœnæ infernalis, qui nunquam extinguetur*, devorabit carnes eorum interius et exterius. Et merito duplici pœna avari punientur, qui thesaurizaverunt sibi iram corde concupiscendo, et opere rapiendo.

Tertio irascitur propter defœdationem luxuriæ in lasciviendo. Unde in Psalmo ⁵ : « Irritaverunt eum in adinventionibus suis, et multiplicata est in eis ruina. » Et sequitur : « Iratus est Dominus furore in populum suum, et abominatus est hæreditatem suam. » Istæ adinventiones sunt visio, cogitatio, et affectio, quibus committitur peccatum fornicationis in corde, etiamsi non possit explicari ore, secundum illud ⁶ : « Quicumque viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo. » Quot sunt enim corporis sensus, tot

sunt spiracula, per quæ intrant aquæ concupiscentiarum ad animam, et nisi ab humore carnalitatatis discedatur per mortificationem carnis, et omnis immunditiæ remotionem, Deus adeo in iram provocatur, ut eam propter fœtorem luxuriæ abominetur.

Tertio in verbo proposito notatur inflictio pœnæ in effectu, cum subinfert : *Perdidit homicidas illos, missis exercitibus suis*, scilicet Romanis sub Tito et Vespasiano imperatoribus, perdidit homicidas illos, scilicet Judæos. Unde per istos imperatores Jerusalem funditus destructa, et Judæi occisi, et dispersi, et venditi, triginta pro uno denario, sicut vendiderunt Christum pro triginta denariis. Influxit debite pœnam, et perdidit quemlibet triplici de causa; primo propter deviationem perfidiæ, sive ignorantïæ in discernendo; secundo propter desperationem veniæ in diffidendo; tertio propter defectio-nem patientiæ in sustinendo. Et primum est contra veritatem; secundum, contra bonitatem; tertium, contra potestatem.

Primo perdit Deus aliquem propter deviationem perfidiæ, sive ignorantïæ in discernendo; unde in epistola Judæ dicitur primo ⁷ : « Jesus populum suum de terra Ægypti salvavit; secundo eos qui non crediderunt perdidit. » Quia ⁸ « omnia contingebant illis in figura, » ideo secundum exhibitam veritatem dicamus : *Jesus populum suum*, scilicet Christianum, *salvavit* configuratione proprii sanguinis. Ipse enim verus est agnus, ejus sanguinis virtute salvantur Christiani *de terra Ægypti*, id est, de statu erroris et infidelitatis, per aspectum splendoris et veritatis. Ægyptus enim *tenebra* interpretatur, et significat statum infidelitatis, in quo homo tenebris erroris deprimatur. Item *eos qui non crediderunt perdit*, demergendo eos in profundo inferni per æternam damnationem. Ad confirmationem hujus potest adduci illud ⁹ : « Non te extollas in cogitatu, » etc., « ne forte eli-

¹ *Thren.*, II, 3. — ² *Exod.*, xv, 7. — ³ *Jac.*, v, 3. —

⁴ *Isa.*, lxxvi, 24. — ⁵ *Psal.* cv, 29, 40. — ⁶ *Matth.*, v, 28. — ⁷ *Jud.*, 5. — ⁸ *1 Cor.*, x, 11. — ⁹ *Eccli.*, vi, 2-3.

datur virtus tua per stultitiam, et folia tua comedat, et fructus tuos perdat, et relinquaris velut lignum aridum in deserto. » Item perdit Deus aliquem propter desperationem in diffidendo. Unde in Psalmo ¹ : « Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum a filiis hominum, quoniam cogitaverunt in te mala. Illi declinant mala in Deum, qui desperantes de divina misericordia, non credunt quod possint consequi suorum veniam peccatorum : quorum fructum operationis, et laboris Deus perdit. Unde Judas merito *filius perditionis* interpretatur ², qui diffidens de divina pietate, laqueo ³ se suspendit. Dicitur etiam semen eorum perdi a filiis hominum, eo quod illud peccatum non est inventum ab homine, sed a diabolo qui illud seminat in filios. Propter hoc dicit Augustinus ⁴, *de Anima et Spiritu* : « Nemo de pietate Dei diffidat, quia melior est Dei misericordia, quam nostra miseria. »

Tertio perdit Deus aliquem propter defectionem patientiæ in sustinendo; unde ⁵ : « Quare reputati sumus ut jumenta, et sorduimus coram te? Qui (a) perdis animam tuam in furore tuo. » Vere impatiens et furiosus, qui ad quamlibet molestiam sibi illatam vult recalcitrare, et rependere vicem : jumentum, et non homo, debet reputari, eo quod non regitur discretione rationis, sed forte bestiali motu sensualitatis : et propter hoc aliquando sordetur cogitationis malignitate, et judicii temeritate in corde, opprobrii conviciositate in ore, maleficii crudelitate in opere, et tunc in furore perdit animam suam. Rogemus ergo Dominum nostrum, etc.

SERMO III ⁶.

Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem ⁷? Hæc vestis est optima conversatio bonæ vitæ, quæ melius vestit hominem quam purpura vel aurum. Vestis

autem bonæ vitæ necessaria est ad evadendam gehennæ damnationem, ad repellendam nequitiae tentationem, ad accipiendam gratiæ benedictionem, ad obtinendam gloriæ exaltationem.

Primum patet hic, quia sine veste nuptiali nullus damnationem evadit. Damnatus est autem, qui habet vestem extraneam a sanctorum conversatione ⁸ : « Visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina. » Item qui habet vestem fœtidam in mala opinione. Unde præcipitur ⁹, ut vestis leprosa flammis comburatur, flammis utique infernalibus. Item qui vestem sanguinolentam in proximorum oppressionem et cruentationem ¹⁰ : « Omnis violenta prædatio cum tumultu, et vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, et cibus ignis. » De his, qui tales vestes habent, et veste nuptiali carent, dicitur hic : *Ligatis manibus et pedibus*, etc. Ligabuntur enim in gehenna, qui hic præceptis dominicis, et puris, et disciplinis ligari noluerint, sicut de dæmoniaco dicitur ¹¹ : « Neque catenis quisquam poterat eum ligare. » Bene autem dicitur : *Ligatis pedibus et manibus*. Glossa ¹² : « Etiam singula membra pœnis subjicientur, quæ hic singulis vitiis servierunt. » Væ ergo manibus, væ pedibus, væ singulis membris a bono vacantibus et solutis. Sed væ magis in malo se occupantibus, et ligatis. Gregorius ¹³ : « Quæ non sponte ligantur in vita, tunc in supplicia ligantur invite. »

De secundo ¹⁴ : « Non timebit domui suæ a frigoribus nivis; omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. » Mulier fortis Ecclesia est; frigus nivis, refrigeratio fervoris spiritualis ¹⁵ : « Refrigescet charitas multorum. » Domestici sunt vere fideles ¹⁶ : « Jam non estis hospites, » etc., usque : « domestici Dei. » Hi *vestiti sunt duplicibus*, id est, amore Dei et proximi; vel intus virtutibus,

¹ Psal. xx, 11. — ² Joan., xvii, 12. — ³ Matth., xxvii, 5. — ⁴ Imo auctor lib. *de Spir. et Anim.*, c. vi, inter spuria Aug., Append. tom. VI. — ⁵ Job, xviii, 3-4. — ⁶ Hunc et tres seq. habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁷ Matth., xxii, 12. — ⁸ Soph., i, 8.

— ⁹ Levit., xiii, 52. — ¹⁰ Isa., ix, 5. — ¹¹ Marc., v, 3. — ¹² Gloss. ex Bed., in Matth., xxii. — ¹³ Greg., in Evang., hom. xxxviii, n. 13. — ¹⁴ Prov., xxxi, 21. — ¹⁵ Matth., xxiv, 12. — ¹⁶ Ephes., ii, 19.

(a) Cat. edit. quid.

extra bonis moribus. Hæ vestes contra diaboli frigus debent esse calidæ per fervorem spiritus ¹: « Nonne vestimenta tua sunt calida, cum perflata fuerit terra austro? » terra scilicet cordis. Auster est Spiritus sanctus ²: « Surge, aquilo, et veni, auster, » etc. Aquilo est diabolus. Frigus vero venti aquilonis, id est, diabolicæ tentationis, evaditur per vestem fervidæ conversationis. Fervor ergo austri necessarius est tuæ vesti. Augustinus ³: « Nihil boni potest operari illuminatus aliunde, quam a Spiritu Dei. »

De tertio ⁴: « Statim ut sensit vestimentorum ejus fragrantiam, benedicens ait: Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. » Odor vestimentorum est fama bonæ vitæ ⁵: « Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. » Thus maxime redolet in igne; conversatio justorum, in adversitate. Gregorius ⁶: « Aromata fragrantiam suam non nisi enuaccenduntur, expandunt: ita sancti viri qui (a) virtutibus redolent, in tribulatione innotescunt. » Bene autem fit per gratiam Spiritus sancti copiosa ⁷: « Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali. » Qui ergo vestem bonæ vitæ fragrantem per bonam opinionem habet, benedictionem cœlestem obtinebit. Unde Psalmista ⁸: « Innocens manibus, » etc., usque: « Hic accipiet benedictionem a Domino. » Sed, heu! quidam non fragrant, sed foetent per infamiam malæ vitæ ⁹: « Ecce jam foetet. » Isti non benedictionis, sed maledictionis vestem habent. Psalmista ¹⁰: « Induit maledictionem sicut vestimentum. »

De quarto ¹¹: « Vestivi te discoloribus, » id est, virtutum varietatibus, « et calceavi te hyacintho, » id est, cœlesti desiderio, vel exemplo. Hyacinthus cœlestis coloris est. « Cinxi te bysso, » id est, continentia. « Indui te subtilibus, » id est, spiritualibus moribus. ¹² « Et ornavi te ornamento, » id est,

claritate; « et dedi armillas in manibus tuis, » id est, misericordias in operibus; « et torquem circa collum tuum, » id est, sobrietatem in appetitu tuo. ¹³ « Et dedi in aurem super os tuum, » id est, disciplinam, et custodiam in verbis tuis; « et circulos in auribus tuis, » id est, vires obedientiæ; « et coronam decoris, » id est, beatitudinem æternam, « in capite tuo. » Ecce vides quo modo ad hanc coronam gloriæ pervenit sponsa Dei anima sancta, et sic cœli regina, si fuerit discoloribus vestita ¹⁴: « Astitit regina, » etc., usque « varietate. » Nullus ergo sine hac veste cœlum intrabit ¹⁵: « Non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare. »

SERMO IV.

Multi sunt vocati, pauci vero electi ¹⁶. Vocati temporaliter, electi æternaliter. Sed, heu! licet pauci sint electi Dei, tamen electi diaboli sunt multi. Quadruplex est enim electio, videlicet divina, humana, angelica, diabolica. Eliguntur enim homines a Deo, ab hominibus, ab angelo, a diabolo.

De prima, Psalmista ¹⁷: « Beata gens, » etc., usque: « in hæreditatem sibi. » Populus Christianus electus a Domino in hæreditatem. Unde quicumque christianam a Deo animam aufert, Deum hæreditate sua spoliavit: hæreditate utique quam tantum dilexit, quod pro ea animam suam dedit, sicut significatum est ¹⁸, ubi Naboth pro hæreditate vineæ suæ mortuus est. Vineam est Ecclesia. Ad hanc excolendam electi operarii sunt, scilicet apostoli, et doctores, et sacerdotes. Unde de operariis in vineam conductis dicitur ¹⁹: *Pauci vero electi*. In hac enim vinea sunt tot palmites, quot in Ecclesia sunt fideles. In hac vinum est compunctionis, compassionis, et devotionis, et gratiæ Spiritus sancti. ²⁰ « Musto pleni sunt, » etc.

¹ Job, xxxvii, 17. — ² Cant., iv, 16. — ³ Aug. in Joan., tract. LXXIV, n. 2, quoad sensum. — ⁴ Gen., xxvii, 27. — ⁵ Cant., iv, 11. — ⁶ Gregor., Moral., præf., c. 11, n. 6. — ⁷ Ephes., i, 3. — ⁸ Psal. xxiii, 4 et seq. — ⁹ Joan., xi, 39. — ¹⁰ Psal. cviii, 18. —

¹¹ Ezech., xvi, 10. — ¹² Ibid., 11. — ¹³ Ibid., 12. — ¹⁴ Psal. xlii, 10. — ¹⁵ Esth., iv, 2. — ¹⁶ Matth., xxii, 14. — ¹⁷ Psal. xxxii, 12. — ¹⁸ III Reg., xxi, 1 et seq. — ¹⁹ Matth., xx, 16. — ²⁰ Act., ii, 13.

(a) Apud Greg. omne quod.

Stultus autem esset, qui de spinis vinum speraret. Unde ¹ : « Numquid colligunt de spinis uvas? » Spinæ autem sunt peccatores proximos suos odiendo, detrahendo, injuriando, contristando, pungentes et lacerantes. Prævaricatores, quasi spinæ, evellentur universi, etc. Quamdiu non es palme Christi, sed spina diaboli, non potes ferre uvas Spiritus sancti.

De secunda ² : « Elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto. » Ecce quales esse debent, qui ad ministeria ecclesiastica eliguntur. Imo in qualibet electione istud debent homines attendere, ut conditiones bonas, fidem scilicet et Spiritum sanctum, in eis quærere, quos eligunt, sive eligere debent, conjuges in matrimonio, sive famill'am in domo, sive consules in civitate, sive iudices in terra, sive plebanos in parochiis, sive episcopum in diœcesi. Quales autem conditiones in eligendis attendendæ sint, bene exprimitur, cum Jetro Moysi dixit ³ : « Provide tibi de omni plebe viros sapientes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderunt avaritiam, » etc. Et infra : « Electis viris strenuis de cuncto Israel constituit eos principes. » Non ergo elige talem, qui te ducat in ignem, qualis ille fuit, de quo Bernardus ait ⁴ : « Qui tot discipulos per suam negligentiam ad infernum duxit, reliquis numquid præponi debuit? »

De tertia ⁵ : « Elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi. Exhibunt angeli, » etc. Nota parabolam. Sagena est Ecclesia. Pisces sunt homines, quos doctores capiunt, dum eos converti faciunt. ⁶ « Faciam vos piscatores hominum. » In littore soliditas immortalitatis significatur ⁷ : « Mane autem facto, stetit Jesus in littore, » etc. Non discernuntur pisces, neque vipera a murena, neque serpens ab anguilla, neque tenca a

rana, neque aliquis bonus piscis a malo; imo neque boni a bonis, neque mali a malis discernuntur in aqua, sed in sagena tracta ad littus : sic utique, quamdiu sagena Ecclesiæ sub aquis præsentis miseris trahitur, vix inter bonos et malos, et pejores, discernere possumus. Sed postquam ad littus immortalitatis in die iudicii perventum fuerit, discernentur. Augustinus ⁸ : « Cum venerit Dominus, » etc. Require supra in sermone : *Jam parata* ⁹. Tunc boni ab angelis eligentur in vasa in diversas mansiones, secundum diversitates meritorum. ¹⁰ « In domo Patris, » etc.

De quarta ¹¹ : « Incrassata est pars ejus, et cibus ejus electus. » Propter hoc ergo expandit sagenam suam, et semper interficere genus non cessat. Sicut Deus et angeli eligunt mundos, et diaboli eligunt immundos. Unde serpentes et aliena venenata, id est, peccatores, sunt cibus eis electus. Nunc ergo electos suos devorant in culpa, ut secum mergantur in gehenna. ¹² « Principes ejus submersi sunt, » etc. Qui sunt diaboli principes, nisi qui in sceleribus sunt principales? Tales in mari gehennæ submerguntur, sicut porci qui luxuriosos significant. ¹³ « Abiit totus grex per præcepsum in mare, » etc., « et mortui sunt in aquis. » Sicut ergo gluto porcos pinguios, et pisces majores eligere scit ad devorandum, sic et diabolus. Ambrosius ¹⁴ : « Sic amat diabolus famulum suum, ut perdat, sicut amat gluto porcellum, ut comedat. »

DOMINICA XX POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS.

Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum ¹⁵. Secundum septem vitia capitalia, septem sunt infirmitates animarum.

Primo ergo est infirmitas superbiæ ¹⁶ :

¹ *Math.*, vii, 16. — ² *Act.*, vi, 5. — ³ *Exod.*, xviii, 21, 25. — ⁴ Bernard. — ⁵ *Math.*, xiii, 48-49. — ⁶ *Math.*, iv, 19. — ⁷ *Joan.*, xxi, 4. — ⁸ August. — ⁹ Vid. sup., Dom. II, post Pent., serm. III, pag. 335.

col. 4. — ¹⁰ *Joan.*, xiv, 2. — ¹¹ *Habac.*, i, 16. — ¹² *Exod.*, xv, 4. — ¹³ *Math.*, viii, 32. — ¹⁴ Ambros. — ¹⁵ *Joan.*, iv, 46. — ¹⁶ *Isa.*, xlii, 4.

« Infirmata est altitudo populi terræ. » Altitudo est alta mens superba, quæ quanto in se est altior, tanto est a Deo in se elongatior, et depressior. Unde Augustinus ¹ : « Humilia te proximo : Dominus enim humilia respicit, ut attollat : et alta, id est, superba a longe cognoscit, ut deprimat. » ² « Deus superbis resistit, » etc.

Secunda est invidia; unde de Joram rege, qui interfecit fratres suos ³ : « Mortuus est in infirmitate pessima. » Ecce quicumque persecutor est fratrum et proximorum suorum per pessimam invidiæ infirmitatem, incurrit mortem æternam. Bene autem dicitur *pessima* : mala enim est de bono proximi dolendo; peior de malo ejus gaudente; pessima in utroque ei nocendo, videlicet impediendo, vel malum inferendo, sicut Joram fratribus, et Caim Abel. Hæc pessima infirmitas multum consumit hominem. Isidorus ⁴ : « Invidia merita bona ardore pestifero devorat. Invidia animæ tineæ, sensum comedit, pectus urit, mentem inficit, cor hominis quasi quædam pestis depascit. » Hanc pessimam infirmitatem sequitur pessima mors. Psalmista ⁵ : « Mors peccatorum pessima. »

Tertia est iræ. Unde Antiochus ⁶ : « Ignem spirans animo in Judæos tam fædo morbo vexatus est, ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventes in doloribus carnes ejus effluerent : odore etiam illius et fœtore exercitus gravaretur. » Ecce hic significatur, quod qui ignem iracundiæ spirant in alios, graviter in animabus infirmitur. Vermes autem agitationes, et motus, et amaritudinem iræ (a). Fœtor etiam morum iracundorum gravis est illis ⁷ : « Grave est saxum, et onerosa arena; sed ira stulti utroque gravior est, » etc.

Quarta est avaritiæ ⁸ : « Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole, divitiæ

conservatæ in malum Domini sui, » etc. Vere pessima : mala quidem eis, a quibus mala lucrantur; peior eis pro quibus lucrantur, scilicet hæredibus; pessima sibi ipsis, qui male lucrantur. Seneca ⁹ : « Desunt inopiæ multa, avaritiæ omnia. » In nullum avarus bonus est, in se pessimus. Infirmitas avarorum est hydropisis cordium : quanto plus bibunt acquirendo, tanto plus sitiunt appetendo.

Quinta est acediæ ¹⁰ : « In pigritiis humiliabitur contignatio. » Interlinearis : « Id est, ædificium virtutum. » Et infirmitate manuum, » id est operum, « perstillabit domus, » scilicet mentis. Vides ergo quod per infirmitatem pigritiæ et acediæ, stillæ cogitationum, et desideriorum malorum, et tentationum cadunt in domum mentis : et ideo tales in propria domo quiescere nesciunt. Augustinus ¹¹ : « Quomodo quisque a stillicidio exit de domo sua, aut fumo; sic qui non habent quietum cor, habitare in corde suo libenter non possunt. » Contra hanc infirmitatem datur consilium ¹² : « In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non occurret tibi. »

Sexta est gulæ ¹³ : « In multis escis erit infirmitas, » etc., non solum corporalis, sed etiam spiritualis. Quid autem mirum, si ex multis escis gulæ infirmitur anima, cum etiam ex una esca Adæ totus mundus infirmitur? Si sic pro gula unius horæ infirmatus est mundus, quid erit de gula triginta vel quadraginta annorum quotidiana? ¹⁴ « Epulabatur quotidie splendide. » Sanari autem debet per jejunium, qui infirmitur per cibum. Gregorius ¹⁵ : « Qui a paradisi gaudiis per cibum cecidimus, (b) quantum possumus per abstinentiam resurgamus. » Ne habeant hanc infirmitatem, attendant gulosi, ebriosi, cibum et potum Christi. Psalmista ¹⁶ : « Dederunt in escam meam fel, et in siti, » etc.

¹ Aug., in *Psal.* CXXXVII, v. 11, quod id sensum. — ² *Jac.*, IV, 6. — ³ II *Paral.*, XXI, 19. — ⁴ *Isid.* — ⁵ *Psal.* XXXIII, 21. — ⁶ II *Mach.*, IX, 9. — ⁷ *Prov.*, XXVII, 3. — ⁸ *Eccle.*, IX, 12. — ⁹ *Senec.* — ¹⁰ *Eccle.*, IX, 18. — ¹¹ *August.* — ¹² *Eccle.*, XXXI, 27. — ¹³ *Ibid.*,

XXXVII, 33. — ¹⁴ *Luc.*, XVI, 19. — ¹⁵ *Greg.*, in *Evang.*, hom. XVI, n. 5. — ¹⁶ *Psal.* LXVIII, 22.

(a) *Suppl.* significant. — (b) *Suppl.* ad hæc.

Septima luxuriæ ¹ : « Juvenes in infirmitate sua cadent. » Infirmitas juvenum est luxuria. Sed, heu ! etiam ad senes pervenit. Exemplum de duobus senibus est in *Daniele* ², quæ infirmitas est senibus insania. Seneca ³ : « Adolescens luxuriosus peccat; senex luxuriosus insanit. » Qui hanc infirmitatem volunt evadere, fugiant funes Dalilæ, de quibus ⁴ : « Si septem nervicæis funibus ligatus fuero, infirmus ero. » Ligatur homo per luxuriosum visum, per verbum, per tactum, per internuntium, per consensum, per actum, per usum, tanquam septem funibus. Vel septem funes sunt septem vitia capitalia prædicta. Istæ sunt septem infirmitates : omnes ad mortem sunt, etiam mortem æternam inducunt.

SERMO II ⁵.

Domine, descende, priusquam moriatur filius meus ⁶. In isto evangelio iste regulus gerens formam prælati, ex cujus regiminis defectione, filius, id est, subditus ejus infirmatur, ostenditur in verbo proposito ordinate processisse, eo quod in verbo præmissio, primo præmittitur affectuosa invocatio excellentis magnificentiæ, cum dicitur : *Domine*; secundo additur discreta insinuatio imminentis indigentia, cum subditur : *Priusquam moriatur filius meus*; tertio subjungitur devota petitio auxiliantis misericordiæ, cum subinfertur : *Descende*. In primo captat benevolentiam; in secundo manifestat indigentiam; in tertio implorat misericordiam.

Dicit ergo : *Domine*, ubi commendat virtutis excellentiam et magnificentiam (a). Ista autem excellens virtus, et magnificentia (b), quæ in hoc vocabulo : *Domine*, importatur, potest apparere triplici ratione : primo ratione insuperabilis potentia, in prævalendo; secundo, ratione inscrutabilis sapientiæ, in cognoscendo; tertio, ratione indicibilis misericordiæ, in parcendo : ut propter potentia

ma magnificentiam reddatur terribilis inimicis; propter sapientiæ luculentiam, honorabilis domesticis et amicis; propter misericordiæ clementiam, desiderabilis miseris et egenis.

Primo istam excellentiam Domini manifestavit virtuositas insuperabilis potentia in prævalendo; et de hoc dicitur ⁷ : « Domine, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui tuæ possit resistere voluntati. » Et ratio est, quia sic divinae voluntati omnis virtus famulatur, ut et ex his quæ sibi videntur contraria, divinus honor eliciatur, quamvis a malis et peccatoribus hoc non intendatur. Propter hoc dicebat Psalmista ⁸ : « Non est similis tui in fortibus (c), Domine, et non est secundum opera tua. Omnes gentes quas-cumque fecisti venient, et adorabunt coram te Domine, et glorificabunt nomen tuum in æternum. »

Secundo istam magnificentiam Domini manifestat profunditas sapientiæ inscrutabilis in cognoscendo; unde Psalmista ⁹ : « Et tu, Domine, cognovisti omnia, novissima et antiqua; tu formasti me, et posuisti super me manum tuam : mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam : » quasi dicat : Pro certo tu, Domine, habes perfectam scientiam, et non potes falli in cognoscendo, eo quod *cognovisti omnia novissima* respectu futurorum, *et antiqua* respectu præteritorum : cujus dictamine *formasti me*, ut essem quantum ad corpus et spiritum : *posuisti super me manum tuam*, me confortando, ne redirem in nihilum. Unde Gregorius ¹⁰ : « Cuncta in nihilum redirent, nisi divina potentia ea manu teneret. » Et quia ista multiformis sapientia Dei, qua congegit præterita, præsentia, et futura, secundum cujus dictamen homo formatur, regitur et gubernatur, non est curiose scrutanda, sed humiliter admiranda, ideo sequitur : *Mirabilis facta est*

5-6. — ¹⁰ Gregor., *Morat.*, lib. V, c. xxxiv, d. 63, quoad sensum.

(a) *Leg.* commendatur virtus excellentis magnificentia. — (b) *Leg.* virtus magnificentia. — (c) *Vulg.* diis.

¹ *Isa.*, xl, 30. — ² *Dan.*, xiii, per totum. — ³ Senec. — ⁴ *Judic.*, xvi, 7. — ⁵ Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ⁶ *Joan.*, iv, 49. — ⁷ *Esth.*, xiii, 9. — ⁸ *Psal.* lxxv, 8-9. — ⁹ *Psal.* cxxxviii,

scientia tua ex me, et non potero ad eam.

Tertio istum Dominum magnificum magnificat pietas indicibilis misericordiae in parcendo. Unde Psalmista ¹ : « Miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors. » Dominus, propter benignitatem elementiae, est *miserator* in parcendo facilliter, et ideo non timeas severitatem iustitiae proferentis sententiam ; unde Gregorius ² : « Novit Dominus mutare sententiam, si noveris emendare delicta ; » et *miserans* in obliviscendo totaliter, et non timeas immensitatem sapientiae aggravantis culpam ; *Longanimis* in expectando patienter, et ideo, si diu fuisti in peccato, non timeas iudicii severitatem inferentis poenam ; *Multum misericors* in suscipiendo elementer, et ideo non timeas altitudinem majestatis. Unde Augustinus ³, super illud ⁴ : *Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in caelum, et coram te, etc.* : « Quemcumque necessitas cogat (a) peccatorem ad poenitentiam, non peccati quantitas, nec vitae enormitas, nec hominis extremitas excludit a venia, si perfecta fuerit mutatio voluntatis : sed in amplissimos sinus charitatis, misericordia filios suos suscipit revertentes. »

Sequitur : *Priusquam moriatur filius meus* : ubi secundo ostendit necessitatis indigentiam, et necessitatem mortis, quam incurrit homo propter tria : primo propter debilitatem potentiae succumbentis ; secundo propter caecitatem ignorantiae deviantis ; tertio propter poenalitatem miseriae opprimantis.

Primo incurrit homo necessitatem mortis propter debilitatem potentiae succumbentis ; unde ⁵ : « Rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat istam mortem a me. » Sicut Pharaon cognoscens experimentaliter (b) non posse resistere tribulationibus a Deo sibi illatis, propter fragilitatis humanae debilitatem, sed totaliter succumbere, recurrit ad

implorandum suffragium Moysi et Aaron per orationem, ne incurreret mortem corporalem ; ita quilibet tribulatus et afflictus, videns se experimentaliter succumbere, nec posse tribulationibus resistere, non debet intuitu fragilitatis remollescere, nec in sustinendo vires suas metiri, et desperare, sed humiliter per orationem et suffragia amicorum se convertere, et praesertim Virginis beatae. Unde Bernardus ⁶ in homilia : « Quisquis te conspicias in hujus saeculi profluvio magis inter procellas, et tentationes fluere, quam super terram ambulare, respice stellam, voca Mariam. Si jactamine superbiae, fastus, sive avaritia, aut carnis illecebra naviculam mentis concusserit, respice stellam, voca Mariam. Si criminum immunitate turbaris, vel conscientiae foetitate confusus baratro desperationis incipias absorberi, respice ad Mariam : quia ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis. »

Secundo incurrit homo necessitatem mortis propter caecitatem ignorantiae deviantis ; unde in Psalmo ⁷ : « Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis. » Sicut quando homo abominatur omnem cibum, ut non valeat comedere, de proximo imminet sibi mors, nisi per remedium medicinale adjuvetur ; sic anima quando abominatur coelestem escam divini verbi praenimia delectatione peccati, ita absorbetur, et obcaecatur, ut tanquam infirma appropinquet usque ad portas mortis aeternae, nisi virtute divini verbi sanetur, et dulcedine reficiatur, et ejus lumine dirigatur, ut possit discernere bonum a malo, inter statum culpae et gratiae, et differentiam mortis et vitae.

Tertio incurrit homo necessitatem mortis, propter poenalitatem miseriae opprimantis ⁸ : « Infelix ego homo, quis liberabit

¹ *Psal.* CII, 8. — ² *Gregor., Moral.,* lib. XVI, c. XXXVII, n. 46, quoad sensum. — ³ *Aug.* — ⁴ *Luc.,* XV, 18. — ⁵ *Exod.,* X, 17. — ⁶ *Bern., super Missus est,*

hom. II, n. 17. — ⁷ *Psal.* CVI, 18. — ⁸ *Rom.,* VII, 24-25.

(a) *Cart. edit.* coniungat. — (b) *Suppl. se.*

me de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. » Loquitur Apostolus in persona generis humani, et vocat vitam temporalem, in qua opprimitur homo multiplici pœnalitate miseriæ; quia, secundum beatum Gregorium ¹ in homilia: « Temporalis vita, æternæ comparata, mors est potius dicenda, quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud quam quædam prolixitas mortis? » Ab hac enim (a) pœnali vita dicit se liberari per gratiam Christi in generali resurrectione.

Sequitur: *Descende*; ubi tertio implorat pietatis misericordiam. Igitur Deus, propter misericordiam pietatis, descendit primo in carne (b), ut virtus potentissima ad roborandum; secundo in mente (c), ut lux refulgentissima ad illuminandum; tertio ad iudicium, ut salus affluentissima ad glorificandum. Primum est contra debilitatem impotentiae; secundum est contra cæcitatem ignorantiae; tertium est contra pœnalitatem miseriæ.

Primo descendit in carne (d), ut virtus potentissima ad roborandum; unde dicitur ²: « Descendi in Ægyptum, ut liberarem populum meum de manu Ægyptiorum. » Tunc descendit in Ægyptum, quando pœnalitatem miseriæ assumpsit, ut patienter sustinendo mala pœnæ, in nobis deleteret mala culpæ; et tradendo se manibus Judæorum, nos liberaret de manu Ægyptiorum, id est, dæmoniorum; et in suscipiendo mortem temporalem, destrueret mortem æternalem.

Secundo descendit Dominus in mentem, ut lux refulgentissima ad illuminandum; et de hoc dicitur ³: « Utinam dirumperes (e) cœlos, et descenderes! A facie tua montes defluerent (f). » Petiit David cœlos inclinari, et montes tangi, cum dicit in Psalmo (g) ⁴:

« Inclina cœlos tuos, et descende; tange montes, et fumigabunt. » Sed Isaias petiit cœlos dirumpi (h), et a facie Christi superbos defluere (i); et tamen uterque Domini descensum desiderabat. Descendere enim Deum, non est divina similitudine (j) degradari, sed humanam naturam exaltari. Unde Deus tunc cœlos, id est, cœlestes angelos inclinavit, cum naturam humanam sibi copulatam super ipsos sublimavit. Montes vero tetigit, dum carnem habentem defectus humanæ naturæ assumpsit a patriarchis et regibus, qui ratione sanctitatis et dignitatis montium nomine intelliguntur. Unde, secundum Philosophum, « illa se tangunt, quorum ultima sunt simul. » Scilicet cœlos dirupit (k), cum obstaculum, quo prohibebatur genus humanum intrare cœlum, removit (l). *A facie tua*, cœlesti proprietate divini fulgoris insignita, *montes*, id est, superbi *defluent*, id est, deserent superbiæ altitudinem, et sequentur humanitatis assumptæ humilitatem. Unde Hieronymus in quadam epistola ⁵: « Nisi Christus demonstrasset in vultu oculisque aliquod divinum, nunquam statim secuti eum discipuli fuissent, nec qui ad comprehendendum eum venerant (m) corruissent. » De hoc similiter potest exponi illud ⁶: « Totus mons Sinai fumabat (n), eo quod descendit Dominus super eum in igne (o). » Mons Syna est quilibet bonus servus Christi, qui debet totus *fumare* (p) interius per dolorosam cordis compunctionem, et exterius per lacrymosam oris confessionem, merito suorum peccatorum, cum *descendit Dominus super eum tanquam ignis* ad illuminandum per splendorem veritatis, et ad inflammandum per ardorem charitatis.

Tertio descendit Dominus ad iudicium, ut salus affluentissima ad glorificandum. De

¹ Greg., in *Evang.*, hom. xxxvii, n. 1. — ² *Exod.*, iii, 8. — ³ *Isa.*, lxiv, 1. — ⁴ *Psal.* cxxlii, 5. — ⁵ Hieron., ad *Principian*, epist. cxi *Epist.* lib. iii, col. m. 168. — ⁶ *Exod.*, xix, 18.

(a) *Leg.* autem. — (b) *Leg.* carnem. — (c) *Leg.* mentem. — (d) *Leg.* carnem. — (e) *Cæt. edit.* dirumpi-

peres. — (f) *Item* defluerunt. — (g) *Item* dicit *Psal.* — (h) *Item* dirumpi. — (i) *Item* deflui. — (j) *Leg.* divinam substantiam. — (k) *Cæt. edit.* dirupit. — (l) *Item* renovavit. — (m) *Item* nec ad comprehendendum. — (n) *Cæt. edit.* fumigabat. — (o) *Item* tanquam ignis. — (p) *Item* fumigare.

hoc dicitur ¹ : « Ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, in tuba Dei descendet (a) de cœlo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. » Jussus et vox Archangeli, et tuba Dei, nihil aliud est quam vox Filii Dei, secundum Magistrum ²; sed nunc jussus, nunc vox Archangeli, nunc tuba Dei, vocatur vox Christi, propter diversas proprietates, quæ in istis tribus vocabulis reperiuntur. Nam vox Christi in die judicii erit 1. virtuosa potestate; et ideo dicitur *Jussus*, quasi præceptum: dicit tibi, et incontinentifiet. 2. Authentica auctoritate, et ideo dicitur *vox Archangeli*, id est, principis. 3. Erit nihilominus sonora horribilitate, et ideo *tuba Dei* nuncupatur. Et sic illud multiplici vocabulo exprimitur, ad insinuandum illius vocis multiplicem proprietatem et dignitatem. Rogemus, etc.

SERMO III ³.

Hora septima reliquit eum febris ⁴. Utinam febris æstuantium vitiorum relinqueret te miserum peccatorem, saltem decima, vel undecima hora, ut per ipsam non incurreres mortem æternam! Considerandum autem quod est hora conversionis peccatorum, operationis mandatorum, passionis adversorum, devotionis desideriorum.

De prima ⁵: « Hora est nos jam de somno surgere, » scilicet de somno torporis et negligentiae surgere. Somnus iste significat mortem animæ ⁶: « Surge, qui dormis, et exurge a mortuis, » etc. Nonne potius videntur mortui, quam dormientes, qui nullo strepitu ad bonum possunt excitari? Unde de illo verbo ⁷: *Dies illa, dies iræ*, etc., Ambrosius sic ait ⁸: « Qui non expergiscitur, qui non tremit ad tantum tonitruum, non dormit, sed mortuus est. » Iste infelix somnus, per vinum terrenæ delectationis, divinæ comminationis, non advertit toni-

truum, et per ipsum veste bonæ vitæ dormiens denudatur; sicut significatum est in Noe ⁹, qui « vino inebriatus, dormiens nudatus est. » De hoc vino dicitur ¹⁰: « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. » Væ eis, qui veste bonæ vitæ nudantur ¹¹: « Amice, quomodo huc intrasti, » etc.

De secunda ¹²: « Egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, » etc. In hac parabola de vinea, sicut dicitur de horis operantium, videlicet de prima, de tertia, de sexta, de nona, undecima, in quibus ætates humanæ vitæ figurantur secundum Gregorium ¹³, videlicet pueritia, adolescentia, virilis ætas, senectus, decrepita ætas: in quibus horis omnibus Christus paratus est recipere operarios in vineam Ecclesiæ, vel in vineam religionis, vel in vineam proprii cordis, ut ibi crescat vinum compunctionis, et devotionis, et gratiæ Spiritus sancti. ¹⁴ « Musto pleni sunt. » Horæ ergo operandi non te, miser homo, transeant. Attende denarium; attende fidelissimum operis tui remuneratorem; attende strictissimum horarum monitorem, operum omnium tuorum computatorem. Bernardus ¹⁵: « Sede, computa quid diebus singulis valeas acquirere, certus quidem apud Deum nullum bonum irremuneratum, et, sicut nec capillum de capite, sic non momentum de tempore periturum. »

De tertia ¹⁶: « Venit hora, ut (b) omnis, qui interficit vos, » etc. In hac hora homo debet esse patiens et constans, sicut Apostolus ¹⁷: « Usque in hanc horam et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, » etc. Non solum autem ab homine, sed a diabolo colaphizantur justi ¹⁸: « Datus est mihi stimulus carnis, qui me colaphizet, » etc. In hora tribulationis semper opponendum est scutum orationis, exemplo Christi ¹⁹: « Orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora. » Sem-

¹ I *Thess.*, IV, 15. — ² IV *Sent.*, dist. XLIII. Vid. huj. edit., tom. VI, pag. 446. — ³ Hunc et tres seq. habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁴ *Joan.*, IV, 52. — ⁵ *Rom.*, XIII, 11. — ⁶ *Ephes.*, V, 14. — ⁷ *Soph.*, I, 15. — ⁸ Ambros. — ⁹ *Gen.*, IX, 21. — ¹⁰ *Ephes.*, V,

18. — ¹¹ *Matth.*, XXII, 12. — ¹² *Ibid.*, XX, 3. — ¹³ Greg., hom. XIX, n. 2. — ¹⁴ *Act.*, II, 13. — ¹⁵ Bern. — ¹⁶ *Joan.*, XVI, 2. — ¹⁷ I *Cor.*, IV, 11. — ¹⁸ II *Cor.*, XII, 7. — ¹⁹ *Marc.*, XIV, 35.

(a) *Cæt. edit.* descendit. — (b) *Item* quod.

per respice speculum tuum, respice et præmium tuum. Bernardus¹: « Utrumque mihi es, Domine, et speculum patiendi, et præmium patientis (a). Utrumque fortiter provocat, ac vehementer accendit. »

De quarta²: « Petrus et Joannes ascende-
bant in templum ad horam orationis no-
nam, » etc. Sed quia parum valet oratio,
nisi sit intus devotio, ideo dicitur de hac³:
« Sorte exiit, ut incensum poneret, ingres-
sus in templum Domini: et omnis multitudo
populi erat (b) orans foris hora incensi. »
Populus extra orabat, et Zacharias intus in-
censum ponebat. Ita enim debet esse vocalis
oratio, ut intus incendatur mentalis devotio,
ne impropere Dominus nobis illud⁴: « La-
biis suis glorificat me, cor autem ejus longe
est a me. » Dicitur ergo: *Hora septima*,
etc., in qua significatur hora conversionis:
qui enim convertitur, a languore curatur (c).
Item hora fatigationis Christi⁵: « Jesus au-
tem fatigatus ex itinere, sedit desuper fon-
tem: hora autem erat quasi sexta. » Et hic
significatur hora operationis, per quam ho-
mines sæpe fatigantur. Utinam super fontem
recreentur! Item hora passionis⁶: « Erat au-
tem parasceve, hora quasi sexta. » Item com-
mansionis⁷: « Venerunt et viderunt ubi ma-
neret, et manserunt ibi die illa, hora autem
quasi decima. » Item hic signatur hora
devotionis et contemplationis, qua in Jesu,
vel mente manemus. Bene autem in omni-
bus prædictis horæ numeratæ ponuntur, ut
scias quod et conversionum, et actionum,
et passionum, et devotionum nostrarum,
omnes horæ diligenter apud Deum compu-
tantur. Igitur nulla momenta temporis per
annum transeunt sine statu retributionis.

DOMINICA XXI POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS.

*Serve nequam, omne debitum dimisi tibi*⁸,
etc. In his verbis tria ostenduntur, videlicet

¹ Bern., in Cant., serm. XLVII, n. 6. — ² Act., III, 1. — ³ Luc., I, 9-10. — ⁴ Isa., XXIX, 13. — ⁵ Joan., IV,

humanæ exactionis iniquitas, divinæ di-
gnationis liberalitas, intentæ orationis uti-
litas.

Primum ostenditur, cum dicitur: *Serve nequam*. Triplicem autem nequitiam repre-
hendit Dominus in Evangelio. Primo enim
homo nequam est contra semetipsum, scilicet
male vivendo, et sic animam suam dam-
nando⁹: « Zizania autem sunt filii nequam. »
Zizania sunt omnes, qui in agro Ecclesiæ ca-
rent fructu bonæ vitæ. In hoc certe nequam
facti sunt in semetipsis¹⁰: « Qui sibi nequam
est, cui alii bonus erit? » Secundo nequam
est contra proximum, ipsum persequendo.
De hoc dicitur hic: *Serve nequam*, etc. Pe-
riculum hujus nequitiae patet in hoc Evan-
gelio præsentî. Regis enim, id est Christi,
gravissimam offensam dicitur incurrisse,
qui proximo suo noluit parcere. Augustinus¹¹:
« Non poterat habere concordiam cum
Christo, qui discors voluit esse cum proxi-
mo. » Tertio homo nequam est contra Deum,
ejus judicia vel facta reprehendendo; sicut
ille, cui dicitur¹²: *An oculus tuus nequam est,*
quia ego bonus sum? O quot adhuc hodie,
nunc bonitatem Dei, nunc veritatem, nunc
severitatem reprehendunt! Contra quod di-
*citur*¹³: « Nec cogitavit adversus Deum ne-
quissima. » Nequam enim est cogitatio ho-
minis contra seipsum; nequior contra proxi-
mum; nequissima contra Deum. Neque
mirum: tales enim nequissimum habent
patrem, de quo¹⁴: « Possitis omnia tela ne-
quissimi ignea, » etc. » Quid ergo mirum,
si nequissimi dæmones nequissimos habent
filios?¹⁵ « Nequissimi filii eorum, » etc.

Secundo ostenditur divina liberalitas,
cum subjungitur: *Omne debitum dimisi*
tibi. Mira liberalitas! non partem, sed to-
tum; non centum, non mille, sed decem
millia talenta, id est, innumerabiles reatus

6. — ⁶ Ibid., XIX, 11. — ⁷ Ibid., I, 39. — ⁸ Matth.,
XVIII, 32. — ⁹ Ibid., XIII, 33. — ¹⁰ Eccli., XIV, 5. —
¹¹ August. — ¹² Matth., XX, 15. — ¹³ Sap., III, 14. —
¹⁴ Ephes., VI, 16. — ¹⁵ Sap., I, 12.

(a) Cæc. edit. patiendi. — (b) Item multitudo pro-
perat. — (c) Item procuratur.

contra decem præcepta contractos, tam facilliter dimittit petenti. Ait enim : *Omne debitum*, etc. Sed attende, homo, debitum tuum in mundo, in inferno, in cælo. Primum est debitum iniquitatis, quod solvitur pœnitendo, orando, ignoscendo. Unde quotidie clamamus ¹ : « Dimitte nobis debita nostra, » etc. Isidorus ² : « Frustra sibi propitiari Deum quærit, qui cito placari in proximum negligit. » Secundum est debitum æternæ calamitatis, quod redditur luendo et patiendo æternaliter in gehenna. Unde in præsentis evangelio dicitur ³ : *Iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum*. Tertium est debitum charitatis ⁴ : « Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. » Hoc redditur plenissime in cælo, ubi tu ⁵ « diliges Dominum Deum tuum, » etc., « proximum tuum, sicut teipsum. » In præsentis vita hoc debitum reddere incipiamus, opera charitatis, pietatis exercendo ⁶ : « Declina pauperi aurem sine tristitia, et redde debitum tuum. » Nota ergo, quod primum debitum dimittitur; secundum solvitur; tertium vero, quanto plus redditur, tanto minus dimittitur : sive enim reddatur debitum (a), charitas nunquam dimittitur etiam in damnatis.

Tertio ostenditur orationis utilitas, cum dicitur : *Quoniam rogasti me*. Utilis (b) tibi videtur rogatio, per quam decem talenta, imo decem denarios posses obtinere; quanto utilius ergo rogat ille, cui decem millia talenta condonantur? In rogando autem, sive orando, tria attendere debes : primo, loci et temporis opportunitatem, ut nunc in mundo et in hac vita roges, non in inferno post hanc vitam, sicut ille damnatus, de quo ⁷ : « Rogo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei, » etc. Ecce inutiliter pro fratribus rogat in inferno, qui utilius rogasset pro seipso in mundo. Secundo attendas mediatorum idoneitatem. In rogando enim debes

habere bonos mediatores ⁸ : « Legationem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt. » Legati nostri ad cælum sunt lacrymæ, eleemosynæ, orationes, bona opera. Gregorius ⁹ : « Relinquit omnia, qui potest; qui autem non potest, cum adhuc rex non longe est, legatos mittat, lacrymarum, eleemosynarum, hostiarum munera afferat. » Tertio utilitatem attende, de qua hic dicitur : *Omne debitum dimisi tibi*, etc. Hoc ergo verbo Dominus nos incitat ad rogandum. Gregorius ¹⁰ : « Vult placari precibus, qui scit quod portari non possit iratus. »

SERMO II.

Serve nequam, omne debitum ¹¹, etc. Quatuor malos servos damnat Dominus in Evangelio, videlicet servum jussa dominica spernentem, terrena debita extorquentem, spiritualia luca negligentem, carnalia desideria exquirentem. In primo, inobedientia; in secundo, invidia; in tertio, negligentia; in quarto, concupiscentia damnatur.

De primo ¹² : « Ille autem servus, qui congnovit voluntatem domini sui, et non se preparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, plagis vapulabit multis. » Voluntas Dei nostri est, ut mandata ejus faciamus, et sancte vivamus ¹³ : « Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. » Qui hanc non facit, plagis multis in mundo, multis in judicio, multis in inferno vapulabit. Multis utique plagis in mundo vapulabunt non solum ab hominibus ipsum divino judicio affligentibus, sed etiam ab angelis : sicut Heliodorus a duobus juvenibus mirabiliter apparentibus plagatus est, de quo ¹⁴ : « Ex utraque parte flagellabant (c) sine intermissione, multis plagis verberantes. » Item et multis plagis a Christo in judicio ¹⁵ : « Corripiam vos septem plagis propter peccata vestra. » Septem plagis corripuntur, qui sex increpatione

— ⁹ Greg. — ¹⁰ Id. — ¹¹ *Matth.*, xviii, 32. — ¹² *Luc.*, xii, 47. — ¹³ *1 Thess.*, iv, 3. — ¹⁴ *1 Mach.*, iii, 26. — ¹⁵ *Levit.*, xxvi, 28.

(a) *Suppl.* sive non. — (b) *Cæt. edit.* Utilitas. — (c) *Cæt. edit.* flagellabant.

¹ *Matth.*, vi, 12. — ² *Isid.* — ³ *Matth.*, xviii, 34. — ⁴ *Rom.*, xiii, 8. — ⁵ *Deut.*, vi, 5; *Matth.*, xxii, 37. — ⁶ *Eccli.*, iv, 8. — ⁷ *Luc.*, xvi, 27. — ⁸ *Luc.*, xiv, 32.

nibus, pro sex operibus misericordiæ omis-
sis, et sententia damnationis feriuntur. Item
multis plagis in inferno a dæmonibus; unde
hic dicitur ¹: « Plagis vapulabit multis. »
Si pensares plagas æternas, leviter pro pec-
catis ferres plagas transitorias. Gregorius ²:
« Intende animo quascumque sæculi pœnas,
quosecumque tormentorum dolores, quas-
cumque dolorum acerbitates; compara hoc
totum gehennæ, et leve erit omne, quod
pateris. »

De secundo dicitur hic: *Serve nequam*, etc.
Ecce patet quam periculosum sit nolle ignos-
cere proximo. Per hoc enim gehenna ac-
quiritur, sicut hic patet. Item gratia impe-
ditur; unde ³: « Si offers munus tuum ad
altare, » etc. Glossa: « Prius charitatem pro-
ximo exolvat, qui munus suum Deo placere
optat. » Vides ergo quod munera operum
tuorum non sunt acceptabilia Deo, quamdiu
non reconciliaris proximo. Item Ecclesia
scinditur, quæ est tunica Domini inconsu-
tilis. Unde rancerosi pejores videntur cru-
cifixoribus, qui dixerunt ⁴: « Non scinda-
mus eam, » etc. Immo non solum tunicam,
sed etiam membra corporis Christi scin-
dunt; quod crucifixo non fecerunt. Vides
ergo quam periculosum sit odium fratrum.
Unde Isidorus ⁵: « Odium a regno Dei se-
parat, a cælo subtrahit, a paradiso ejicit te
in tenebras exteriores. »

De tertio ⁶: « Serve male et piger, scie-
bas quia meto, ubi non semino, » usque
ibi: « in tenebras exteriores. » Hoc dicitur
de servo, qui eum pecunia domini sui nihil
lucratus est. Ecce quam periculosum sit de
bonis a Deo acceptis, videlicet de gratia, de
scientia, de potentia, de tempore, de bonorum
operum luera non augere. Damnatur enim
qui non facit fructum de tribus bonis, vide-
licet 1. de bonis spiritualibus, quod hic per
pecuniam significatur. Item 2. de naturali-

bus ⁷: « Omnis arbor, quæ non facit fruc-
tum, » etc. Arbor enim ex natura sua fruc-
tum facit, non tamen sine solis beneficio; sic
fructus meritorum ex bonis naturalibus non
sine dono gratiæ facimus. Item 3. de tem-
poralibus ⁸: « Esurivi, » etc. Male ergo sua
temporalia acceperunt, qui pro temporalibus
damnari meruerunt. Augustinus ⁹:
« Dat Deus ista temporalia quibusdam bona
eorum, secundum altitudinem et profundi-
tatem consiliorum suorum. »

De quarto ¹⁰: « Si dixerit malus ille ser-
vus in corde suo: Moram facit Dominus
meus venire; et cœperit percutere conser-
vos suos, manducet autem, et bibat cum
ebriosis: veniet dominus servi illius die
illa, qua non sperat, et hora, qua ignorat,
et dividet eum, partemque ejus cum hypo-
critis ponet. » Ecce quia non solum ebrio-
sum esse, sed etiam ebriorum socium esse
periculosum est. Psalmista ¹¹: « Cum per-
verso perverteris. » Carnalis ergo servus in
morte, vel in judicio imparatus invenitur.
Unde dicitur: *In die qua non sperat.* ¹² « Vi-
gilate itaque (a), quia nescitis diem, » etc.
Item a salvandis dividetur: Unde ait: *Divi-
det eum*: certe sic, et a patre, et a fratre, et
ab aliis proximis ¹³: « Ipse inter fratres divi-
det. » Item damnatis conjungetur; unde ait:
Partemque ejus cum hypocritis (b) ponet,
cum quibus pars illa habebitur, de qua
Psalmista ¹⁴: « Ignis, sulphur, spiritus pro-
cellarum, » etc.

SERMO III.

Omne debitum dimisi tibi ¹⁵. Debitum cul-
pæ, debitum gehennæ dimittitur condonanti
elementer, amanti ferventer, roganti dili-
genter, tolerantia patienter.

De primo ¹⁶: « Dimittite, et dimittimini. »
Sed tu vis tibi dimitti centum marchas, et
non vis alii dimittere unum denarium, sicut

¹ Luc., XII, 47. — ² Gregor., *Moral.*, lib. XXIII, c. XIX, n. 36, quoad sensum. — ³ *Matth.*, V, 23. — ⁴ *Joan.*, XIX, 21. — ⁵ Isid., — ⁶ *Matth.*, XXV, 26-30. — ⁷ *Ibid.*, III, 10. — ⁸ *Matth.*, XXV, 42. — ⁹ Aug., *de Civit. Dei*, lib. IV, c. XXXIII, quoad sensum. —

¹⁰ *Matth.*, XXIV, 48-50. — ¹¹ *Psal.*, XVII, 27. — ¹² *Matth.*, XXV, 13. — ¹³ *Ose.*, XIII, 15. — ¹⁴ *Psal.*, X, 7. — ¹⁵ *Matth.*, XVIII, 32. — ¹⁶ *Luc.*, VI, 37.

(a) *Cœl. edit.*, utique. — (b) *Item ipso.*

nequam servus. Mira res! ¹ « Homo homini servat iram, et a Deo quærit medelam? » Sed circa dimissionem proximorum attende fructum, attende periculum, attende numerum. Magnus fructus est, quod pro dimissione unius denarii dimittantur tibi mille marchæ ² : « Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra, » etc. Gregorius ³ : « Dimittamus quod debetur nobis, et dimittetur quod debemus nos. » Item attende proprium periculum, quod tibi in servo nequam ostenditur. Videat ergo quilibet, ne contra se petat, cum dicit : *Nobis dimitte debita nostra, sicut et nos*, etc. Augustinus ⁴ : « Unusquisque talem indulgentiam accepturus est a Deo, qualem impenderit proximo suo. » Item attende numerum. Quidam enim dicunt : Libenter dimitterem ei, si tantum bis vel ter offendisset me; sed jam fecit septies vel pluries. Propter illos dicitur ⁵ : « Quoties in me peccabit frater meus, et dimittam ei? » et cætera, usque : « septuagies septies. »

De secundo ⁶ : « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. » Si multum dilexit ille cui decem denarii dimittuntur, quantum diligere debet, cui decem milia talenta dimittuntur? Quanto ergo plus quis peccavit, tanto plus Deum diligat, ut sibi peccata dimittat, vel quia jam dimisit. Optima dilectio : dilectio enim culpam purgat; unde ait : *Remittuntur*, etc. Si ergo multum diligeret, multum remitteretur ⁷ : « Charitas operit multitudinem peccatorum. » Ambrosius ⁸ : « Donatur per gratiam, deletur per sanguinem crucis, tegitur per charitatem. » Item dilectio gratiam multiplicat ⁹ : « In viis justitiæ ambulo, et in medio semitarum judicii, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam : » thesauros utique virtutum et meritorum. Imo seipso

replet Dominus diligentes se ¹⁰ : « Si quis diligit me, » etc., usque : « mansionem faciemus apud eum. » Item dilectio coronam præparat ¹¹ : « Beatus vir, qui suffert tentationem : quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. »

De tertio dicitur hic : *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me*. Ecce magna liberalitas Dei, ecce magna virtus orationis. Orare autem debes dimitti tibi, dimitti amico, dimitti inimico. Ora primo dimitti tibi, ut tibi dimittatur omne debitum. Sed quia Deus peccatum non dimittit, nisi tu peccare dimittas; ideo bene dicitur ¹² : Fili, peccasti? non adjicias iterum; sed pro pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. » Alioquin attende quod Isidorus ait ¹³ : « Nihil proficit oratio, si denuo committatur, unde tantum venia postulatur. » Item ora dimitti amico, sicut Moyses ¹⁴ : « Aut dimitte eis noxam hanc, aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. » Valet autem homini aliena oratio, si adest ipsi aliena contritio. Item de offerente sacrificium pro peccato dicitur ¹⁵ : « Rogabit pro eo sacerdos, et pro peccato ejus, et dimittetur ei. » Sacrificium autem est contritio; Psalmista ¹⁶ : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus, » etc. Item ora dimitti inimico exemplo Christi ¹⁷ : « Dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt, » etc. Sic beatus Stephanus oravit ¹⁸ pro se lapidantibus.

De quarto ¹⁹ : « In tempore tribulationis peccata dimittis eis qui invocant te. » Et cordis contritione; Gregorius ²⁰ : « Flagella honorum aut vitia perpetrata purgant, aut quæ poterant perpetrari futura devitant. » Non solum in tribulatione pœnitentiæ in mundo, sed etiam pœnæ in purgatorio dimittetur reatus peccatorum ²¹ : « Dimissa est iniquitas illius » : Interlinearis : « In bap-

¹ *Eccli.*, xxviii, 3. — ² *Matth.*, vi, 14. — ³ *Greg.*, in *Evang.*, hom. xxvii, n. 9. — ⁴ *Aug.* — ⁵ *Matth.*, xviii, 21-22. — ⁶ *Luc.*, vii, 47. — ⁷ *1 Petr.*, iv, 8. — ⁸ *Ambros.* — ⁹ *Prov.*, viii, 20. — ¹⁰ *Joan.*, xiv, 23.

— ¹¹ *Jac.*, i, 12. — ¹² *Eccli.*, xxi, 1. — ¹³ *Isid.* — ¹⁴ *Exod.*, xxxii, 31. — ¹⁵ *Levit.*, iv, 26. — ¹⁶ *Psal.* l, 19. — ¹⁷ *Luc.*, xxiii, 39. — ¹⁸ *Act.*, vii, 59. — ¹⁹ *Tob.*, iii, 13. — ²⁰ *Greg.*, *Moral.*, lib. xvi, c. xlii, n. 52. — ²¹ *Isa.*, xl, 2.

tismo, vel in martyrio. » ¹ « Suscepit de manu Domini duplicia, » scilicet supplicia pro omnibus peccatis, » scilicet de Jerusalem. Jerusalem autem Ecclesiam signat, quæ pro peccatis supplicia suscepit, quando in membris ejus, et in mundo, et in purgatorio Deus ipsam affligit. Ex prædictis ergo patet quod specialiter in triplici tribulatione, videlicet per spiritum contritum, per martyrium, per purgatorium dimittitur reatus peccatorum.

SERMO IV ².

Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me ³. Quoniam malignitatis est denegare alteri, quod sibi petit exhiberi; hinc est quod Dominus noster istum servum nolentem sui conservi misereri, qui ad suam petitionem mernit totius debiti condonationem, dure reprehendit eum in verbo proposito, cum dicit: *Serve nequam*, etc. Ubi discrete procedit. Nam primo increpat excitatam nequitiam malignæ operationis; secundo explicat exhibitam misericordiam divinæ propitiationis; tertio indicat debitam indulgentiam alienæ offensionis. Primo ergo cavenda est perpetratio delicti, quia reprehenditur, cum dicit: *Serve nequam*. Secundo petenda est relaxatio debiti, quia conceditur, cum subdit: *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me*. Tertio remittenda est offensio proximi: quod dicitur, cum subinfertur: *Nonne te oportuit misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?*

Primo igitur in verbo proposito increpat perpetratam nequitiam malignæ operationis, et hoc in proximi suffocatione, cum dicit: *Serve nequam*. Incurrit aliquis istam nequitiam, propter quam increpatur, triplici de causa: primo propter malitiam pravæ cogitationis in corde; secundo propter fraudulentiam deceptorie locutionis in ore; tertio propter sævitiam alienæ offensionis in opere.

Primo dicitur aliquis nequam, et increpatur propter malitiam pravæ cogitationis. Unde vere tunc ⁴ « cor nequam gravatur doloribus, » quandoque cogitationis malignitate, judicii falsitate, et suspitionis temeritate, cum propter livorem invidiæ contabescit, affligitur, et tristatur de proximi prosperitate. Et propter hoc dicebat Dominus ⁵: « Ab intus de corde hominum procedunt cogitationes malæ, ira, nequitia, et dolus. » Et de hoc similiter potest exponi illud ⁶: « Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. » Nomine oculi accipitur hic intentio voluntatis, quæ si nequam fuerit, id est, corrupta, hoc totum, quod procedit inde, viciatum est et malum, sicut rami et fructus mali judicantur, qui procedunt ex radice vitiata.

Secundo increpatur quis, et dicitur nequam aliquando propter fraudulentiam deceptorie locutionis in ore. Unde in Psalmo ⁷: « Firmaverunt sibi sermonem nequam. Dixerunt ut absconderent laqueos. » *Firmaverunt sibi sermonem nequam* per detractionis et infamationis assuetudinem. Unde aliqui tantum assuescunt quotidie detractioni et infamationi, et ita firmant propositum in eis, ut vitium vertatur in naturam. *Dixerunt* per mutæ voluntatis insinuationem, *ut absconderent laqueos*, quod fit, quando alios sub simulatione zeli justitiæ, et spiritu sanctitatis vitæ, propter fraudulentiam et dolum infamant, lædunt et damnificant. Et quia innocentes frequenter incidunt in istos laqueos, ideo dicitur ⁸: « Beatus qui tectus (a) est a lingua nequam. » Sed certe horribile est, et omni abominatione dignum, quod isti detractores et infamatores, qui sciunt abscondere istos laqueos fraudulentie et doli, ut alios venentur, et capiant nequiter per famæ denigrationem, personæ læsionem, et rerum damnificationem, sunt communiter in amicitia magna-

— ⁵ *Matth.*, xv, 19. — ⁶ *Ibid.*, vi, 23. — ⁷ *Psal.* LXIII, 6-7. — ⁸ *Eccli.*, xxviii, 23.

(a) *Cæt. edit.* rectus.

¹ *Isa.*, xl, 2. — ² Hunc non habet edit. Paris. an. 1521. — ³ *Matth.*, xviii, 32. — ⁴ *Eccli.*, iii, 23.

tum, et prælatorum. Unde talibus prælatis, qui eos libenter audiunt, et recipiunt, dicitur ¹ : « Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam, » etc. Et ideo est, quia prælatis, qui libenter recipiunt a dextris adulatores, et a sinistris detractores, murmuratores et infamatores, Deo odibiles, etiam zelo justitiæ ducti frequenter persequuntur bonos, lædunt innoxios, et damnificant justos, arbitantes se obsequium præstare Deo, exemplo Sauli, qui etiam zelo justitiæ, ignoranter persequatur ² veros apostolos, credens (a) se obsequium præstare Deo.

Tertio dicitur quis nequam, et interpretatur, propter sævitiam alienæ offensionis in opere. Et de hoc dicitur ³ : « Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis : dereliquerunt Deum, blasphemaverunt sanctum Israel. » *Vae genti peccatrici*, seipsum (b) nequiter ordinando ; *populo gravi iniquitate*, alios in opere crudeliter lædendo. Et bene *gravatur homo iniquitate*, quando peccat deordinando seipsum, et postea studet peccare in proximum, lædendo eum. Et propter hoc dicit Augustinus ⁴ : « Nullus malus lædit alium in persona, nisi prius lædatur in conscientia. » *Semini nequam*, in vitiis et peccatis nascendo, et crescendo. *Filiis sceleratis*, diabolum imitando. *Dereliquerunt Deum*, ab ipso se avertendo. Unde dicit (c). Tunc aliquis blasphematur, et vituperatur sanctum Israel, id est, Christum, quando ad (d) ejus misericordiam, peccata et illicita perpetratur.

Secundo in verbo proposito explicat exhibitam divinæ propitiationis misericordiam, et hoc in debita condonatione, cum subdit : *Omne debitum dimisi tibi*. Propitiatur Deus alicui ratione suæ misericordiæ, et dimittit debitum, primo propter vehementiam dolorosæ contritionis ; secundo propter diligentiam puræ confessionis ; tertio propter æqui-

pollentiam condignæ satisfactionis. Primum est in affectu ; secundum in affatu ; tertium in effectu.

Propitiatur Deus, et dimittit debitum propter vehementiam dolorosæ contritionis in affectu ; de hoc enim potest accipi illud Psalmi ⁵ : « Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt : de necessitatibus meis, » etc. « Vide humilitatem meam, et laborem meum, et dimitte universa delicta mea, » inquit propheta in persona viri contriti. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt* per dolorosam cordis contritionem, secundum manifestationis cognitionem : *de necessitatibus meis*, scilicet bonorum spiritualium, *erue me* per charismatum divinorum infusionem. Vel aliter : *De necessitatibus meis*, scilicet difficultatis ad bonum, et promptitudinis ad malum, quas incurrit homo merito primæ prævaricationis, *erue me* per adjuvantis gratiæ infusionem. *Vide humilitatem meam*, quantum ad oris confessionem in ipsum accusando, et peccatum proprium aggravando, contra aliquos qui propter superbiam in confessione seipsos justificant, propria peccata alleviant, et aliena gravant : *Et laborem meum*, quantum ad operis satisfactionem : et tunc, et non aliter, *dimitte universa delicta mea* per benignam condonationem.

Secundo propitiatur, et dimittit delicta propter diligentiam puræ confessionis in affatu. Huic convenit quod dicit Psalmus ⁶ : « Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. » Loquitur propheta in persona confidentis sua peccata Deo, cum dicit : *Delictum meum cognitum tibi feci*, scilicet quod erat occultum, tuo vicario, scilicet sacerdoti, manifestando, *et injustitiam meam non abscondi*, peccata mea dimidiando, vel alleviando. Nam illi abscondunt injustitias, et peccata

¹ Eccli., xxviii. 28. — ² Act., ix, 1. — ³ Isa., i, 2. — ⁴ August. — ⁵ Psal., xxiv, 17, 18. — ⁶ Psal., xxxi, 5, 6.

(a) Cæt edit. credentis. — (b) Forle leg. seipsam. — (c) Suppl. : *Blasphemaverunt*. — (d) Leg. ob vel adversus.

sua, qui ne videantur multum peccatores, nolunt dicere omnia peccata sua uni sacerdoti, sed aliqua uni, aliqua alteri, et ita per circumstantias peccata alleviant, ut quasi se potius laudent et excusent, quam vituperentur et accusent. Quod maximum peccatum desiderabat a se removeri bonus David, cum dicebat ¹ : « Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandum excusationes in peccatis. » Et quia licet, ministerio sacerdotis mediante, peccata remittantur, et quia solus Deus est, qui effective peccata potest dimittere, ideo sequitur : *Dixi : Confitebor*, id est, statim ut proposui confiteri, etiam si desit tempus et locus, ut homo non possit recurrere ad confessionem, eo quod in sola contritione, secundum beatum Augustinum ², remittuntur peccata; tunc in tali casu tu, Deus, et non alius, remisisti impietatem peccati mei. Unde statim cum homo proponit confiteri, antequam confiteatur, Deus dimittit peccata. Unde ad confessionem contritus non tenetur propter deletionem peccati, sed tantum propter obligationem præcepti.

Tertio propitiatur Deus, et dimittit delictum propter æquipollentiam condignæ satisfactionis in effectu. Unde in Psalmo ³ : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus. » *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, per veniæ condonationem; *et quorum tecta sunt peccata*, per offensæ satisfactionem. Unde dicuntur peccata tegi, et non apparere, quando homo, secundum offensam, condignam satisfactionem reddit : quia, secundum beatum Augustinum ⁴, « non dimittuntur peccata, nisi restituantur ablata. » *Beatus cui non imputavit Dominus peccatum*, propter pœnitentiæ assumptionem; *nec est in spiritu ejus dolus*, per notitiæ (a) restitutionem. Unde Augustinus ⁵ :

¹ *Psalm.* CXL, 4. — ² *August.* — ³ *Psalm.* XXVI, 1. — ⁴ *August., ad Maced.*, epist. CLIII, n. 20. — ⁵ *Id.* — ⁶ *Ephes.*, IV, 32. — ⁷ *Ambros.*, vel quivis alius, in *Epist. ad Ephes.*, IV.

« Pœnitentia est res optima, quæ omnes defectus ducit ad perfectum. »

Tertio in verbo proposito indicat debitam diligentiam, et hoc in exemplorum exhibitione, cum subinfert : *Nonne ergo oportuit*, etc. Unde quilibet tenetur alii misereri tripliciter : primo ex consideratione suscepti beneficii; secundo ex consideratione divini exempli; tertio ex consideratione æterni supplicii.

Primo tenetur quilibet misereri alteri, et dimittere offensam, ratione suscepti beneficii, et de hoc dicitur in Evangelio : *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me : Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Et iratus Dominus*, etc. Quia detestabile est alteri denegare crudeliter beneficium, quod sibi recognoscit misericorditer exhibitum, propter hoc justum et dignum fuit ut ille, qui noluit alteri misereri ex consideratione beneficii accepti, in consideratione delicti increpetur, et tanquam indignus suscepto beneficio expolietur. Unde merito Deus, quod exhibuerat per misericordiam, repetit per justitiam. Et hoc est quod dicit Ambrosius super illud ad Ephesios ⁶ : *Estote invicem misericordes*, etc. ⁷ « Si enim Dominus per filium suum servorum misertus est, quanto magis servi ipsi invicem sui debent misereri, et donare, si alter in alterum peccet? Hæc præcepta sunt ejus, qui miseratus est : qui si in his contemptus fuerit, sine dubio revocabit sententiam, per quam misericordiam dederat. »

Secundo tenetur quilibet misereri, et dimittere alteri ex consideratione divini beneficii. Et hoc est quod dicitur : *Estote invicem misericordes, benigni, condonantes invicem, sicut et Deus in Christo nobis (b) donavit*. Apostolus ut facilius alliciat ad condonandum invicem offensam, inducit quoddam rationabile motivum, scilicet divinum exemplum misericordiæ elementer condonantis delicta, cum dicit : *Estote misericor-*

(a) *Leg.* per justam ablata. — (b) *Vulg.* vobis.

des, non prorumpendo in iram interius in animo; *benigni*, non irrogando injuriam exterius in verbo; *condonantes invicem*, non assumendo vindictas celeriter in facto, *sicut et Deus in Christo donavit nobis* (a). Quasi diceret: Hoc debetis facere per (b) exemplum divinæ misericordiæ, ratione passionis Christi clementer condonantis.

Tertio tenetur quilibet misereri, et dimittere alteri, ex consideratione æterni supplicii. Unde¹: «Judicium sine misericordia erit illi, qui non fecerit misericordiam.» Tota illa judicialis sententia, et iudicii discussio erit secundum exhibita, et non exhibita opera misericordiæ, quæ est in consideratione alienæ offensæ. Et hoc est quod dicitur²: «Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est: nolite condemnare, et non condemnabimini.» Et vere qui nolunt esse misericordes aliis, secundum quod Deus est misericors eis, in quo enim (c) iudicio alios iudicant et damnant, ipsi iudicabuntur, et damnabuntur. Rogemus, etc.

DOMINICA XXII POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS.

*Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritatem doces*³. Quia majori laudi attestatur non solum commendari ab amicis, verum etiam ab inimicis; ideo non debet nos movere quod in Evangelio miseri Judæi ipsam veritatem Dominum nostrum ore confitentes, non tamen corde diligentes, extollant, cum dicunt in verbo proposito: *Magister, scimus, quia verax es*, etc. In quo quidem verbo extollunt, et commendant: primo ab officii dignitate; secundo a dicti soliditate; tertio a documenti utilitate. Ratione primi est humiliter reverendus; ratione secundi, firmiter credendus; ratione tertii, sinceriter diligendus. Primo, inquam, extollunt et commendant eum a venerabili

dignitate officii, cum dicunt: *Magister*. Secundo, a credibili soliditate dicti, cum subdunt: *Scimus quia verax es*. Tertio, ab amabili utilitate documenti, cum subinferunt: *Et viam Dei in veritate doces*.

Dicunt ergo Judæi: *Magister*: ubi primo commendatur Christus a dignitate officii, propter quam est humiliter reverendus. Ista dignitas officii Dei nostri apparet propter tria, quæ excellenti modo habet in ipso. Nam primo habet luculentiam claritatis scientiæ, in cognoscendo infallibiliter; secundo efficaciam virtuositatis facundiæ, in exprimendo utiliter; tertio eminentiam sanctitatis vitæ, in merendo salubriter. Et hæc tria sunt necessaria cuilibet docenti et prædicanti, scilicet scientia regulans, facundia exprimens, et vita utrumque confirmans. Nam docere, sive prædicare sine scientia regulante, est periculosum; sine facundia exprimente, est infructuosum; et sine vita utrumque confirmante, est ignominiosum.

Primo igitur Christus, tanquam excellens magister, ratione dignitatis officii est humiliter reverendus, quia habet luculentiam claritatis in cognoscendo infallibiliter: ratione cujus per excellentiam dicitur de ipso⁴: «Non vocemini magistri super terram: unus est enim magister vester.» Unde nullus debet vocari et dici magister, nisi solus Christus. Et ratio est, quia nullus potest dicere res esse (d) scibiles alteri, nisi sit immutabilitas ex parte scibilis, certitudo sive infallibilitas ex parte scientis. Omne enim quod scitur, secundum Philosophum⁵, necessarium est in se sine mutabilitate, et certum est ipsi scienti. Tunc enim scimus, cum causam arbitramur cognoscere propter quam res est, et quoniam impossibile est aliter se habere. Ex parte enim creaturæ eujuscumque non est immutabilitas. Unde cum res habeant esse in proprio genere, et humana mente, et in æterna ratione, et earum esse sit mutabile primo et secundo modo, eo

¹ Jac., II, 13. — ² Luc., VI, 7. — ³ Hunc etiam non habet edit. Paris. an. 1521. — ⁴ Matth., XXI, 16. — ⁵ Matth., XXIII, 8. — ⁶ Arist., *Poster.*, lib. II, c. II, text. 3, et *Phys.*, lib. I, text. 1.

(a) Vulg. *vobis*. — (b) *Lq.* propter. — (c) *Del.* enim. — (d) *Del.* esse.

quod omne creatum vertibile, et immutabilitas solum sit in Filio Dei, qui est ars, et ideo (a) omnium viventium, necessario sequitur quod res scibiles a (b). nullo modo habeant immutabilitatem, nisi prout sunt in Verbo æterno : ergo nullus potest docere, nec etiam facere res fore scibiles vere, nisi adsit Filius Dei.

Secundo, ad hoc ut aliquis possit docere, requiritur certitudo et infallibilitas ex parte scientis, quæ non potest esse ex ea luce, quæ potest obfuscari : et talis est lux intelligentiæ creatæ, et hoc est quod dicit Augustinus ¹ : « Primo sicut terra, nisi luce illustrata, videri non potest, sic quæ in disciplinis traduntur, quamvis verissima nulla dubitatione quisque concedat, credendum est non posse intelligi, nisi a Christo sole spirituali illustraretur. » Merito igitur soli Christo, et non alii, attribuenda est auctoritas officii, ut singulariter unus Magister dicatur, eo quod ipse est fontale principium, et origo cujuslibet scientiæ humanæ. Unde sicut unus est sol, tamen multos radios emittit, sic ab uno Magistro Christo, sole spirituali, multiformes et diversæ scientiæ procedunt : et quemadmodum multiplices et distincti rivuli ab uno fonte egrediuntur, unus tamen est fons, qui in tot rivulos sine sui defectibilitate multiplicat, sic ab uno fonte æterno, ab uno pelago infinito, ab uno Magistro Christo sine sui defectibilitate, egrediuntur rivuli diversarum scientiarum.

Secundo Christus habet virtuositatem faciendæ in exprimendo utiliter, sicut patuit in ratione, quam fecit legisperitis ² : « Interrogavit eum unus legis doctor tentans eum : Magister, quod est majus mandatum in lege ? Ait illi Jesus : Dominum Deum tuum diliges ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua. » Miseri Judæi, ipsam veritatem confitentes, nec tamen eam diligentes, veniunt ad eum, et interrogant non de-

siderio addiscendi, sed studio tentandi : et quia quæstionem bonam proponebant, quamvis eorum malitia non exigeret, rationem veram audire meruerunt : *Diliges Dominum Deum tuum*, etc. Quod exponit sic Augustinus ³ : « *Ex toto corde tuo*, id est, intellectu sine errore : *ex tota anima tua*, id est, voluntate sine contradictione : *ex tota mente tua*, id est memoria sine oblivione. »

Tertio Christus habet eminentiam sanctitatis vitæ in merendo, vel ædificando salubriter. De hoc dicitur ⁴ : « Si ego Dominus et Magister lavi vestros pedes, et vos debetis alter alterius pedes lavare : exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis. » Magna humilitas est ministrare superiori ; major, pari ; sed maxima, inferiori, et perfecta : ergo Dominus noster ad hoc voluit sumere infirmitatem humanam, ut in ea doceret exemplum omnino de perfectione omnis justitiæ, et perfectæ humilitatis, quando voluit ministrare inferiori, lavando pedes rusticorum et piscatorum. Unde Augustinus ⁵ : « Habemus humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum. » Erubescat ergo membrum esse superbum, cum caput sit humile : et quemadmodum exemplum dignum est imitatione, ideo dicitur ⁶ : « Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. »

Secundo in verbo proposito commendatur Christus a dicti soliditate, propter quam est firmiter credendus, cum subdit : *Quia verax es*. Est igitur Christus firmiter credendus ratione suæ veritatis triplici de causa : primo, quia habet veritatem puræ intentionis in cordis cogitatione ; secundo, quia habet veritatem rectæ locutionis in oris eruditione ; tertio, quia habet veritatem honestæ conversationis, in operis ostensione.

Primo credendum est Christo, quia habet veritatem puræ intentionis ; unde ⁷ : « Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium. » *Guttur meum*

¹ Aug. — ² *Matth.*, xxii, 35-37. — ³ Aug. — ⁴ *Joan.*, xiii, 14-15. — ⁵ Aug., serm. ccciv, n. 1. — ⁶ *Matth.*, x, 25 ; *Luc.*, vi, 49. — ⁷ *Prov.*, viii, 7.

(a) *Fortè leg. idea, vel suppl. ex Augustino (de Trinit., lb. Vi, n. 11) plena rationum.* — (b) *Del. a.*

non materialis carnis, cum ad illud non pertineat meditari; sed scrutiniū spiritualis, meditabitur veritatem per simplicitatem intentionis, et puritatem affectionis, relegando de Deo omnem falsitatem vitiositatis et deceptionis, ut sit cor rectum et bene ordinatum : *Et labia mea detestabuntur impium* per rectitudinem veri (a), qua rectitudine zeli carent illi, qui accipiendo personas, maxima peccata illorum, quos carnaliter et private diligunt, non detestantur, imo exensant, et alleviant; sed minima peccata eorum, qui eis displicent, incusant et aggravant. Quod maximum peccatum perversitatis justus David profitetur non esse in se, cum dicit ¹ : « Justitias tuas non abscondi in corde meo, veritatem et salutare tuum dixi. »

Secundo credendum est Christo, quia habet veritatem rectæ locutionis in oris eruditione; et hoc testatur ipsa veritas ² : « Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? » inquit ipse Christus. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* quasi diceret : Nullus, propter immunitatem culpæ totalis, et honestatem perfectionis vitæ. Nam sine peccato conceptus, quia sine virili semine, sed Spiritus sancti virtute : sine peccato natus, quia sanctitate gratiæ repletus : sine peccato conversatus, eo quod ³ « peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. » *Si veritatem dico vobis*, propter plenitudinem scientiæ, qua non possum fallere, nec falli, *quare non creditis mihi*, per intellectus captivationem? quasi diceret : Cum prædicatio alicujus non debeat contemni, nisi ratione multitudinis culpæ, aut ratione dehonestatis vitæ, aut ratione simplicitatis ignorantiae : cum ergo ego habeam immunitatem culpæ, perfectionem vitæ, et plenitudinem scientiæ, deberetis credere, quia ⁴ « ad (b) hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium

perhibeam veritati. » Contra aliquos, qui malunt studere carnali amicitiae, et magnatibus placere, quam assistere veritati et justitiæ, ad hoc ut eleventur et honorentur, cum certe gloriositatis (c) sit dejici cum veritate, quam magnificari cum falsitate.

Tertio credendum est Christo, propter veritatem honestæ conversationis in operis ostensione. Unde ⁵ : « Ego sum via, veritas et vita. » Quia, secundum Gregorium ⁶ : « Ardere est parum, lucere vanum, sed utrumque perfectum. » Ideo Christus, in quo est omnimoda perfectio, inquit : *Ego sum via*, in exemplo per honestatem vitæ; *veritas* in documento, per claritatem sapientiæ; *et vita* in præmio, per æternitatem gloriæ; et sic est Christus *via*, quam vis ire, per exemplum vitæ; *veritas*, quam vis invenire, per documentum doctrinæ; *et vita*, in qua vis manere, per præmium gloriæ. Et ita exponit B. Augustinus, qui super hunc locum ita dicit ⁷ : « Christus est via ad gradiendum, veritas ad inveniendum, et vita ad permanendum. »

Dicit ergo : *Magister, scimus quia verax es* : et sequitur : *Et viam Dei in veritate doces*. Ubi Christus commendatur ab utilitate dicti, propter quam sinceriter est diligendus. Bene Christus sinceriter est diligendus ratione utilitatis istius documenti, propter triplicem rationem, eo quod docet primo veraciter, respectu credentium; secundo delectabiliter, respectu promissorum; tertio efficaciter, respectu agendorum, vel operandorum. Per primum excluditur erroris falsitas; per secundum, orbis volubilitas; per tertium, torporis tepiditas.

Primo docet Christus veraciter, respectu credendorum, contra erroris falsitatem. De hoc dicitur in Psalmo ⁸ : « Dirige me in veritate tua, et doce me, quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui toto die. » Fidelis inquit propheta David, in persona cujuslibet

¹ *Psal.* XXXIX, 11. — ² *Joan.*, VIII, 46. — ³ *I Petr.*, II, 22. — ⁴ *Joan.*, XVIII, 37. — ⁵ *Ibid.*, XIV, 6. — ⁶ *Imo Bern.*, in *Nativ. B. Joan. Bapt.*, serm., n. 3. —

Aug., in *Joan.*, tract. CXIX, et serm. CXLII, n. 1, quoad sensum. — ⁸ *Psal.* XXIV, 5.

(a) *Leg. zeli*. — (b) *Vulg. in*. — (c) *Leg. gloriosius*.

virī : *Dirige me*, per omnem erroris amotionem. Nam ille bene dirigitur, qui omnem errorem, tam intellectus in credendo, quam affectus in diligendo, et etiam effectus in operando, a se excludit. *In veritate tua*, per divini splendoris infusionem, ut amota privatione erroris devii, introducat habitus virtutis fidei. Unde divina veritas nihil aliud est, quam divinus splendor fidei. *Et doce me* per prædicationis, sive lectionis eruditionem : *quia tu es Deus*, creando per potentiam, et ideo admirandus humiliter; *Salvator meus*, redimendo per clementiam, et ideo diligendus sinceriter : *et te sustinui*, serviendo per obedientiam diligenter, *tota die*, continuando per perseverantiam finaliter. Hoc autem perfectum per documentum commendat sanctus David, cum dicebat ¹ : « Beatus quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. »

Secundo docet delectabiliter respectu promissorum contra orbis volubilitatem (a) sive delectabilitatem, et hoc dicitur ² : « Aperiens os suum docebat eos, dicens : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Audiant reverenter clerici et prælati, qui se discipulos Christi gloriantur, unde christiana doctrina sumat exordium : audiant diligenter religiosi, sive Evangelii professores, quale sit evangelicæ perfectionis fundamentum. *Beati*, inquit, *pauperes spiritu* : et propter hoc paupertas, quæ ab omnibus sæculariter viventibus cum timore fugitur, a viris perfectis cum honore vel amore debet suscipi : eo quod tanquam primum fundamentum evangelicæ doctrinæ in præsentī perficit, et consummat, propter quod dicit : *Beati pauperes spiritu*; et tanquam perfectum complementum christianæ vitæ in futuro magnificat, ideo subdit : *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. O sacratissima virtus, et omni laude dignissima paupertas, quis tibi valeat dignas gratiarum laudes impendere, quæ solo tuo com-

mercio terrenos et miseros homines ad tantam honoris excellentiam extollis, ut eos hæredes regni cœlorum instituas! Exponit tamen hoc verbum, *Beati pauperes spiritu*, dupliciter : primo sui reputatione, et tunc pauperes spiritu sunt veri humiles, qui non habent inflatum spiritum, sed quasi nihil se in spiritualibus esse reputant; vel secundo pauperes spiritu, id est voluntarie, non coacte, qui renuntiaverunt rebus mundanis, non coacti necessitate, sed ducti voluntate, ut amota avaritia, quæ est ³ radix omnium malorum, inseratur paupertas, quæ est primum fundamentum omnis boni. Ratione hujus veri documentī, convenit Christo illud ⁴ : « Lex veritatis fuit in ore ejus. »

Tertio docet efficaciter, respectu operandorum, contra torporis tepiditatem : propter quod dicitur in Psalmo ⁵ : « Docebit mites vias suas. » Viæ Domini sunt bonæ operationes, quas Christus in hoc mundo corporaliter exercuit, quæ nomine viarum appellantur, eo quod sicut per viam graditur homo ad propriam civitatem, sic per bonam operationem perducitur homo ad cœlestem patriam : has vias docet Dominus mites interiorius, neminem despiciendo, et humiles exteriorius, neminem offendendo, juxta suum testimonium ⁶ : « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde : » quando suo exemplo erudiuntur ad bene operandum. Nam ⁷ « omnis Christi actio est nostra instructio. » Rogemus ergo Dominum, etc.

SERMO II ⁸.

Ostendite mihi numisma census ⁹. Nummus est anima, quam Dominus maxime in morte examinat, ut imaginem suam quærat. *Ostendite*, inquit. Considerandum autem, quod ostendere debet homo veritatem in prædicatione, iniquitatem in confessione, bonitatem in operatione, Dei imaginem in expiratione.

¹ *Psal.* xciii, 12. — ² *Matth.*, v, 3. — ³ *1 Tim.*, vi, 10. — ⁴ *Malac.*, ii, 6. — ⁵ *Psal.* xxiv, 9. — ⁶ *Matth.*,

xi, 29. — ⁷ Greg. — ⁸ Hunc et quatuor sequentes habet quoque edit. Paris. an. 1521. — ⁹ *Matth.*, xx, 19. — (a) Forte leg. *volubilitatem*.

De primo ¹ : « Populum meum docebunt, quid sit inter sanctum et pollutum, mundum et immundum, ostendens eis. » Ecce doctores debent ostendere quid licitum, quid illicitum, quid virtus, quid vitium. Ut vitium vitetur ostensum, ostendant contra vitium pœnam damnationis. Unde Angelus, qui prædicatorem significat, dicit ² : « Ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, » id est, peccatricis animæ. Item, ut virtus ostensa ametur, ostendant (a) gloriam retributionis, quæ per fructus terræ promissionis significatur. Unde de exploratoribus ejusdem terræ, per quos prædicatores significantur ³ : « Considerata terra, sumentes de fructibus ejus, ut ostenderent ubertatem, intulerunt ad nos, atque dixerunt : Bona est terra, quam Dominus Deus noster daturus est nobis. »

De secundo, dictum est decem leprosis ⁴ : « Ite, ostendite vos sacerdotibus. » *Ostendite*, non abscondite, sicut Adam, qui, cum peccaverat, abscondit se, et ejectus est de paradiso : quidam enim negando, vel dimidiando, vel excusando, aut palliando in confessione se abscondunt. ⁵ « Qui abscondit scelera sua, non dirigitur ; qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea. misericordiam consequetur. » Isidorus ⁶ : « Peccatum tuum proditum cito curatur ; crimen autem tacendo ampliatur. Si ostendis tuam miseriam in confessione, ostendet Dominus suam misericordiam in remissione. » Psalmista ⁷ : « Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, » etc. Si autem non vis ostendere presbytero, ostenderis universis in judicio ⁸ : « Revelabo pudenda tua, et ostendam gentibus nuditatem tuam, » etc.

De tertio ⁹ : « Quis sapiens, et disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. » Semper debet homo aliquid vir-

tutis ostendere, et boni exempli. Et certe ubi castitas, ubi fidelitas, ubi pietas, ubi patientia, ubi charitas, ubi aliqua virtus est, tempore debito se ostendit, etiam, si necesse fuerit, per sanguinem proprium, sicut Christus et sancti martyres ostenderunt. ¹⁰ « Elephantis ostenderunt sanguinem, » etc. Si adhuc non potes per sanguinem ostendere fidem, per dilectionem, ostendas saltem per lacrymarum contritionem. Augustinus ¹¹ : « Sciat se culpabiliter durum, qui deflet damna temporis, vel mortem amici, et dolorem peccati non ostendit lacrymis. » Sed, heu! quidam bona virtutum non ad Dei glorificationem, sed ad sui commendationem ostendunt, sicut signatum est in Ezechia ¹² : « Ostendit eis cellam aromatum, et argenti et auri, et odoramentorum, et unguenti optimi, et omnes apothecas supellectilis suæ, et universa, quæ inventa sunt in thesauris suis, » etc. Et, heu! quia melius sciunt ostendere nequitias, quam virtutes ¹³ : « Rex mente effranatus veniebat, nequiores se patre suo Judæis ostensurus. » Tales autem in inferno conqueruntur illud ¹⁴ : « Virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere. »

De quarto dicitur hic : *Ostendite mihi numisma census*, etc. Interlinearis : « Nummum, qui pro censu solvitur, qui habebat imaginem Cæsaris. Nummus iste est anima ad imaginem Dei facta. » Augustinus ¹⁵ : « Fecisti nos, Domine, » etc. Require supra in sermone : *Inveni drachmam* ¹⁶. Pro isto nummo Christus servivit plus quam triginta annis Deo. In morte diligenter hominis hunc nummum examinat, utrum Dei an diaboli, utrum claram an tenebrosam imaginem habeat. O felix, qui in morte bonum nummum ostendet! Dominus enim ostendet bonum præmium, bonum regnum ¹⁷ : « Ostendit illi regnum Dei. » O infelix, qui sic malum num-

¹ Ezech., XLIV, 23. — ² Apoc., XVII, 4. — ³ Deut., 1, 25. — ⁴ Luc., XVII, 14. — ⁵ Prov., XXVIII, 13. — ⁶ Isid., *De cont. mundi*, pag. m. 328, col. 1. — ⁷ Psal., LXXXIV, 8. — ⁸ Nah., III, 5. — ⁹ Jac., III, 13. — ¹⁰ I Mach., VI, 34. — ¹¹ Imo auctor lib. *de ver. et fals.*

Parit., c. IX, n. 24. — ¹² Isa., XXXIX, 2. — ¹³ II Mach., XIII, 9. — ¹⁴ Sap., V, 13. — ¹⁵ Aug. — ¹⁶ Vid. sup., Dom. III, post Pent., serm. II, pag. 333, col. 2. — ¹⁷ Sap., X, 10.

(a) *Cot. edd.* ostendam.

num, malam animam ostendit! ostendetur enim tunc tormentum per damnationem, quod jam ostensum est per conversationem¹: « Ostendam autem vobis, quem timeatis. »

SERMO III.

*Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo*². Cæsar sollicitus sit pro se; nos autem de iis, quæ Deo reddere debemus. Videamus ergo quadruplicem redditionem. Exigit Deus a peccatoribus primam in mundo, secundam in extremo, tertiam in iudicio, quartam in inferno. In mundo exigit sibi reddi dignam satisfactionem; in extremo, suam imaginem; in iudicio, rectam rationem; in inferno æternam luitionem.

De primo dicitur³, quod cum exegit Rex a quodam decem millia talenta, dixit ille: « Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. » In talento culpæ mortalis debitum significatur: in millenario est abundans numerositas: decem ergo millia sunt decem mandatorum multipliciter transgressorum numerosa debita, quæ satisfaciendo reddere tenemini. O quot sunt qui ad litteram decem millia peccata commiserunt!⁴ « Peccavi super numerum arenæ maris, etc. » Quando autem reddenda sunt peccatorum debita, docet nos Magdalena, quæ lacrymis reddidit quidquid debuit, cujus culparum debita ad quingentos denarios Dominus expressit in parabola de duobus fœneratoribus. Si ergo Magdalena tot lacrymis reddidit quingentorum denariorum debita, quantis reddi deberent fletibus decem millia talenta? Isidorus⁵: « Esto tamen promus ad lamenta. »

De secundo dicitur hic: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, etc. Glossa⁶: « Sicut Cæsar exigit impressionem suæ imaginis, ita Deus animam lumine vultus Dei insignitam. » Hanc imaginem in denario animæ nos maxime oportet reddere in morte. Unde in Psalmo⁷,

ubi legitur, quam *pretiosa sit in conspectu Dei mors sanctorum ejus*, dicitur: « Vota mea Domino reddam. » Glossa: « Meipsum, qui sum imago. Imago enim Dei Deo reddenda est. Bene autem additur: *In conspectu omnis populi*, id est omnium sanctorum, in quorum consortium reddere debemus animam. Utrum autem denarius animæ sit falsus, an non, tunc videbitur, quando de marsupio corporis extrahetur, etc. Si tunc non fuerit aureus, vel argenteus, sed cupreus, vel ferreus, conflabitur in igne gehennæ.⁸ « Omnes isti æs, stannum(a), et ferum, et plumbum in medio fornacis, » etc.

De tertio⁹: « Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii. » Quid erit de factis, ubi ratio reddetur de verbis otiosis? non solum de verbis et operibus, sed etiam de inutilitate beneficiorum naturalium, et corporalium, et spiritualium nobis collatorum rationem reddemus, quæ tanto severius exigetur, quanto diutius differetur, et quanto inutilius talenta Domini multo tempore detinentur.¹⁰ « Post multum vero temporis venit dominus illorum servorum, et posuit rationem cum eis, » etc., et infra¹¹: « Inutilem servum eijcite in tenebras exteriores. » Qui ergo potentiam, qui scientiam, qui divitias, vel aliud in talentum accepit, sive multum, sive parum acceperit, rationem in die iudicii reddet, tantum quippe ab unoquoque nostrum venturus iudex exiget.

De quarto¹²: « Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum eo in via, ne forte tradat te adversarius tuus iudici, et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. » Adversarius est quilibet, cui per discordiam adversaris. Hinc cito consentire debes concordando. Bene dicit: *cito*; Interlinearis: « Nemo enim novit quando de hac vita exeat. » Via est

¹ Luc., XII, 5. — ² Matth., XXI, 21. — ³ Ibid., 26. — ⁴ Orat. Manass., inter apocrypha Bibl. — ⁵ Isid. — ⁶ Gloss. ex Bed., in Matth., XXII. — ⁷ Psal. CXXV, 44.

— ⁸ Ezech., XXXI, 18. — ⁹ Matth., XII, 36. — ¹⁰ Ibid., XXV, 19. — ¹¹ Ibid., 30. — ¹² Matth., V, 25.

(a) Cæt. edit. istius stagnum, sine sensu.

præsens vita, qua ad patriam vel infernum pergimus. Judex est Christus. Minister est diabolus. Carcer est infernus ¹: « Congregantur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere. » Quadrans, dicit Glossa, sunt minuta peccata, quia nihil erit impunitum. Elige nunc, peccator, ubi post reddas debitum, an in mundo, ubi decem millia talenta dimittuntur, an in inferno, ubi neque unus quadrans dimitte- tur. Patet utrumque in servo nequam, cui primo totum dimittitur; postea vero, quoniam non fuit consentiens adversario suo, totum ab eo exigitur ²: « Iratus Dominus tradidit eum tortoribus, » id est, tartareis ministris, dicit Glossa.

SERMO IV.

Cujus est imago, et superscriptio ³? O quam timenda est quæstio hæc, quando in judicio diligenter examinatur anima, cujus imaginem habeat, Dei, an diaboli! Sed attende quod imago Dei triplex est, videlicet naturalis, spiritualis et æternalis.

De primo ⁴: « Faciamus hominem ad imaginem nostram. » Hæc, sicut dicit Augustinus ⁵, consistit in memoria, ratione et voluntate, per quæ tria anima est imago Trinitatis. In hæc trinitate caput est ratio: hoc caput misit Samson ⁶ in sinum Dalilæ, et perdidit vires, et excæcatus est a Philistæis, id est, a dæmonibus. Dalila carnem vel sensualitatem significat, ad quam dum caput rationis nimis inclinatur, a dæmonibus excæcatur. Huic hæc meretrix nimis insidiatur, sicut Herodias ⁷ capiti Joannis per filiam saltatricem, id est, per concupiscentiam lascivientem. Venter hujus imaginis est memoria, quæ est receptaculum animæ. Psalmus ⁸: « Conturbatus est in ira tua oculus meus, anima mea, et venter meus. » Oculus est ra-

tio; anima, voluntas; venter, memoria. In hoc ventre, non serpentes, non vermes vitiornum, sed Dominum portemus ⁹: « Beatus venter, » etc. Pes hujus imaginis est voluntas consentiens, vel dissentiens. Augustinus ¹⁰: « Nemo in potestate habet quid ei in mente veniat. » Sed (a) quod Angelus ¹¹ « posuit unum (b) pedem super mare, alterum (c) super terram: » per mare, in quo porci submerguntur, sicut dicitur ¹², mala vita significatur; per terram, quæ fructum profert, bona vita. Pes irascibilis super mare mitti debet; pes concupiscibilis, super terram, ut vitiis irascamur, virtutes concupiscamus.

De secundo ¹³: « Sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus imaginem cœlestis. » Nota quod cæsarea et regalis imago tribus perficitur, scilicet figura, colore, ornatu regali. Figura pertinet ad imaginem naturalem, de qua jam dictum est; coloratio, ad spirituales; insignia regalia, ad æternalem. Videamus colorem regis cœlestis, cujus imaginem portare debemus. ¹⁴ « Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. Caput ejus aurum optimum: comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigra quasi corvus. » Secundum hunc triplicem colorem debet imago christiana Christo conformari. Bernardus ¹⁵: « Ad humanitatis ejus imaginem oportet nos conformari. » Debemus ergo ad imitationem Christi candidi esse per puritatem in conversatione, rubicundi autem per charitatem, etiam, si necesse fuerit, in sanguinis effusione. De utroque colore dicitur ¹⁶: « Candidiores Nazaræi ejus. » Item nigri debemus esse per humilitatem, semper nosmetipsos vilificando et despiciendo. Sic enim, quantum apud nos simus nigri, tantum apud Deum simus for-

quæ illi visa veniant. » — ¹¹ *Apoc.*, x, 2. — ¹² *Matth.*, viii, 32. — ¹³ *I Cor.*, xv, 49. — ¹⁴ *Cant.*, v, 10-11. — ¹⁵ Bernard. — ¹⁶ *Thren.*, iv, 7.

(a) Videtur sensus propositionis hoc loco interruptus, ita ut conjunctio sed pertineat ad textum Augustini, quem sequi debuisset etc., hoc modo: sed, etc., scilicet: sed consentire visis, vel dissentire, voluntatis est. — (b) *Vulg.* dextrum. — (c) *Item* sinistrum.

¹ *Isa.*, xxiv, 22. — ² *Matth.*, xviii, 34. — ³ *Ibid.*, xxii, 20. — ⁴ *Gen.*, i, 26. — ⁵ August., *de Trinit.*, lib. xiv, c. vi, n. 8, et alias passim. — ⁶ *Judic.*, xvi, per totum. — ⁷ *Marc.*, vi, 25. — ⁸ *Psal.*, xxx, 10. — ⁹ *Luc.*, xi, 27. — ¹⁰ August., *de Gen. ad litt.*, lib. ix, c. xiv, n. 25: « Nec in potestate ullius animæ est,

mosi, etc. Augustinus ¹ : « Tanto pretiosior eris apud Deum, quanto fueris ante oculos tuos despectior. » Et certe Christus hanc nigredinem habuit, quando propter nos humiliatus fuit ² : « Sol factus est niger. » Certe quanto est nigrior, tanto amabilior. Bernardus ³ : « Quanto minorem se fecit Dei Filius in humilitate, tanto se majorem exhibuit in bonitate; et quanto pro me vilior, tanto pro me charior. »

De tertio ⁴ : « Nos vero revelata facie gloriam Domini speculantes, in eadem imaginem transformamur, » etc. Perfecta imago regis non esset is, qui insignia non haberet : ergo æterna claritate imago Dei plena consummatur, quando corona, vel amictu regali decoratur. Hoc significatur in ornatu mulieris, de qua ⁵ : « Mulier amicta sole. » Mulier hæc significat animam beatam, quæ gloriosa insignia regalia habet in regno : habet enim amictu solarem circa se; lunam, sub pedibus suis, id est, infra se; coronam duodecim stellarum, in capite super se. Primum est æternæ claritatis, secundum est æternæ sublimitatis, tertium est æternæ dignitatis insigne.

DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS.

Domine, filia mea modo defuncta est : sed veni, impone manum super eam, et vivet ⁶. Filia tua est anima tua defuncta per culpam, cui manus Christi imponitur per gratiam. Manus autem imponenda, id est misericordiæ suæ gratia. Christi operatio facit quatuor in nobis : purgat culpam, reparat naturam, confert gratiam, præparat gloriam.

De primo dicitur hic : *Filia mea modo*, etc. Hujus filiæ suscitatio est animæ peccatricis justificatio, circa quam tria hic significatur, videlicet culpæ propriæ recognitio,

ibi : *Filia mea*, id est, anima mea, utique non alterius. Quidam enim mortem culpæ suæ aliorum animabus imponent, sicut signatum est, ubi una meretricum dicit ⁷ : « Filius meus vivit, et filius tuus mortuus est. » Item festina conversio, ibi : *Modo* : non dicit : Anno præterito, sed : *Modo*. ⁸ « Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te. » ⁹ « Factus est repente, » etc. Væ ergo illi, cujus anima non modo, sed ante annum, imo ante triginta, vel quadraginta annos defuncta est, et adhuc non petit eam suscitari. Quantis lacrymis, et orationum clamoribus suscitanda est anima mortua quadraginta annis, ex quo lacrymis et clamore Christi suscitatur Lazarus ¹⁰ quatuor diebus defunctus! Item veniæ postulatio, ibi : *Impone manum*, etc. O virtus et gratia hujus manus! ¹¹ « Extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens : Volo, mundare. »

De secundo ¹² : « Imposuit illi manum, et confestim est erecta : » dicitur de muliere, quæ ¹³ « habebat spiritum infirmitatis decem et octo annis, et erat inclinata, neque omnino poterat sursum aspicere. » Mulier hæc est anima peccatrix. Sed nota quod ait Bernardus ¹⁴ : « Redituris ad patriam, tria nobis necessaria sunt : velle, posse, nosse. » Anima ergo peccatrix infirma est quoad posse, inclinata est quoad velle, sursum non respicit quoad nosse. Vel infirma est quoad spiritualia, inclinata quoad corporalia, sursum non respicit quoad terrena. Vel infirma est in opere; Psalmista ¹⁵ : « Infirmata est in paupertate, » etc. Inclinata est in affectione ¹⁶ : « Inclinata est ad mortem domus ejus, » etc. Sicut enim anima per virtutes erigitur Deo, ita turbatur per peccatum, et inclinatur diabolo. Unde dæmones dicunt ad animam ¹⁷ : « Incurvare, ut transeamus. » Item sursum non respicit in

¹ Imo auctor serm. cxcvii, n. 1, inter spuria Aug., Append. tom. V. — ² Apoc., vi, 12. — ³ Bern., in Epiph. Dom., serm. 1, n. 2. — ⁴ II Cor., iii, 18. — ⁵ Apoc., xii, 1. — ⁶ Matth., ix, 18. — ⁷ III Reg., iii, 22. — ⁸ Eccli., v, 8-9. — ⁹ Act., ii, 2. — ¹⁰ Joan.,

xii, 39. — ¹¹ Matth., viii, 3. — ¹² Luc., xiii, 13. — ¹³ Ibid., ii, 11. — ¹⁴ Bern. — ¹⁵ Psal. xxx, 11. — ¹⁶ Prov., ii, 8. — ¹⁷ Ex Isa., li, 23.

intentione, contra illud Psalmi ¹ : « Ad te levavi oculos meos. » ² « Sapientis oculi in capite ejus, » id est, Christo.

De tertio ³ : « Oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret. » Interlinearis : « Ut eis manu et voce benediceret. » Ecce quibus benedictio gratiæ confertur, quia parvulis et humilibus. Nota ergo quod humilibus datur licentia accedendi. Unde ait ⁴ : « Sinite parvulos venire ad me. » ⁵ « Sinite illam, » etc. Glossa ⁶ : « Imponit parvulis manus, quando humilibus dat gratiam. » Item fiducia perveniendi; unde ait ⁷ : « Talium est regnum cælorum. » Item gratia perficiendi; unde ait ⁸ : « Cum imposuisset eis manus, » etc. ⁹ « Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. » Quomodo enim per parvum ostium intrare possumus, nisi parvi fuerimus? Ostium cæli parvum humilitate est; si sano capite voluerimus intrare, debemus caput dimittere.

De quarto ¹⁰ : « Iterum imposuit manus super oculos ejus, et cœpit videre, et restitutus est, ita ut clare videret omnia. » Bis isti cæco Christus imposuit manus: primo, et vidit obscure; secundo, et omnia clare. In quo duplex illuminatio significatur: prima, per fidem; secunda, per spem: prima est gratiæ; secunda, gloriæ, in qua anima omnia clare videt. Igitur qui Creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quod videre non possint. Sed nota quod huic cæcum Dominus extra vicum duxit, et in oculos ejus expuit, et manus ei imposuit: in quo significatur quod is, quem Christus extra mundanam societatem et vanitatem eduxerit, sputo doctrinæ et sapientiæ linietur: cui manus virtutis et gratiæ imponitur, ille ad illuminationem æternam pervenire poterit.

¹ *Psal.* cxxii, 4. — ² *Eccle.*, ii, 14. — ³ *Matth.*, xix, 14. — ⁴ *Ibid.*, 14. — ⁵ *Joan.*, xii, 7. — ⁶ *Gloss. ex Bed., in Matth.*, xix. — ⁷ *Matth.*, xix, 14. — ⁸ *Ibid.*, 15. — ⁹ *Ibid.*, xviii, 3. — ¹⁰ *Marc.*, viii, 25. — ¹¹ Hunc habet codex Assis. sæc. xiii. — ¹² *Matth.*, viii, 25. — ¹³ *Luc.*, viii, 54. — ¹⁴ *Erod.*, xxiii, 2. —

SERMO II ¹¹.

Cum ejecta esset turba, intravit Jesus, et tenuit manum ejus ¹², et dicit: *Puella, surge* ¹³. In his verbis quatuor considerata occurrunt: turba eicitur, Jesus ingreditur, manus puellæ tenetur, surgere jubetur. Significantur in his quatuor necessaria ad salutem, scilicet ut impedimentum salutis evitetur, ut efficaciter de salute cogitetur, ut voluntas per gratiam ad salutem adjuvetur, ut a peccato anima in salutem justificetur.

Primum significatur ibi: *Cum ejecta esset turba*: turba malæ societatis, quæ sæpe salutem impedit ¹⁴: « Non sequeris turbam ad faciendum malum. » Item nota quod relinquere hanc turbam valet ad remissionem peccatorum. Unde hic, ejecta turba, puella, id est, anima suscitatur. Item ad immissionem donorum ¹⁵: « Apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos, » id est, dona Spiritus sancti, « in auriculas ejus. » Item ad contemplationem divinorum; unde Zachæus, quia ¹⁶ « non poterat Jesum videre præ turba, » etc. Certe si non eijcis a te turbam malorum in mundo, non pervenies ad turbam beatorum in cælo, de qua turba ¹⁷: « Vidi turbam magnam, » etc. Isidorus ¹⁸: « Qui supernam patriam desiderant, non solum malorum mores, sed et consortia fugiant. »

Secundum significatur, cum dicitur: *Intravit*. Cum enim homo, magnitudinem suppliciorum et præmiorum æternorum pensando, de salute animæ suæ efficaciter cogitat, tunc Jesus, qui interpretatur *salus*, domum mentis per gratiam prævenientem intrat. Intrat autem ad suscitandum, ad defensandum, ad convivandum. Intrat ad suscitandum in justificatione, sicut hic significatur. Libenter Jesus intrat in domum mentis, in qua mortuus plangitur. Plange

¹⁵ *Marc.*, vii, 33. — ¹⁶ *Luc.*, xix, 3. — ¹⁷ *Apoc.*, vii, 9. — ¹⁸ *Isid.*

(a) *Cat. edit.* manus et vocis.

ergo mortem animæ tuæ¹ : « Luctum uni-
geniti fac tibi plangitum amarum. » Bernardus² : « Si non plangis, plane non sentis
animæ tuæ vulnera, conscientiæ læsionem. » Intrat ad defensandum in tentatione³ :
« Intravit in animam servi Dei, et stetit
contra reges horrendos, » id est, contra
dæmones, qui regnant in perversis. Un-
de de satana dicitur⁴ : « Ipse enim est
rex super omnes filios superbiæ. » Item ad
convivendum⁵ : « Ecce sto ad ostium, et
pulso. » Melius certe nobis est intrare Do-
minum, quam dæmonium, sicut satanas in-
travit Judam⁶ : « Et post bucellam introivit
in eum satanas. » Uterque tamen ad ostium
pulsat, libenter intrat. Utrique autem non
est aperiendum; Augustinus⁷ : « Claudatur
diabolo, et aperiatur Christo. »

Tertium significatur, cum dicitur : *Tenuit manum ejus*. Sicut enim Jesus intrat
domum per gratiam prævenientem, ita te-
net manum per gratiam subsequentem.
Manum utramque Dominus tenet, dum effi-
caciter bene opera di virtutem præbet.
Quomodo enim homo surgeret (a), aut quid
boni ageret, nisi sic Dominus manum tene-
ret? Augustinus⁸ : « Sine Deo operante, ut
velimus, sine cooperante ut possimus, ad
pietatis opera nil valemus. » Et nota, quod
Deus bonis manum tenet ad surgendum,
ad deducendum et ad sumendum. Tenet Do-
minus manum hominis ad suscitandum eum
de culpa, sicut hic significatur : tenet Do-
minus suscitando, ut teneas amando Domi-
num⁹ : « Tenui illum, nec dimittam. » Tene
ergo Dominum in te per amorem et timo-
rem. Tene te in Domino per amorem^{10,11} : « Si
non in timore Domini tenueris te instanter,
cito subvertetur domus tua. » Item ad dedu-
cendum in gratia; Psalmista¹² : « Manus
tua deducet me » de virtute in virtutem,
« et tenebit me dextera. » Sinistra tenebit te

Dominus per timorem, dextera per amo-
rem¹³ : « Læva ejus sub capite meo, » etc.
Item ad suscipiendum in gloria; Psalmista¹⁴ :
« Tenuisti manum dexteram meam. Et in
voce tua deduxisti me, et cum gloria susce-
pisti me. » Certe quem Dominus non tenebit
ad gloriam, diabolus enim tenebit ad gehen-
nam¹⁵ : « Tenebitur planta ejus laqueo, »
scilicet invidia, avaritiæ et aliorum vitio-
rum.

Quartum ostenditur, cum subjungitur :
Puella, surge. Puella est anima, vel volun-
tas, quæ in justificatione surgit a morte
culpæ¹⁶ : « Surge qui dormis, et exurge a
mortuis. » O anima mortua, vita tibi fertur,
cum dicitur : *Surge*; vere enim surgis a
morte culpæ. Augustinus¹⁷ : « Quibus in hoc
sæculo vita offertur, et nolunt eam recipere,
in inferno quærent mortem, et non inve-
nient. » Et nota, quod surgere debet homo a
peccato voluntatis, a peccato actionis, a pec-
cato consuetudinis. Et hoc per tres mortuos
significatur, de quibus require supra in
sermone : *Resedit qui erat*¹⁸.

SERMO III .

*Confide, filia, fides tua te salvam fecit*²⁰.
Quia consuetudo boni medici est ad confor-
tationem infirmi acceptatæ medicinæ effi-
caciam multipliciter extollendo prædicere,
hinc est quod Dominus noster Jesus Chris-
tus, medicus corporum et animarum, ad
confortationem istius mulieris infirmæ ap-
petentis ab ipso salvari, dignatus est effica-
ciam spiritualis medicinæ, scilicet fidei cu-
rantis omnem languorem, utiliter præos-
tendere, cum dicit in verbo proposito :
Confide, filia, etc. Ubi primo notatur divina
dignatio gratuitæ adoptionis, cum dicit :
Filia; secundo pia compassio virtuosæ ani-
mationis, cum addit : *Confide*; tertio neces-

¹ Jerem., VI, 26. — ² Bern. — ³ Sap., X, 16. —
⁴ Job, XLII, 25. — ⁵ Apoc., III, 20. — ⁶ Joan., XIII,
27. — ⁷ Aug., in Psal. CXLI, n. 4, quoad sensum. —
⁸ Aug., serm. CXCIII, n. 2, quoad sensum. — ⁹ Cant.,
VI, 4. — ¹⁰ Nonnulla huic loco deesse videntur. —

¹¹ Eccli., XXVII, 4. — ¹² Psal. CXXXVIII, 10. — ¹³ Cant.,
I, 6. — ¹⁴ Psal. LXXII, 24, 25. — ¹⁵ Job, XVIII, 9. —
¹⁶ Ephes., V, 4. — ¹⁷ Aug. — ¹⁸ Vid. sup., Dom. XV,
post Pent., serm. II, pag. 424, col. 2. — ¹⁹ Hunc non
habet edit. Paris. an. 1521. — ²⁰ Matth., IX, 22.

(a) *Cat. edit.* singet.

saria instructio suæ curationis cum subjungitur : *Fides tua te salvam fecit.*

Dicit ergo : *Filia* : ubi primo notatur divina dignatio gratuitæ adoptionis : dignatur enim Dominus adoptare quamlibet animam in filiam propter tria, ratione quorum habet assimilari beatæ Trinitati : et primum est splendor cœlestis intelligentiæ; secundum est decor castitatis, et munditiæ; tertium est timor humilitatis, et reverentiæ.

Primo adoptat Deus animam in filiam propter splendorem cœlestis intelligentiæ. Unde dicitur in Psalmo ¹ : « Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet Rex decorem tuum. » Loquitur propheta in persona Patris æterni cuiuslibet animæ in ejus nomine credenti, cum dicit : *Filia*, per adoptionis benevolentiam : *Audi* per mansuetudinis reverentiam : *et vide* per cordis intelligentiam : *et inclina aurem tuam* per operis diligentiam : *et obliviscere populum tuum*, id est, carnales parentes, maxime quando sunt in via Dei parentes contrarii : *et domum patris tui*, temporalis opulentiæ. Et merito, quia ista duo, scilicet inordinatus amor carnalium parentum, et deordinatus ardor temporalium rerum, consueverunt elongare animam a Deo. Quia sine dubio tunc Christus, *Rex* per honoris excellentiam, *concupiscet* per acceptionis complacentiam, *decorem tuum*, quod est per fidei formatæ refulgentiam. O deifica virtus fidei, et omni acceptione digna ! certe quibus te laudibus efferam nescio. Tu enim pro certo es, quæ (a) indignos servos in tantum excessive exaltas, ut Dei filios efficias, juxta illud ² : « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. »

Secundo adoptat Deus animam in filiam propter decorem castitatis, et munditiæ; et de hoc dicitur in Psalmo ³ : « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus; in fimbriis aureis circumamicta varietatibus (b) : » quasi dicat :

Omnis gloria, id est, perfecta gloria per virtutis essentiam, non vana per pompositatis jaclantiam, cuiuslibet christiana, quæ est filia Regis æterni, debet esse non deformis respectu generositatis carnalis, aut pulchritudinis temporalis, vel ornatus exterioris; sed *ab intus* per cordis ordinationem perfectam, *in fimbriis aureis*, quantum ad triplicem virtutem theologiam, fidei scilicet in credendo veraciter, spei in expectando firmiter, et charitatis in diligendo ferventer. Et bene virtutes theologice fimbriis aureis assimilantur : quia sicut illæ sunt in perfectum ornamentum totius vestimenti materialis, sic illæ virtutes sunt ornamentum et complementum cujuslibet virtutis, sive indumenti spiritualis. *Circumamicta varietatibus*, quantum ad virtutum cardinalium quadriformem differentiam, scilicet prudentiæ in eligendo vera, justitiæ in operando bona, temperantiæ in moderando suavia, et fortitudinis in sustinendo mala.

Tertio adoptat Deus animam in filiam propter timorem humilitatis, et reverentiæ; unde dicitur ⁴ : « Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis, filia principis ! » Iste *princeps* regum terræ est Christus Jesus : *filia* dicitur quælibet anima propter timorem humilitatis, et subjaientiæ : *pedes* autem ejus sunt potentia intellectiva, animativa, et operativa : scilicet *gressus* dicuntur cogitationes, affectiones et operationes, quibus animus graditur, et procedit : postremo per *calceamenta*, quæ fiunt de pellibus morticinis, intelliguntur exempla sanctorum qui (c) dormierunt. Unde tunc dicuntur pulchri gressus cujuslibet animæ in calcamentis, quando, quasi calcata et informata exemplis sanctorum, provocatur ad pie cogitandum, reete loquendum, et bene operandum; et talibus itineribus pervenitur ad salutem. Dicit igitur : *Filia*.

Sequitur : *Confide* : ubi secundo notatur pia compassio virtuosæ animationis ex pie-

¹ *Psal.* XLIV, 11. — ² *Joan.*, I, 12. — ³ *Psal.* XLIV, 14. — ⁴ *Cant.*, VII, 1.

(a) *Cœl. edit.* qui. — (b) *Item* varietate. — (c) *Item* quæ.

tate compassionis : animabat enim istam Dominus noster Jesus Christus dicendo ei : *Confide*. Primo scilicet in Filii sapientia, ut illumineris ab errore infidelitatis et ignorantiae. Secundo, in Spiritus sancti clementia, ut purgeris a foetore deformitatis culpae. Tertio, in Patris potentia, ut saneris a languore poenaltatis miseriae. Et haec tria necessario se habent per ordinem. Nam nullus sanatur ab infirmitate poenae, nisi primo illuminetur ab infidelitate ignorantiae, et secundo purgetur (a) a foeditate culpae. Primo ergo dicit : *Confide* in Filii sapientia, ut illumineris ab infidelitatis errore, et ignorantiae. Et de hoc dicitur ¹ : « Qui confidunt in illum, intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi, » inquit Spiritus sanctus. *Qui confidunt in illum*, scilicet Deum, per spei fiduciam in expectando certitudinaliter, *intelligent veritatem* per fidei luculentiam in credendo fideliter, *et fideles in dilectione*, per charitatis benevolentiam in amando finaliter, *acquiescent illi* per operis efficaciam, *serviendi liberaliter, quoniam donum et pax est electis Dei*, per remunerationis abundantiam in recipiendo delectabiliter. Huic convenit quod dicebat Psalmus ² : « Qui confidunt in Domino sicut mons Sion : non commovebitur in aeternum, qui habitat in Jerusalem. » Secundo : *confide* in Spiritus sancti clementia, ut purgeris a foetore deformitatis culpae. Unde dicitur ³ : « Confidens in Domino, quia qui incœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Jesu Christi : » quasi dicat Apostolus : Non diffido intuitu meae fragilitatis, imo confido in Domino consideratione divinae virtutis : quia qui incœpit in nobis bonum propositum per inspirationem gratiae praevenientis, opus bonum perficiet per remotionem culpae insufficientis, ratione cujus nullum opus est bonum in genere gratuiti, nec remuneratione dignum in conspectu Dei. *Perficiet usque in diem Jesu Christi*, per adjutorium gratiae

subsequentis. Unde tanta est humana fragilitas, quod nequaquam potest per se exire in aliquod bonum opus meritorium, nisi gratia humana vota inspiret praeveniando, et prosequatur adjuvando. Tertio *confide* in Patris potentia, ut saneris a languore poenaltatis miseriae. Et de hoc potest accipi illud Psalmistae ⁴ : « Ad te, Domine, levavi animam meam : Deus meus, in te confido, non erubescam. Neque irrideant me inimici mei : etenim universi, qui sustinent te, non confundentur. Confundantur omnes iniqua agentes supervacue. Vias tuas Domine demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. » Inquit propheta : *Ad te, Domine, levavi animam meam*, per mentis devotionem : *Deus meus, in te confido* quantum ad petitionis exauditionem : *non erubescam*, per (b) subventionis denegationem. *Neque irrideant me inimici mei*, id est, daemones, per impatientiae furentis demonstrationem : *etenim universi qui sustinent te* per tribulationis tolerationem, *non confundentur* per desperationis illaqueationem. Imo *confundentur* per tentationis superationem, *omnes daemones iniqua agentes supervacue* per suggestionis immissionem. Unde Ambrosius ⁵ : « Daemonum infestatio velut latronum obsidet multitudo, qui per omnes vias supplantatores invisi animarum laqueos tendunt. » Diabolus nititur revocare quasi tendendo laqueum a posteriori, voluptatem praeteritam ad mentem reducendo. Nititur etiam impedire, quasi tendendo laqueum ab anteriori, futurorum prosperitatem, et delectabilitatem promittendo. Nititur inficere tendendo laqueum a dexteris, vanitatem mundi offerendo. Nititur etiam capere, tendendo laqueum a sinistris, austeritatem poenitentiae ostendendo, ut in his omnibus tanquam par laqueos capiat. Quos laqueos potest anima evadere, cum se tota devotione ad Deum convertit ore humiliter supplicando : *Vias tuas divinatorum praëceptorum, Domine, qui es veritas, demonstra mihi* per septiformis sapien-

Daemonum infestatio.

¹ Sap., III, 9. — ² Psal. CXXIV, 1. — ³ Philip., 1, 6. — ⁴ Psal. XXIV, 1 et seq. — ⁵ Ambros.

(a) Cat. edit. purgatur. — (b) Leg. propter.

tiæ donationem, ¹ « ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit eorum te omni tempore. » *Et semitas tuas*, tam consiliorum, quam exemplorum, *edoce me* per multiformis gratiæ infusionem. Unde Gregorius ² : « Nisi misericors Deus nostris viribus tentamenta modificet, nullus est qui malignorum insidias evitare possit. » Dicit ergo : *Filia, confide*.

Sequitur tertio : *Fides tua te salvam fecit*, ubi notatur necessaria instructio suæ curationis. Ad hoc autem ut aliquis salvetur, instruitur ut necessario fides sua sit primo solida, in credendo vera fideliter; secundo devota, in expectando promissa certitudinaliter; tertio magna, in operando ardua viriliter.

Primo debet esse fides solida in credendo vera fideliter; et de hoc dicitur ³ : « Nihil discrevit inter nos, et illos, fide purificans corda eorum : » quasi dicat Apostolus : Non est acceptio apud Deum : et hoc est, *nihil discrevit*, id est, nullam distinctionem fecit inter nos Judæos, et illos Gentiles, imo *purificat corda* omnium credentium ab omni teubrositate infidelitatis, et deformitate vitiositatis : et hoc *fide*, scilicet formatæ credulitatis, quæ operatur per dilectionem : quia ⁴ « non est distinctio Judæi, et Græci, » sed in omnibus beneplacitum est illi. Unde Gregorius super illud ⁵ : *Qui irrigat aquis universa* ⁶ : « Ex omni genere hominum ad suam cognitionem vocat Spiritus sancti gratia. Cum divites sibi subjicit, pauperes non repellit : cum fortes humiliat, ad se venire debiles non recusat : cum nobiles colligit, simul ignobiles apprehendit : cum sapientes suscipit, imperitorum stultitiam non contemnit. »

Secundo debet esse fides devota in expectando promissa certitudinaliter; unde dicitur ⁷ : « Est autem fides substantia rerum

sperandarum, argumentum non apparentium. » Dicitur fides *substantia rerum sperandarum*, sicut fundamentum, ratione suæ fortitudinis, sustentat fabricam materialem, sic in fidei substantia et soliditate collocatur et sustentatur ædificium spirituale; et quemadmodum corpus non potest sustentari sine anima, quantum ad esse naturæ, ita nec anima sine fide, quantum ad esse gratiæ, quoniam ⁸ « sine fide impossibile est placere Deo. » Et propter hoc dicitur ⁹ : « Justus meus ex fide vivit. » Et propter hoc fides dicitur *substantia*, sive *hypostasis* : quia ratione suæ soliditatis sustentat, et ratione suæ virtuositatis conservat. Dicitur nihilominus fides *argumentum non apparentium*, quia sicut argumentum arguit mentem, et illuminat ad hoc, ut homo consentiat probatæ conclusioni, ita fides illuminat mentem ad assentiendum in omnibus primæ veritati. Unde sicut mens dirigitur per argumentum, et caput per oculum, ita anima per fidei habitum.

Tertio debet esse fides magna in operando ardua viriliter; ideo dicitur ¹⁰ : « Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. » Unde sancti *vicerunt regna cælestia* per fidem confirmantem affectum in passionis, sive tribulationis toleratione : et merito, quia ¹¹ « per multas tribulationes oportet nos intrare regnum Dei. » *Et operati sunt justitiam*, per fidem calcantem mundum terreneitatis despectione. Nisi enim terrena substantia despiciatur, nunquam justitiam operatur. Unde ¹² : « Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. » Et Augustinus dicit ¹³ : « Qui veram fidem habet de Christo, non quærit in his miseriis fieri dives. » *Insuper adepti sunt repromissiones* per fidem remunerantem deformitatis gloriæ assimilationem. Rogemus ergo Dominum, etc.

¹ Sap., IX, 10. — ² Gregor., *Moral.*, lib. XXIX, c. XXII, n. 46. — ³ Act., XV, 9. — ⁴ Rom., X, 12. — ⁵ Job, V, 10. — ⁶ Gregor., *Moral.*, lib. VI, c. VIII,

al. XVI, n. 21. — ⁷ Hebr., XI, 1. — ⁸ Ibid., 5. — ⁹ Habac., II, 4. — ¹⁰ Hebr., XI, 33. — ¹¹ Act., XVI, 21. — ¹² I Joan., V, 4. — ¹³ Aug.

DOMINICA XXIV POST PENTECOSTEN.

SERMO PRIMUS ¹.

Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta ². Christus volens ostendere finem mundi, ad hoc ut peccatores se præpararent, et essent parati ad diem iudicii, ideo dicit: *Cum videritis abominationem*, etc. In quo verbo duo notantur: primo signorum abominationum damnabilitas, ibi: *Cum videritis*; secundo hujusmodi signorum certa infallibilitas, ibi: *Quæ dicta sunt a Daniele*, qui mentiri non potest. Unde secundum dictum Sapientis ³, «ira Dei super peccatores respicit.» Unde sicut Christus, per duodecim apostolos faciendo signa et prodigia, totum mundum convertit et illuminavit, sic Antichristus duodecim signis in duodecim mores gentium ponet, ut quasi totum mundum pervertat: et illa signa in hominibus apparebunt anteejus adventum, et in hoc finem mundum cognoscemus. Primum signum, sive prima abominatio erit, quando senes erunt fatui, et sine prudentia. Secundum, quando Christiani erunt sine fide. Tertium, quando populus erit sine dilectione. Quartum, quando divites erunt sine misericordia: contra istos clamat Scriptura justitiam. Primum signum, sive prima abominatio erit, quando senes erunt sine prudentia: nam antiquitus senes erant magnæ sapientiæ, et magni consilii, ut ait sapiens ⁴: «In antiquis est sapientia.» Sed modo vide, et senes considera: hodie non est in eis consilium, nec prudentia, nec patientia, nec pudicitia; sed deteriores quasi in omnibus sunt, quam juvenes; et ideo ait de eis Daniel ⁵: «Egressa est iniquitas a senibus, qui videbantur regere populum, et erant iudices»: quia alii non ponebantur iudices in tempore illo. Et ideo flebat Sapiens, et dicebat ⁶: «Vanissimum sub sole

est senem fatuum, et insensatum.» Et isti similes sunt, et dici possunt illis, de quibus ait Ezechiel ⁷ de senibus, qui tenebant «dorsum contra templum Domini.» Hodie multi tenent dorsum contra templum, quia sunt senes queruli, tristes, impatientes, acediosi, tenaces, avari, laudant antiquos, spernunt modernos. Et quanto magis appropinquant ad mortem, tanto magis ardentiores sunt in congregando: quod est contra rationem: nec etiam curant de mortuis parentibus, cum habeant eos breviter sequi, nec etiam vivis pauperibus.

Secundum signum sive abominatio erit, quando Christiani erunt sine fide. Nam omnibus virtutibus fides est nobilior, et magis necessaria: quia sine fide impossibile est salvari. Et ideo sancti antiquitus faciebant multa miracula, quia populus erat bene fidelis. Unde Christus dicebat ⁸: «Si habueritis fidem, dicetis huic monti: Transfer te in mare, et fiet.» Quapropter sancti mortem sustinebant, sicut martyres, et mortuos suscitabant, et etiam omnes ægritudines sanabant: sed modo Christiani sunt deterioris conditionis, quam infideles: qui dum ore confitentur, factis negant. Nam per eos Deus contemnitur in sacramentis, etiam vituperatur, blasphematur: præcepta non custodiunt, legem Dei contemunt, vadunt ad divinos, faciunt experimenta, invocant dæmones, et eis sacrificant, observant dies, timent auguria, et, ut dixi, timent Deum verbis, factis vero negant: et certe ⁹ «dæmones credunt, et contremiscunt.» Et tales dicunt se Christianos, et non sunt. Tales sunt similes nocturnæ, quæ oculos habet, et tamen de die non videt. Sed quare? quia obscuratur (a) a magno lumine. Sic est de quibusdam Christianis, qui oculos habent fidei, sed malitia exæcavit eos. Et de talibus ait Psalmus ¹⁰: «Oculos habent, et non videbunt.» Ille est oculus interior, quem corvus infer-

¹ Hunc etiam non habet edit. Paris. an. 1521. — ² *Matth.*, xxiv, 11. — ³ *Eccle.*, v, 7. — ⁴ *Job*, xii, 12. — ⁵ *Dan.*, xiii, 5. — ⁶ *Eccle.*, xxv, 4. — ⁷ *Ezech.*,

viii, 16. — ⁸ *Matth.*, xxi, 21. — ⁹ *Jac.*, ii, 19. — ¹⁰ *Psal.*, cxlii, 5.

(a) *Cæt. edit.* obscurantur.

nalis conatur eruere, sicut corvus oculum animalis debilis, ut interficiat, et comedat. Augustinus ¹ : « Fides est radix omnium virtutum, quæ si evelletur, cæteræ virtutes arescunt. »

Tertium signum erit, quando populus erit sine pace et dilectione. Nam antiquiores se mutuo diligebant, non solum vicini unius cameræ, vel etiam unius provincie, vel linguæ, et quasi fratres in omnibus se habebant. Sed modo est totum oppositum, quia charitas refrigescit, et invaluit rancor, et mala voluntas. Contra tales ait Sapiens ² : « Proximo suo pauper odiosus erit; amici vero divitum multi. » Imo est plus, quod filius non diligit patrem, nec filia matrem : et sic de singulis, quomodo unus contra alium accusando injuriis, decipiendo in mercaturis, spolia (a) cum usuris, defamando cum mendaciis, scandalizando cum injuriis : et hoc aliquando facit lingua tertia, quæ (b), ut dicit Sapiens ³, « multos commovit. » Et hoc est signum adventus Antichristi, secundum verbum Christi in Evangelio ⁴ : « Surge gens contra gentem, et regnum adversus regnum. »

Quartum signum erit, sive abominatio, quando divites erunt sine misericordia. Nam antiquitus divites erant pii, misericordes, modesti, patientes. Exemplum de David, Salomone, de Job, et de aliis multis : quomodo pauperes juvabant, quomodo se humiliabant, sua distribuebant, aliena non rapiabant ! Sed modo vide, et considera perversitatem hominum divitum, quomodo sunt avari, raptores, superbi, sine misericordia, sine fide, usurarii, permittunt mori fame vicinos suos de his, quæ dant canibus et porcis, sicut habetis exemplum de divite, et Lazaro : et non solum non dant, nec dare volunt, sed multis modis eis auferunt, ut patet in usurariis : interdum sub specie pietatis et misericordiæ, si videant domum,

¹ Imo auctor serm. xxxviii, de Trinit., inter Oper. Aug., sed Alcuini potius videtur. — ² Prov., xiv, 20. — ³ Eccli., xxviii, 16. — ⁴ Luc., xxi, 10. — ⁵ II Reg., x, 4. — ⁶ Locus corruptus. — ⁷ Luc., vi, 24. — ⁸ Isa.,

ovem, bovem, terram, vineam, vel aliam possessionem desiderabilem pauperi vicino, quasi compatiendo invitant eum, quod accipiat bladum, vinum, pannos, vel pecuniam ; et non dormiunt, donec illa possessione eum spoliaverint. Nota de illo Lupo, et de Raynardo, vel de usurario, vel de illo, qui cum accipiebat, habebat oculos lippos. Item de filiis Amon ⁵, quomodo vituperaverunt nuntios suos, quos miserat David, truncantes eorum habitus, et radentes dimidiam barbam eorum. Amon interpretatur *populus iniquus*, vel *inutilis* : tales sunt hodie divites ; propter eorum avaritiam radunt pauperes, et eos scandalizant, quos ille verus David, id est Christus, misit ad consulendum (c) de morte sua, et de paupertate sua vituperant blasphemias, spoliant cum usuris, et radunt barbam eorum, privando beneficiis. Respicite mundum, si per avaritiam perditur, et hoc omnes status mundi ⁶. Ideo Dominus maledicit divitibus dicens ⁷ : « Væ vobis divitibus, » ⁸ « qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis. » Quæ erit merces vestra, quam quod aufertur (d) a vobis regnum Dei, quia aliis vos aufertis eorum possessiones ? Illic nota de procuratoribus, et advocatis, de usurariis, quomodo spoliant pauperes. Contra istos prophetavit Abdias, dicens ⁹ : « Sicut fecisti, fiet tibi, et retributionem tuam convertet in caput tuum » : quasi dicat : Sicut non fecisti misericordiam, sic nec fiet tibi ; et sicut sudorem et sanguinem aliorum bibisti, ita dæmones facient in inferno de te. Propter istos senes fatuos, christianos sine fide, populos sine dilectione, divites sine misericordia, dicit Propheta ¹⁰ : « Ne offeratis ultra sacrificium frustra : incensum abominatio est mihi : neomeniam, et kalendas vestras non feram : et ideo cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam : manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. » Ideo audivit ille de Evangelio ¹¹ : « Nonne v, 8. — ⁹ Abd., 15. — ¹⁰ Isa., xlii, 15. — ¹¹ Matth., xviii, 33.

(a) Forte leg. spoliando. — (b) Cæt. edit. quia. — (c) Leg. consolandum. — (d) Leg. auferetur.

oportuit et te misereri conservi tui?» etc. Et ille alius ¹, qui guttam aquæ non impe-
travit, quia pauperi eleemosynam negavit.
Et de talibus dicit Psalmus ² : « Ecce ipsi
peccatores obtinuerunt divitias. Et dixi; ergo
sine causa justificavi cor meum. » Et sequi-
tur : « Quomodo facti sunt in desolationem?
subito defecerunt, perierunt propter iniqui-
tates suas. »

Quatuor alia signa, sive abominationes,
invenio : primum signum erit, quando ju-
venes erunt sine reverentia ; secundum si-
gnum, quando erunt pauperes sine humili-
tate ; tertium signum, quando mulieres
erunt sine verecundia ; quartum signum
erit, quando matrimonium erit sine conti-
nentia.

Dico quod primum signum abominationis
Antichristi erit, quando juvenes erunt sine
reverentia et timore, et maxime parentum.
Nam solebant esse juvenes in timore paren-
tum usque ad quinquagesimum quintum
annum, et eis in omnibus obediebant : erant
verecundi, servabant munditiam per ma-
gnum tempus, et cum reverentia inter ma-
jores et alios loquebantur : sed modo est
totum oppositum, sunt inobedientes parenti-
bus, et aliis sine reverentia sunt, ante tem-
pus immundi, et quod deficit de ætate sup-
plet malitia. Sed, secundum doctores, pec-
cata quæ committuntur ante septimum an-
num, imputantur parentibus, quia eos male
nutriunt : hinc evadunt sine reverentia lo-
quentes, blasphematores, murmuratores,
diffamatores. Contra tales clamat Abacuc
propheta, dicens ³ : « Usquequo, Domine,
clamabo, et non exaudies? ⁴ quare non respi-
cis contemptores te? Quare contra eos non
facis vindictam (a)? ⁵ Propter hoc lacerata
est lex. » Et tales male vivunt, et damnan-
tur, sicut dicit Gregorius ⁶ de illo puero quin-
que annorum qui blasphemus erat, et dæ-

Peccata
puerilia
ante sep-
timum
annum
parenti-
bus im-
putantur

mon eum de manibus patris deportavit; vel
de tribus juvenibus Italiæ cum massa def-
uncti ⁷.

Secundum signum erit Antichristi, quando
pauperes erunt sine humilitate : sed humi-
les esse debent, et esse consueverunt, quia
nutriuntur de bonis aliorum ; et eorum hu-
militas debet ostendi in opere et sermone,
juxta illud ⁸ : « Cum obsecrationibus (b) lo-
quitur pauper, dives affabitur rigide. » Sed
modo considera, et vide pauperes quomodo
sunt superbi, bilingues, detractores, mur-
muratores, derisores, latrones, blasphematores,
dæmones imitantes, opus falsificantes,
malitiosi et saturati, otiosi, male responden-
tes, mendaces : et hoc est signum Antichristi
certe sic, et dubito quod non tardabit. Ait
Sapiens ⁹ : « Tria sunt quæ odit Dominus :
superbum pauperem, divitem mendacem,
senem fatuum. »

Tertium signum Antichristi erit, quando
mulieres erunt sine verecundia. Nam mu-
lieres antiquitus consueverunt habere mira-
bilem honestatem et munditiam, in tantum
quod legimus quod erant duæ mulieres, una
publice tenebat hospitium, et alia stabat in
via. Sed modo videatis, si sint plures quam
duæ. Ubi est honestas earum? Eam totaliter
amiserunt. Vide vias, vallatos campos, vi-
neas, hortos, plateas, vicos, domos, si de
bonis, scilicet de vestibus in conspectibus,
in colloquiis suis, si in istis ostendunt ho-
nestatem? Certe non ; imo ita parum ve-
recundantur ire ad malum, sicut ad ecclē-
siam. Quare de talibus prophetavit dicens ¹⁰ :
« Sume tibi uxorem fornicationum (c), » si-
gnificans quod ita esset futurum, ¹¹ « et voca
nomen ejus Jezrael (d), » quod interpretatur
visitatio : quia super tales visitabit Dominus
visitatione terribili ; de verecundia virorum
vel mulierum, de vacca rasa, et se mons-
trata ¹².

Quartum signum erit, quando matrimo-

(a) *Fulg.* Quare respicis super iniqua agentes?
LXX : Ἰναὶ ἐπιβλέπεις ἐπὶ κατὰρρονοῦντας ; — (b) *Cæc.*
edit. obsecratione. — (c) *Item* fornicariam. — (d) *Item*
Israel.

¹ *Luc.*, XVI, 24. — ² *Psal.* LXXIII, 12, 13, 19. —
³ *Habac.*, 1, 2. — ⁴ *Habac.*, 1, 13. — ⁵ *Ibid.*, 4. —
⁶ *Greg.*, *Dial.*, lib. IV, c. XVIII. — ⁷ Locus corruptus.
— ⁸ *Prov.*, XVIII, 23. — ⁹ *Eccli.*, XAV, 4. — ¹⁰ *Ose.*,
1, 2. — ¹¹ *Ibid.*, 4. — ¹² Locus corruptus.

nium erit sine continentia. Nam matrimonium est status dignissimus : quare ? quia in Paradiso terrestri, et a Deo institutus, et priusquam alii ordines, et etiam sunt ibi tria bona, scilicet honor, amor, et fidelitas. Debet esse ibi amor propter unionem, quam posuit ibi Dominus. Propter hoc ipse dixit : « Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ. » Certum est quod, super omnes amores, amor patris et matris est magis naturalis ; et tamen Deus præponit amorem conjugalem, quare ? Credo quod gravissime peccant illi, qui inter eos ponunt discordiam ; et idem est si mulier provocat virum, et vir mulierem. Item est ibi honor, et ideo erat scriptum in lege, vt si quis percuteret prægnantem ², stringebatur ad magnam pœnam. In quo patet quod multum sunt puniendi illi, qui suas percutiunt mulieres, nisi forte si non servarent fidem promissam. Item est ibi summa fidelitas ad istud servandum : statutum enim erat in lege, quod mulieres et viri adulterantes debebant lapidari. Certe multi lapidarentur hodie, et etiam dubito quod deficerent lapidatores. Erat etiam antiquitus, quod unus provocabat alium ad bonum, ut habetur de multis, qui jejunabant, orabant, temporibus continebant, in pace et concordia vivebant. Sed modo quid est matrimonium ? jam est horrendum audire et videre : quia ibi non est aliqua continentia, et quasi possem dicere (non dico quod sit), prostibulum privatum, sive secretum, quam matrimonium. Causa ? Quia sine continentia, sine devotione, sine oratione. Recte sunt, sicut ait Psalmus ⁴, « sicut equus et mulus, » etc. Et ibi multi committunt peccata mortalia, et propter hoc multi generant filios protervos, et inobedientes, infirmos et leprosos, excepta Dei offensa. Quare contra juvenes sine reverentia, pauperes superbos, mulieres sine verecundia, matrimonium sine continentia prophetavit Psalmus ⁵ : « Immolaverunt dæ-

moniis, et non Deo. » Et sequitur ⁶ : « Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est, quia provocaverunt eum filii et filia. »

Alia quatuor signa pessima erunt Antichristi adventus, scilicet quando clerici erunt sine honestate et sanctitate, religiosi sine veritate et austeritate, prælati sine sollicitudine regiminis et pietate, domini terrarum sine more subditorum, sine misericordia et liberalitate.

Primum signum erit, quando clerici erunt sine honestate et sanctitate. Nam secundum Apostolum ⁷ ipsi clerici sunt, et esse debent « genus electum, regale sacerdotium, » et cum ex hoc ⁸, quia antiquitus erat in eis mirabilis sanctitas, honestas et puritas : et in signum hujus, ungebantur ⁹ in mollicula auriculæ, et in pollice manus et pedis, ad significandum quod illi, qui servunt Deo, debent in omnibus sensibus esse uncti unctione Spiritus sancti ; et ideo modo unguuntur chrismate. Sed modo ubi est eorum sanctitas, et honestas ? Bene curiosi in omnibus factis suis, platearii, fabulatores : habent arma ad nocendum, sicut prædones ; incontinentes, visitatores generosi, et simoniaci, et multa mala reperiuntur in eis plus quam in laicis. Ante erant misericordes, veraces, humiles in verbis et factis, casti, et veri pastores ; sed modo facti sunt sacerdotes Bel. Bel interpretatur *vetustas*, vel *domicilium vetustatis*. Contra istos dicit Malachias propheta ¹⁰ : « Ad vos, sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et dixistis : In quo despeximus nomen tuum ? Offertis panem pollutum super altare meum, » etc. « Non est voluntas mea in vobis, et munus non suscipiam de manu vestra. »

Secundum signum erit, quando religiosi erunt sine veritate, et austeritate, et abstinentia. Antiquitus erant multum orantes, mundum fugientes, pœnitentiam facientes, herbas crudas comedentes, peccata sua et aliorum plorantes ; et ideo gentes eis adhæ-

¹ Gen., II, 24. — ² Exod., XXI, 22. — ³ Deut., XXII, 22. — ⁴ Psal., XXXI, 9. — ⁵ Psal., CV, 37. — ⁶ Deut.,

XXXII, 19. — ⁷ I Petr., II, 9. — ⁸ Locus corruptus. — ⁹ Levit., VIII, 12 et seq. — ¹⁰ Malac., I, 6-10.

rebant, sua eis dabant, sicut patet in multis religiosis, qui plura habent quam reges et nobiles. Sed totum hodie reperitur oppositum. Ubi sunt lacrymæ, vigiliæ, abstinentiæ, disciplinæ? ubi honestas? ubi explanatio ¹? ubi visiones angelorum? quanta abominatio hodie est! Quia sunt mundum sequentes, negotiatores, sine oratione et devotione, multa fercula inquirentes, splendidius volunt comedere, bibere, dormire et induere, quam multi nobiles et potentes; et curiosi, sicut mulieres: tales non sunt religiosi, sed sepulcra dealbata. De istis dicitur ²: « Cum ingressurus eris terram, quam Dominus daturus est tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium, quas eieciet Dominus a facie tua. » Sed de religiosis pauperibus, qui in fine mundi dati sunt mundo, qui cum maximo fervore venerunt, quorum institutores fuerunt mundi contemptores, divitias et honores contemntes, parce comedentes et bibentes, multum orantes, multum flentes, familiaritates sæcularium fugientes, humiles, benigni, mites, pacifici. Sed modo est totum oppositum: pauperes religiosi currunt ad negotia sæcularia, ad dominos terrarum, et quasi cursores facti sunt, fugiunt ecclesiam et suos conventus, superbi sunt, indignantis naturæ, adulantur magnatibus, diligunt et honorant divites, et pauperes vilipendunt, procurant sibi honores et prælationes, et mensas opulentas sequuntur. Contra istos prophetatum est ³: « Ponite corda vestra super vias: seminastis multum, et parum intulistis: et qui merces congregat (a), misit eas in saccum (b). » Sic et isti religiosi.

Tertium signum Antichristi erit, quando prælati erunt sine sollicitudine regiminis, et pietate, et cura pastorali. Nam consueverunt esse vigiles super subditorum negotiis spiritualiter et temporaliter, defendebant viduas, pupillas, pauperes nutriebant, et tanquam veri patres, de eis curabant, et eos

defendebant, in orationibus vigilabant, multum abstinebant, usurarios et malefactores excommunicabant. Sed nunc est quasi totum oppositum. Ubi sunt eorum orationes? ubi lacrymæ? ubi vigiliæ? ubi subsidia viduarum et pauperum, unde vivant? et manuteneant divites usurarios Judæos, præstantes eis adjutorium, et favorem, et auxilium, et ad eorum instantiam excommunicant viduas, pupillos, pauperes. Et ibi una ratio, quia ab ipsis usurariis recipiunt munera et dona per litteras excommunicationis, et absolutionis pauperum: et ideo melius possunt dici raptores, quam defensores. Redditus quos habent, ubi expendantur? Deus scit ubi et quomodo: non pauperibus. Et ideo de talibus prophetavit Zacharias ⁴: « Iratus Dominus super patres vestros iracundia magna. » Contra *patres*, id est, prælatos qui debent esse patres verbo et exemplo. ⁵ « Convertimini de viis vestris pessimis, et malis cogitationibus. »

Quartum signum erit, quando domini terrarum sine amore erunt subditorum, et sine misericordia. Nam antiquitus domini solebant esse benignissimi, misericordes, familiares, et usque ad mortem eos defendebant, justitiam tenebant: etenim nulla pecunia, mala adulatione deviabant. Sed modo est istud signum pessimum: respice curias regum, comitum, baronum, dominorum, prælatorum: omnes corrupti sunt pecunia et muneribus: pauper ibi non auditur, et si auditur, non exauditur, sed deprædantur. Judæi divites et baratores ibi assistunt, et exaudiuntur, et domini sunt crudeles, et tales officiales volunt infideles, qui sine misericordia sunt: audiunt quod divites multa inferunt pauperibus, et non corrigunt aliquem. Contra istos prophetavit Sophonias, dicens ⁶: « Principes (c) ejus in medio ejus, ut leones rugientes inquirentes pecuniam, et non justitiam: iudices eorum, quasi lupi vespertini. »

¹ Locus corruptus. — ² *Deut.*, xviii, 9. — ³ *Agg.*, 1, 3-6. — ⁴ *Zach.*, 1, 2. — ⁵ *Ibid.*, 4. — ⁶ *Soph.*, iii, 3.

(a) *Vulg.* merces congregavit. — (b) *Itz*m saccum pertusum. — (c) *Cet. edit.* Princeps.

SERMO II¹.

Væ autem prægnantibus, et nutrientibus in illis diebus ². Prægnantes et nutrientes luxuriosos significare possunt. Væ autem damnationis non his solum, sed omnibus per septem vitia capitalia vitiosis debetur.

Væ ergo impiis propter superbiam ³: « Væ coronæ superbæ, ebriis Efraim, et flori decidenti, gloriæ exultationis. » Bene dicit: *coronæ*; in coronis enim et ornamentis capitis, specialiter superbia ostendi solet, quod est contra quod dicitur ⁴: « Tu seis infirmitatem, et necessitatem nostram, quod abominer signum superbæ, et gloriæ meæ, quod est super caput meum. » Joannes Chrysostomus ⁵: « Crimen est, caput post chris-matis sanctificationem, aut croco, aut alterius pigmenti succo vel pulvere sordidari, aut auro vel gemmis, vel enjuslibet terrenæ creaturæ specie comi, quod jam cœlestis ornatus splendore refulget. » Item bene dicitur: *Flori decidenti*; flos enim gratiæ temporalis, flos pulehritudinis mortalis, flos juventutis corporalis cito decedit ⁶: « Omnis caro fœnum, et omnis caro ejus, quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos. »

Item propter invidiam; unde in Canonica Judæ ⁷: « Væ illis, qui in viam Caim abierunt. » In viam (a) Caim abierunt, qui proximos odiunt, sicut Caim fratrem suum ⁸: « Qui odit fratrem suum, homicida est. » Invidi ergo, qui verbis vel factis malum procurant proximis, non solum Caim latronem, sed et Judam traditorem, sicut imitantur in culpa, ita sequuntur in pœna. Væ ergo illis ⁹: « Væ homini illi per quem filius hominis tradetur. » Gregorius ¹⁰: « Qui post puniendi sunt retributionis supplicio, nunc (b) seipsos afficiunt invidiæ tormento. »

Item væ propter iram ¹¹: « Væ genti insurgenti super genus meum, Dominus enim

omnipotens vindicabit in eis in die judicii. Visitabit illos, et dabit ignem, et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum. » Iracundi insurgunt verbis et factis super alios; sed væ eis, qui seipsos vindicant in mundo. Ideo bene dicitur hic, quod *Dominus vindicabit in judicio* ¹²: « Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus. » Sed valde timendum est quod Joannes Chrysostomus ait ¹³: « Non iracundos tantum, et malitiæ memores punit Deus, sed etiam eos, qui irascentes aut offensos fratres placare negligunt et contemnunt. »

Item væ propter avaritiam ¹⁴: « Væ ei, qui multiplicat non sua. Usquequo aggravat contra se densum lutum? » Usurarii, fures, prædones, non sua, sed aliena multiplicant: auferunt enim aliis, et auferetur ab eis ¹⁵: « Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? » Bene autem temporalia dicuntur lutum, quoniam coinquinant animam. Bernardus ¹⁶: « Beatus qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. »

Item propter acediam ¹⁷: « Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro, et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii. » Horribilis est ista acediosis sententia, qui propter torporem et pigritiam, post multas doctrinas et exempla virtutum, negligunt pœnitentiam agere, et Deo servire. Nota quod dicit: *Remissius*. Ex hoc collige, quod pro eis, et aliis vitiis illis paribus, remissius erit paganis quam malis Christianis, et laicis, quam clericis, et sæcularibus quam religiosis, et rudibus quam sapientibus. Væ miseris acediosis tam duris, et ad bonum

¹ Hunc et duos sequentes habet quoque edit. Paris. an. 1521; hunc vero tantum codex Assis. sæc. XIII. — ² *Matth.*, xxiv. 19. — ³ *Isa.*, xxviii. 1. — ⁴ *Esth.*, xiv. 16. — ⁵ Chrysost. — ⁶ *Isa.*, xl. 7-8. — ⁷ *Jud.*, 11. — ⁸ *1 Joan.*, ii. 11. — ⁹ *Matth.*, xxvi. 24. —

¹⁰ *Greg.*, *Moral.*, lib. II, c. xxxi, n. 51. — ¹¹ *Judit.*, xvi. 20-21. — ¹² *Rom.*, xii. 19. — ¹³ Chrysost. — ¹⁴ *Habac.*, ii. 6. — ¹⁵ *Isa.*, xxxiii. 1. — ¹⁶ Bern. — ¹⁷ *Matth.*, xi. 21-22.

(a) *Cœl. edit.* via. — (b) *Ita apud Greg. Cœl. edit. deest nunc.*

tam remissis. Bernardus ¹ : « Væ vobis ad duritiam cordis. Væ vobis a peccato gentium, quas Apostolus sine commiseratione commemorat. »

Item vae propter gulam ² : « Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. » *Saturati*, inquam, non solum cibo, sed etiam potu ³ : « Cui vae? cuius patri vae? cui rixae? cui foveae? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? » Require expositionem in sermone : *Deficiente vino* ⁴.

Item vae propter luxuriam ⁵ : « Apparuit ignominia tua, adulteria tua, et hinnitus tuus, scelus fornicationis tuæ. Super colles in agro vidi abominationes tuas. Væ tibi, Jerusalem. »

Vae ergo damnationis æternæ omnibus in prædictis vitiis per se peccantibus. Sed præcipue vae omnibus in eisdem vitiis aliquos scandalizantibus ⁶ : « Vae homini, per quem scandalum venit. »

SERMO III.

Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ ⁷. Christus Jesus dicit seipsum *corpus*; *aquilas*, omnes justos, qui ad Christum congregabuntur in iudicio et in cælo. Considerandum autem, quod aquila est Christus, angelus, homo, diabolus. Aquila est Christus, propter justificandi altitudinem; angelus, propter volandi fortitudinem; homo, propter renovandi aptitudinem; diabolus, propter devorandi consuetudinem.

De primo ⁸ : « Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila? » etc. Require expositionem : *Numquid ad præceptum tuum* ⁹, in tertio membro, ubi etiam post hanc aquilam super te ad cælum volantem, et si volaveris ad primum chorum angelorum, feliciter volasti; si ad secundum, feliciter, et sic

de singulis : quanto ad altiorem ordinem perveneris, tanto feliciter volasti. Gregorius ¹⁰ : « Sed adhuc in infirmitate corporis, sequamur tamen passibus amoris. »

De secundo ¹¹ : « Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum. » Bene angeli aquilis comparantur : aquila enim irreverberatis oculis solem videre in rota dicitur, sicut angeli solem deitatis æternaliter contemplantur ¹² : « Angeli eorum semper vident faciem Patris mei. » Fortitudo volatus exprimitur, quando in volando super alas aliquid portare dicitur. Alæ autem aquilarum sunt ministeria angelorum. Una ala est ministerium defensionis a malo; altera, promotionis ad bonum. His alis, tanquam manibus, nos portant in via ambulantes. Psalmista ¹³ : « In manibus portabunt te, » etc. Item portant adre quem evolantes ¹⁴ : « Factum est, ut moreretur Lazarus, et portaretur, » etc. Unde istæ aquilæ ad nos volant, ut nos in morte deportent. Bernardus ¹⁵ : « Non ambigo, quin gratanter in palatio colligant, quæ dignanter in sterquilinio visitant. »

De tertio Psalmista ¹⁶ : « Renovabitur, ut aquilæ, juvenus tua. » Aquila in senectute rostro sibi nimis adunco sumere non valet cibum; unde languescit et decrescit : tandem ad petram unicum rostri deponit, et sic cibum sumens reviviscit. Sic peccator curvitas peccatorum, et maxime peccata labiorum, tanquam curvum rostrum, deponat ad petram Christum, vel pœnitentiæ quæ gravis est et dura, sicut petra. Deinde cibum doctrinæ, et gratiæ, et Eucharistiæ sumere valebit, et sic in spiritu, sicut aquila, renovabitur ¹⁷ : « Renovamini in spiritu mentis vestræ, » etc. In renovatione ista dat Deus novas plumas, novas virtutes, nova mandata. Gregorius ¹⁸ : « Quia Dominus ac Redemptor noster novus homo venit in mundum, nova præcepta, » etc. Nota quod ista

¹ Bern. — ² Luc., vi, 25. — ³ Prov., xxiii, 29. — ⁴ Vid. sup., Dom. 1, post octav. Epiph., Serm. II, pag. 87, col. 2. — ⁵ Jerem., xlii, 26-27. — ⁶ Matth., xviii, 27. — ⁷ Matth., xxiv, 28. — ⁸ Job, xxxix, 27. — ⁹ Vid. sup., in Ascens. Dom., serm. 1, pag. 281,

col. 1. — ¹⁰ Greg. — ¹¹ Erod., xix, 4. — ¹² Matth., xviii, 10. — ¹³ Psal. xc, 12. — ¹⁴ Luc., xvi, 22. — ¹⁵ Bernard. — ¹⁶ Psal. cii, 5. — ¹⁷ Ephes., iv, 23. — ¹⁸ Greg., in Evang., hom. xxxii, n. 1.

aquila duas habet alas. Require supra in sermone : *Nunquid ad præceptum tuum*, in tertio membro ¹.

De quarto ² : « Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli. » Ante enim transiret diabolus mille milliaria, quam aquila unum passum. Unde sicut aquilæ circa cadaver fœtidum congregantur, sic dæmones circa peccatorem festinanter conveniunt morientem ³ : « Volabit quasi aquila festinans ad comedendum. » Tunc evadere non potest impius diabolum : neque fugiendo, quia aquila velocior (*a*) est; neque defendendo, quia fortior leone est diabolus. Unde diabolus est bestia illa ⁴ : « Et alas habebat quasi aquilæ. » Joannes Chrysostomus ⁵ : « Nec resistendi virtus, » etc. Require in sermone primo (*b*) : *Omnis arbor* ⁶.

Et bene leænæ comparatur diabolus. Leæna enim quando timet catulos perdere, ferocissima est : ita diabolus, quando per conversionem amittere timet peccatorem. Isidorus ⁷ : « Tunc circa eum, quem possidet, diabolus acrius sævit, quo se citius divina virtute ab eo expellendum recognoscit. »

SERMO IV.

Tunc apparebit signum Filii hominis in cælo ⁸. Supra in eodem evangelio, dicitur ⁹ : « Dabunt signa magna, » etc. Considerandum autem, quod tempore novissimo apparebunt quadruplicia signa : primo, signa erroris ad decipiendum ; secundo, signa terroris ad concutiendum ; tertio, signa amoris ad convincendum ; quarto, signa decoris ad retribuendum.

De primis dicitur in hoc evangelio ⁹ : « Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa, » etc. Hoc maxime intelligi potest de apostolis Antichristi, qui plura signa facient. Gregorius ¹⁰ : « Fidelibus in Antichristo certamina non deerunt; sed tanta erunt illius temporis, ut nostrorum pauca,

vel nulla videantur. » ¹¹ « Seducet habitantes in terra propter signa, quæ data sunt illi facere. » In eodem capitulo legitur in diversis locis quod simulabit se Antichristus mortuum, et per triduum latens apparebit, se dicens suscitatum, et faciet magnam visionem ascensionis in cælum. Item apostoli ejus discurrent per orbem, ut faciant mundum adorare Antichristum. Et sicut Spiritus sanctus in igne descendit ¹² super apostolos, sic Antichristus malignum ignem descendere faciet super suos, et loquentur variis linguis, et facient fieri statuam imaginis Christi, et arte magica facient loqui, et futura prædicere. Dum ergo ignem mittere, et mortuos suscitare videbitur, pene totus mundus seducetur. Gregorius ¹³ : « Qui electi sunt ad persistendum, per signa prædicatorum Antichristi, precabuntur ad cadendum ¹⁴. »

De secundo ¹⁵ : « Erunt signa in sole et luna, » etc. Hieronymus in Annalibus Hebræis invenit quindecim signa dierum ante diem judicii. Sed utrum continui futuri sint dies illi, an interpolatim, non expressit. Prima die eriget se mare quadraginta cubitis super altitudinem montium, stans in loco suo quasi murus. Secundo tantum descendet, quod vix possit videri. Tertio maximæ belluæ apparentes super mare stabunt, et dabunt rugitus usque ad cælum. Quarto ardebit mare et aqua. Quinto herbæ et arbores dabunt rorem et sanguinem. Sexto ruent ædificia. Septimo petræ ad invicem collidentur. Octavo fiet generalis motus terræ. Nono æquabitur terra. Decimo exhibunt homines de cavernis, et ibunt velut amentes, neque poterunt mutuo loqui. Undecimo surgent ossa mortuorum, et stabunt supra sepulera. Duodecimo cadent de cælo stellæ. Decimotertio morientur homines viventes, ut cum mortuis resurgant. Decimoquarto ardebit cælum et terra. Decimoquinto

¹ Vid. sup., pag. 87, col. 2. — ² *Thren.*, iv, 19. — ³ *Habac.*, i, 8. — ⁴ *Dan.*, vii, 4. — ⁵ Chrysost. — ⁶ Vid. sup., *Dom.* vii, *post Pent.*, serm. ii, pag. 370. col. 1. — ⁷ *Isid.* — ⁸ *Matth.*, xxiv, 30. — ⁹ *Ibid.*, 24.

— ¹⁰ *Greg.* — ¹¹ *Apoc.*, xiii, 14. — ¹² *Act.*, ii, 2. — ¹³ *Greg.* — ¹⁴ *Locus corruptus.* — ¹⁵ *Luc.*, xxi, 27.

(*a*) *Cæt. edit.* velociter. — (*b*) *Leg.* secundo,

fiet cœlum et terra nova, et resurgent omnes.

De tertio hic ¹: *Tunc apparebit signum filii hominis in cœlo*, id est, in aere. Dominus enim apparebit in aere super locum, unde ascendit, et ante eum instrumenta mortis suæ quasi vexilla triumphi: crux, clavi, lancea et cicatrices. Joannes Chrysostomus ²: « Non erit tunc necessitas accusationis, cum viderint crucem, » et Christum habentem in corpore suo testimonia passionis. His signis convincentur impii magnæ ingratitude. Psalmista ³: « Turbantur qui habitant terram a signis tuis. » Sicut enim tuba iudicis ab hominibus videtur, sic signum crucis ab hominibus videbitur ⁴: « Cum elevatum fuerit signum in montibus, videbitis, et clangorem tubæ audietis. »

De quarto ⁵: « Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta sole, » etc. Mulier ista est universalis Ecclesia, quæ post resurrectionem in quolibet membro ma-

gnæ gloriæ signa habebit. Ipsa enim in membris suis, id est, in omnibus justis, quoad ornamenta, erit amicta solari claritate. Anselmus ⁶: « In illa vita justorum solis pulchritudini, quæ septemplex, quam modo sit, splendidior erit, adæquabitur. » Item quoad animas erit coronata beatitudinis sublimitate ⁷: « In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sertum exultationis residuo populi sui. » In hac corona duodecim stellæ sunt, quia merita duodecim articulorum fidei specialiter in præmio lucebunt. Vel duodecim stellæ in corona sunt quasi duorum præceptorum charitatis, et decem mandatorum lucida merita, quæ in præmio apparebunt. Item quoad corpora simul et animas, Ecclesia erit fixa in perpetua stabilitate, et hoc per lunam significatur. Luna enim, et quæ sub luna sunt, mutabilia et instabilia sunt. Ecclesia ergo non sub luna, sed super lunam tunc erit, quamdiu instabilitati subjecta non erit.

¹ *Matth.*, xxiv, 30. — ² Chrysost., in *Matth.*, hom. lxxvi, al. lxxvii, n. 3. — ³ *Psal.* lxiv, 9. —

⁴ *Isa.*, xviii, 3. — ⁵ *Apoc.*, xii, 1. — ⁶ Anselm. — ⁷ *Isa.*, xxviii, 5.

SERMONES

DE SANCTIS TOTIUS ANNI ¹

DE S. ANDREA APOSTOLO.

SERMO PRIMUS ².

Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi ³. Narrat Valerius Maximus ⁴, quod tanta in Romanis antiquis cupido gloriæ fuit, quod non solum temporalia bona, sed et ipsam vitam, quam omnis homo conservare appetit ex natura, tradebant in mortem, ut indeficientem possent consequi nominis sui famam, et relinquere de se posteris gloriosas memoriam. Est ergo (a) gloria, juxta Tullianam ⁵ sententiam, « frequens fama cum laude. » Verum quia hæc gloria in nullo omnino est solida, sed penitus vana; non vera, sed falsa: ideo Salvator noster, doctor veritatis, eam in se fugit et esse a cunctis fugiendam docuit. In cujus signum leproso curato mandavit ⁶, ut nemini diceret curationis gratiam, quam accepit. Doctrinam ergo Magistri divinus (b) sequens Apostolus, dicit: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce*, etc. In quo verbo docet Apostolus se velle sequi Christum, et quantum ad virtutum profectum, temporalis boni contemptum, et sustinentiam malorum hominum. Nam super isto verbo Apostoli proposito dicit sanctus Augustinus ⁷: « Omnia bona terrena contempsit Christus, ut contemnenda aliis esse monstraret; et omnia mala sustinuit, ut sustinenda esse doceret, ut nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur adversitas. » Juxta igitur ista duo, in verbo præmisso duo facit Apostolus: primo docet, quid sit hominibus fugiendum, quia humanum fastigium; secundo docet, quid sit eis

appetendum, quia Christi opprobrium. Tunc enim est homo perfectus vere, quando mundum fugit tanquam malum, et sequitur Christum tanquam omnino summum bonum. Notatur ergo primo contemptus mundi, sive fuga culpabilis mali, cum dicitur: *Mihi absit gloriari*. Secundo notatur perfecta imitatio Christi, sive appetentia meritorii boni, cum additur: *Nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*. Dicat ergo beatus Andreas: *Mihi absit gloriari*, id est, procul sit a me, ut ego glorier in aliquo, quam in dominica cruce, sive in dominica passione. Circa ergo primam partem sermonis, in quo ostenditur quid cavere et vitare debeamus, breviter est notandum, quod humana gloria ex quacumque re sit causata, propter quatuor ab homine est fugienda: primo, quia vilissima ex sua conditione; secundo, quia vanissima, sive fragilissima, in duratione; tertio, quia falsissima in promissione; quarto, quia malignissima in retributione.

Dico primo quod mundana gloria ideo nobis est fugienda, quia vilissima, et hoc de sua natura, cum sit Deo et angelis fœtida, et homini valde noeiva, et damni maximi illativa, et bonorum omnium spiritualium destructiva. Cum ergo homines de sui natura appetant semper nobilia, et fugiant vilia, mirum quomodo non naturaliter fugiant vanam hanc gloriam, quam Scriptura docet esse vilissimam. Sic igitur scribitur ⁸: « A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus est stercus et vermis. » Quid in rebus stercore detestabilibus? quid in animalibus verme vilibus? Ergo si gloria hominis ster-

¹ Cf. Edit. Vatic., an. 1596, tom. III, pag. 237; edit. Ven., an. 1754, tom. XI, pag. 1. Hucusque in eudendis Bonaventurianis Sermonibus, typis consuetis usus; nunc vero minoribus utendum est, non quod Sermones omnes qui præcedunt pro authenticis, omnes vero qui sequuntur pro supposititiis habeamus; sed tum uniformitatis gratia, tum quia frequentiores Valerii Maximi, et cæterorum Gentilium, quæ in se-

quenti parte occurrunt citationes, majorem ingerunt suspicionem falsitatis. — ² Hunc et sequentem habet edit. Haguenensis an. 1496; cum quinque etiam secuturis, Codex Assis. sæc. XIII. — ³ Gal., VI, 14. — ⁴ Valer. Max., *Dictor. factorumque memorab.*, lib. VIII, c. xv. — ⁵ Cic., *de Invent.*, lib. II, n. 39. — ⁶ Matth., VIII, 4. — ⁷ Aug., *in festo S. Crucis*, al. *De catechiz. rudib.*, xxii, 40. — ⁸ I Mach., II, 62.

(a) Leg. autem. — (b) Forte leg. divini.

Exemplum. — *cus et vermis extitit, non est hominibus appetenda, sed potius fugienda. Est enim humana gloria hic putrido ligno simillima, de quo Philosophus docet ¹, et ex ipsa experientia patet, quod de nocte lucet, sed in die putridum apparet. Quid est enim gloria vana, nisi lignum putridum de nocte lucens, in hoc praesenti tempore, quod nocti umbrosæ est simile, gloriose incedere, et luminosius infirmis oculis apparere, qui non possunt nisi secundum ea, quæ foris sunt, judicare? Sed quando dies iudicii veniet, in qua ² « illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, » tunc qui videntur gloriosi, apparebunt putridi et vilissimi, et penitus non curandi, quia impossibile est, sicut dicit Hieronymus ³, ut homo in cælo et in terra appareat gloriosus. Unde tales omnes lampyridi, sive cicindelæ, vel nocticulæ similes, quæ volando de nocte lucet, et in die latet, et tota nigra apparet. O si hoc attenderent tyranni, qui sic modo ambulat gloriosi, quomodo apparebunt vilissimi, nigri et putridi, puto quod mirabiliter detestarentur gloriam hujus mundi.*

Secundo mundana gloria est nobis fugienda, quia est fragilissima in duratione, nec ulla stabilitate firmata. Unde nec suis, nec sibi est stabilita; sed sic est defectiva, ut quælibet vaporosa vel fumosa substantia, quæ quantumcumque ad tempus appareat pulchra, invenitur postmodum nulla. Fumus enim quanto plus in altum se erigit, tanto semper plus deficit, donec penitus evanescat. Flos magni odoris, et ad tempus mirabilis venustatis existit; sed ad modicum tactum solis adurentis arescit, et omnis gloria ejus perit. Unde dicitur ⁴: « Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos fœni. Exaruit fœnum, et flos ejus decidit, et omnis gloria ejus deperit. » Tales igitur omnes « sicut fœnum tectorum » sunt ⁵, « quod priusquam evellatur, exaruit. » Ubi enim nunc gloria Assueri, qui ⁶ centum et vigintiseptem provinciis imperavit? Ubi gloria illius maximi Alexandri, in cujus ⁷ conspectu omnis terra sinit? Ubi nunc gloria totius romani imperii, quod ad modum ferri ⁸ omnia regna terræ perdomuit? Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias? etc. Omnes utique ⁹ « perierunt, et ad inferos des-

cenderunt, et alii in loco eorum surrexerunt. »

Tertio mundana gloria ideo nobis est fugienda, quia falsissima in promissione, nulli servans promissa, sed omnes homines fallens in via. Nomina unum solum, si poteris, quem ipsa non fefellit. Quem enim regum vel Cæsarium non deceptit? Longam enim et honorabilem vitam, pacificam et securam potentiam suis amatoribus promittit, cum unum momentum temporis addere vitæ non possit. Quis in gloria Alexandro similis, qui nullum unquam bellum perdidit, sed cum paucis multitudinem sæpe vicit; nullam civitatem obsedit, quam non ceperit; nullam provinciam unquam invasit, quam non suæ ditioni submiserit? Et tamen, quando se subjugasse omnia credidit, et pacifice ducere vitam speravit, tunc in momento, ad modum aquæ torrentis, deperit. Fluit enim mundana gloria ad modum navis mare sulcantis, ad modum avis per aera velociter transeuntis, et ad modum torrentis velocissime currentis, et plus vanescentis. Est igitur humana gloria hæc falsa, quia, cum in necessitatibus promittit auxilium, præstat potius impedimentum. Unde propheta confortans virum justum contra gloriam superborum, sic ait ¹⁰: « Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus: quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. » Quid igitur gloriam hanc sequeris, a qua in morte juvari non poteris, sed potius ab ea impedieris?

Quarto humana gloria est malignissima in retributione, quia non ducit ad gloriam, sed ad pœnam, et ignominiam sempiternam. Unde scribitur ¹¹: « Gloriam eorum in ignominiam commutabo. » O in qualem ignominiam! Utique ignominiam summam, quando gloria in impotentiam, sapientia in stultitiam, et delectatio omnis in maximam pœnam. Nam juxta mensuram culpæ, erit et mensura pœnæ. Unde dicitur ¹²: « Quantum se glorificavit, et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum, et luctum. » O vanitas vanitatum! O summa stultitia et insania, dare pro vilissimo plumbo argentum, pro aurichalco aurum, dare pro vitro optimam margaritam, imo, quod est potissimum, dare pro mortali bonum quod præ-

¹ Arist., *de Anima*, lib. II, text. 7. — ² I Cor., IV, 5. — ³ Hier., in *Psal.* LXXXIII. — ⁴ Isa., XL, 7-8. — ⁵ *Psal.* CXXVIII, 6. — ⁶ *Esth.*, I, 1. — ⁷ I Mach., 1, 3.

— ⁸ Dan., II, 40. — ⁹ Bar., III, 27, 49. — ¹⁰ *Psal.* XLVIII, 47-48. — ¹¹ Ose., IV, 7. — ¹² *Apoc.*, XVIII, 7.

tat, et potest esse in æternum! Quis stultissimus mercator hoc faceret? Sed vanegloriosus hoc facit, quando pro gloria vana, quæ omnino est nulla, gloriam vendit æternam, et pro laude vilissima, perdit bonum quod potuit esse æternum, et quod erit summa gloria dignum. De hac stultitia dicit Bernardus ¹: « Ut quid, inquit, alieno, vel mundi ipsius contentus sum testimonio, cujus nec vituperio reprobis, nec laude invenior esse dignus? Si enim ante tribunal hominum judicandus astarem, merito de laudibus hominum gloriarer. Nunc autem cum solius Christi judicio præsentandus sis, quantæ (a), putas, insanie esset gloriari de hominum laude, quæ nihil omnino boni ponit in homine? » Gloria enim ² nostra debet esse « testimonium conscientie nostræ. » Non est igitur gloriandum in mundi gloria, quæ est vilissima, est mendacissima, est malignissima; sed in divina gloria, quæ est nobilissima, et stabilissima, et veracissima, et, si dici posset, optimissima. Hæc omnia B. Andreas attendere docebat, dicendo: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Quasi diceret: Filii diaboli gloriantur, alii in potentia, alii in cordis elegantia, alii in scientia, alii in rerum omnium opulentia, alii, quod pejus est, in ipsa sua malitia: sed mihi in sola cruce Christi est gloria. Vere ita fuit, si ipsius Legendam diligenter perlegeris, in qua invenire poteris, quam fervide crucem amaverit, quam constanter crucem prædicaverit, et quam lætanter ad crucem accesserit, et quam perseveranter in ea permanserit. Et de hoc quære in sermone sequenti. Qui autem ultra ea quæ de gloria Dei dixi aliquid scire desiderat, et quomodo quædam est gloria temporalis, quæ consistit in multis, et dicitur esse mala; quædam est gloria spiritualis, quæ simpliciter consistit in multis, et dicitur esse bona; quædam est gloria æternalis, quæ consistit similiter in multis, et dicitur valde bona: in Sermonibus de uno martyre de hoc quære, et in quodam sermone Dominicæ Sexagesimæ ³.

SERMO II.

Christo affixus sum cruci ⁴. Narrat doctor egre-

¹ Bern., *De divers.*, serm. VII, n. 2, paucis mutatis. — ² II *Cor.*, I, 12. — ³ Vide inf., de uno mart., serm. I. Sermo ille Dominicæ Sexagesimæ non reperitur inter editos. — ⁴ *Gal.*, II, 19. — ⁵ *Aug.*, *de Civ. Dei*, lib. I, c. VIII, n. 2. — ⁶ *Ibid.* — ⁷ *Id.*, *ad Fest.*, epist. LXXXIX, n. 2; *ad Macrob.*, epist. CVIII, n. 14; *ad Dulcit.*,

gius Augustinus ⁵ in libro *de Civitate Dei*, quod « manet dissimilitudo passorum sub similitudine passionum: quia sicut sub eodem igne aurum rutilat, et palea fumat, et sub eadem tribula paleæ comminuantur, et frumenta purgantur, sic una et eadem vis irruens bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vastat et exterminat. Et ait ⁶, quod « eodem motu exagitatam, et exhalat horribiliter cœnum, et suaviter fragrat unguentum. » Nec mirum, quia, sub eadem omnino actione (b) solis, et lutum dissolvitur, et solidum amplius solidatur. Sub eadem influentia cœli quædam res generantur, quædam vero aliæ corrumpuntur. Quæ omnia facit non varia actio, sed diversa causati dispositio. Unde videmus quod vinum ab uno sano, et ab altero infirmo potatur: et quamvis ejus virtus una existat, sanum tamen letificat; sed ægrotum contristat, dum morbum in eo augmentat: sic et passiones de se sunt differentes (c), nec de se sunt meritorie, sed solum ex causa movente, et voluntate sustinente. Nam duo latrones cum Christo sunt crucifixi: una erat pœna; sed quia in ultima (d) est facta causa diversa, eo quod unus Christum blasphemabat, alter eum arguebat, et Deum pro se orabat, hinc unus ad cœlos ascendit, alius ad inferna descendit. In pœnis igitur non est consideranda pœna, sed causa: quia, ut dicit Augustinus ⁷: « Non pœna, sed causa facit hominem martyrem. » Dicat ergo B. Andreas: *Christo crucifixus sum*, id est, propter Christum affixus sum cruci. Describitur igitur Apostoli passio quantum ad duo, in verbo præmisso: primo, quantum ad causam motivam; secundo, quantum ad pœnam afflictivam. Nam causa ad patientium motiva fuit Christus; sed pœna corporaliter afflictiva fuit ipsa dominica crux. Primum præmittitur, quando dicitur: *Christo*, id est, propter Christum; secundum adjungitur, cum inferitur: *Crucifixus sum*. Ad litteram enim B. Andreas, sicut ejus Legenda dicit, materialem crucem in corpore passus fuit. Sed quia valde pauci sumus, qui crucem hanc ascendimus, de spirituali cruce nunc dicamus, quam cum Apostolo omnes portare debemus et tenemur. Sicut enim in cruce materiali quatuor videmus, sic

epist. CCIV, n. 4; in *Psal.* XXXIV, n. 13; serm. CCLXXXV, n. 2; serm. CCCXXVI, n. 1; serm. CCCXXI, n. 2; *cont. Crescon.*, lib. III, n. 51.

(a) *Cæt. edit.* quem te. — (b) *Item* ditio. — (c) *Leg.* indifferentes. — (d) *Leg.* ultimo, vel suppl. hora.

in cruce spirituali quatuor alia illis correspondentia probamus. Nam in materiali cruce, primo debemus considerare ligni ipsius imum, sive profundum; secundo, ligni altum; tertio, ipsius ligni latum; quarto vero, ipsius longum. Juxta hæc quatuor, crux spiritualis quatuor habuit, quam crucem ipse Apostolus Christi portavit. Nam habuit in se profundum humilitatis, habuit altitudinem paupertatis, habuit latitudinem charitatis, et habuit longitudinem longanimitatis.

Dico quod crux spiritualis, quam ad imitationem Domini Salvatoris venerabilis hic Apostolus semper gessit, primo habuit profundum humilitatis. Sicut enim in materiali cruce lignum imum totius crucis est fundamentum et sustentamentum, sic humilitatis bonum crucis pœnitentiæ est fundamentale principium: quia sicut aqua semper fluit ad valles, sic Dei gratia semper ad humiles. Unde peccator, qui se non humiliat, et se ad gratiam humili mente non præparat, quantum est de lege communi, gratiam Dei non accipit, quia in eo locus, ubi gratiam teneat, non existit. Vas enim quod uno liquore est plenum, non capit alterum, nisi prius illo fuerit vacuatum. Hæc sciens B. Apostolus, se in principio suæ pœnitentiæ totum per humilitatem evacuavit, ut sic repleti posset omnibus spiritualibus donis. Sciebat enim dixisse Dominum¹: « Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. » Quid est se abnegare, nisi omnem superbiam cordis abjicere; et post Dominum ire, nisi post dictam jam humilitatem, gratiam pœnitentialem accipere, et sic semper post Dominum ambulare? Nam et ipse in nostrum exemplum prius se humiliavit, pedes discipulorum lavit, etc. Sic cum crucem ascenderet, hanc humilitatem S. Apostolus se habere ostendit, cum Egeæ de cruce sic ait: « Ego crucis Christi servus sum, et cruci trophæum diligere potius debeo, quam timere. » Sed quis hodie humilis? imo quis non toto corde superbus? Vis scire utrum sis humilis? cogita apud te si gloriam appetis, si oblatam respuis, si doles injuriis. Hieronymus²: « Si gloriam non quæris, non dolebis cum injuriam pateris: quia qui laudes non appetit, contumelias non sentit. » Ergo si ad injurias dolere te sentis, non es humilis, sed vento superbiæ plenus existis.

Secundo crux spiritualis habet altitudinem paupertatis. Et debet paupertas esse alta (a), eo quod a terra, quæ loco est infima, tota sit elevata, et Christo sit proxima. Nam altitudo paupertatis primo in Christo rege nostro resplenduit, si attendatur quomodo in præsepio sit collocatus, quomodo super fœnum panniculis involutus, quomodo modico lacte nutritus, quomodo in tota ejus vita paucis contentus, quomodo corpore nudus in cruce clavatus. Bernardus³: « Si totam vitam Domini aspexeris, a partu Virginis usque ad patibulum crucis, non invenies nisi stigmata paupertatis. » Hæc Christi Apostolus dum attendit, omnia propter Christum reliquit, et nudus vitam in cruce finivit. Unde dicitur in Legenda quod expoliavit se, et vestimenta sua tradidit carnificibus. Propter hoc bene poterat dicere illud: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini, etc., per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Illi, qui eum crucifigebant, sic longis clavis eum ligno affigebant, ut nec lignum tangeret, neque per consequens tangebatur: et sic fiebat per hoc, ut fortius per hoc in corpore torqueretur, dum totum corpus super clavos pendere cogebatur. Quid est ergo quod Apostolus, et mundo erat crucifixus, et similiter mundus, nisi quia in mundo fuit pauperrimus? Sed quis hodie cum Apostolo, imo cum ipso Domino pauper est? Quis est qui toto posse divitias, et ultra posse, non quærat? Poeta⁴:

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

O summa fatuitas, et corpus laboribus tantis atterere, et quod est pejus, animam diabolo vendere, ut in damnationem tuam lutum terræ valeas congregare! « Usquequo, propheta ait⁵, congregas contra te depressum lutum? » Dicuntur divitiæ *depressum lutum*, quia sicut bene depressum non facile separatur, sic vix a divitiis cor avari perfecte separatur. Ad paupertatem ergo accipe exemplum Diogenis magni philosophi, qui⁶ pro domo dolium quoddam habebat, panem ostiatim quærebat, cum manu aquam bibebat. Cum serael Alexander coram dolio ejus transiret, ibi aliquantulum gradum fixit, et multa dona ei promisit: cumque ille nihil temporale accipere vellet, et ut acciperet

lib. 1, *Epist.* 1. — ⁵ *Habac*, II, 6. — ⁶ Ita Diog. Laert., in *vit. Diog.*, lib. VI.

(a) *Cæt. edit.* altera.

¹ *Matth.*, xvi, 24. — ² Hieron. — ³ Bern. — ⁴ Horat.,

Alexander instaret, philosophus ait : « Rogo te ut removeas te, et non auferas mihi solem : quia presentia tua nunc mihi nocet, dum mihi solem auferat ; sed absentia nunquam mihi nocuit. » Ergo si tantus amor paupertatis esse potuit in pagano, quid esse debet in Christiano ? Querat divitias paganus, qui sine Deo vivit. Querat Judæus, qui terrenas promissiones accepit. Sed qua fronte Christianus divitias quaerit, postquam Christus beatos esse pauperes prædicavit ?

Tertio crux spiritualis debet habere latitudinem charitatis. *Latum* est enim ¹ *mandatum Dei nimis*. Nec enim amor unquam sic probatur, si sit verus, sicut si pro amore alterius alius moriatur. « Majorem, inquit Dominus ², hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » Unde dum filii Zebedæi peterent a Domino regnum, quod est solum amantium, Dominus ait ad eos ³ : « Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ? » quasi dicat : Nunquam sic amatis, ut pro hoc regno habendo mecum mori parati sitis. Nam de ipso Domino dicitur ⁴ : « Proposito sibi gaudio, sustinuit sibi crucem, omni confusione contempta. » Tanto enim amore ardebat, quod mori pro nobis, et confundi, non solum contemnebat, sed præoptabat. Quod Apostolus dum attendit, mori pro Christo non timuit ; sed pleno gaudio cordis ad crucem accessit. Unde videns crucem, non timuit, non fugit, non oculos ab ea avertit ; sed exclamavit, et dixit : « O bona crux, diu desiderata, sollicitè quaesita, et ideo concupiscenti animo præparata, lætus et gaudens venio ad te, ita ut tu gaudens suscipias me, discipulum ejus qui pependit in te. Salva me, inquit, crux pretiosa, » etc. Si enim tanta est vis amoris, ut multi Romanorum propter amorem patriæ filios et parentes occiderint, et multi ob amorem uxorum seipsos interfecerint, et multi ob dilectionem amicorum nec mori expaverint, quid pro Christo Creatore potentissimo, Redemptore piissimo, Patre benignissimo, Benefactore præcipuo, Magistro doctissimo, debent facere Christiani, qui nos tantum amavit, quod tam impiissimo genere mortis cum sceleratis meri non refugit, sed seipsum obtulit ? Quis ergo amplius mori pro tanto duce pavescit ? Bernardus ⁵ : « Fidelis miles vulnera sua non sentit, dum benigni ducis vul-

nera intuetur. » Filius mortis est ille, qui videns regem gladiis vulneratum, mucrone confossum, sanguine cruentatum, ex bello se subtrahat, et absque bello sine vulnere de bello recedat. Nam milites Alexandri, quamvis numero pauci, et adversarii multi, dum suum regem primo acies hostium invadentem viderent, sic animabantur ad bellum, ut pauci multos sternerent, eo quod mori pro suo rege non refugerent, sed optarent. Nam et apiculae pro sui regis amore sunt mori paratæ. Ergo quid faciendum Christianis pro rege suo, qui pro nobis factus est homo, et ultimo pependit in ligno ?

Quarto crux spiritualis ad suum complementum debet habere longitudinem perseverantiæ, sive longanimitatis. Nemo enim valet aliquid incipere, scutum ad bellum arripere, lanceam fortiter agitare, fortiter hostem invadere, si non de obtenta victoria contingat scutum abjicere. Unde dicitur ⁶, quod contra Hay elevans clypeum tamdiu elevatum tenuit, quousque attrita omnis hostilis potentia fuit. Nemo juxta dominicam sententiam ⁷ debet turrim fundare, nisi habeat ut possit perficere, nec bellum arripere, nisi habeat milites cum quibus possit adversariis obviare. Ob hanc causam, cum principes sacerdotum dicerent ⁸ : « Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, ut videamus, et credamus ; » Dominus ob hoc descendere noluit, sed, quod cepit, usque ad finem tenuit, et opus redemptionis humanæ complevit. Sic et beatus Andreas, sicut in legenda ejus dicitur, de cruce deponi noluit ; sed usque ad mortem in cruce permansit. Et lege historiam, quia est valde pulchra, et diligenter narra. Sed quis hodie perseverat in cruce pœnitentiam agens usque in finem ? Qui enim in Quadragesima pœnitentiam accipiunt, post Pascha statim ab ea recedunt, et ideo omne meritum suum perdunt. Narra hic de pœnitentia Magdalene, et illius Mariæ Ægyptiacæ, quæ triginta annis in deserto permansit, et tamdiu, quod cepit, tenuit, deinde ad bravium concupitum pervenit. Ad quod perducatur nos Jesus Christus.

SERMO III^o.

Proposito sibi gaudio sustinuit crucem ⁹. Communiter apud gentes consuetudo inolevit, ut currentibus in stadio præmium cursus, corona,

¹ *Psal.* CXVIII, 96. — ² *Joan.*, XV, 13. — ³ *Matth.*, XV, 22. — ⁴ *Hebr.*, XII, 2. — ⁵ *Bern.* — ⁶ *Jos.*, VIII,

9. — ⁷ *Luc.*, XIV, 28, 29. — ⁸ *Marc.*, XV, 32. — ⁹ Hunc non habet edit. Hagen. — ¹⁰ *Hebr.*, XII, 2.

vel bravium proponitur (a). Est etiam mos apud reges, ut militibus pugnaturis donaria promittant, ut ex donatione futura ad prælium animentur. Laborat enim in vinea fortius, et lignem amplius levat, et velocius habitat, quando bonum præmium quis expectat. Unde dicitur¹: « Ostenderunt elephantibus sanguinem uvæ et mori, ut acuerent eos ad prælium. » Unde Apostolus, cum currentes ad bravium propositum electionis invitat, dicit²: « Sic eurrite, ut comprehendatis. » Si enim sic currunt mortales ad corruptibile bravium, qualiter putas esse currendum ad bravium sempiternum? Dominus ergo electis suis pugnantibus, ut fortiter præliantur, et ab hostibus non vincantur, bravium proponit æternum, quod tanti valoris esse probatur, ut pro eo magis mori, quam vivere, a fidelibus eligatur, et propter hoc de nobilissimo isto Christo (b) milite propriissime dicitur: *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem*: quia dum sanctus Apostolus gaudium illud æternitatis aspexit propositum Dei filiis et electis, constanter et gaudenter patibulum crucis ascendit. Unde poterat dicere illud³: « Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus. » Aspiceret, est ex consideratione mercedis æternæ portare crucem. Nam palma, quæ arbor victorialis erat, crucem significat, per quam de diabolo omnis homo triumphat. In verbo ergo præmisso de hoc sancto Apostolo sic accepto, duo maxime notantur: nam primo proponitur ei præmium quo erat coronandus in patria; secundo tangitur ejus excellentissimum meritum, quo claruit luculenter in via. Primum notatur, cum dicitur: *Proposito sibi gaudio*. Secundum vero notatur, cum additur: *Sustinuit crucem*. Sed de gaudio multiplex temporalis quære abundanter in sermonibus de *Adventu*, et sic de aliis. Notandum est igitur hic, quod est duplex crux, una materialis, alia spiritualis. Prima est interior, quæ portatur in corde; secunda est exterior, quæ consistit in opere. Crux corporalis bonorum est et malorum; sed spiritualis est tantum beatorum. Utrumque portavit Apostolus. Sed de prima habetur plenissime in *Legenda*: et ideo de secunda, quæ tantum bonorum est, prædicatio est texenda.

Est igitur attendendum, quod sicut crux ma-

terialis habet quatuor brachia, sic et crux spiritualis habet quatuor alia, duo directa, et duo transversalia. Nam in utraque cruce est brachium infimum, quod totius crucis est fundamentum; est brachium dextrum; est brachium sinistrum; et est brachium supremum. In cruce igitur spirituali brachium infimum est penitentia consideratione malorum; brachium supremum erit misericordia respectu afflictorum; brachium dextrum erit temperantia respectu prosperorum; et brachium sinistrum erit patientia ex tolerantia tormentorum. Nam hæc quatuor virtutes sunt illa quadriga, qua in paradisu deliciarum est translatus Elias, sicut habetur⁴.

Dicamus ergo quod primo (c) brachium (d) infimum crucis est penitentia respectu peccatorum: quæ est virtus bonorum omnium fundamentum. Sicut enim baptismus est porta intrantium, sic penitentia porta est resurgentium: quia dum per eam peccatum destruitur, homo ad innocentiam reparatur. Unde ad hoc signandum natura docuit apes pro fundamento sui operis quamdam crustulam amaram componere, ut dum arcentur vermes ex ejus amaritudine, sua mella dulcissima possent (e) facilius conservare: quia nisi amaritudine penitentiae deleantur peccata, bona non degustantur æterna. Quod sanctus Apostolus cernens, fortem penitentiam egit, carnem afflixit, et spiritui servire coegit. Unde poterat dicere cum apostolo Paulo illud⁵: « Christo confixus sum cruci, » id est: Propter Christum inveniendum amaræ penitentiae supposui corpus meum, ita ut dicere possem illud apostolicum⁶: « Castigo corpus meum, et in servitatem redigo, ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus inveniar. » Sed quis hodie est, qui cum Apostolo penitentiam agat? « Attendi, inquit Dominus per Jeremiam⁷, et auscultavi: nemo quod bonum est loquitur, nec est qui penitentiam agat super peccato suo, dicens: Quid feci? » Sed sciat omnis impœnitens, quod sicut aqua amara nunquam fit dulcis, nisi fuerit ante purgata, sicut patet in aqua maris, quæ fit dulcis in visceribus terre fortiter agitata: sic et ab amaritudine vite nunquam pervenitur ad gloriam, nisi per penitentiam anima fuerit a peccatis exuta. Propter quod Dominus prædicationem suam incepit a penitentia, dicens⁸: « Penitentiam

(a) *Leg.* proponatur. — (b) *Leg.* Christi. — (c) *Cæt. edit.* primum. — (d) *Item add.* et. — (e) *Leg.* possint.

¹ I *Mach.*, VI, 34. — ² I *Cor.*, IX, 24. — ³ *Cant.*, VII, 8. — ⁴ IV *Reg.*, II, 11. — ⁵ *Gal.*, II, 19. — ⁶ I *Cor.*, IX, 27. — ⁷ *Jerem.*, VIII, 6. — ⁸ *Matth.*, IV, 17.

agite, » etc. O! si scirent peccatores qualis est pœnitentia peccatorum damnatorum, de qua dicitur ¹: « Pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes, » omni tempore llerent, ut sua peccata delerent et purgarent. Unde requisitus quidam sanctus pater quare sic se affligeret, et sic jejunaret, et tantis vigiliis insudaret, ait: Omnis pœnitentia hujus vite, pœna quantumcumque sit magna, est sicut nulla, si ad illius pœnæ unicam horam fuerit comparata. Dixit etiam quod tanta est gloria, quæ debetur homini pro hac pœna, quod in illa ultima retributione Abraham vellet amplius laborasse: quia, ut dicit Apostolus ², « unusquisque accipiet secundum suum laborem. »

Secundo (a) summum brachium crucis spiritualis est misericordia respectu afflictorum. Nam compati alteri ex vero corde, est quodammodo crucem portare, sicut dicit Gregorius ³. De hac exponitur illud ⁴: « Stabat juxta crucem Jesu mater ejus, » etc. Nam tanta fuit compassio matris ad filium, quod anima ejus fuit summi doloris gladio perforata: ita quod nullus unquam matris tantus potuit esse dolor. Fuit etiam tanta compassio filii ad matrem, quod dum eam sic afflictam videret, ei ex intimis visceribus condolens, eam amantissimo discipulo commendaret. Hac etiam compassione fraterna transfossus Apostolus dicebat Ægæ: « Ego de tuo interitu doleo, non de mea passione conturbor. Meus enim dolor unius diei, vel duorum vel trium; sed tuus interitus nec per millia annorum poterit pervenire ad finem. » Item ex compassione illi succurrit episcopo, quem diabolus sub specie mulieris laboravit subvertere, sicut patet in fine Legendæ. Item ex passione pro salute Nicolai senis lacrymas multas fudit, et juvenem illum pulchrum ab accusatione matris eripuit. Et hæc duo miracula quasi in principio invenies Legendæ. Poterat ergo illud dicere ⁵: « Quis infirmatur, et ego non infirmor? » Sed quis hodie compatitur proximo? Compatitur paganus pagano, Judæus Judæo; imo quod majus est, brutum bruto. Sed Christianus vix compatitur Christiano. Narrat enim romana historia, quod dum legati Carthaginensium ad suos captivos redimendos venissent in Urbem, senatus romanus compassione confossus, nulla ab eis accepta pœnnia,

captos omnes juvenes reddidit numero duorum millium septingentorum quadraginta trium. Nunquam hodie sic faciunt Christiani. Quod si non Romanorum te movet exemplum, audi exemplum brutorum. Upupa avis vilissima tanta ad parentes suos pietate movetur, ut illis senescentibus sollicitè quærat cibum, et eos suis pennis confoveat, ne frigore pereant.

Tertio dextrum brachium crucis spiritualis est temperantia respectu prosperorum. Vere enim dicuntur crucem ferre, qui noverunt a deliciis abstinere, et carnem, ne valeat lascivire, sobrietate coercere. Unde dicitur ⁶: « Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. » Sed gulosi filii diaboli dant omnia ventri. Contra quos dicitur ⁷: « Multi ambulat, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, » etc. Non talis fuit hic sanctus apostolus; sed sicut dicitur in Legendæ de miraculo S. Nicolai, pro eo se valde afflixit, et carnem jejunando maceravit; nec jejunium relaxavit, quousque se exauditum esse cognovit. Ipse etiam senex Nicolaus, eo præcipiente, plurimum se afflixit, et carnem jejuniis duris attrivit. Quis unquam sanctorum absque hac temperantia fuit? Lege vitas monachorum Ægypti, et eorum, qui in desertis et solitudinibus morabantur, quibus vinum bibere, vel coctum aliquid manducare, luxuria videbatur, ut Hieronymus ⁸ narrat. Et quid mirum Christianis, quando Romanorum uxores, quando adhuc pagani erant, tantæ in omnibus temperantiæ erant, ut juxta Valerium Maximum ⁹, vix aut nunquam egrederentur in publicum, detestarentur secundum (b) matrimonium, quasi intemperantiæ signum, nec unquam bibebant vinum, eo quod esset ad luxuriam incentivum: similiter et viri ¹⁰ adeo sobrie comedeabant, ut vix verum esse, qui legerit, credat. Confundatur ergo vestra lascivia simul et gula, quæ non contenta, etiamsi habeat vina, semper quærit nova et exquisita cibaria, non dimittit pro bono prandio bonam cœnam. Quod leo, animal gulosum, non facit; sed dum bene una die se pascit, per tres dies abstinendo quiescit.

Quartum brachium, scilicet sinistrum hujus crucis, est patientia respectu adversorum. Recte

¹ Sap., v, 3. — ² I Cor., v, 8. — ³ Greg., in Evang., hom. xxxvii, n. 5, quoad sensum. — ⁴ Joan., xix, 25. — ⁵ II Cor., xi, 29. — ⁶ Gal., v, 24. — ⁷ Philip.,

ii, 18. — ⁸ Hieron., Vit. S. Hilarion. — ⁹ Valer. Max., lib. II, c. 1, n. 3 et 5. — ¹⁰ Ibid., c. III, n. 5-14.

(a) Cæt. edit. Secundum — (b) Item sibi. Valer. Max. multorum matrimoniorum experientiam.

enim a sanctis appellatur martyrium, quando quis in pœnis pœnitentiam exhibet propter Christum. Gregorius ¹ : « Sine ferro et flammis martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter conservemus. » Ob hanc causam sanctus iste Apostolus ab infidelibus captus, ad patibulum ductus, in cruce suspensus, et patientiam exhibuit, et in ea usque ad mortem perseveravit : imo tantam patientiam, in cruce pendens, ostendit, quod commoti populi dixerunt ad judicem : « Trade nobis hominem sanctum, redde nobis hominem sanctum, redde nobis hominem Deo charum, justum, mansuetum, et pium : » quia jam ecce biduo pendens in cruce non cessabat monere populum. Sciebat enim sanctus Andreas Dominum docuisse ² : « Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. » Quid est enim crucem accipere, et Dominum sequi, nisi patientiam servare, dum contingit affligi ? Nam qui non servat patientiam in adversis, dignus Christi gratia non existit. Numquid sub capite vulnerato, spinis undique perforato, arundine tam dire percusso, et alapis cæso, membrum transire poterit sine bello ? Numquid rege lancea perforato, et sanguine toto corpore eruentato, miles quiescit sub suo tentorio ? Legitur enim ³, quod Alexandro Macedone rege sæculi idolis immolanti, puer nobilis cum thuribulo et incenso astabat, super cujus brachium carbo ardens delapsus est : licet ergo ignis carnes adureret, ita ut odor exustionis ad nares omnium astantium perveniret, puer tamen adeo patiens fuit propter reverentiam domini sui regis, quod non solum dolorem silentio pressit, sed brachium omnino immobile tenuit, tanquam vilipenderet pœnam ignis. Ergo si tanta fuit patientia ob reverentiam regis dæmonibus immolantis, quanta deberet esse in hominibus christianis ad suum regem, qui ad hoc propter nos pati voluit, ut nos patientes esse doceret ? Sed plorandum est, quia obliti patientiæ illius agni mundissimi, non solum facta, sed nec portare possumus verba, quin exquiramus toto posse vindictam. Non sic Dominus, de quo dicitur ⁴ : « Cum malediceretur, non maledicebat ; cum pateretur, non comminabatur. » Si talis Dominus, qualis deberet esse servus ? Christus ergo, qui est patientia nostra, det nobis gratiam sic patiendi.

¹ Greg., in *Evang.*, hom. XXXV, n. 7. — ² *Matth.*, x, 38. — ³ Valer. Max., lib. III, c. III, extern. n. 1.

DE S. NICOLAO EPISCOPO.

SERMO PRIMUS ⁵.

Præcedat Dominus meus ante servum suum, et ego sequar paulatim vestigia ejus ⁶. Rationabile valde est, et justitiæ consonum, ut miles, dum aliquid agit strenuum, semper præ oculis habeat sui ducis exemplum. Nam videmus in gruibus, quod una ex eis semper agmen præcedit, et semper clamando ad recios volatus cæteras cogit. Apes etiam quando a suis alvearibus exeunt, a rege oculos non avertunt, sed semper ad eum intendunt, et eo eunte vadunt, et, eo se deponente, et ipsæ deponunt se. Nam et in exercitu uno dux est unus : in navi unus est gubernator : in domo paterfamilias unus, ad quos omnes tendunt, quibus obediunt, et eorum sequuntur exempla. Unde Dominus dixit Moysi ⁷ : « Vide omnia, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. » Et Dominus dixit apostolis in *Joanne* ⁸ : « Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. » Hoc ergo beatus Nicolaus attendens et loquens ad Dominum, ait : *Præcedat Dominus servum suum, et ego sequar paulatim vestigia ejus*. Quasi diceret : Tu Dominus, ego servus : tu exemplar, ego exemplatus : tu forma, ego vero formatus. Ergo tuum est præcedere, tuum præcipere, et tuum ostendere ; sed meum est sequi te, et tibi per omnia obedire. Et ad litteram, sicut dicit Augustinus, « Dominus præcessit, viam servis salutis ostendit, et ostium quo erat intrandum aperuit, quando dixit : *Ego sum via* ⁹, *ego sum ostium* ¹⁰. » Juxta hoc ergo beatus Nicolaus in verbo prædicto maxime facit hæc duo. Primo enim loquens ad Christum, ipsum Dominum esse fatetur ; secundo, convertens parabolam ad se ipsum, se velle sequi Dominum, pollicetur. Ergo sibi primo proponit Dominum, tanquam exemplar vivum, imitari ab omnibus dignum. Secundo suum patefacit affectum, et spondet effectum. Est tamen notabile quod dicit : *Paulatim sequar* ; quia non possumus Salvatoris vestigia ex toto sequi, sed debemus, quantum possumus, ipsam in suis vestigiis imitari. Est igitur notandum, quod Domini vestigia quædam fue-

Exemplum de apibus.

— ⁴ *1 Petr.*, II, 23. — ⁵ Hunc non habet edit. Hagen. an. 1496. — ⁶ *Gen.*, XXXIII, 44. — ⁷ *Exod.*, XXV, 40. — ⁸ *Johann.*, XIII, 13. — ⁹ *Ibid.*, XIV, 6. — ¹⁰ *Ibid.*, x, 7.

runt profundissimæ humilitatis, immensissimæ pietatis, latissimæ charitatis, plenissimæ potestatis. Et ista vestigia sanctus Nicolaus secutus fuit, quantum possibile sibi fuit : nam secutus est vestigium humilitatis, in devincendo seipsum; vestigium pietatis, quantum ad proximum; vestigium charitatis, proximo impendendo seipsum; et aliquantulum vestigium potestatis, in opere signorum.

Dico quod sanctus Nicolaus primo est Christum secutus quantum ad humilitatis vestigium. Dominus enim summe humilis fuit, dum formam servi accepit, dum servis in ea servivit, et usque ad lavandos pedes servorum se Altissimus inclinavit. Nam de humilitate summa sic admiratus est Petrus, ut diceret ¹ : « Domine, tu mihi lavas pedes? » Tu Dominus mihi servo, tu Dominus mihi nullo ², tu sapientissimus mihi inscio, tu Dominus nobilissimus mihi piscatori vilissimo? Nam, inquit ³, « non lavabis mihi pedes in æternum. » O stupenda Salvatoris humilitas, in qua tantum exinanivit se divina majestas, ut sic admiretur apostolica dignitas! Non enim tantum in incarnatione se exinanivit, nec tantum in conversatione servis ministravit; sed in ipsa passione se inclinavit usque ad vilissimum genus mortis ⁴ : « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. » Erat autem crux supplicium non nobilium, sed latronum. Unde maledictus dicebatur in lege ⁵ « omnis qui pendebat in cruce. » Hoc sanctus Nicolaus attendens, et humiliter incœpit, et humiliter mediavit, et humiliter consummavit. Nam humilitas magna fuit, quando illi, cui ad nuptias filiarum clam aurum projecit, ne nomen ejus alteri panderet, imperavit. Magna humilitas, quod a præsule hora matutinali captus, et cuius nominis esset requisitus, columbinæ simplicitatis, ait : « Nicolaus vocor vestræ sanctitatis servus. » Magnum etiam humilitatis signum fuit, quando episcopatum toto posse renuit, et coactus non in superbiam se erexit sed eandem quam prius humilitatem servavit, et multa talia, quæ humilitatem ejus probant, invenire poteris in Legenda. Unde de eo convenienter potest exponi illud quod dicitur de Ezechia ⁶ : « Adhæsit Domino, et non recessit a vestigiis ejus, fecitque mandata ejus, quæ præ-

ceperat Dominus Moysi. » Sed quis est hodie, qui gloriam mundanam non quærat? Pagani gloriam fugiebant, quam non refugiunt, sed contra Deum appetunt Christiani. Nam ⁷ « Fabius Maximus Romanus, eum a se quinquies, et a patre avo, et proavo sæpe officium consulatus gestum esse cerneret, dum ejus filius consul factus esset, quantum potuit, constanter eum populo egit, ut vocatio hujus honoris a sua familia tolleretur, et alteri traderetur : non quod crederet filium non sufficere ad regimen consulatus, cum esset prudentissimus, sed ne Romanorum imperium in una tantum familia poneretur. » Ergo si honorem tantum respuebant pagani, quid ergo deberent facere Christiani?

Secundo sanctus Nicolaus secutus est Christum ad pietatis vestigium. Nam Christum fuisse piissimum monstrat Evangelium : nam ipsius pietatem probant verba, probant exempla. Ipse enim sæpe dicit, quod ⁸ « non venit animas perdere, sed salvare; » et quod ⁹ « non venit ut judicet mundum, sed ut mundus salvetur per ipsum. » Exempla sunt plurima : de muliere in adulterio deprehensa ¹⁰, quam juxta legem lapidari non jussit, sed absque omni pœna a peccatis absolvit, liberam abire præcepit, et solum, ne peccaret, amplius imperavit. Exemplum aliud accipe in filio prodigo ¹¹, qui omnibus suis bonis luxuriose consumptis, dum ad patrem misericordiam petiturus accessit, pater, ut ad eum usque veniret, non expectavit; tanquam nihil mali egerit, obviam illi venit, in amplexus et oscula ejus ruit, annulum in manum ejus dari præcepit, eum calceari mandavit, et maximum convivium illi fecit. Exemplum etiam in servo est ¹², qui a domino per misericordiam decem millia talentorum accepit, servo suo, qui debet ei centum denarios, non pepercit : propter quod revocatus a domino audire oportuit : « Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? » Præcepit ergo eum ligari, et tortoribus tradi, donec redderet omne quod dimissum fuit sibi. Hæc ergo exempla, et plura etiam alia sanctus Nicolaus attendens, ideo toto suo posse studuit esse pius. Nam omne patrimonium suum, quod fuit amplissimum, expendit in usus

¹ Joan., xiii, 6. — ² Locus corruptus. — ³ Joan., xiii, 8. — ⁴ Philip., ii, 8. — ⁵ Deut., xxi, 23; Gal., iii, 13. — ⁶ IV Reg., xvii, 6. — ⁷ Valer. Max.,

lib. IV, c. 1, n. 5. — ⁸ Luc., vi, 56. — ⁹ Joan., iii, 17. — ¹⁰ Ibid., viii, 3 et seq. — ¹¹ Luc., xv, 13 et seq. — ¹² Matth., xviii, 24 et seq.

Exemplum.

Exemplum.

Exemplum.

Exemplum aliud.

indigentium, ab illo incipiens milite, qui filias suas ex vitæ necessitate, paupertate cogente, statuerat prostituere. Sæpe etiam indigentibus eleemosynas ministravit, famescentibus populis frumenta distribuit, sicut in miraculo illo apparuit, ubi a nuntiis Imperatoris frumenta detraxit, quibus quod minorem mensuram non invenirent frumenti promisit, et sæpe captivis, et morti adjudicatis ex maxima pietate subvenit, sicut plene ipsa Legenda ostendit. Unde poterat dicere sanctus Nicolaus illud ¹: « Vestigia ejus, » supple pietatis, « secutus est pes meus. Viam ejus custodivi, et non declinavi ab ea. » Sed quis hodie habet hanc pietatem? imo, quis non est plenus crudelitate? Insidiantur nunc ² « quasi leo in spelunca sua, ut rapiant pauperem. » Pejores et crudeliores hodie sunt Christiani, quam fuerunt olim pagani. Narrat enim Valerius Maximus ³, Romanos olim tanta fuisse præditos pietate, quod pauperibus mortuis expensis communibus exequias facerent, adversariis regibus, et captivis, expensas regias ad sepeliendum exhiberent, et naufragis a mari liberatis magnificas expensas impenderent, et ab eis civibus captis pietatis lacrymas exhiberent. Nota exemplum. Marcellus ⁴ dum Siracusanam civitatem cepisset, et ejus casum de sublimi arce conspiceret, dum ejus casum tam gravem attenderet, lacrymas continere non potuit. Sed contra hodie Christiani afflictis non condolent, sed super eos potius risum movent, ut adimpleatur illud Prophete ⁵: « Et nihil compatiebantur super contritione Joseph. » Exemplum accipe de Joseph et fratribus, quem occidere voluerunt, quem tam vili pretio extraneis gentibus venderunt.

Tertio sanctus Nicolaus secutus est Christum, quantum ad vestigium charitatis. Quis enim est sufficiens enarrare dominicam charitatem, propter quam homo voluit fieri, propter amorem hominum capi, oculis velut latro velari, manibus a tergo ligari, toto corpore flagellari, a militibus sibi illud, palmis in faciem caedi et conspui, arundine in capite perenti, vestibus spoliari, nudus in cruce elevari, duris clavibus affligi, lancea vulnerari, et ad iudicium mortis adduci. Unde et clamat Jeremias ⁶: « Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum. »

O duri et insensati filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tam ingens flamma amoris! Hoc sanctus hic Confessor attendens, sic totum se ad amandum Deo dedit, sic per amorem ad Christum exarsit, ut posset dicere illud ⁷: « Ego non solum alligari cupio, sed mori paratus sum pro nomine Domini nostri Jesu Christi. » Scivit enim scriptum esse ⁸: « (Ipse enim) Christus pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, » et si non semper mortis, saltem amoris. Unde posset exponi de beato Nicolao illud ⁹: « Nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari. » Per *nubeculam*, quæ aquam terris infundit, hujus Sancti intellige pietatem, sive eleemosynarum largitatem; per *nubeculam parvam* ejus nota humilitatem; sed per *nubeculam de mari ascendentem*, ejus accipe charitatem, quam in mari tribulationis ad Christum servavit. Unde notabiliter dicit: *Quasi vestigium hominis*, id est, secundum formam amoris, quæ apparuit in Filio hominis, sive sacratissimæ Virginis. Dicit tamen, *quasi*, quia non potuit tantus amor esse in milite, quantus fuit in Rege. Sed quis hodie hoc ardet amore? Vere magis fuisse in antiquis legitur vis amoris amici ad amicum, uxoris ad virum, quam Christiani hodie sint ad Christum. Portia majoris Catonis filia et Bruti Romanorum nobilissimi uxor, cum cognovisset sui viri consilium, quod de Cæsare interficiendo ceperat, egresso cubiculum Bruto, cultellum tonsorium, quasi unguium resecaudorum causa poposcit, eoque, velut forte elapso, se vulneravit: clamore deinde ancillarum in cubiculum revocatus Brutus, objurgare eam cepit, quod tonsoris præripuisset officium. Cui secreto Portia: « Non est hoc, inquit, temerarium factum meum; sed in tali statu nostro, amoris mei erga te certissimum indicium. Experiri enim volui, si tibi propositum ex sententia parum cessisset, quam æquo animo me ferro essem interemptura. » Hæc Valerius Maximus ¹⁰. Cumque postmodum eum corruisse in bello audisset, cum gladium habere non posset, carbones ab igne subtraxit, et in os sibi posuit, et sic vitam ob mariti amorem insolito modo finivit. Ergo si tantus potuit esse amor uxoris ad virum, quantus deberet esse animæ Christi sponsæ ad Christum?

Quarto beatus Nicolaus secutus est aliquantulum

¹ Job, XIII, 11. — ² Psal. X, 9. — ³ Valer. Max., lib. V, c. 1, n. 2, 4, 10. — ⁴ Ibid., n. 4. — ⁵ Amos, VI, 6. — ⁶ Jerem., XII, 7. — ⁷ Act., XXI, 13. —

⁸ 1 Petr., II, 21. — ⁹ III Reg., XVIII, 44. — ¹⁰ Valer. Max., lib. III, c. II, n. 15.

Exemplum.

Exemplum.

Exemplum.

Christum, quantum ad vestigia potestatis in opere signorum. Nam inter sanctos omnes temporibus suis maximis miraculis claruit et stupendis, sicut de eo sancta Ecclesia in oratione dicit : *Deus, qui beatum Nicolaum innumeris decorasti miraculis* : de quibus quædam in Legenda sunt posita, quædam supra narrata. Nam ego unum ponam, et alibi scriptum est, quam in ipsa Legenda. Nam duo scholares nobiles et divites, multumque secum auri deferentes, Athenas ad philosophandum pergentes, prius sanctum Nicolaum videre volentes, ut se ejus orationibus commendarent, in civitatem, in qua degebat Episcopus, advenerunt. Quos hospes tam divites cernens, maligno spiritu pulsatus, eos occidit, et more porcorum in frusta concidit, et eorum carnes in vase salivit. Quod sanctus Nicolaus dum ab Angelo cognovit, in domum hospitis mox accessit, et quidquid fecerat, indicavit, eumque valde arguit, et tandem orando pueros suscitavit. Quia ergo in opere miraculorum imitatus est Christum, potest de eo exponi illud quod de Christo dicitur ¹ : « Venient ad te, qui detrahebant tibi, et adorabunt vestigia pedum tuorum. » Rogemus ergo Dominum.

SERMO II².

Servus meus es tu, Israel ³. Ut verbis utar Augustini ⁴, « duas vitas sibi divinitus prædicatas novit Ecclesia, quarum una dicitur activa, altera contemplativa : prima est in via, secunda est in patria : prima in labore, secunda in requie : prima declinat a malo, et facit bonum; secunda nullum habet a quo declinet malum, et magnum habet, quo perfruatur, bonum. Propterea prima cum hoste pugnat; secunda sine hoste regnat. Prima carnales libidines frænat; secunda divinis contemplationibus vacat. » Et concludit : « Ergo prima, id est activa, est bona, sed adhuc misera; sed secunda, id est contemplativa, est melior, et beata. » Ab his duabus vitis in verbo præmisso beatus Nicolaus commendatur a Christo. Nam primo commendatur ab excellentia operis, in activa, qua adhuc mortalis emicuit; secundo commendatur ab excellentia dulcedinis in contemplativa, quam nunc Sanctus immortalis accepit. Primum ergo spectat ad meritum, quo laboramus in via; secundum autem ad præ-

mium, quo quiescit in patria. Primum notatur, cum dicitur : *Servus meus es tu*; secundum vero, cum additur : *Israel*. Israel enim interpretatur *vir videns Deum*. Et significat virum beatum, et divina visione dotatum. Dicamus ergo, sive potius dicat Christus : *Servus meus es tu*. Est igitur notandum ad instructionem audientium, quod quidam hominum serviunt mundo, corpori suo, diabolo, Christo. Nam serviunt mundo cupidi, et avari; serviunt ventri suo gulosi, et lascivi; serviunt diabolo tumidi et superbi; sed serviunt Christo humiles et abjecti.

Sunt igitur quidam hominum, qui serviunt principaliter mundo, sicut omnes avari, et mercatores mali, raptores, et usurarii, iudices et advocati, et communiter principes et tyranni. Hi quasi omnes diligunt plus aurum quam Deum, imo plus equum, unum asinum, immo sæpius unum modicum nummum, quam Christum. Probatio hujus est : quia pro uno nummo acquirendo, mentiri et perjurare non curant, et nummum si perdant, pulverem more galli sollicite versant, nec cessant, donec inveniant; sed de Christo perditto nihil curant, ita quod sæpe in tota vita sua vix semel pœnitentiam accipiant. Sunt enim tales Juda peiores : quia ille triginta denariis vendidit Christum, quem forte hominem credebat esse purum; isti pro uno denario vendunt Christum, imo aliquando nec lucrantur nummum, pro quo tradunt eum, quem tamen credunt esse Deum, et iudicem esse venturum, vel futurum. Tales ergo mœnentur in prima Canonica Joannis ⁵ : « Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt : quia omne quod in mundo, » etc. Quare mundus diligendus non est, nec ei serviendum est, quia Deo contrarius est. Propter quod dicitur ⁶ : « Nemo potest duobus dominis servire, » scilicet Deo, et mammonæ. Item mundus diligendus non est, nec ei serviendum est, quia cum sit vanus, servos suos adjuvare non potest : ubi enim sunt tyranni, qui modo facti sunt servi? Nam Alexander ⁷, postquam totum orbem in oriente obtinuit, et totius Europæ legatos accepit, subito veneno interiit. In tantum enim Alexander cupidus fuit, ut sibi totum mundum sufficere posse non crederet. Unde cum quidam philosophus sibi diceret quod multi essent mundi, cogitabat, et æstimabat quomodo omnibus imperare posset. Ratio au-

Israel
quid.Exem-
plum.

¹ Isa., LX, 11. — ² Hunc habet edit. Hag. an. 1496. — ³ Isa., XLIV, 21. — ⁴ Aug., in Joan., tract. CXXIV,

n. 5. — ⁵ 1 Joan., II, 15-16 — ⁶ Matth., VI, 24. — ⁷ Plutarch.

tem quare terrena non sentient, alibi recolo me dixisse.

Secundo sunt quidam, qui serviunt corpori suo, et de his ¹: « Hujusmodi non serviunt Deo, sed suo ventri. » Et ²: « Quorum Deus venter est. » O servitus vilissima, habere corpus pro Deo, quod juxta Bernardum³ non est aliud, quam « saccus stercorum, sentina fœtorum, et cibus vermium. » Cogita, gulose, quod non nisi fœtidum tuo egrediat ex corpore. Nam videmus terram herbas producere odoriferas, metalla, lapides pretiosos, et plantas; sed tuum corpus, per singula sua foramina, res marcidas prodit, et fœtidas. Item plantæ omnes, et arbores producunt de se frondes, et flores et fructus; tu de tuo corpore sputa fœtida, urinam, et stercus. Illæ de se producunt suavissimos cibos; tu de tuo corpore pediculos, et lumbricos. Illæ de se spirant suavitatem odoris; tu de tuo corpore abominationem fœtoris. Hæc omnia invenimus in libro *de Contemptu mundi*. Propter hæc omnia dicit Seneca ⁴: « Major sum, et ad majora natus, quam ut fiat mancipium corporis mei. » Contrarium namque est, ut servi in equis vadant, et domini in terra incedant. Est ergo corpus verberibus, jejuniis macerandum, et vigiliis edomandum, ne sit sicut equus sine calcaribus, et fræno, et sicut bos sine stimulo qui lascivit in prato. Majus est enim corpus proprium subjugare, quam sibi regna subjicere; quia, sicut Seneca dicit: « Multi regiones et urbes subjugare potuerunt, qui tamen suis corporibus serviunt, et ea quæ sunt vitia carnis, non subjugaverunt. » Accipe Alexandri exemplum, de quo narrat Græcorum Historia, quod omnes reges excessit, et generositate nature, et corporis venustate, et animi virtuositate. Nam in subeundis periculis constans erat, in rebus movendis velox, fidelis in deditos, clemens in captivos, munificus in servos, et liberalis in omnes; ita ut sæpe majora daret, quam ab eo petere quis auderet. Erat utique vir singularis audaciæ, patiens laborum, et nihil sibi arduum, nihilque difficile videbatur. Omnis periculi, et maximæ multitudinis erat contemptor; primus semper aciem invadebat, et si quandoque fortissimos esse hostium cuneos advertabat, illud irruerat. Nullum unquam bellum perdidit, nullam civitatem obsedit, quam non ceperit; et cum omnium

Exemplum.

victor esset, a seipso devictus est. Quem arma totius Orientis vincere non potuerunt, carnis vitia devicerunt. Unde a vino et luxuria superatus est. Ex quo concluditur, quod sit majus subjugare seipsum, quam vincere totum mundum.

Tertio sunt quidam qui serviunt diabolo, et hi maxime sunt superbi, de qua servitute dicitur ⁵: « A quo quis superatus est, ejus et servus est. » Ergo qui se a diabolo superari permittunt, diaboli servi fiunt. Unde ibidem dicitur ⁶: « Servi ejus estis cui obedistis. » Hæc enim servitus est mala, illi servire, qui continue me querit occidere, a summo subtrahere, ad pœnas æternas adducere. Unde dicitur ⁷: « Servietis diis alienis qui non dabunt vobis requiem die ac nocte, » quia nec die præsentis vitæ, nec in nocte tenebrositatis æternæ. Qui enim serviunt nunc, vel mundo, vel corpori suo, vel ipsi diabolo; et nunc semper sunt in peccati opprobrio, et confunduntur in judicio, et tandem cruciabantur æternaliter in inferno.

Quarto sunt quidam, qui serviunt Deo, et isti sunt omnes justii, qui nunc semper humiles et despecti, qualis fuit beatissimus Nicolaus. De istis enim servis dicit Dominus ⁸: « Cum omnia, inquit, benefeceritis, dicite quia servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. » Hoc autem ideo dixit, ut semper de se humilia sentiant, ne per superbiam evanescant. O quam securum, quam fructuosum est huic regi servire, qui nihil querit a servo, quod sibi sit inutile, sed solum quod servo sit ad salutem! Augustinus ⁹: « Nihil Deus jubet quod sibi prosit, sed illi cui jubet. » Mirum est quomodo cum sancto Nicolao non omnis mundus Deo huic servit, tam potentissimo ad adjuvandum, tam sapientissimo ad consulendum, tam liberalissimo ad subveniendum, tam benignissimo ad parendum; et e contra non servient tam severissimo ad puniendum. Dicitur enim de Alexandro, quod liberalissimus militibus erat, et omnia illis dabat, quæ in prædam ex bonis hostium inveniebant: sic eos ad serviendum sibi subjugaverat, quo l ad moriendum pro eo beatum esse credebant. Ergo qualiter est Domino serviendum, qui non ut Alexander solum tribuit bona fortunæ, sed dat tot bona ex parte corporis simul et anime, dat tot bona gratiæ, tot bona scientiæ, et promittit tot bona

Exemplum.

¹ Rom., XVI, 18. — ² Philip., 1, 19. — ³ Bern., —

⁴ Senec., — ⁵ 1 Petr., II, 19. — ⁶ Ibid., 19. — ⁷ Jerem., XVI, 13. — ⁸ Luc., XIV, 10. — ⁹ Aug.,

gloriæ, non transitoria, sed æternæ. Nam hæc sanctus Nicolaus attendens, adhuc infantulus jejunare incœpit, et mammas quarta et sexta feria semel bibens, non ultra lac requirebat. Item ultra, quæ habere potuit, in pauperum et indigentium usus expendit. Item orationi vacans sæpe ecclesias visitabat, humilitatem servabat, et omnia Deo displicentia declinabat, et ideo maxima miracula in omnibus gentibus faciebat. Lege in Legenda hæc omnia, et postea prædica, et adapta, ut voles : *Christus Jesus Filius Dei beati Nicolai precibus*, etc.

DE S. AMBROSIO EPISCOPO.

SERMO PRIMUS ¹.

Dedi te in lucem gentium ². Tres naturas legimus a Deo creatas : unam opacam; alteram transparentem et perviam, sicut est in igne, aere, et aqua; aliam luminosam et lucidam, sicut est in cœlesti natura, cœlo, sole et luna. Verum hæc luminosa natura, quæ naturarum corporalium est nobilissima, in triplici est differentia. Nam quædam est tantum influens, et non influxa, sicut est in cœlesti natura : et hoc spiritualiter est lux divina, quæ est summa, quæ se illuminat omnia, ut non illuminetur ipsa ab alia quacumque natura, et de hac dicitur ³ : « Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. » Dicitur autem lux vera, eo quod non sunt in ea tenebræ ullæ, sicut dicitur ⁴. Item est lux alia, non influens, sed influxa, sicut est lux aerea, quæ est a sole influxa, sed non influit in alia : et talis lux, spiritualiter loquendo, est in simplicibus fidelibus, qui se sunt illuminati, ut non alios illuminent ipsi. Tertio est lux tertia, et influens, et influxa, qualis probatur esse in luna, quæ a sole illuminatur, et ipsa illuminat terram : et talis lux spiritaliter est in doctoribus, quia quod sanctitatis, vel scientiæ, vel luminis a Deo acceperunt, in alios, docendo, refundunt. Quare ergo sanctus Ambrosius talis lux fuit, quia doctus docuit. Unde per Isaiam a Domino dicitur ei : *Dedi te in lucem gentium*. In quo verbo tria notantur : primo divina liberalitas a Domino influente ; secundo doctoris nobilitas, ex lumine redundante ; tertio populi audientis utilitas, ex audientia disponente. Nam

Deus influit, doctor refundit, sed populus audit, et suscipit. Notatur ergo divina liberalitas ex parte influentis, cum dicitur : *Dedi te*. Notatur Sancti nobilitas, sive dignitas ex parte accipientis et dantis, cum additur : *In lucem*. Notatur populi prædicationi ac docti utilitas, non dantis, sed solum accipientis, cum subditur : *Gentium*, id est : Ad utilitatem gentium te volui esse lucem, ut non solum in te luceres, sed alios illuminares. Est ergo notandum quod Doctor Christi Ambrosius fuit lux pura, impassiva, sui communicativa, animi purgativa. Primo fuit pura, per eminentiam castitatis. Secundo fuit lux impassiva, per constantiam firmitatis. Tertio fuit lux sui communicativa, per ampliationem charitatis et pietatis. Quarto fuit lux illuminativa, sive animi purgativa, per repulsum omnis contrariæ fœditatis, sive per redundantiam veritatis. Vel sic fuit lux pura, castè vivendo ; fuit lux impassiva, patienter adversa portando ; fuit lux sui communicativa amando, et compatiendo ; et fuit lux purgativa docendo, et arguendo.

Dico quod beatus Ambrosius fuit lux pura continenter vivendo. Sicut enim luxuriosi sunt immundi, quia cœno luxuriæ sunt infecti, sic viri casti instar lucis esse dicuntur mundi et puri, quia a luto concupiscentiæ liberati. Quare cum sanctus Ambrosius fuerit castissimus, recte puritati lucis est comparatus. Unde de eo potest convenienter exponi illud ⁵ : « Candor est lucis æternæ, » id est, candidus instar illius lucis æternæ, nihil habens immunditiæ. Unde subditur : *sine macula*. Anima est casta, quando casta sunt corda, casta sunt verba, et casta sunt opera. Nam, sicut dicitur in *Vitis Patrum*, illi non sunt dicendi casti, qui ab opere carnis abstinere, nisi voluntate castus sit animus, castus affectus, et casti sint omnes sensus. Philosophus enim dicit ⁶, quod « non est castus omnis qui continet, et hoc ipse gaudet. » Cogitent ergo quod a vera castitate remoti sunt, qui tota die vana audiunt, vana dicunt, vana respiciunt. Accipiant tales exemplum beati Bernardini ^(a), qui cum juvenis esset, et plurimum pulcher, venit quadam nocte ad quoddam hospitium, ut quiesceret, ubi quædam puella pulchra, dum juvenem formosum aspexit, nocte ad ejus

Exemplum.

¹ Hunc habet edit. Hagen. an. 1496. — ² Isa., XLII, 6. — ³ Joan., I, 9. — ⁴ I Joan., I, 5. — ⁵ Sap., VII, 26. — ⁶ Arist., *Ethic.*, lib. VII, c. III et IV.

(a) Forte leg. Bernardi, vel profecto sermo ille Bonaventuræ minime tribuatur, defuncto centum et sex annis antequam Bernardinus ille Senensis nasceretur. Vid. dicta in antecessum, Præfationis loco.

lectum accessit. At ille amator castitatis in nullo se movit, non eam repulit, nec ei aliquid dixit, sed stetit immobilis ut lapis. Cumque illa undique palpasset, et cerneret quod nullos anima omnino carnales motus haberet, stupefacta confusa recessit. O ubi tunc erat illa castissima anima, quæ nullos carnis sciebat affectus? Talis etiam erat Ambrosius, et ideo vere castus.

Secundo lux est natura impassiva, quia nunquam corrumpitur ex actione extranea. Unde dicitur ¹: « Super salutem, et omnem speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius. » Et revera talis fuit Ambrosius, patienter adversa portando. Nam Justina regina, cum esset ariana, pulsabat Ambrosium forti pugna: sed nullis minis, nullis precibus, vel promissis deflecti potuit a rectitudine veritatis; sed manens immobilis, hæreticos confundebat, cujus fidem magna miracula confirmabant. Hinc si ejus Legendam legeris, narrare hæc poteris. Sed ubi hodie virtus hæc in omnibus Christianis, quæ tamen floruit in paganis? Nam invenio viros paganos non pro Deo, sed pro mundo, non pro æterna, sed pro temporali gloria, propriam contempsisse vitam, et magis quam vita vivere, mortem eligere. Unde Valerius Maximus in ea, quam scripsit, historia, ait ² quod quidam populi, qui appellantur Cimbri et Celtiberi, tantæ fortitudinis contra seipsos sunt, quod mortem non solum parvipendunt, sed totis affectibus appetunt. Unde in præliis exultant, et gaudent tanquam ex hac vita feliciter decessuri. Sed in infirmitatibus febrium valde dolent, tanquam turpiter et absque gloria morituri. Et dicit quod nefas esse dicunt prælio superesse. Ergo si tam fortes possunt esse pagani pro vana et mundana gloria, quales deberent esse Christiani pro vita obtinenda beata?

Tertio lux est sui communicativa et diffusiva, spiritualiter generativa, nutritiva et confortativa. Sic et beatus Ambrosius fuit lux se cunctis communicando, sua omnia diffundendo, filios spiritualiter generando, nutriendo, confortando, tanquam omnes perfecte amando, omnibusque compatiendo. Unde de eo potest exponi illud ³: « Sol illuminans per omnia respexit. » Ad modum enim solis, qui omnibus lumen præstat, omnibus se communicat, omnia nascentia roborat et confortat, sanctus Ambro-

sus se et sua omnibus communicabat, omnes docebat, omnes amabat, sanos confortabat, infirmis consolationem præstabat. Sic enim amore fraterno totus ardebat, et sic fraterna compassio sibi ejus cor subjugaverat, quod dum aliquis sibi casum suum, vel peccatum narraret, et sic fortiter fleret, quod ipsum ad flendum compellebat. Dolebat etiam multum, quando quis cadentibus insultaret, sive spiritualiter, sive corporaliter caderent. Unde dum semel per civitatem Mediolanensem incederet, et quidam in via graviter corruisset, aliusque ejus casum rississet, graviter Sanctus tulit, et ad ridentem ait: « Qui existimat se stare, videat ne cadat ⁴. » Statim ille qui riserat cecidit, et coactus flet, casum proprium, qui riserat alienum. Si enim sancti viri tantum dolent in casu corporali, quantum, putas (a), dolent in casu spirituali, ubi non solum cadit corpus aliquando morti casurum, sed cadit anima æternaliter damnanda? Fit enim sæpe divino judicio, ut qui rident casum alienum, cogantur flere proprium. Unde in *Vitis Patrum* quidam frater, qui fratrem tentatum in desperationem posuerat, et non solum ei compassus non fuerat, sed eum valde exasperaverat, coactus est a Deo pati, quod in alio reprehenderat. Cumque eum tentatio carnis jam sic affligeret, ut pati non posset, sed ad sæculum redire disponeret, missus est ad eum alius sanctus pater, qui diceret: « Ideo tibi hoc contigit, quia illi fratri compati nescivisti, ut discas compati, et scias quid est ⁵: *Misericordiam volo, et non sacrificium.* » Unde et Apostolus docuit ⁶: « Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans temetipsum, ne et tu tenteris. » Nemo enim stat, nisi Deo tenente: nemo cadit, nisi Deo permittente: ergo qui stat, non suæ virtuti appropriet; et ideo fratri cadenti non insultet, sed ei perfecte condolens, pro eo Deum continue oret.

Quarto lux est animi purgativa et illuminativa, et sic regulariter in obscuritate latentium ostensiva, et per consequens arguitiva: nam cum malum detegit, ipsum arguendum esse ostendit. Sanctus ergo Ambrosius fuit lux illuminativa, purgativa, peccatorum ostensiva, et arguitiva. Nam purgabat et illuminabat, do-

Sil. Ital., lib. II. — ³ *Ecclesi.*, XLII, 16. — ⁴ *I Cor.*, X, 12. — ⁵ *Matth.*, IX, 13. — ⁶ *Gal.*, VI, 1.

(a) *Cæt. edit. putes.*

Exemplum.

Exemplum.

Exemplum.

Exemplum.

¹ *Sap.*, VII, 10. — ² *Valer. Max.*, lib. II, c. VI, u. 11; *Steph. Str.* lib. III; *Plin.*, lib. XXV, c. VIII;

Exemplum. cendo, et prædicando; sicut est exemplum de beato Augustino, quem Ambrosius prædicando convertit. Item peccata delegebat, et errores destruebat, rationes efficacissimas ostendendo, et arguebat nullum timendo, sicut patet in exemplo de Theodosio imperatore, quem ab ecclesie ingressu prohibuit, et de peccato quod egerat valde redarguit, et ad pœnitentiam asperis verbis induxit. Lege in Legenda totum, quia valde est notabile exemplum, et propter humilitatem imperatoris ad pœnitendum, et propter constantiam pastoris ad arguendum. Quia ergo Ambrosius erat lux malorum detectiva et arguitiva, et ad veritatem illuminativa, erat hæreticis valde odiosus. Nam scriptum est¹: «Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim eorum opera mala. Omnis enim (ait), qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.» Unde hoc est valde contra hæreticos, qui in latibulis docent, et, more avium de nocte incedentium, lucem odiant: unde disputationes fugiunt, et conferre de veritate renunt, ne a luce veritatis argui possint. Unde contra eos Apostolus loquens fidelibus, inquit²: «Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere. Omnia autem, quæ arguuntur, a lumine manifestantur. Omne autem quod manifestatur, lumen est.» Rogemus ergo Dominum, etc.

SERMO II³.

Exemplum. *In medio Ecclesie aperuit os ejus*⁴. Docet Dominus apostolos, ut non doceant in occulto, sed semper in publico, et ut ea quæ audierunt in domo, prædicent super tecta; quia omne illud, quod refugit radium, et veritatis renuit argumentum, merito viris fidelibus est suspectum. Unde de se dicit Dominus⁵: «Ego semper palam docui in templo, ubi omnes conveniunt, et in occulto locutus sum nihil.» Unde concluditur necessario argumento, quod illi recesserunt a Christo, qui contra doctrinam Christi prædicant in occulto. Nam et aranea, quia non potest in publico muscas decipere, telas texit, sub quibus se abscondit, et muscas incidentes in telam

Exemplum. improvisas (a) invadit. Leo etiam dum famescit, ut bestias improvisas (a) invadere possit, in antris se abscondit. Non sic Dominus, sed ad modum liberalis hominis, qui tempore carestie misertus pauperum, aperit horreum suum, et pauperibus dat frumentum, sic et ipse Doctores suos, qui sunt suum horreum, continententes sapientie triticum, tempore opportuno aperit, per quos pane doctrine pauperes suos pascit, quia⁶ «non in solo pane vivit homo,» etc. Vere enim Ambrosius abundans doctrine horreum fuit, cujus triticum non solum provinciam unam refecit, sed potius totum mundum, non solum per annum, sed potius usque in sæculum. Et propterea optime dictum est: *In medio Ecclesie aperuit os ejus*. In quo tria notantur: unum ex parte Dei; alterum ex parte Sancti; tertium vero ex parte loci. Nam primo ex parte Dei notatur liberalitas in donando; secundo ex parte Sancti notatur facunditas in loquendo; tertio ex parte loci notatur communitas se omnibus offerendo. Liberalitas donantis notatur, cum dicitur: *Aperuit*. Facunditas prædicantis notatur, cum additur: *Os ejus*. Sed communitas offerentis notatur, cum subditur: *In medio Ecclesie*.

Dicamus ergo: *Aperuit os ejus*. Aperuit, inquit, os ejus ad tria: ad verbum humilitatis in confessione; ad verbum laudis in oratione; ad verbum ædificationis in prædicatione.

Dico quod primo aperuit os beati Ambrosii ad verbum humilitatis in confessione. Nam in archiepiscopum electus, noluit sibi manum imponi, nec confiteri, nisi catholico episcopo. Quo exemplo nos docuit fugere sacerdotes hæreticos, et quærere catholicos, quibus solum data est auctoritas absolvendi. Nunquam ad vineam quis pro ficibus vadit: nunquam ad ficem quis vadit pro ovis acquirendis: nunquam aurum quis quærit in quereubus, vel lapides preciosos in cedris: ergo stultum est pro confessione et absolutione illum quærere, qui absolvendi non habet auctoritatem, cum non sit membrum Ecclesie. Unde dicitur in Psalmo⁷: «Os justis meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur iudicium.» Quid enim est loqui iudicium, nisi confitendo se sacerdoti tradere iudicandum? Et quid est meditari sapientiam, nisi ad eum te conferre pro indulgentia, qui clavem

¹ *Joan.*, I, 19-21. — ² *Ephes.*, v, 11-13. — ³ Hunc non habet edit. Hagen. an. 1496, neque Codex Assis.

sæc. xiii. — ⁴ *Evlu.*, xv, 3. — ⁵ *Joan.*, xviii, 20. — ⁶ *Matth.*, iv, 4. — ⁷ *Psal.* xxxvi, 30.

(a) *Leg.* improvidas.

habet in Dei Ecclesia? Qui enim talibus confite-
tur, gratia repleti meretur, juxta illud Psalmi ¹ :
« Dilata os tuum, et ego implebo illud, » id
est, confitere peccatum, et accipe indulgentiæ
donum. Est enim dilatare os, perfecte aperire,
id est, totum morbum evomere. Fistula enim,
quæ habet os strictum, nunquam perfecte cu-
ratur, nec sanies perfecte educitur, nisi os ejus
rebus competentibus ampliatur. Nam quamdiu
aliquid putredinis ibi celatur, nisi foras edu-
catur, frustra medicina omnis impenditur. Item
quamdiu de vulnere os putridum, vel ferrum
non trahitur, nunquam perfecte solidatur,
etiam si solidari videatur, quia iterum et ite-
rum innovatur. Ergo si volumus perfecte sa-
nari, necesse habemus confiteri, quia qui ali-
quid de morbo medico celat, frustra auxilium
ejus implorat. Unde dixit Josue ad Achor ² :
« Confitere, fili, peccatum tuum ne abscondas. »
Philosophia Boetii ³ : « Si opera (a) medicantis
expectas, necesse est ut vulnus detegas tuum. »

Secundo aperuit Dominus os sancti Ambrosii
ad verbum laudis in oratione. In omni enim
tribulatione sua, et maxime contra illam Justi-
nam, quæ ei intulit magnam pugnam, sicut pa-
tet in ipsa Legenda, non armis, sed sola ora-
tione pugnabat : in qua dum Deum laudabat,
omnes hostiles nequitias destruebat. Unde et
cum Propheta dicere poterat ⁴ : « Domine, labia
mea aperies, et os meum annuntiabit laudem
tuam. » Simile exemplum habemus in *Historia*
tripartita de Alexandro Constantinopolitano
episcopo, cum cogeretur ab imperatore Con-
stantino, ut Arium in Ecclesiam reciperet, vel in
exilium iret : ipsa die qua id in die sequenti
fieri cogebatur, sub altari pernoctavit episcopus,
Deum precans instanter, ut causam suam de-
fenderet. Cum igitur die facto Arius, multitu-
dine satellitum comitatus, ad ecclesiam prope-
raret, vel ipse suscipiendus, vel episcopus re-
pellendus; cumque in via media esset, quidam
timor eum invasit, qui se ejus viscera pertur-
bavit, ut locum peteret ad secretum naturæ. Ad
quem cum ivit, intestina omnia, et quicquid in
corpore habuit, emisit, et animam dum diabolo
tradidit, Deus in petitione orantem episcopum
liberavit.

Tertio aperuit os beati Ambrosii ad verbum
ædificationis in prædicatione. Nam et dicitur ⁵ :
« Aperit os mutorum, et linguas infantium facit

disertas. » Sed quis sufficienter dicat, quam fi-
deliter et prudenter Sanctus hic docuerit, quan-
tos prædicando converterit, quam constanter
hæreticis restiterit, quam lucide hæreses confu-
derit, quantos libros pro fide defendenda con-
scripserit? Tantæ enim auctoritatis vir iste fuit,
quod Augustinus virorum doctissimus, et Hiero-
nymus trium linguarum doctissimus, ad proba-
tionem suorum dictorum dicta Ambrosii intro-
ducant. Sanctus etiam Ambrosius ea quæ in
verbis prædicabat, exemplis et vita ostendebat
et miraculis consumebat (b). Nam dum per ci-
vitatem transiret, claraabant dæmones se ab
Ambrosio cruciari; quibus ipse humiliter re-
spondebat : « Non ego vos crucio, sed malitia
vestra. » Cumque regina Justina diceret cum
suis hæreticis, quod Ambrosius pretium dæmo-
niacis daret, ut taliter post eum clamarent, sta-
tim unum de astantibus famulis reginæ invasit,
et eum excutiens coram omnibus, ait : « Sic
pereant omnes ut ego, qui non credunt Ambro-
sio. » Quod regina dum vidit, statim eum occi-
di mandavit, ne forte hoc ad alios perveniret,
et sic ab errore Arianorum recederent.

Sequitur : *in medio* : notatur hic communitas
loci; quia, ad modum Dei, non docuit in occulto,
sed in publico, et quæ docuit, posuit in scripto,
ut omnibus et simul ejus doctrina posset esse
communis. Locus enim medius communis est
omnibus, et potest participari ab omnibus ali-
quid, cum Deus naturæ omnibus rebus locum
medium dedit, quorum virtus et influentia erat
aliis circumstantibus necessaria. Nam cælum
stellatum cum sit virtute et influentia maximum,
posuit in medio aquarum; corpus solis cum il-
luminet omnia, posuit in medio planetarum;
eorum cum sit fecundissimum, et membris omni-
bus influens vitam et motum, posuit in medio
membrorum. Nec solum hoc est verum in natu-
ralibus, sed etiam in artificialibus. Quare poni-
tur in medio cæmentum, eo quod plurimum
sit lapidum conjunctio. Aranea enim semper
telam contractam reseruire incipit contra me-
dium, reputans totum ædificium esse nullum,
si medium sit contractum. Posuit ergo B. Am-
brosius doctrinam suam in medio, ut a medio
derivata ad omnem perveniret Ecclesiam. Hic
præter propositum pauca de medio dixi, ut
darem aliquam materiam prædicandi. Roge-
mus, etc.

¹ Psal. LXXX, 11. — ² Jos., VI, 19. — ³ Boet. —

⁴ Psal. L, 17. — ⁵ Sap., X, 21.

(a) Leg. operam. — (b) Leg. confirmabat.

DE S. LUCIA VIRGINE ET MARTYRE.

SERMO PRIMUS ¹.

Certamen forte dedit illi, ut vinceret ². Prudentis militis virique constantis et fortis officium est, non solum bellum non (*a*) fugere, sed optare bellando victoriam, ut possit coronam accipere. Non enim coronatur, nisi qui bellat et vincit. Gregorius *super Lucam* ³ : Quia « ad magna præmia perveniri non potest nisi per magnos labores. » Poeta :

Absque labore gravi, vix munera magna dabuntur.
Gratus est plenus utilitate labor.

Ergo juxta Gregorianum dictum ⁴ : « Si delectat animum magnitudo præmiorum, non deterreat certamen laborum. » Dominus ergo, ut possit filios et filias coronare, vult omnes in hoc certaminis campo certare ; et ideo Sapiens loquens de sapientia increata, dicit : *Certamen forte dedit illi, ut vinceret*. Cui ? Illi venerabili Virgini, de qua festum agimus in presentia. Ad ejus commendationem in verbo præmisso tria notantur : nam primo in electis suis ostenditur divina providentia ; secundo ex parte Virginis describitur acrior pugna ; tertio vero ostenditur nobis nobilis et alta victoria. Notatur autem divina providentia, cum dicitur : *Dedit illi*. Notatur etiam pugna, cum subditur : *Certamen forte*. Notatur consequenter victoria, cum statim adjungitur : *Ut vinceret*. Dat igitur Dominus sanctis pugnam, ut per pugnam veniant ad victoriam, et per victoriam ad coronam. Si enim corona tantum victoribus datur, et non possit esse victoria, ubi nulla est pugna, clementis est Dei providentia, ut illis indicatur bellum, quibus bravium est conferendum sempiternum. item si juxta mensuram victoriæ mensura est et gloriæ, vel coronæ, ut nobilissima possit esse corona, fortissime quisque debet aggredi pugnam. Nam et Alexander ille Macedo contra Persarum multitudinem quasi innaturalem ipse cum paucissimis, sed fortibus militibus pugnaturus, accessit animans suos ad bellum, sic ait : « In promptu, o milites mei, victoria est ; sed de hoc solum doleo, quia non cum hominibus, sed cum fæminis pugnaturi sumus : et ideo minor erit mea gloria, quia parva est pugna, vel nulla. » Est ergo notandum, quod sanctæ

Exemplum.

Luciæ pugna fuit fortis, fuit magis fortis, fuit etiam valde fortis. Nam fuit fortis ad mundi divitias contemnendas ; fortior ad pœnas tyrannicas devincendas : fortissima ad passiones proprii corporis edomandas.

Dico quod beata Lucia primo forte certamen habuit contra mundum ad divitias contemnendas. Nam quanta sit hominum multitudo, quos per divitias mundus decipit et ad omnia mala trahit, quis sufficienter dicere nobis possit ? Sed Virgo Dei Lucia, adhuc sub matris custodia posita, propter Christum omnia distraxit, ut Christum lucrifaceret. Nam, sicut patet ex ipsa Legenda, patrimonium suum distraxit, et pauperibus erogavit, et sic ipsum tuto loco constituit. Sciebat enim Dominum docuisse ⁵ : « Nolite thesaurizare vobis thesaurum in terra, » etc. « Sed thesaurizate vobis thesaurum in cœlo, » etc. Et ideo propter hanc fortitudinem de ea potest exponi illud ⁶ : « Fortitudo et decus indumentum ejus. » Decor enim et fortitudo nobilium sunt cumuli divitiarum, quibus dum præclara sibi comparant vestimenta, gloriosi apparent in illa. Sed fortitudo et decus Luciæ non fuerunt divitiæ, quas contempsit, sed virtutes animi, quas amavit, quibus tanquam vestimentis spiritualibus se ornavit. Sed quis est hodie qui virtutes animi quærat, et non potius divitias ? Magis Christiani contra documentum Domini sui divitias cupiunt, quam pagani. Narrat enim quædam Romana historia, quod Pyrrhus rex, qui diu cum Romanis bellabat, dum cerneret se jam Romanis non posse resistere, benevolentiam Romanorum acquirere studebat, quorum potentiam debellare, sive debilitare non poterat. Omnes ergo divitias sui regni, et quidquid habere potuit, totum in urbem portavit. Mirum (*b*) valde et insolitum nostris temporibus : quia cum res magni pretii, et varii generis ornamenta tam viris, quam mulieribus apta, ejus legati contra Romanorum domos deferrent, et ad accipiendum singulos invitarent, nemo in tam ampla civitate inventus est aliquid accipere. O summa dementia Christiana, quæ sic ardentem appetit ista vana, quæ Christus docuit respuenda, quæ propter amorem suæ civitatis sic despexit gens illa pagana ! Gregorius ⁷ : « Quærant divitias pagani, qui sine Deo sunt : quærant Judæi, qui eas in promissione accepe-

Exemplum.

¹ Hunc habent edit. Hagen, an. 1496, et Codex Assis. sæc. XII. — ² Sap., v, 12. — ³ Gregor., in

Evang., hom. XXXVII, n. 1. — ⁴ Ibid. — ⁵ Matth., vi, 19. — ⁶ Prov., LXXI, 25. — ⁷ Greg.

(*a*) Cæc. edit. deest non. — (*b*) Cæc. edit. Mire.

runt. Sed qua fronte petunt eas Christiani, postquam Christus beatos esse pauperes predicavit? »

Secundo beata Lucia fuit magis fortis ad passiones tyrannicas devincendas. Magnum est enim divitias contemnere; sed longe majus est curvare tyrannum, non minas, vel tormentum curare. Unde dicitur ¹: *Mulierem fortem quis inveniet?* quasi dicat: Inveniuntur plurimæ, quæ contemnunt mundum; sed eam quis poterit invenire, quæ non timeat ignis incendia, nec duci ad prostibulum, non jugulatoris gladium? Quam fortis igitur hæc sancta Virgo fuit, quæ sic constanter et prudenter in omnibus tyranno respondit, quod a mille viris et bobus tracta, moveri non potuit, nec ad lupanar eam adducere omnis paganorum conatus prevaluit; quæ etiam contra se ignem ardentem extinxit? Lege hæc omnia, et alia multa ad hæc facientia, in ipsa ejus Legenda. Sed qui hodie Christiani tyrannos non timent? imo qui sunt hodie, qui tyrannis non obediunt, qui post potentes divitesque non vadant, et qui amore dominorum suorum terras non destruant? Testis est omnis Italia, quam miseri populares, majorum sequentes consortia, tracti in partem ubique destruxerunt. Non fuerunt tales antiqui; sed sic pro patria fortes erant, ut in nullo tyrannis obedirent. Nam ² « Pompeius nobilis quidam Romanus, dum apud quemdam regem legationis officio fungeretur, ab eo captus, minis, ut senatus consilia proderet, cogebatur. At ille vir fortis in præsentia regis digitum igni immisit, totumque ardere permisit, et sic se tormenta nulla timere ostendit. Quod dum rex vidit, nihil ab eo ultra quæsit; sed se recipi in Romanorum amicitiam postulavit. » In hac fortitudine tanta diabolo resistendum est, cujus nos semper premit tyrannis. Unde dicitur ³: « Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide. »

Tertio beata Lucia fuit fortissima ad carnis lascivias edomandas, sive ad ipsas misérias mortis tolerandas. Nam etsi sit magnum contemnere mundum, et majus (a) contemnere quodcumque tormentum, maximum tamen est perfecte subjugare seipsum, carnis superare desiderium, et mortis non timere periculum: et

¹ Prov., xxxi, 1. — ² Valer. Max., lib. III, c. III, n. 2, paucis mutatis. — ³ I Petr., v, 8. — ⁴ Prov., III, 26. — ⁵ Ibid., xxxi, 17. — ⁶ Cant., III, 7. —

non sicut Alexander Macedo, qui omne militibus dabat aurum, et tamen a carne turpiter est devictus. Unde sapiens Salomôn, de muliere loquens, ait ⁴: « Fortissimi quique dejecti (b) sunt ab ea. » Nam et multi fuerunt sancti, qui nullo potuerunt igne vel ferro devinci, qui tamen a carne devicti sunt. Beata ergo Lucia fuit fortissima, dum inter corruptores virgo permansit, et mori pro Christo non metuit. Unde de ea potest accipi illud ⁵: « Accinxit fortitudine lumbos suos. » Quid fuit fortitudine lumbos accingere, nisi passionibus carnis fortiter reluctare? Propheta enim dicit, quod fortissimum est vincere hanc passionem consentaneam naturæ. Ad quod signandum dicitur ⁶: « En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi. » Nisi enim lectulus corporis nostri ab angelis fortissimis militibus servaretur, mox omnis ejus clausura ab inimicis aperiretur. Non tamen gloriari debemus, si Christi amore contineamus, cum inveniamus paganos propter suos deos virginitatem servasse. Nam multe erant virgines Romæ, quæ suam virginitatem devoverant deæ Vestæ; fuerunt et multi qui amore patriæ mori non timerunt. Narrat Romana historia, quod tyrannus quidam quemdam cepit virum fortissimum, cogens eum, ut sibi proderet, qui illi essent qui eum occidere vellent. At ille ubi fortes tortorum manus contempsit, flagella rupit, funes laxavit, equuleum solvit, omnes minas et tormenta derisit, nec per mortem induci potuit, ut aliquem de conspiratoribus indicaret. Ergo si tanta fortitudo potest esse pro mundo, quanta debet esse pro Christo, qui tanto remunerat præmio? Narra hic de morte hujus Virginis, quomodo percussa fuerit, etc.

SERMO II ⁷.

Certamen forte dedit illi, ut vinceret ⁸. Omnis qui aliquid agit, si stultus non est, propter aliquem finem agit. Nunquam rusticus laboraret in vinea, nisi inde expectaret vindemiam; nec nauta tantis periculis in aqua sulcaret, nisi lucrum attenderet. Sic nec miles bellare vellet, si pervenire ad victoriam non speraret: victoria enim finis est pugnæ. Finis autem, juxta Philo-

⁷ Hunc non habet edit. Hagen. an. 1496; habet vero cum duobus sequentibus Codex Assis. sæc. XIII. — ⁸ Sap., X, 12.

(a) *Cat. edit.* magis. — (b) *Fulg.* interfecti.

sophum ¹, imponit necessitatem his, quæ sunt ad finem. Ideo si volumus victores esse, necesse habemus bellare; et si bonum est vincere, constat quod bonum est pugnare, quia ejus finis bonum, ipsum quoque bonum ². Illis tamen juxta divinam moderantiam conceditur bellum leve, qui nequeunt gravia bella portare. Ob quam causam sanctus Sixtus dicebat sancto Laurentio: «Nos quasi seniores levioris pugnae cursum recipimus; te autem quasi juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus. Sic iterum majora tibi debentur pro fide Christi certamina ³.» Quia ergo hæc virgo sancta fuit fortissima, et ad magnam victoriam præparata, ideo fortis est ei data pugna. Bene ergo Sapiens dicit: *Certamen forte dedit illi ut vinceret*. In quo verbo describit eam quantum ad duo: primo quantum ad flatum tentationis et pugnae; secundo quantum ad statum victoriae, vel coronæ. Primum respicit statum meriti, quo refelsit; secundum statum præmii, quod accepit. In his duobus, scilicet præmio et merito, omne bonum hominis consistit, quia meritum respicit bonum viæ, sed præmium bonum patriæ. Notatur ergo status meriti, sive pugnae, cum dicitur: *Certamen forte dedit illi*, scilicet Deus virgini. Sed notatur status præmii, et coronæ, cum additur: *Ut vinceret*, id est, ut perfectam victoriam obtineret. Est ergo hic notandum, quod certat homo cum Deo, ut ab eo regnum accipiat; proximo, ne malo consentiat; diabolo, ut eum vincat.

Dico quod vir spiritualis primo bellat cum Deo orando, instando, plorando, et sic quodam modo eum compellendo, ut illum accipiat; quia secundum Joannem ⁴ regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud, sicut dicitur: nam cum Deo bellamus, et ei quodam modo vim facimus, dum ei lacrymosis orationibus obtestamur. Bernardus ⁵: «Oratio Deum lenit, sed lacryma perungit.» Unde narrat Gregorius ⁶ quod quidam sacerdos nomine Severus a quodam infirmo pro pœnitentia requisitus, dum sacerdos tardavit, æger a vita discessit. Quod sacerdos dum vidit, juxta mortuum genuflexit, et amaris lacrymis se reum damnationis illius clamare cœpit. Lacrymis quoque illius quodammodo constrictus Deus, ange-

lum statim misit, qui diceret dæmonibus eum ducentibus: «Reducite eum ad corpus, quia Severus presbyter plangit.» Quasi dicat: Cogit me sacerdotis lacryma, ut meam mutem sententiam. Hæc autem pugna fuit signata ⁷: Jacob luctatus est cum angelo, nec ante eum dimisit, donec ei benedixit, ut et ab eo post luctam audivit: «Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?» Et de hoc certamine potest illud exponi Apostoli ⁸: «Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.» Ideo enim Dominus vult nos orando pugnare, ut sit gloriosior perceptio coronæ: quia honore nobilissimo possidere ab aliquo, quod acquiritur pugnando, quam quod ex dono accipitur alieno. Unde beata Lucia, plena sapientia, non fuit contenta orare in domo propria, sed per longam viam ivit ad sanctæ Agathæ ecclesiam: et dum ferventer oravit, omne quod postulavit obtinuit, sicut manifestum est ex Legenda. Quare enim nos non accipimus? quia non petimus, vel quia non bene oramus. Unde dicitur ⁹: «Non habetis ea quæ postulatis: petitis, et non accipitis, eo quod male petalis.» Certum signum est quod dare cupiat, qui toties nos ad petendum invitat: «Petite, inquit ¹⁰, et accipietis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis.» Nam et quidam sanctus Pater, dum, ut oraret, Jerusalem advenisset, et fratres conquererentur quod non plueret, dixit eis: «Quare non oratis?» Qui dixerunt: «Oramus, Pater, et non pluit.» Quibus ille: «Puto, quod non attente oratis. Venite ergo, et oremus.» Statim autem ut ille palmas ad Deum tetendit, mox pluvia venit.

Secundum certamen viri spiritualis est cum proximo, ne se ab eo seduci permittat, dum eum ad malum invitat. Multum enim Paschasius nisus est Luciam inducere ad idolis immolandum: cui illa valde rationabiliter auctoritate sacræ scripturæ prudentissime respondebat, et patenter eum, in disputatione longa verborum, verbis sapientiæ convincebat. Lege totam disputationem, quia pulchra est valde, et est valde mirabilis: quia cum verba dulcia et rationabilia iræ sint placativa, non tamen placatus fuit Paschasius a Lucia. Excæcaverat enim eum malitia sua, et amor falsus, quem habebat ad idola; nec attendebat unde tanta esset in-

Exemplum.

¹ Arist., *Physic.*, lib. II, text. 29. — ² Sophisma orthodoxo Bonaventura indignum, hoc est enim contradicere Paulo scribenti (*Rom.*, III, 8): *Et non faciamus mala, ut eveniant bona.* — ³ *Breviar.*, respon-

sor. 2, noct. 2, in festo S. Laurent. — ⁴ *Imo Matth.*, XI, 12. — ⁵ Bern. — ⁶ Greg., *Dialog.*, lib. I, c. XII. — ⁷ *Gen.*, XXXII, 24. — ⁸ *II Tim.*, II, 5. — ⁹ *Jac.*, IV, 2, 3. — ¹⁰ *Matth.*, VII, 7.

puella prudentia. Mira tyrannorum insania, et cæcitas detestanda. Nam sanctus Quiricus cum trium annorum esset, et verbis prudentibus insano judici responderet; iudex, unde haberet illam prudentiam, requisivit. Cui infantulus ait: « Miror de te quomodo, unde mihi sit sapientia, non advertis, cum talia loqui non sit hujus ætatis? » Volebat enim eum inducere ut a Christo cognosceret se illam habere. Non talis, ut Paschasius, Alexander ille inelytus, de quo dicit Augustinus ¹, quod cum in præda quemdam piratam cepisset, et ab eo quæreret, quid causæ esset quod mare haberet infestum, ejus prudenti responsione placatus est: dixit enim ad eum pirata: « Hoc ego facio in mare, quod tu facis in terra; quia ego prædor, et tu prædaris. Sed quia ego facio hoc exiguo navigio, latro vocor; tu autem quia maxima classe, Imperator. » Narra- tum enim Valerius Maximus ², quod dum Alexander semel idolis immolaret, præceptum est sibi ut quidquid sibi primum exeunti de porta occurreret, occidi juberet. Cumque exeunti asinarius quidam cum asino occurrisset, et ille eum capi fecisset, quæsit ab eo rusticus, qua de causa eum occidi juberet. Cui cum rex causam indicasset, ille ait: « Si ita est, o rex, ut dicis, non ego mori debeo, sed asinus, qui tibi primo occurrit. » Delectatus igitur rex de prudenti responsione ejus, ipsum protinus liberavit. Multum enim valet apud sapientes prudens responsio, quamvis nullius sit ponderis apud stultos. Poterat ergo dicere beata Lucia cum suis fidelibus illud Apostoli ³: « Curramus per patientiam ad propositum nobis certamen. » Non enim solum est certamen patienter portandum, sed est ei occurrendum, quia multorum bonorum est certamen, et in xime eum sit ad gloriam perductivum. Sed, sicut Augustinus ⁴ dicit: « Nos volumus gaudere cum sanctis, et tribulationes mundi nolumus sustinere cum illis. Qui enim sanctos martyres, vel in quantum potuerit, noluerit imitari, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire. »

Tertium certamen viri spiritualis est cum diabolo, ut trahi ab eo non valeat ad peccatum. Diabolus non comedit, non bibit, non dormit, nunquam quiescit; sed semper circuit more leonis, ut aliquem devorare possit. Et eum infectet omni tempore, maxime tamen infestat in morte,

sciens quia modicum tempus habet, ut vel vincat, vel perdat. Est ergo cum eo fortiter dimicandum, et in nullo cedendum. Nonne miles, qui (a) morti adjudicatus, pro defensione sua certamen belli libenter subiret, si forte devincendo superaret? Ergo si omnes filii mortis sumus, nec nisi pugnando et vincendo liberari possumus, pugnare contra hostem non negligamus. Grave tibi videtur pugnare; sed gravius est in æternum perire. Ergo dulcis tibi nunc sapiat pugna, ut pœna libereris æterna. Nunquam male cum frenetico agitur, ne se perimat gladio, si fune ligetur. Nunquam cum lethargico male agitur, ne in dormiendo moriatur, si capilli ei trahantur, et barba expletur. Nunquam cum quocumque infirmo male agitur, si dolori dolore subvenitur. Non potest os putridum sine dolore truncari, et de profundo vulnere trahi, quod tamen dimissum inficit corpus totum: ergo parceretur dolori, ut os non eductum necesse sit mori? Nunquam dimittenda est medicina, que est ori amara, si sit totius corporis sanativa: ergo non est fugienda pugna, sed potius inquirenda, qua homo sanatur a peccati morbo, purgatur, et vite perditæ restituitur. Ut igitur homo pugnare sciat more militum, semper se in bellis exerceat. Nam tempore pacis faciunt tyrocinia, ne tempore belli inveniatur ab hostibus inexperti. Nam et Dominus dimisit gentes inter filios Israel, ut in illis eos erudiret, et discerent pugnare cum hostibus, et habere consuetudinem præliandi. Quare sic timent homines mori? Quia non sunt adhuc experti. Probi milites, et bellis assueti, bella non fugiunt, sed illis occurrunt. Sic beata Lucia bellum non fugit, sed in eo mori præoptavit. Unde poterat in morte sua dicere illud Apostoli ad Timotheum ⁵: « Bonum certamen certavi: » ecce bonitas operis. « Cursum consummavi: » ecce rectitudo intentionis. Et propterea sequitur: « De reliquo est mihi reposita corona justitiæ. » Certum est enim quod omnis homo, qui cum hac sancta virgine pugnat, ita quod ante mortem non deficiat, sed quod cœpit fortiter teneat, nunquam fugiat, coronam accepturus est sempiternam. Bernardus ⁶: « O felix et secura pro Christo pugna, in qua si fueris captus, si ad terram prostratus, si acriter vulneratus, si etiam millies, si dici posset, occisus, non fraudaberis a victoria, nec per conse-

¹ August., *de Civit. Dei*, lib. IV, c. III. — ² Valer. Max., lib. VII, c. III, extern. n. 1. — ³ *Hebr.*, XII, 1. — ⁴ Iusto auctor serm. CCXXX (ad. ALVII), n. 1, inter

Opera Aug., Append. tom. V. — ⁵ II *Tim.*, IV, 7. — ⁶ Bern., *ad Rob.*, epist. I, n. 13.

(a) *Del.* qui.

quens a corona, si solum non fugias (a). » Ad hanc coronam regalem et inelytam, orante pro nobis sancta Lucia, nos Christus perducat.

DE S. THOMA APOSTOLO

SERMO PRIMUS ¹.

Quia vidisti me, Thoma, credidisti ². Ut verbotar sancti Gregorii ³: « Quid inter hæc animadvertitis? Numquid casu gestam esse credimus, ut electus ille discipulus, quando ad discipulos Dominus est ingressus, tunc deesset, sed post veniens aliis referentibus audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? Non hoc casu, inquit, sed divina dispensatione gestum est. Egit enim miro modo divina clementia, ut discipulus dubitans, dum in magistro vulnera palpabat (b) carnis, a nobis vulnera excluderet infidelitatis. » Et addit: « Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides discipulorum credentium, profuit: quia dum ille palpando ad fidem reducitur, manens in fide, omni dubitatione postposita solidatur. » Et in alio loco dicit ⁴: « Minus mihi Magdalena contulit, quæ cito (c) credidit, quam Thomas qui dubitavit. » Concludit ergo Gregorius ⁵: *Apostolus ergo palpavit (d), et exclamavit: Dominus meus, et Deus meus.* Bene ergo Dominus dicit: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti.* In quo verbo describitur Apostolus ad duo: primo quantum ad fidem, qua Christum agnovit; secundo quantum ad rationem, quæ eum movit. Ista enim duo fidelem virum perficiunt, scilicet: si fidem habeat, quæ summæ veritati inhæreat; et rationem postmodum addat, qua quod credit intelligat, ut contra hereticos defendere illud sciat. Notatur ergo primo fides apostolica, quando dicitur: *Credidisti.* Notatur secundo ratio ad credendum motiva, cum additur: *Quia vidisti me.* Nota tamen secundum Gregorium, quod Apostolus ⁶ « aliud vidit, et aliud credidit. » Nam hominem vidit, sed Deum credidit. Nam hominem vidit, et ideo exclamavit: *Dominus meus, et Deus meus.* Non enim fides, sed veritas ipsa fuisset, nec meritum habuisset, si in sua natura Deum vidisset. Quia ⁷ « fides non habet meritum, cui humana ratio præbet expe-

rimentum. » Ergo Apostolus hominem Christum vidit, sed verum Deum, et omnium Dominum credidit esse. De visione et fide in sermonibus aliis recolo me multa dixisse, quæ possunt hic prædicari. Est ergo notandum, quod cum sancto Apostolo quatuor videre debemus: primo mundum deficientem, ut ipsum contemnamus; secundo carnem insufficientem, ut ab ea fugiamus; tertio diabolum seducentem, sive per superbiam corrumpentem, ut ab eo caveamus; quarto Dominum vocantem, ut sequi contendamus. Est autem hæc distinctio sumpta juxta auctoritatem Bernardi, qui dicit, quod vocat nos mundus, vocat caro sive corpus, vocat diabolus, vocat Christus. Mundus et caro dicit: Venite ad me, et ego decipiam vos. Diabolus dicit: venite ad me, et ego decipiam vos. Christus dicit ⁸: « Venite ad me, et ego reficiam vos. »

Dico ergo quod ante omnia videre debemus mundum deficientem, ut ipsum non amemus, sed contemnamus. Nam, ut Gregorius dicit ⁹: « Fugiendus hic mundus esset, etiam si nos prosperis omnibus demuleret. Cum ergo nos tot calamitatibus pulsatur, tot angustiis premit, tot defectibus agitat, quid aliud quam ne diligatur clamat? Ergo ut ipsum non amemus, sed vilipendamus, ejus continuos defectus aspiciamus in omnibus ejus partibus. » Sic enim scribitur ¹⁰: « Aspexi terram, et ecce vœva erat, et nihili; et cœlos, et non erat lux in eis. Vidi montes, et ecce movebantur, et colles omnes turbati sunt. Intuitus sum, et non erat homo, et omne volatile cœli recessit. » Hæc verba omnia sonant vanitatem et instabilitatem in omnibus partibus mundi. « Omnia enim ¹¹ sunt vanitati subjecta, » quia de nihilo facta, et ut Gregorius dicit ¹²: « Universa in nihilum tenderent, si non ea manus Conditoris retineret. » Nam ¹³ « et universa vanitas. » Quid de cæteris sentiendum sit, videamus. Quem enim præsulum Romanorum, quem Cæsarium omnium, sive regum, mundus hic non decipit? Cui non deficit? Sic enim dicitur in Legenda sancti Sebastiani: « Sic mundus ab initio omnes fefellit, ut omnibus probetur fuisse mentitus. » Unde dicitur ¹⁴: « Ubi sunt principes gentium, qui dominabantur super bestias, quæ sunt super terram; qui argentum thesaurizant

¹ Hunc habet edit. Hagen. an. 1496. — ² *Joan.*, xx, 29. — ³ *Gregor.*, in *Evang.*, hom. xxvi, d. 7. — ⁴ *Ibid.*, hom. xxix, n. 1. — ⁵ *Id.*, hom. xxvi, n. 8. — ⁶ *Greg.*, in *Evang.*, hom. xxvi, n. 8. — ⁷ *Ibid.*, n. 1. — ⁸ *Matth.*, xi, 29. — ⁹ *Gregor.*, *Epist.*, lib. vi,

epist. xxvi. — ¹⁰ *Jerem.*, iv, 23-25. — ¹¹ *Eccle.*, iii, 19. — ¹² *Gregor.* — ¹³ *Lecl.*, i, 2. — ¹⁴ *Bar.*, iii, 16-19.

(a) *Cort. edit.* fugiamus. — (b) *Al.* palparet. — (c) *Al.* citius. — (d) *Greg.* habet credidit.

et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum? Exterminati, inquam, sunt, ad inferos descenderunt, et alii in locum eorum surrexerunt. » Ergo si factum est ita, sicut tota die experientia docet : « Facite vobis, inquit¹, amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. »

Exemplum. Scribitur enim in Romana historia², quod apud Gallos hæc consuetudo fuit olim, quod quia credebant animas immortales, et aliam vitam esse, sibi pecunias mutuabant, et dicebant : Ego tibi hanc pecuniam mutuo in hac vita, ut tu mihi reddas in alia vita. Utinam sic facerent hodie divites mundi, ut divitias necessario perituras, et velint nolint, hic relicturas, Christo in suis pauperibus mutuarent, ut in alia vita centuplicatas acquirerent, ut sunt usurarii! Quare usuras cum Deo non faciunt, qui pro undecim non duodecim reddit, nec pro libra solidum in mense, sed pro uno centum, etiam in hac vita, sicut dicitur in Evangelio³, et in alia vita dat regnum cælorum. Nam quædam narratur sub hac figura a quodam sancto patre parabola, quæ multum confert divitibus. Nam quædam civitas narratur, cui consuetudo erat quod omni anno unum dominum eligebant, et ei quod faceret omne, quod vellet, potestatem dabant, sed, anno finito, ipsum invadebant, verberabant, omnibus bonis spoliabant, et ad quamdam insulam transportabant, ubi nunquam dies erat, nec quid biberet, vel manducaret, habebat, et nunc frigore, nunc calore tabescebat. Cum ergo quidam dominus eorum electus consuetudinem illorum didicisset, toto illo anno, quo præfuit, ad illum locum frumenta, et omnia necessaria vite transmisit, et sic ubi alii erant in pœnis, ipse requiem invenit. Civitas, mundus; insula, infernus, vel quilibet pœnarum locus : a quibus qui vult evadere, necesse est ut per manus pauperum illuc cibi præmittantur. Hoc attendens Apostolus, relictis omnibus, secutus est Dominum. Pro cæteris autem, quæ de hoc dici possunt, expone diligenter parabolam.

Secundo debemus videre carnem nos inficientem. Nullus enim unquam hominum fuit, excepto Domino, quem caro non infecit. Quis ex ea non infectionem originalem accepit? Prima enim hora, qua anima illi infunditur,

mox ab ea maculatur, nec maculare desistit, quamdiu vivit. Ob quam causam exclamabat Apostolus⁴ : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Video, inquit, aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, » et multa de hoc ibi. De hoc potest exponi illud⁵ : « Considera (a) vias tuas in convalle, et scito quid feceris. » *Convallis*, ad quam omnis infectio fluit, est caro hominis. Ergo in hac valle stercorosa, et omnibus malis et infectionibus plena, vias tuas considera, et eas effugere labora. Quis non libenter fugit ab homine lepra infecto? Quis, si potest, domum stercorosam et fœtidam non declinat? Nonne formicæ et apicuke fugiunt loca fœtida? Numquid non taxus domum suam reliquit, quando eam sordidam invenit? Sed quid, si cæci non sumus, est caro nostra? nonne putrida, quædam latrina, et omnium fœtorum sentina? Ergo sunt fugienda carnis vitia, quibus anima moritur, virtus utriusque hominis infirmatur, homo debilitatur, mors acceleratur, visus utriusque hominis hebetatur, et non solum cæleste regnum perditur, imo etiam terrenum. Unde de Alexandro narratur historia⁶, quod ejus imperium tribus vicibus exultavit (b), scilicet cultu vestium, apparatu ciborum, et maxime vitiorum carnalium, quibus totum se dederat, nesciens miser his peccatis regna amitti, non acquiri. Insuper narrat Romana historia⁷, quod Scipio ille magnus, qui delevit Carthaginem, consul Hispaniam missus, cum inveniret Romanorum exercitum totum confusum, et sæpe ab hostibus superatum, eo quod vacarent luxuriæ, et meretricibus plenus erat exercitus, et ipse duo millia scortorum ab exercitu repulisset, et omnia, quæ ad voluptatem attinebant, procul abire mandaret, mox a turpi sentina vacuus factus exercitus, qui prius hostes fugiebat, animosus effectus, omnes adversarios superabat.

Tertio debemus videre diabolum fallentem, et superbiam corrudentem, et de hoc exponitur illud⁸ : « Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem. » Satan *adversarius* interpretatur, et signat diabolum, qui non cessat invadere, non cessat decipere, non cessat ad superbiam inducere. Sed dum nos ejus suggestiones sentimus, ejus casum attendamus. Scrip-

¹ Luc., XVI, 9. — ² Valer. Max., lib. II, c. VI, n. 10. — ³ Matth., XIX, 29. — ⁴ Rom., VII, 24, 23. — ⁵ Jerem., II, 23. — ⁶ Valer. Max., lib. IX, c. v, extern. n. 1.

ponit tria, sed duo ab his diversa. — ⁷ Id., lib. II, c. VII, n. 1. — ⁸ Luc., X, 18.

(a) *Vulg.* Vide. — (b) *Forte leg.* vitii exuberavit.

Exemplum.

Exemplum.

Exemplum.

tum est enim¹ : « Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. » Ergo secundum mensuram exaltationis, erit mensura casus. Ergo sicut Maria virgo domina nostra, quæ fuit omnium creaturarum humillima, super omnem creaturam est pura, et exaltata; sic diabolus, quia superbissimus, usque ab locum infimum est dejectus. Unde dicitur Lucifero² : « Delracta est ad inferos superbia tua; concidit (a) cadaver tuum. Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo : Super cælum conscendam? » etc. Et sequitur : « Verumtamen in infernum detraheris, in profundum lacu. » Sic ruit omnis superbus, quia non est datum summis diu stare; sed cadunt gravius, qui sederunt sublimius. Fortius enim cadit ædificium altum, quam planum, et casus alti montis est gravior, quam sit collis. Lapis enim quanto a superioribus locis descendit, tanto fortius et gravior cadit. Exem-
plum est de Nabuchodonosor rege³, qui superbia elatus, ab omnibus est eiectus, et usque ad consortium bestiarum est deductus; sed postquam fuit humiliatus, in regnum suum est restitutus. Item exemplum de Antiocho rege⁴, qui in superbiam elatus, et contra Dei populum elevatus, in terram dejectus est, ut præ fætore seipsum sustinere non posset : quare divinam veritatem cognoscens coactus est dicere : « Justum est mortalem subditum esse Deo, et non paria cum Deo sentire. » Unde et propheta dicebat⁵ : « Vidi impium superexaltatum et elevatum, sicut cedros Libani. Vidi (b), et ecce non erat : quæsivi, et non est inventus locus ejus. » Hæc attendens Apostolus, fugit superbiam, et humilitatem apprehendit. Unde et Domino per omnia obedivit. Dicebat enim Domino volenti eum mittere ad Indos : Tu es Dominus Deus meus, et ego sum servus tuus, fiat voluntas tua.

Quarto debemus videre Christum ad refec-tionem æternam, sive ad bravium nos vocan-tem. « Venite ad me, inquit⁶, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. » Unde poterat dicere Apostolus illud⁷ : « Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. » Si enim tanta potest esse aviditas temporalis gloriæ, ut pro ea multi omnia pericula non timuerint, quanta debet esse cupiditas gloriæ

æternalis? Unde de Alexandro narrat historia, quod satiari nunquam potuit in gloria. Quare? quia cum talis gloria omnino sit vacua, non satiat, sed tantum inflat. Sed non est talis illa gloria æterna, de qua dicit sanctus Propheta⁸ : « Satiabor, cum apparuerit gloria tua. » Videte ergo, fratres, stultitiam nostram, errorem nostrum : quia plures sequuntur mundum deficiente[m], plures carnem inficientem, plures diabolum seducentem, et cum suis sequacibus corruentem, quam Christum reficientem. Ergo rogemus, etc.

SERMO II⁹.

*Noli esse incredulus, sed fidelis*¹⁰. Naturale est summum bonum appetere, et illi placere velle. Omne enim quod illi placet, necesse est esse bonum, et quanto illi plus aliquid placet, tanto magis est bonum, eo quod nullo possit seduci errore, cum omnia, quæ sunt in homine, legat patenter in corde. Homo enim judicat secundum faciem, et ideo sæpe male; « Deus autem¹¹ intuetur cor, » et ideo semper bene. « Nolite, inquit ipse¹², judicare secundum faciem, sed rectum judicium judicate. » Ergo qui Deo placet, absque dubio bonus est; et tanto melior semper, quanto illi magis placet. Sed Apostolus docet¹³ quod « sine fide impossibile est placere Deo. » Quomodo enim illi placere posset, qui in illum non crederet? Ergo si illi desideramus placere, fidem in illum laboremus habere, quia et sic ipsi Apostolo dictum est : *Noli esse incredulus, sed fidelis*. Nullus unquam in mundo tyrannus fuit, cui servus placuit infidelis; imo omnis talis omnibus semper fuit odibilis; et si sic in aliis, quid in Deo esse credis? Ergo omne malum detestatur et odit. Ergo bene a Christo dictum est ipsi Apostolo : *Noli esse incredulus, sed fidelis*. In quo verbo Dominus maxime docet duo : nam quod uni dicit, omnibus dicit. Primo ergo docet, quid nobis sit fugiendum. Secundo notatur, quid nobis sit amplectendum. Nam fugiendam docet incredulitatem, sed amplectendam fidelitatem. Primum negative præmittit, cum dicit : *Noli esse incredulus*. Secundum scilicet affirmative subjungit, cum addit : *Sed fidelis*. Verum quia unum dependet ex altero : quia qui infidelis non est, fidelis per

¹ Luc., XIV, 11. — ² Isa., XIV, 11-13, 15. — ³ Dan., IV, 22 et seq. — ⁴ II Mach., IX, 7 et seq. — ⁵ Psal. XXXVI, 35. — ⁶ Matth., XI, 29. — ⁷ Gen., XXXII, 30.

— ⁸ Psal. XVI, 15. — ⁹ Hunc non habet edit. Hagen. an. 1496. — ¹⁰ Joan., X, 27. — ¹¹ I Reg., XVI, 7. — ¹² Joan., VII, 24. — ¹³ Hebr., XI, 5.

(a) Cæl. edit. drest concidit. — (b) Vulg. Transivi.

consequens est, eo quod unum alteri contradictorie oppositum est; dicamus et tractemus omnia simul. Est igitur notandum quod debemus esse primo fideles servi, per comparationem ad Dominum; secundo fideles amici, per comparationem ad proximum; tertio fideles œconomi, sive villici, per comparationem ad aurum, sive ad id, quod est dispensandum.

Primo dico quod debemus esse fideles servi per comparationem ad Dominum. Dignum enim est, ut fidelis dominus fideles habeat servos. Sed quis unquam sic fidelis fuit ut Dominus, qui pro servo, et pro malo et ingrato servo se dedit in mortem? Multos enim servos lego se in mortem tradidisse pro dominis; sed nullos dominos recolo me legisse, qui pro servis dederint se in mortem. Ergo vide quam fideles servos deberet habere Christus, qui cum esset omnium dominorum Dominus, et regum Rex summus, pro servis ingratis sponte est mortuus. Psalmista ¹: «Fidelis Dominus in omnibus viis suis.» In omnibus viis dicit, quia in redimendo, in defendendo, in custodiendo. Apostolus ²: «Fidelis Dominus, qui non permittet (a) vos tentari supra id quod potestis; sed faciet (b) eum tentatione proventum, ut possitis sustinere.» Dignum igitur est, ut fideles servi simus, cum tam fidelem Dominum habeamus. Dicitur enim ³: «Servus fidelis sit tibi sicut anima tua.» Sed quis hodie juxta Evangelium ⁴ est «fidelis et prudens servus?» Plures valde sunt qui serviunt mundo, et plures qui diabolo, quam qui Christo. Utinam miseri peccatores attenderent, quanta est fidelitas canum et equorum ad dominos, quanta leonum ad beneficos, ut sic saltem cognoscerent, quanta deberet esse fidelitas curati, et redempti non auro, sed sanguine Dei vivi, sive tam sollicite custoditi, ad Dominum Creatorem et gubernatorem. O ingratitude Christianorum omnium detestanda! quia major est inventa fidelitas in servis paganis ad dominos temporales, quam sit in Christianis ad Dominum æternalem. Narrat enim historia Romana quod quidam nomine Machonius, orator clarissimus, de incesta apud iudices fuit accusatus. Ad quod testandum, quidam ejus servus est advocatus, tanquam ejus criminis erat conscius. Cumque fidelis servus videret dominum

Exemplum.

valde dolentem, et nimium pertimescentem, ait ad eum: Noli timere, mi Domine, sed secure me iudicibus trade, certus quod nihil dicam. Tradidit eum iudicibus. Qui adeo fuit fidelis, ut multis verberibus laceratus, aculeo diu suspensus, laternis ardentibus totus adustus, omnium accusationes fide ad Dominum servata subvertit. Et addit historiographus, quasi de tanta fide admirans: «Argui fortuna merito potest, eo quod tantam fidelitatem servili cordi impressit.» Quis itaque hodie Christianus sic est fidelis ad Christum? Tales olim martyres fuerunt, talis et hic sanctus Apostolus fuit, qui pro Christo mori non timuit. Unde et Christo volenti eum mittere ad Indos, respondit: «Tu es Dominus meus, et ego sum servus tuus: fiat voluntas tua.»

Secundo debemus esse fideles amici per comparationem ad proximum. Nam sicut dicitur ⁵: «Amico fideli non est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius.» Sicut enim in libro suo docet Valerius Maximus ⁶, et etiam Seneca ⁷: «Majus est vinculum amicitiae, quam sit parentelae.» Nam a parentela potest separari benevolentia, et intervenire inimicitia: potest enim homo consanguineus esse inimicus. Item consanguinitas contrahitur ex natura; sed amicitia, ex voluntate libera: quare facilius a propinquo, quam ab amico, potest se homo avertere. Et addit Valerius ⁸, quod amicitiae vinculum temere assumi non debet, sed semel assumptum ulterius debet semper servari. Et addit quod vera fides amici maxime cognoscitur in adversis. Et ita omnia probamus multis exemplis, de quibus unum refero in quo ad proximum fidelis comprobatur amicitia. Nam apud Romanos ⁹ quidam nomine Gracchus morti damnatus, et jam bonis omnibus spoliatus, omni erat auxilio destitutus; duo tamen ejus amici Pomponius, et Lætorius (c) telis hostium undique ruentium se opposuerunt, et ut amicus evaderet, effecerunt. Nam Pomponius, ut ille facilius evaderet, se persequentibus eum in porta civitatis opposuit, nec ex ea pelli potuit, nisi postquam multis vulneribus perforatus oecubuit, et per cadaver suum viam adversariis dedit. Lætorius (c), amicus alter, in ponte super Tyberim stetit; et eum, donec Gracchus transiret, in ardore spiritus sui contra omnes defendit. Cum-

Exemplum.

¹ Psal. cxliv, 13. — ² I Cor., x, 13. — ³ Eccli., xxxiii, 31. — ⁴ Luc., xii, 42. — ⁵ Eccli., vi, 15. — ⁶ Valer. Max., lib. IV, c. vii, in proœm. — ⁷ Senec. — ⁸ Valer. Max., ubi sup. — ⁹ Ibid., n. 1.

(a) Cat. edit. permittit. — (b) Item facit. — (c) Item Lætorius.

que vi multitudinis premeretur, ut jam sustinere non posset, se lateraliter proprio mucrone transfodit, et saltu celeri in profundum Tiberis se projecit, et sic amicum defendendo, uterque amicus occubuit. Revera amicitia dare solet vitam propriam pro vita alterius conservanda. Sed hodie, proh dolor! nulli sunt amici personæ, quamvis multi sint amici fortunæ. Sanctus tamen noster Apostolus veram ad proximum amicitiam habuit, pro cuius salute vitam suam posuit. Unde potuit dicere cum apostolo Paulo ad fratres, et ad proximos omnes ¹: « Libenter impendam, et superimpendar ego ipse pro animabus vestris. » Quod non solum verbo dixit, imo et facto perfecit, sicut et ipsa Legenda ostendit.

Tertio debemus esse fideles villici per comparisonem ad mundanum thesaurum, ut fideliter dispensemus omnia, quæ a Deo accepimus. Quod tunc vere facimus, cum superflua omnia damus. « Dispersit enim ², dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi. » Omnes enim divites, et maxime principes, de divitiis omnibus et bonis acceptis reddituri sunt rationem, si famelicos cibaverint, si sitibundos potaverint, si nudis vestimenta dederint, si peregrinis portam aperuerint. De his enim, ut patet, Dominus in judicio petiturus est rationem, et ex his conclusionem ultimam faciet, bonos villicos munerans, malos æternaliter damnans. Unde quilibet nunc bene dispensans audiet Dominum sibi dicentem illud ³: « Euge, serve bone et fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. » Vere temporalia omnia sunt pauca, æternis divitiis comparata; immo potius dicenda sunt nulla. Gregorius ⁴: « Si consideremus, fratres, quæ et quanta sunt, quæ nobis promittuntur in cælis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. » Sed audite quid dicatur ⁵: « Quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus, inquit, servus, quem cum venerit Dominus, invenerit sic facientem: quia super omnia bona sua constituet eum. » Ergo e contrario, quem invenerit contrarium facientem, et eum excludet a bonis, et tradet tortoribus sempiternis. Unde dictum est illi, qui

talentum Domini sui abscondit, et non tradidit numulariis ⁶: « Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, » etc. Et addidit: « Inutilem servum eijcite in tenebras exteriores. » Sed plorandum est hodie, et toto corde dolendum, quia fideliores sunt inventi pagani in dispensatione thesauri sibi commissi, quam sint homines Christiani. Nam Scipio, princeps nobilissimus Romanorum, dum postularetur, ut rationem redderet de innumerabili quasi pecunia sibi commissa, tradidit eis librum, in quo expensæ erant, quas fecerat, nec cum eis ad legendum voluit ire, certus quod bene expenderat. Dixitque ad Senatium: « Nolite, patres, de mea innocentia dubitare: quia licet Africam totam vestræ potestati subjecerim, tamen nihil ex ea quod meum possit dici, præter nomen et gloriam, reportavi (a). » O si tales hodie essent Christiani, quam secure viverent, quam secure decederent, et quam secure se divino judicio præsentarent! Et quia talis fuit Apostolus, et omnia sua dedit pauperibus, immo et illa omnia, quæ ille rex Indorum sibi tradiderat ad fabricandum palatium, ideo fidelem se ostendit villicum, dum commutavit temporale palatium in æternum. Lege omnia in Legenda. Rogemus, etc.

Exemplum.

DE S. AGNETE VIRGINE ET MARTYRE.

SERMO PRIMUS ⁷.

Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei ⁸. Hominem ex duabus naturis dicimus esse compositum, una spirituali, secunda corporali: et auctoritas clamat, et ratio confirmat, et certa experientia nobis probat. Nam corpori de sui natura convenit non vivere, non sentire, quia si hoc in quantum est corpus haberet, omne utique corpus viveret, et sentiret, cum hoc falsum apertissime constet, eo quod multa corpora sunt, quæ nec vivunt omnino, nec sentiunt. Restat, ut Avicenna ⁹ dicit, in corporibus nostris esse aliquid quod corpori vitam et sensum tribuat, quod, quidquid illud sit, nos communi vocabulo vocamus animam: quod nomen est officii, non naturæ. Juxta ergo hanc

vita duplex.

non habet edit. Hagen. an. 1496; habet vero, etiam cum sequente, Codex Assis. sæc. XIII. — ⁸ *Psal.* LXXXVI, 3. — ⁹ Avicenna,

(a. *Cæt. edit.* reputavi.

¹ II *Cor.*, XII, 13. — ² *Psal.* CXI, 9. — ³ *Matth.*, XXV, 21. — ⁴ *Greg.*, in *Evang.*, hom. XXXVII, II, 1. — ⁵ *Matth.*, XXIV, 43. — ⁶ *Ibid.*, 26, 27, 30. — ⁷ Hunc

altera exterior, quæ resplendet in carne, sive exteriori conversatione. Prima facit hominem gratum; secunda facit hominem mundo formosum. Prima secundæ est fundamentum; sed secunda est primæ signum. Ergo sanctissima Agnes in præmisso jam verbo ab hac sanctitate duplici commendatur. Nam primo commendatur ab excellentia sanctæ vitæ, qua fulsit in corde; secundo, ab eminentia claræ famæ, quæ nimia honestate fulsit in carne. Notatur autem vitæ sanctitas, qua perficitur homo interior, cum dicitur: *Civitas Dei*. Notatur etiam famæ luminositas, qua perficitur homo exterior, cum subinfertur: *Gloriosa dicta sunt de te*. Quidquid enim ab hominibus de aliquo dicitur, secundum vitam exteriorem accipitur, eo quod ab eis exterior sola videatur. Dicamus ergo: *Civitas Dei*. Est autem notandum, quod ut materialis civitas sit perfecta, quatuor maxime requiruntur. Primum est quod sit alta, sive in alto fundata, ut ad eam difficillime ascendatur. Nam non libenter exercitus ascendit montem, et propter difficultatem, et defectum aquæ, qui (a) ut plurimum invenitur in monte. Secundum est, ut sit clausa, scilicet aquis circumdata, vel fossis murisque vallata, ne subito ab hostibus in eam intretur. Tertium est, ut sit fortis et firma, non super arenam, sed super saxum fundata, ut non facile diruatur (b). Quartum est, ut fidei et prudenti consilio sit gubernata, ne ab hoste falleretur. Beata igitur Agnes, ut spiritualiter loquar, fuit *civitas* alta per contemptum temporalis substantiæ, *civitas* clausa per murum virginalis continentiæ, *civitas* fortis per virtutis donationem constantiæ, *civitas* prudenter et fideliter gubernata per dictamen sapientiæ. Si quis enim legat perfecte ejus Legendam, inveniet quatuor ista patenter in ea.

Dico ergo quod Agnes beatissima a vero Agno sic est appellata, eo quod fuerit nobilissima virgo, et speciosa. Fuit civitas alta, in summis et æternis montibus collocata, per contemptum mundi et omnis temporalis substantiæ. Unde cum præfecti filius omnem mundi gloriam et divitias promitteret, ab ea omnia velut quedam stercorea sunt reputata, et ideo de ea convenienter potest exponi illud¹: « Non potest civitas abscondi supra montem posita, » id est,

¹ *Matth.*, v, 15. — ² *Psal.* XLIII, 25. — ³ Plutarch., in *Solone*; Diog. Laert., de *Thalet.*, lib. I; Valer. Max., lib. IV, c. 1, extern. n. 7. — ⁴ *Brev. Rom.*, in festo S. Agnet, lect. 1, noct. 2.

supra Christum. In alto fundata fuit hæc virgo sanctissima, quæ propter amorem Sponsi contempsit temporalia omnia. Unde non potuit esse absconsa, nec mundo celari civitas illa, sic ab amore temporalium elevata. Sed quis hodie non cecidit ab hoc monte, qui totus prostratus jacet in valle, adhærens totaliter ipsi terræ? Terram operamur, de terra loquimur, et terram sequimur. Psalmus²: « Humiliata est in pulvere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster. » *Conglutinatus*, quia sic fortiter terræ conjunctus, sicut forti bitumine lapides conjunguntur, ut vix amplius dissolvantur. Quis unquam populus sic fuit avaritiæ, sic pecuniæ servus, ut est hodie populus christianus? Ad hoc jam devenit, ut non solum populares personæ viles, sed milites, comites, barones, facti sunt mercatores, saltem per interpositam personam. Non tales fuerunt sapientes antiqui, non tales philosophi, qui propter mundanam gloriam omnia contempserunt. Unum autem referam, quod circa Coum mare accidit in Melesia regione, ubi³ quidam ab omnibus ibidem piscantibus unum jactum relis, sive quantum de piscibus uno jactu caperet, emit. Cumque crederent extrahere piscem, mensam auream magni ponderis extraxerunt. Inter piscatores igitur et emptorem controversia orta est: et dicebant piscatores se capturam piscium vendidisse, et illum emptorem pisces, non aurum emere voluisse. Delata est igitur res ad populum civitatis, et placuit cunctis, ut Deo Apollini, quem colebant, pro consilio habendo super hoc committeretur, cuius debet aurea mensa dari. Tunc Deus eorum respondit, illi mensam de septem eorum sapientibus esse dandam, qui sapientia cæteros anteiret. Habito ergo consilio, tradiderunt eam Thaleti tanquam omnium sapientiori. At ille contempsit, non accepit; sed secundo a se sapienti transmisit, et ille tertio destinavit: et sic dum per omnes transisset, ultimus ad Apollinem detulit, et eam illi obtulit. Quis de hodiernis Christianis talem mensam Christo offerret, et non potius sibi retineret?

Secundo beata Agnes fuit civitas clausa, et muro valloque præcineta virginalis continentiæ. Nam adeo fortibus seris undique clausa fuit, ut non solum facta, sed nec a viro nobilissimo audire passa est verba, sed ait: *Discede a me, pabulum mortis*, ut patet clare in Legendam⁴.

(a) *Cæt. edit.* quæ. — (b) *Edit. Vat.* dirimetur; *edit. Ven.* dirimatur.

Quomodo cogitabat de stupro, quæ non poterat aliquid audire de matrimonio? Unde ipsa fuit illa *Jerusalem*, quæ *ædificatur ut civitas*, sicut habetur in Psalmo ¹. Vere enim ad modum civitatis fuit ædificata, quia divitiis spiritualibus tota plena, pulchritudine totius honestatis ornata, muro et vallo pudicitiae undique fuit cincta. Sic nunquam virgines nostris temporibus sunt tales, quæ ante sunt corruptæ, quam aptæ. Fracti sunt modo muri, portæ sensuum non clauduntur, vallum nullum, omnia indisposita sunt: et oportet quod nuptui prius tradantur, quam ad tempus pubertatis attingant, ne prius forte stuprentur, quam maritis tradantur. Unde dicitur ²: « Muri Jerusalem dissipati sunt, » et ³ « portæ (a) ejus exustæ sunt igni. » *Jerusalem* virginem puellam signat, quæ muros castitatis violat, et portas sensuum clausas non servat, sed se exponit antequam nubat. Non sunt tales apud Frisones christianæ puellæ. Nam gens illa Frisonum miro modo castitatem zelat, et gravissime punit, si quos, vel si quas transgressores inveniant. Filias ergo suas in domibus propriis diu servant, nec ante triginta quasi annos permittunt quod nubant: et ideo non, sicut nostræ, filios debiles et parvos generant, sed robustos et magnos, sicut experientia probat.

Tertio fuit civitas fortis et firmæ per donum constantiæ. Nam nullis minis, nullis factis potuit a suo proposito permutari. Verba sprexit, ignem extinxit, et lupanar in orationis domicilium permutavit. Nam dicitur in Legenda, quod præfectus primo eam blandis sermonibus præmonebat, dehinc terrore pulsabat. Sed Christi Virgo non blandimento seducitur, nec terrore concutitur, sed eodem vultu, et eodem animo perseverans, et terrentem simul, et blandientem animo deridebat. Cumque præfectus diceret: Cupio consulere infantiae tuæ: tunc illa dicebat: Noli infantiam corporalem ita in me despiciere, ut putes me te velle propitium habere. *Lege ibi*. Sed unde ei tanta potuit esse constantia? Non fuit hoc suæ potestatis, sed divini muneris: illius, inquam, de quo dicit David ⁴: « Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. » Habens itaque in seipsa eum qui est omnium fortitudo, audiebat ab eo illud ⁵: « Ne timeas a facie eorum; nec enim te timere faciam vultus eorum. Ego, inquit, dedi te in

civitatem munitam, et columnam ferream, et murum æneum, et super omnem terram. » Et sequitur: « Bellabunt adversum te, et non prævalebunt: quia ego tecum sum, dicit Dominus. » Quomodo posset vinci vel perdere (b), qui secum habet Omnipotentem, fortificantem et adjuvantem? Sed ubi hodie fortitudo, non dico tantum in feminis, sed in viris? Unde dicitur cuilibet nostrum ⁶: « Ubi est fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum? Venit, inquit, super te plaga, et defecisti; tetigit te, et conturbatus es. » Quis hodie, non dico ad facta, sed patiens invenitur ad verba? Quis nostrum, si audit displicens verbum, non pro verbo, si poterit, reddit factum? Lupus, animal magnæ crudelitatis, contentus est lege tali, ut sic hominem lædat, ut læsus ab eo fuit; sed homo, animal mansuetum natura, sua natura deposita, et natura crudelissimæ feræ sumpta, non reddit pugillum pro pugillo, sed respondet gladio, et sæpe pro verbo et pro ictu modico, lethali vel mortali vulnere ferit. Non fuerunt tam impatientes illi summi nobilesque Romani, qui non solum verba, sed remittebant et facta, non parva, sed magna. Nam ⁷ M. Bibulus, vir amplissimæ dignitatis, et summis honoribus functus, dum in Syria moraretur, duos nobilissimos suos filios a militibus Ægypti occisos esse cognovit: quorum interfectores ad eum vinctos regina Ægypti Cleopatra misit, ut ex eis, quam vellet, appeteret ultionem. At ille patientissimus, hoc accepto beneficio, quo nullum majus lugenti poterat dari, dolorem cedere virtuti coegit, et carnifices filiorum intactos ad reginam remisit, dicens, hanc vindictam non suam, sed Senatus esse debere. Utinam nos sic, cum offendimur, divino Senatui vindictas relinquere-mus! quia dicitur ⁸: « Mihi vindictam, et ego retribuam. » Nullam enim injuriam inultam relinqueret, si se homines vindicare nollent, sed ei suas vindictas committerent: quamvis etiam non semper, quando vellent, hoc faceret, quia tempus congruum expectaret.

Quarto hæc virgo sacra fuit civitas regia, fidei ac prudenti consilio gubernata. Non enim humana prudentia, sed divina gubernabatur sapientia; et ideo nulli deceptioni potuit esse supposita, sed verba prudentiæ admirabilis loquebatur, sicut per totam ejus patet Legenda,

1v, 6, 5. — ⁷ Valer. Max., lib. IV, c. 1, n. 15. — ⁸ Deut., XXXII, 35; Rom., XII, 19.

(a) Apud Jeric. civitates. — (b) Leg. perire.

Frisones
iidem
qui Fri-
sii populi
protrius
ultra
Rhenum
Oceanum
oppositi.

Exem-
plum.

¹ Psal. CXXI, 3. — ² II Esdr., 1, 3. — ³ Jerem., II, 15. — ⁴ Psal. CXVII, 11. — ⁵ Jerem., I, 17-19. — ⁶ Job,

dam. Unde Ambrosius ¹ dicit de ea, quod erat corpore juvenula, sed animo cana. Unde hæc est *civitas illa parva* ², « contra quam venit rex magnus, et vallavit eam: sed inventus est in ea vir pauper et sapiens, qui liberavit urbem per sapientiam suam. » *Civitas parva*, Agnes humilima. *Rex ille magnus*, diabolus, vel præfectus, qui hanc civitatem obsedit, dum tot pœnis eam afflixit; ubi pauper et sapiens Christus fuit, qui eam inhabitans sua sapientia liberavit. Ipse enim est qui dixit discipulis suis ³: « Dum steteritis ante reges et præsides, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. » Et ⁴: « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri. » Exemplum de sancto Stephano habetur in *Actibus* ⁵. Lege historiam, et illa narra, quæ spectant ad hanc materiam. Sed nota hic, quod sunt multi, qui nec credunt divinis consiliis, nec humanis: et ideo cito cadunt, et in omnia mala ruunt. Nam et capta Carthagine, quidam Romanorum sapientissimus futura considerans, ne destrueretur, consilium dabat, sciens quod si quis a Romanis frænum auferret, mox omni voluptati se traderent, et gladios in se ipsos converterent: quia equus fræno carens non obedit sessori. Quod et factum est: nam Carthagine destructa, quæ Romana corda frænabat, Romani cum bella civilia non haberent, ad intestina bella conversi sunt: et sic destructio Carthaginis occasio fuit Romanæ destructionis ⁶. Quare etiam est sapientum, regi consilio, et maxime divino, quod in nullo potest errare futuro. Sequitur: *Gloriosa dicta sunt de te*. Et hæc sunt gloriosa revera: quia puella parvula sic mundum contempsit, sic virginitatem servavit, sic et ignes et pœnas contempsit, sic tantam constantiam in cunctis exhibuit, sic tam prudenter respondit, quod Deus sic eam et capillis, et cœlesti veste vestivit, quod lupanar sic illustravit, quod mortuum suscitavit, quod filiam Constantini a lepra curavit, quod parentibus suis octava die post mortem apparuit ⁷, et quod sacerdotem ecclesie suæ, qui eam,

jubente Papa, dispensavit, ab omni carnali tentatione curavit. Lege hæc omnia in *Legenda*, et prædica. Propter quæ omnia poterat ei dici illud *Isaïæ* ⁸: « Induere vestimentis gloriæ tuæ, civitas Sancti. » Omnia ista quæ dicta sunt, et innumera alia, fuerunt ejus indumenta, quibus mundo apparuit gloriosa.

SERMO II ⁹.

Venerunt nuptiæ Agni, et uxor Agni præparavit se ¹⁰. Quales sint illæ nuptiæ æternales, quam nobilissimæ, quam jucundissimæ, quam copiosissimæ, quis nostrum sufficiat, vel verbo dicere, vel corde pensare? *Isaïas* inquit ¹¹: « Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus (a) te. » Nam et videmus in his temporalibus nuptiis, dum quis nuptias filio suo facit, quod tunc quidquid potest ostendit; imo, si dici posset, plus facit homo, quam possit. Unde, sicut legitur ¹², pro nuptiis et conjunctione Hester, jussit rex parari convivium juxta magnificentiam triumphalem. Ergo si sic in nuptiis faciunt homines mortales, quales sunt nuptiæ, quas filiis suis facit Rex immortalis? Illas nuptias dum Agnes beatissima fide percepit, ad eas toto posse præparavit se: et ideo bene dicitur: *Venerunt nuptiæ Agni, et uxor Agni præparavit se*. Nam quamvis prius fuerit præparatio, quam nuptiarum celebratio; prius tamen celebrationem præmittit, quia finis semper id, quod est ad finem, præcedit, non in re, sed in intentione. Nam licet flos in arbore præcedat fructum tempore, fructus tamen præcedit florem operantis electione et intentione. Sic et Agnes sanctissima prius secundum intentionem illas æternas nuptias concupivit, et ad amorem earum se postea præparavit: quanquam ipsa præparatio præcesserit tempore nuptiarum celebrationem et conjunctionem. Juxta hæc igitur in verbo præmisso duo notantur: primum est dignitas meriti, quo fulsit in via; secundum est sublimitas præmii, quo fulget in patria. Primum, scilicet meriti dignitas, notatur, cum dicitur: *Uxor Agni præparavit se*. Sed secundum, scilicet præmii sublimitas, notatur, cum præmittitur: *Venerunt nuptiæ Agni*. Dicamus ergo: *Uxor Agni præparavit se*, etc., primo per cordis

Exemplum.

Exemplum.

Finis quomodo præcedat id, quod est ad finem

¹ Ambros. — ² *Eccle.*, ix, 14, 15. — ³ *Matth.*, x, 19-20. — ⁴ *Luc.*, xxi, 15. — ⁵ *Act.*, vi, per totum. — ⁶ *Salust. de Bello Jugurthin.*, et *Naucerus, Chron. gen.*, 60, ex T. Livio, de Catonis et Scipion. Nascica hæc in re disceptatione. — ⁷ Hæc fere omnia apud Ambrosium leguntur, *Epist.* lib. IV, epist. xxxiv, et

Lipomau., tom. I, ad 21. Januar. Reliquum vero apud Jacob. a Voragine, *Legend. aur.* — ⁸ *Isa.*, lii, 1. — ⁹ Hunc non habet edit. Hageno. an. 1496. — ¹⁰ *Apoc.*, xix, 7. — ¹¹ *Isa.*, lxiv, 1. — ¹² *Esth.*, ii, 18.

(a) *Vulg.* expectantibus.

munditiam se divinis servitiis devovendo; secundo per condignam pœnitentiam carnem operibus maerando; tertio per malorum tolerantiam ipsis resistendo. In his enim tribus vita perfecta consistit: primo, si munditia et devotio sit in corde; secundo, si castigatio sit pro peccatis in corpore; tertio, si patientia appareat in utroque.

Dico quod hæc beata virgo se præparavit primo per veram cordis munditiam et orationem devotam. Si enim cor est omnium membrorum primum, et fontale totius vite, motusque principium, sic munditia est bonorum omnium fundamentum. In cujus signum albedo omnium colorum est principium¹, nec congrue potest color aliquis pingi, nisi ei fuerit albedo substrata. Unde pictores omnes aliquid pingere volentes, calcem, vel aliquid album pro fundamento supponunt. Sic et virgo sancta primo se mundam in corde servavit; deinde mundam se foris exhibuit. Sicut enim immunditia exterior immunditiæ interioris est nuntiata, sic exterior munditia interioris munditiæ est indicativa, et effectus indicat suam causam: nullus enim motus est in homine, qui non causetur ex corde. Cum igitur Agnes sic munda exterius fuerit, ut nec lupanari inquinari poterit, quod veram habuerit munditiam in corde, verum argumentum extitit. Ipsa enim sciebat in Ecclesiastico esse scriptum²: « Qui Dominum timent, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. » Præparantur corda per munditiam, et per invocationem divinam, quia libenter venit Dominus ad locum mundum, si fuerit vocatus³: « Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua. » Citissime audit Dominus mundos corde, et omne, quod postulant, libens donat. Unde testatur Hieronymus⁴, Sibyllam a Deo donum prophetiæ accepisse merito virginalis munditiæ; et narrat de quadam regina Orientis⁵, quam sæpe Romanos debellasse dicit merito castitatis. Videmus apes amare munditiam, et de suis domunculis omnia projicere fœtida et immunda; imo quædam ex eis ad hoc sunt ordinatæ, quarum officium est domunculas mundas servare. Turpe est enim ut homo immun-

ditiam amet, quam apicula detestatur. Sed, prohi dolor! quidam sunt similes serofis, quæ libentius in stercoreibus habitant, et tota die pedibus volvunt immunditias, quas ipsi appetunt inter rosas. Turpe videtur talia dicere; sed turpius est ea facere. Vere hodie potest dici de quolibet nostrum illud⁶: « Quis potest dicere: Mundum est cor meum? » Immunda sunt corda, immunda sunt verba, immunda sunt opera, et omnis oculata (a) pudicitia: sola hodie regnat luxuria.

Secundo beata Agnes se præparavit per exteriorem pœnitentiam, carnem jejuniis et vigiliis edomando. « Causati enim sumus, Judæos et Græcos omnes sub peccato esse, » sicut dicit Apostolus *ad Romanos*⁷. Item Jacobus in Canonica⁸: « In multis offendimus omnes. » *Offendimus*, dicit, non offenditis, cum prima persona loqueretur Apostolus, dans intelligere, quod ipsi apostoli offendebant⁹. Unde et Joannes in sua Canonica: « Si, inquit¹⁰, dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. » Quare ita? Ut intelligatis, quod et virgo hæc sancta non fuerit absque culpa, saltem veniali, ideo egebat pœnitentiâ. Unde et de beata Cæcilia dicitur, quod cilicio ad carnem induta erat, et quod carnem jejuniis et vigiliis edomabat. Sciebant enim hæc sanctæ virgines dictum fuisse illi regi sancto¹¹: « Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum, amicitia jungeris, et idcirco iram quidem Domini merebaris. » Ecce culpa. « Sed bona inventa sunt in te: eo quod abstuleris lucos de terra, et præparaveris cor tuum ad requirendum Dominum Deum tuum. » Supple, per pœnitentiam. Sed cum simus omnes hodie peccatores, non sicut sancti qui levia committebant, sed sicut eriminosi, qui omnibus peccatis se implicant, ubi est pœnitentiâ? quis hodie dolet, si Deum offendit? Vere plus dolet, si asinum perdidit: quia, asino perduto, mox eum quærit; sed, Deo perduto, et per tempora longissima, non requirit. Et propterea conqueritur Dominus per Jeremiam dicens¹²: « Numquid qui cadit non resurget, et qui aversus est non revertetur? Quare ergo aversus est populus iste in Hierusalem aversione contentiosa? Apprehenderunt humana, sive mundana,

Exemplum de pictoribus.

Exemplum.

¹ Arist., *de part. Animal.*, lib. III, c. 11 et 14. — ² *Ecclesi.*, II, 20. — ³ *Psal.* X, 17. — ⁴ Hieron., *adv. Jovinian.*, lib. I, col. m. 67. — ⁵ Scilicet Teuta Illyricorum regina. — ⁶ *Prov.*, XX, 9. — ⁷ *Rom.*, III, 9.

— ⁸ *Jac.*, III, 2. — ⁹ Ita fere Conc. Afric. an. 1118, c. VIII. — ¹⁰ *Joan.*, I, 8. — ¹¹ *II Paral.*, II, 19. — ¹² *Jerem.*, VIII, 4-6.

(a) Forte *leg.* proculcata. — (b) *Vulg.* mendacium.

Exem-
plum.

et noluerunt reverti. Attendi (inquit) et auscultavi. Nemo quod bonum est loquitur, nec est qui agat pœnitentiam super peccato dicens: Quid feci? Omnes (inquit) conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in prœlium. » O utinam attenderent, quam utilis sit pœnitentia, licet modo videatur amara. Nam et videmus, quod amara medicina magis, quam dulcis, est proficua. Dicunt philosophi, quod amygdalus amara, plus quam dulcis, valeat ad medicinam, nec in ea arbore est aliquid invenire, quod miro modo non conveniat medicinæ. Sic pœnitentia videtur amara, sed multæ est dulcedinis adductiva. Nam et poma omnia prius sunt amara, quam dulcia. Et aqua in fonte est amara, id est, in mari, quod est fons omnium aquarum, sed fit ducis vena, postquam in terra est fortiter concussa. Unde in figura Ezechielis ¹, datus est ei liber ad devorandum, qui erat scriptus intus et foris, et scriptæ erant in eo *lamentationes* utique pœnitentiæ, *carmen* gloriæ, et *væ* damnationis æternæ: ut sic agens pœnitentiam, quæ nunc videtur amara, consideret vitæ æternæ præmia, et ipsa loca pœnalia, et sic ei dulcescat pœnitentia. Unde subdit ipse Ezechiel ²: « Et comedi volumen, et factum est in ore meo tanquam mel dulce, » eo quod amaritudo pœnitentiæ vertitur in dulcedinem. Nam et dulcis est somnus post vigiliæ afflictionem: dulcis est requies post laborem: dulcis est sanitas post languorem: dulce lumen post longam cæcitatem: dulcis valde tranquillitas maris post tempestatem: et post longam pluviam serenitas magis delectat, quam ante, et sic est in omnibus aliis invenire. Et hoc est quod dicitur ³: « Hoc habet pro certo omnis qui colit te, quia vita ejus si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur; et si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim (inquit) delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum, exultationem infundis. »

Tertio se præparavit per veram patientiam, sive per malorum tolerantiam, tormentis corporalibus non cedendo. Unde verbera et ignes non timuit, lupanar non erubuit, nec gladium lictoris expavit: quia etsi fuerit juvenecula cor-

pore, vel ætate, non tamen mente, vel fide. Unde Ambrosius ⁴: « Corpore quidem juvenecula, sed animo cana. » Sciebat enim esse scriptum ⁵: « Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, et timore, et præpara animam tuam ad tentationem, » scilicet sustinendam. Omnis enim qui accedit ad Dei servitium, se præparare debet ad bellum, quia statim armatur diabolus contra eum. Exemplum de Job. Exemplum etiam de Tobia, cui dictum est ⁶: « Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te. » Unde Gregorius dicit ⁷ quod « illos solum diabolus pulsare negligit, quos quieto jure possidere sentit. » Unde abbas Joannes, ut dicitur in Vitis Patrum ⁸, dum semel rogasset Deum, ut non tentaretur, omnis ab eo tentatio ablata est; sed videns se minus proficere, Deum rogavit, et tentatio rediit. Et hæc fuit causa quare Deus dilectum Apostolum non exaudivit orantem pro amotione stimuli carnis, sed audire meruit ⁹: « Sufficit tibi gratia mea, quia virtus in infirmitate perficitur. » Unde concludit idem Paulus: « Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. » Non sunt ergo fugienda temporalia mala, non fugienda tormenta; sed cum Christo potius sustinenda, ut per hæc fugiamus æterna supplicia, et præmia consequamur æterna, quia secundum Apostolum ¹⁰: « Si fuerimus socii passionum, erimus et consolationum. » Ad hoc perducatur nos Christus.

IN CONVERSIONE S. PAULI APOSTOLI.

SERMO PRIMUS ¹¹.

Surrexit Saulus de terra, apertisque oculis, nihil videbat ¹². Si quis epistolæ hodiernæ historiam diligenter perlegerit, aperte videbit, quod duplex fuit visio in Paulo: una exterior, quæ consistit in oculo corporali; altera interior, quæ consistit in oculo intellectuali. Et quantum ad visionem corporalem, ad Christum conversus, factus est cæcus. Unde *apertis oculis nihil videbat*. Sed quantum ad spiritualem, maxime fuit illuminatus; unde ibidem dictum est de Saulo: *Et vidit virum Ananiam nomine introeuntem*. Constat quod de visione intellectuali hæc dicit, quia in illis tribus diebus visum corporalem non habuit. *Erat, inquit, tribus diebus non videns, et non*

¹ Ezech., II, 9. — ² Ezech., III, 3. — ³ Tob., III, 21-22. — ⁴ Ambros., *Epist.*, lib. IV, epist. XXXIV. — ⁵ *Ecclesi.*, II, 1. — ⁶ Tob., XII, 13. — ⁷ Greg., *Moral.*, lib. XXIV, c. VII, al. XI, n. 26. — ⁸ *Vit. Patr.*, —

⁹ II *Cor.*, XII, 9, 10. — ¹⁰ *Ibid.*, I, 7. — ¹¹ Hunc et tres sequentes habet edit. Hageno. an. 1496, necnon Codex Assis, sæc. XIII. — ¹² *Act.*, IX, 8.

manducans neque bibens. Unde erat quoddam mirabile, quia dum visum amisit exterius, ipsum accepit interius; et quamdiu habuit visum ad mundum, totus cæcus erat ad Christum. Visus enim corporalis est impeditio spiritualis, quia anima ad exteriora diffusa, ad interiora est quasi nulla. Unde narrat Hieronymus ¹, quod plures philosophi, ut possent rebus interioribus melius esse intenti, sibi corporales oculos eruerant. Nam et cæcos videmus esse mirabilis intellectus et admirabilis ingenii, et valde tenacis memoriae, quia anima ab externis abstracta, ad interiora tota collecta, capit facile omnia. Unde docetur anima, in libro *de Anima et Spiritu* ², quod si vult se cognoscere, vel ad Deum ascendere, ab omnibus corporis sensibus retrahat se, et redeat ad se, stet in se, et eleuet se supra se mentis acie, sicut in viris contemplativis videmus fieri tota die. Nunquam enim potest videri Deus, nisi procul a visu sit mundus. « Non, inquit ³, videbit me homo, et vivet. » Ergo doctus Apostolus, et illuminatus ad videndum Deum, visum perdidit ad videndum mundum. In illo ergo triduo videbat, et non videbat: videbat scilicet spiritualiter; sed cæcus erat corporaliter. Unde bene de eo dicitur: *Surrexit Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat*: nihil, inquit (a), terrenum; sed videbat interioribus oculis Christum. Unde et statim vidit, et statim cognovit, statimque clamavit: *Domine, quid me vis facere?* Quasi diceret: præcipe, et paratus sum obedire. Igitur in verbo præmisso duò notantur: primo elevatio mentis in Deum, quod pertinet ad oculum spiritualem; secundo clausio oculorum ad mundum, quantum ad oculum corporalem. Ergo surrexit, ut oculum spiritualem acciperet, quo totus in Christum intenderet; sed cæcus fuit, ut se a mundo averteret, et mundum ulterius non amaret. Primum notatur, cum dicitur: *Surrexit de terra*, juxta illud ⁴: « Surge, qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. » Qui enim a terra surgit, versus cælum se erigit, et ad lumen, quantum in se est, se disponit. Secundum vero notatur, cum additur: *Apertisque oculis, nihil videbat.* Totus igitur hic sermo circa

Christi visionem versatur. Nam et ipse Apostolus confitetur nihil aliud se scire, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum. Et de Petro, Jacobo, et Joanne dicitur ⁵: « (Qui) levantes oculos, neminem viderunt, nisi solum Jesum. » Et ipse Jesus dicit ⁶: « Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. » Ergo si beati esse volumus, Jesum solum cum apostolis videamus. Nam et Dominus per Joannem dicit ⁷: « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. » Sed quid est Christum cognoscere, nisi videre? Ergo videre Christum, est esse beatum. Unde et dicebat Jacob ⁸: « Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. » Est ergo hic notandum, quod Jesum videre debemus: primo, pœnis afflicto, ut omnis in nobis destruaturn carnalitas; secundo, rebus destitutum, ut omnis in nobis destruaturn cupiditas; tertio, humilem et abjectum, ut omnis in nobis destruaturn pompositas.

Dico primo quod ante omnia debemus videre Jesum pœnis afflicto: quia tanquam latro (b) a populo suo captum, velatum, et oculis judicis præsentatum, ad columnam ligatum, flagellis cæsum, sanguine cruentatum, a militibus illum, ab Herode spretum, a Pilato condemnatum, in cruce elevatum, clavis duris affixum, et lancea perforatum. Attende ergo carnem illam virgineam, in utero virginali conceptam, utique carnem tenerrimam, carnem nobilissimam, carnem nullo peccato fœdatam, Deo carnem unitam. Et hæc videas, quæ fuerit passa, et quibus fuerit partibus perforata, et ejus pœna quam fuerit diuturna. Et quia ab illis fuerit passa, quibus sua contulerat beneficia, videbis dolorem ejus fuisse permaximum; nec unquam tantum dolorem fuisse, vel esse potuisse in homine, ut ipse testatur dicens ⁹: « O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus. » Ad hanc passionem habendam præ oculis nos invitat Bernardus, dicens ¹⁰: « Habete Christum semper non retro in humeris, sed ante præ oculis: ne portantes, et non odorantes, et onus premat, et odor non erigat. Num levius vestras injurias feretis, si videritis amaritudinem Domi-

¹ Hieron., *ad Abig.*, epist. XXXII. Exemplum est de Democrito; apud Cic., de Finib., lib. V, et Tusc., lib. V; Plutarch., lib. *de Curiosit.* Hic autem factum negat; ille vero non affirmat omnino. Idem dicitur de Metrodoro, ejus discipulo. — ² *De Spir. et Anim.*, c. II, inter Spuria Aug., Append. tom. VI. An sit Augustini, dubitabat ipse Bonaventura, ut patet ex

ejus Comment. in lib. II *Sent.*, dist. XXIV, part. 1, art. 2, q. 1, hujus edit. tom. III, pag. 161, col. 1. Hugoni vero a Trithemio adscribitur. — ³ *Exod.*, XXXII, 20. — ⁴ *Ephes.*, v, 14. — ⁵ *Matth.*, XVII, 8. — ⁶ *Luc.*, x, 23. — ⁷ *Joan.*, XVII, 3. — ⁸ *Gen.*, XXXII, 30. — ⁹ *Thoen.*, 1, 22. — ¹⁰ Bern.

(a) *Lvg.* inquam. — (b) *Lvg.* latronem.

nicae passionis? » Ergo si tanta fuit amaritudo carnis Domini Salvatoris, quis, nisi sit filius gehennae, audeat lascivire? quis ultra praesumat in deliciis carnem peccatricem nutrire? Non est justum, non est rationi consonum, ut sub capite dolente, membrum sine labore vivat delicate. Non habetur miles ille amicus regi, qui tunc vacat luxuriis, sive carnis deliciis, quando rex suus armis indutus, bellis expositus, vulneribus plenus, et totus pœnis expositus. Quare apostolus Paulus cum vulnera vidit Christi, se totum pœnis exposuit, carnem afflixit, et virginitatem puram servavit, sicut habetur in his, quæ dicuntur *ad Corinthios*¹: « In omnibus persecutionem patimur, sed non derelinquimur: semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu in corporibus nostris manifestetur, » etc. Ergo per omnia ambulavit Apostolus, ut Christus ambulaverat, et patiando, et virginitatem servando. Sed filii diaboli, omni gratia destituti, serviunt soli carni, pejores quam pagani, et magis luxuriæ dediti. Nam invenio² paganos sic detestatos esse carnalem lasciviam, ut nec filiabus a morte pepererint. Nam miles quidam Romanus nomine Pontius, postquam comperit filiam suam stuprum cum servo commisisse, et sceleratum servum affectu supplicis, et filiam interfecit. Sed et³ alius nomine Virginius, ut narrat eadem Romana historia, majus aliud fecit: nam dum unus de potentioribus concubitu filiae suae potenter expeteret, deductam in publicum puellam occidit, prius volens esse occisor filiae pudicæ, quam vellet pater esse corruptæ. Ergo si tantus amor virginitatis esse potuit in paganis, quantus deberet esse in Christianis, quorum rex virgo fuit?

Secundo debemus videre Jesum temporalibus bonis omnibus nudum, ut omnis in nobis destruat cupido. Quis unquam cupidus esse audeat, dum Christum videat nasci in stabulo, poni in præsepio, jacere in feno, omni carere temporali subsidio, et nudum suspendi in ligno? Quis adeo pessimus latro fuit, qui, in morte saltem, camisia ex humanitate indutus non fuerit? Ergo Deus pauperrimus fuit, quia parum in ortu, minus in progressu, sed nihil omnino in obitu est inventus habere. Et propterea dicitur pauperibus in Psalmo⁴: « Videant pau-

peres, et lætentur. » Quid videant? Christum egentem, Christum mendicantem, Christum nihil penitus possidentem. *Videant*, inquit, et *lætentur*, cum in paupertate sint fratres et socii non cujusque vilissimi, sed filii Altissimi, Domini nostri Jesu Christi. Quis veretur ulterius esse pauper, si videat Dei Filium mendicare? ergo videant et lætentur, quia qui nunc cum Christo sunt pauperes, cum eodem erunt cœlestis palatii cohæredes: « Hæredes, inquit Apostolus⁵, Dei, cohæredes autem Christi. » Unde dicitur⁶: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Hæc Paulus in Christo dum attendit, omnia cum aliis apostolis dereliquit. Unde legitur in Evangelio, quod hodie recitatum est⁷: « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. » Hieronymus⁸: « Jesus non dixit: *Qui reliquistis omnia*: hoc enim Crates fecit philosophus, et multi alii divitias contempserunt. Sed: *Qui secuti estis me*: quod proprie apostolorum est, atque credentium. » Hæc Hieronymus. Faciemus ergo propter Christum, quod philosophi illi fecerunt propter naturæ instinctum. Nam⁹ Democritus tantis divitiis plenus fuit, quod exercitui Xeris regis, qui erat innumerabilis, epulas facile dare potuit. Dum autem tam dives esset, et philosophiæ operam dare vellet, sciens philosophiam non convenire cum pecunia, patrimonium suum patriæ donavit, a qua omni tempore exul fuit. Ergo si pro philosophia vana philosophus pauper fuit, quid pro philosophia vera Christianum facere convenit?

Tertio debemus videre Christum pauperem et abjectum, ut confundatur nostra pompositas, omnis humana dignitas, et superba sublimitas. Nam monstrum est, et natura abhorret, ut sit humilis dominus, et superbiat servus; dominus in imo sedeat, et servus in alto; dominus vadat pedes, et servus eques. Audi ergo quid de Domino Salvatore dicatur per Isaiam¹⁰: « Vidimus, inquit, eum, et non erat aspectus; et desideravimus eum, despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitates: et quasi absconditus vultus ejus, et despectus: unde nec reputavimus eum. Et nos putavimus (a) eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. » Hanc humilitatem attendens Apostolus, ex Saulo factus

Saulus.

¹ II Cor., IV, 9-10. — ² Valer. Max., lib. VI, c. 1, n. 3. — ³ Ibid., n. 2. — ⁴ Psal. LVIII, 33. — ⁵ Rom., VIII, 17. — ⁶ Matth., V, 3. — ⁷ Matth., XIX, 27. —

⁸ Hieron., in Matth., XIX. — ⁹ Valer. Max., lib. VIII, c. VII, n. 4. — ¹⁰ Isa., LIII, 2-4.

(a) Cœl. edit. reputavimus.

et Paulus quid. Paulus, id est ex superbo humilis et modicus. Nam Saulus ex Saulo rege superbissimo erat dictus, ex cujus tribu fuerat natus; sed Paulus interpretatur *modicus*. Nonne ex superbo factus est humilis, quando dixit ¹: «Ego sum minimus omnium apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei?» Item nonne ex superbo factus est humilis, quando ex persecutore apostolus? Ergo, fratres, deponamus superbiam, et Christum humilem cum Apostolo imitemur. Fugiamus, charissimi, honores, quia Christus fugit, ne rex fieret Judæorum: in quo docere nos voluit quid fugere debeamus. Nam et viri pagani dum honorum pericula conspexerunt, ipsos penitus renuerunt. Unde ² Marcus Rutilius secundo factus censor a Romanis, ad concionem populum convocavit, et verbis duris, quam potuit (a), ipsum populum arguit, quod illam tam amplam potestatem bis ei contuissent. ³ Fabius Maximus eum a se quinques, et a patre suo, avo et proavo, maioribusque suis sepe numero consulatum gestum adverteret, dum filius ejus factus a populo consul esset, quantum potuit constanter cum populo egit, ne hunc honorem tam sæpe domui suæ darent, dicens, inconueniens esse, ut Romanum imperium sic in una familia daretur continuum. Ergo non reputemus magnum, si honores contemnemus (b) propter Christum, et propter regnum æternum, quando viri sic extranei imperia contempserunt ob amorem propriæ civitatis, etc.

SERMO II.

Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum eorum regibus, et gentibus, et filiis Israel ⁴. Duplicem electionem legimus in Scriptura: unam æternalem, alteram temporalem. Per primam semper ad gratiam præparamur et gloriam; per secundam vocamur ad gratiam, sed non semper ad gloriam. Prima electio est idem quod prædestinatio, per quam in libro vite conscribimur, cujus libri scriptura, nulla oblivione interveniente, deletur. Secunda enim (c) electio est idem quod temporalis vocatio, quæ etsi ad tempus fiat ad gratiam, non tamen semper ad gloriam: quia non omnes qui temporaliter sunt vocati, æternaliter sunt electi. « Multi

enim, ut dicit Dominus ⁵, sunt vocati, pauci vero electi. » De æterna vero electione dicit Apostolus ⁶: « Elegit nos ante mundi constitutionem. » Et dicitur ⁷: « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. » De secunda vero electione intelligitur illud ⁸: « Nonne ego duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est? » Constat enim Judam non ab æterno, sed temporaliter fuisse electum, quia non ad gloriam, sed ad tempus tantum. Ad gratiam vero sanctus Apostolus, ejus hodie festa celebramus, ad gloriam ab æterno fuit electus, et a Christo temporaliter est vocatus, ut et gratiam haberet abundanter in via, et gloriam obtineret in patria. Unde bene de eo dictum est: *Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum*, etc. In quo verbo maxime duo notantur: nam primo ostenditur quod sanctus Apostolus sit ab æterno prædestinatus; secundo vero monstratur ad quid fuerit temporaliter ordinatus. Notatur autem ejus æterna electio, cum in auctoritate præmittitur: *Vas electionis mihi est iste*. Secundo notatur ejus temporalis vocatio, sive ad prædicationem ordinatio, cum infertur: *Ut portet nomen meum*, etc. Dicat ergo Dominus et Salvator de Apostolo suo: *Vas electionis est mihi iste*. Est ergo notandum, quod sanctus Apostolus fuit *vas*: primo altum, per contemptum temporalis substantiæ; secundo clarum et lucidum, per domum sapientiæ; tertio purum, per donum continentiæ; quarto solidum, per donum patientiæ.

Dico primo, quod sanctus Apostolus fuit vas altum, vas a terra elevatum, vas cælo proximum per contemptum temporalis substantiæ. Quis sic pauper ut Apostolus fuit, qui propter Christum omnia reliquit; nec de Evangelio, cum posset, vivere noluit, sed labore manuum suarum victum quesivit, sicut aperte patet in ejus Epistolis? Unde de eo consequenter potest exponi illud ⁹: « Vas admirabile, opus Execelsi. » Est enim opus excelsum, imo excellentissimum, et cunctis admirabilissimum, sic perfecte continere mundum, spernere victum, non curare vestitum, sed omnia arbitrari ut sterora propter Christum. Et ideo hoc vas apostolicum *admirabile* dicitur, propter tam virtuosum contemptum; et *opus Execelsi* (d), id est, Dei summi,

¹ I Cor., xv, 9. — ² Valer. Max., lib. IV, c. 1, n. 3. — ³ Ibid., n. 5. — ⁴ Act., ix, 15. — ⁵ Matth., xx, 16. — ⁶ Ephes., i, 4. — ⁷ Joan., xv, 16. — ⁸ Ibid., vi, 71. — ⁹ Eccli., xlvi, 2.

(a) Leg. populum vocatum quam potuit gravissima oratione. — (b) Leg. contemnimus. — (c) Leg. autem. — (d) Cæt. edit. *excelsum*.

quia Dei dictum. Nemo enim posset sic se et sua contemnere, nisi illo donante, a quo est ¹ « omne datum optimum, et omne donum perfectum. » Sed hodie contemnitur paupertas, et avaritia regnat, quia, sicut dicitur ², « a minimo usque ad maximum, omnes avaritiæ student. » Et deinde dicitur ³ : « Avaritia super caput (a) omnium. » Nec attendunt miseri, quod illud quod natura sub nostris ponit pedibus, ipsi perversa natura sibi ponunt super caput. Numquid non natura dedit tibi terram pedibus ad conculcandum? Ergo contra naturam est, si terra homini dominetur, quæ ei data est, ut pedibus conculcetur. Sed numquid aurum et argentum non generatur ex terra? Imo secundum Philosophum sunt egestionem terræ, nec mireris si hæc sunt metalla ipsa terra viliora, cum sint ex terra creata, et ad modicum sunt utilia, nisi quantum ea facit æstimatio humana, quæ olim ea habuit vilissima, et plus æs quam aurum reputabant : ergo non sua natura, sed æstimatio sola ea facit pretiosa. Numquid non plus valet frumentum, quam aurum, cum sit totius vitæ sustentamentum? Qui esset in aliquo loco, et esset utique plenus auro, si pane caret et frumento, nonne, invadente fame, totum daret aurum pro modico pane? Dic unde hoc esset, nisi quia tunc natura bono melius anteponeret? Nunc autem vilius frumentum, sed clarum est aurum, quia de illo multum, de isto vero parum : quia æstimatio fallit iudicium. Nam quidam miles fuit, qui pulcherriam uxorem habuit, et ei turpissima famula serviebat : in quam miles oculos cum iniecisset, et eam ardentem amaret, perverso iudicio, et amore oculo excecato, videbatur sibi quod domina tota turpis, sed famula esset pulcherrima. Cumque de hoc argueretur ab omnibus, et sibi diceretur, quod domina esset pulcherrima, hæc autem famula esset turpissima, mirabatur an hoc esset verum. Ad quemdam philosophum venit, et totum negotium ei dixit. Cui philosophus . Amor te fallit, nec ut recte iudices, nec æstimes, permittit. Si ergo de eis vis rectum iudicium ferre, æquali distantia eas a te remove, ut dominam non odias, et aliam non diligas, sed ad ambas æquali mente te habeas, et tunc videbis quid te ad iudicandum impediatur : quia amor et odium falsant iudicium. Unde olim philosophi et poetæ pingebant

Amorem cæcum. Sic igitur patet quod æstimatio falsa aurum frumento præponit, quæ sæpe plus asinum, quam hominem servum diligit; et quod est pessimum, plus nummum pretiatur quam Deum.

Secundo Apostolus fuit vas clarum et luminosum per donum sapientiæ : fuit enim scientiæ admirabilis, ita ut ejus verba in magna veneratione Seneca ⁴ haberet, et illi aprobanda sua scripta committeret, et senatus non mediocriter sentiret de illo, et ipse Cæsar valde eum verbis extolleret, sicut ipse Seneca docet. Unde de ipso potest exponi illud ⁵ : « Vas castrorum in excelsis, in firmamento cæli resplendens. » *Vas castrorum* dicitur, quia per eum castra christianæ militiæ illuminantur. Quis unquam sic docuit, sic Christum prædicavit, et quis sic mundum illuminavit, ut Paulus? Sic enim Christum ardentem amavit, quod totum mundum Christo acquirere totis viribus laboravit. Unde dicitur quod in firmamento cæli resplenduit, quia in Dei Ecclesia, quæ firmamentum est veritatis, magnum luminare claruit, et omnes gentes docuit. Sed quis hodie Christum vere prædicat? quis hodie sequitur Pauli scientiam, et non potius vanam philosophiam? Plures hodie incomparabiliter intendunt philosophiæ, et legi Justinianæ, quam divinæ, quia illis acquirunt pecuniam, hæc acquirunt animam, animæ præponentes pecuniam, cum tamen dicatur ⁶ : « Quam dabit homo commutationem pro anima sua? » Et ⁷ : Quid prodest homini, si univsum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiat? » Sic philosophi intenderunt toto posse mundanæ scientiæ. Nam ⁸ Archimedes philosophus sic scientiæ totum se dedit, ut propter scientiam mortem contemneret. Cum enim Syracusana civitas, in Sicilia posita, esset a Marcello principe Romanorum obsessa, diu se defendit, munita solis consiliis philosophi supradicti, cum cæteris ibidem inclusi. Cumque finaliter capta esset, Marcellus illius philosophi eximia scientia delectatus, ut ad vitam servaretur edixit, plus reputans sibi ad gloriam, quod tantum virum vita donabat, quam quod Syracusanos devicerat. At ipse philosophus nec vitam curans, nec mortem metuens, mente et oculis in terram defixis, verba scientiæ digito scribebat in terra. Adveniente igitur milite, qui

XLIII, 9. — ⁶ *Matth.*, XVI, 26. — ⁷ *Ibid.* — ⁸ *Valer. Max.*, lib. VIII, c. VII, n. 7.

(a) *Vulg.* in capite.

Exemplum.

Exemplum.

¹ *Jac.*, 1, 17. — ² *Jerem.*, VI, 13. — ³ *Amos*, IX, 4. — ⁴ *Ex epist. Senecæ ad B. Paulum.* — ⁵ *Eccli.*,

domum gratia prædandi irruperat, super caput ejus gladium vibrans, quis esset interrogavit; at ille sic intentus investigationi scientiæ erat, quod nomen suum indicare non potuit, imo ob amorem scientiæ mortem contempsit, nec gladium advertere voluit ferientis. Et quia factum est, ut dum militi parere nollet, nec nomen illi suum indicaret, ut mortem incurreret. O si tales essemus pro divina scientia capienda, quam devote ad prædicationem iremus! quam studiose non intellecta quæreremus! quam constanter et fervide pro divinis verbis animas poneremus! Nam pro hac doctrina tam sancta, tam solida, tantis miraculis confirmata, mortuus Paulus fuit, mortui sunt omnes apostoli, sancti et martyres omnes, imo et ipse Dominus pro hac confirmanda doctrina, et voluit capi et illudi, et flagellari, et quod majus est, tradi morti. Unde inquit ¹: « Ego ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. » Sed nobis potest dici illud ²: « O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non credere veritati? » Nunc enim ³ « stultorum infinitus est numerus. » ⁴ « Cor fatui tanquam vas confractum, omnem sapientiam non tenebit. »

Tertio Apostolus fuit vas purum et mundum per donum continentiae. Unde dicebat, loquens de continentia ⁵: « Volo autem omnes homines esse sicut meipsum, » et sic continere, ut contineo meipsum. Et de hoc vase convenienter potest exponi illud ⁶: « Aufer, inquit, rubiginem de argento, et fiet vas purissimum. » Apostolus enim fuit vas argenteum, etiam ante conversionem, propter donum sapientiæ; sed erat rubiginosum, propter persecutionem quam inferebat Ecclesiæ. Dum ergo Christus ipsi in via apparuit, verbis terruit, et cæcum ad exteriora reddidit, et intus lumine gratiæ illustravit, peccati rubiginem ab argento removit, et vas purissimum illum fecit. Potest tamen dici quod Apostolus fuit vas purum, vas magis purum, et vas purissimum. Nam fuit vas purum in conversione; fuit purius, sive magis purum, in conversatione; fuit vas purissimum in mortis toleratione. Sed quis hodie est vas purum? quis hodie dicere potest ⁷: « Mundus sum a peccato? » Imo qui sunt hodie, qui non serviant luxuriæ? Facti sunt omnes ⁸ « sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. » Ad modum enim leænæ, homines nostris temporibus sem-

per fervent ad coitum, non expavent adultèrium, non stuprum, non incestum, nec peccatum quod est naturæ contrarium. Non tales antiqui philosophi, qui quasi inveniebantur insensibiles, et quasi corpus non habentes ad peccatum carnis: et ut de multis taceam, unum referam, unde nostra confundatur lascivia. ⁹ Xenocrates, major discipulus Platonis, qui ejus scholas post eum, ut dicitur, rexit, miræ continentiae homo fuit, quod quædam mulier pulehra sic probavit. Nam eum quibusdam juvenibus pignus posuit, quod eum deciperet, et ad luxuriam excitaret. Igitur mulier insana, et juxta eum se posuit, et caput suum in gremium ejus posuit. At ille nec eam tetigit, nec eam repulit, nec verbis ullam injuriam illi dixit; sed quamdiu voluit, in sinu ejus morari permisit: ipse permansit immobilis in proposito castitatis, nec ullum incentivum libidinis sensit. At illa cum hoc vidit, confusa recessit. Cumque pueri eam deriderent, quod nihil facere potuisset, et pactum victoriæ flagitarent, illa respondit: Ego vobiscum pignus posui de homine; hic autem, ut experta sum, non est homo, sed statua. Et dicit historiographus, quod non potuit magis commendari de continentia, quam ab hac commendatus sit femina. Magna ergo Christianis est verecundia, dum inter gentes paganas magis quam inter eos invenitur continentia.

Quarto Apostolus fuit vas solidum per donum patientiæ. Vas enim solidum non cedit facile impellenti, quia dum intus malleo funditur, non intus frangitur, sed malleus repercutitur: hoc etiam apparet in pila, quæ ad murum percussa, non per murum, sed ad manus projicientis velociter redit. Dicit etiam Hieronymus, quod sagitta ab arcu immissa in lapidem, vel in ferrum, non ante, sed retro rediens, sæpe percudit sagittantem. Sic et Apostolus cum esset vas solidum, et gratia plenum, nec lædi, nec sonum potuit dare percussum, quia non sonat tactum vas plenum, sed vacuum. De soliditate ergo vasis hujus potest exponi illud ¹⁰: « Vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso. » Nota quare dicatur vas aureum, vas solidum, vas ornatum. Vas aureum dicitur propter refulgentiam charitatis, quia totus ardebat; vas solidum, propter constantiam firmitatis, quia nulli afflictioni cede-

Exemplum.

Exemplum.

¹ Joan., xviii, 37. — ² Gal., iii, 1. — ³ Eccle., i, 15. — ⁴ Eccle., xxi, 17. — ⁵ I Cor., vii, 7. — ⁶ Prov.,

xxv, 4. — ⁷ Ibid., xx, 9. — ⁸ Psal. cxvi, 8. — ⁹ Valer. Max., lib. iv, c. iii, extern. n. 3. — ¹⁰ Eccle., i, 10.

bat; sed vas omni lapide pretioso ornatum, propter resplendentiam honestatis, qua mundo fulgebat. De quolibet horum fieri posset longus sermo; sed videamus quam solidus, quam constans et firmus fuerit hic sanctus Apostolus. Sicut enim ipse ait ¹: « Deus nos novissimos ostendit Apostolos, tanquam morti destinatos.» Et quibusdam interpositis, ait ²: « Usque in hanc diem esurimus et sitimus, nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus manibus nostris. Maledicimur et benedicimur, persecutionem patimur, et susinemus,» etc. Item ³: « In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur,» etc. Item ⁴: « In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter: a Judæis quinquies quadragenas una minus accepi: ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui, etc. Si gloriari oportet, in his, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor.» Tales deberent esse milites Christi: sic per omnia solidi, ut nec ipsa morte possent ab hostibus deterreri. Et quid mirum, si cum Apostolo debeamus agere fortiter pro Christo, et pro regno obtinendo æterno, quoniam multi inventi sunt milites terreni, qui vitam suam tradunt pro rege terreno, pro quo morientes non accipiunt præmium, sed supplicium potius sempiternum? Nam quidam Hermon nomine ⁵, princeps maximus in regno Persarum, dum pro domino suo bellum contra Alexandrum committeret, cum se ab aliis derelictum videret, se toti exercitui Alexandri opposuit, et alios quidem hasta, alios gladio obruncabat. Plura jam acceperat vulnera, et a parte anteriori, et a tergo; sed plura intulerat hostibus. Ut ergo non videretur virtute, sed solum felicitate inferior Alexandro, tantam stragem hostium fecit, ut solus agmina quandoque fugaret. Verum cum innumerabiles ictus haud sustinere posset, de equo lapsus super genua se posuit, scuto protegens totum corpus, et gladium manu stringens, hostes provocabat ad bellum, si quis auderet secum confligere, donec lethalis lancea pectori ejus intixa est. Et quamvis esset undique perforatus, nec tamen fugit, nec captum se reddidit, nec misericordiam petiit; sed tantum se defendit, donec sanguinis effusione

defecit. Ergo si tantus potuit esse miles mundanus pro gloria mundi, qualis debet esse miles Christi pro gloria paradisi? Sed facti sumus hodie vasa contracta, vasa terrea, non aurea; non argentea, sed vitrea, quæ modico tactu franguntur. Unde potest de nobis dici illud ⁶: « Filii Sion inelyti, et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? »

DE S. AGATHA VIRGINE ET MARTYRE.

SERMO PRIMUS.

Fortitudo mea, et laus mea Dominus ⁷. Secundum doctrinam Sancti Bernardi ⁸, non est detestanda, sed optanda infirmitas, quæ Christi virtute firmatur. « Quis, inquit, dabit mihi non solum infirmari, sed omnino destitui, et penitus a me ipso deficere, ut me Deus virtutum sua virtute stabilitet? » Non ergo dicendus est destitutus, qui est in se infirmus, cum fortitudo sua sit Dominus. Dicat ergo sancta Agatha, et sic esse credat: *Fortitudo mea Dominus*. Quasi dicat: De me utique non confido, sed solum de illo, qui est sanctorum omnium fortitudo. In quo verbo valde sapienter procedit: nam primo principium fontale totius bonitatis, ut ipsum diligat, ostendit; secundo acceptionem ab eo beneficium, ut amoris desiderium crescat, agnoscit; tertio vero gratias illi, ne ingrata appareat, reddit. Optime conjunguntur hæc tria munera, datorem diligere, munus acceptionem agnoscere, et pro munere gratias compensare. Est igitur primum primi principii et fontalis veneratio, quando dicit: *Dominus*. Secundum est muneris recognitio, quando addit: *Fortitudo mea*. Tertium vero est gratiarum actio, quando subdit: *Et laus mea*. Tunc enim Deus *laus mea* dicitur, quando a nobis pro bonis acceptis laudatur. Dicat ergo beatissima Agatha: *Fortitudo mea, et laus mea Dominus*. Verum quia hæc virgo sancta simul, et semel, et semper et Deum fortissimum in auxilium invocabat, et tormenta fortiter hilariterque portabat, et semper in omnibus gratias agens Deo referebat, omnia in sermone tractanda sunt simul. Est igitur notandum quod hæc Virgo sancta accepit a Deo fortitudinem, qua est usa ad plura. Nam fuit fortis ad quatuor: primo ad bonum fidei Christo sponso servandum; secundo ad omne temporale subsidium contem-

Exemplum.

¹ I Cor., IV, 9. — ² Ibid., 11-12. — ³ II Cor., IV, 8. — ⁴ Ibid., XI, 23-30. — ⁵ De Hermone Persarum duce nihil potuit inveniri. — ⁶ Thren., IV, 2. — ⁷ Psal.

CXVII, 14. — ⁸ Bernard., *de Convers. ad Cler.*, c. VII, n. 12, quoad sensum.

nendum; tertio ad omne genus supplicii tolerandum; quarto ad (a) illud, quod coeperat, finaliter exequendo ad perseverandum. Ista enim quatuor faciunt hominem perfectum esse, scilicet stabiliter fidem servare, omnia propter Deum contemnere, omnia mala pro eo portare, et in his finaliter permanere.

Dicamus ergo quod beata Agatha fuit fortis primo ad bonum fidei thori servandum: erat enim Christi sponsa, Christoque consecrata, et ideo ei non licebat ut alteri jungeretur. « Despondi, inquit Apostolus ¹, vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. » Nota igitur quod homo sponsam vult invenire incorruptam. Ergo multo fortius Rex regum Dominus vult suam fidem thori servari, et sponsam suam alteri non conjugi. Nullus unquam homo sic zelotypus est, ut Christus. Hæc igitur considerans virgo sacra, induci non potuit ut nuberet Quintiano. Ipse enim Quintianus, videns Virginem mira pulchritudine corporis refulgentem, et eam divitem esse et nobilem, voluit eam sibi sumere uxorem, ut, quia pulchra, posset in ea sua libido satiari; quia dives, posset per eam ditari; et quia nobilis, posset per eam nobilitari. Fecit igitur eam arctari, et cuidam matronæ tradi, ut mutaret animum ejus. Audi ergo fortitudinem Virginis, quia per triginta dies fortiter pugnavit, ne matrimonio judicis consentiret, et superari non potuit. Quare matrona jam dicta, ad Quintianum veniens, dixit ei: « Facilius possunt saxa molliri, et ferrum in plumbi mollifem converti, quam hæc puella converti. » Audiverat enim Saræ filie Raguelis Tobie matrimonialiter junctæ dictum ², et sic accipiebat, ut sibi esset a Christo personaliter enarratum: « Forti animo esto, filia: » quasi dicat: Fortiter serva fidem, et sponsi tui ne lædas amorem. Turpe est, ut fides quæ sæpe servatur mortali marito, non servetur Domino Christo. Nam innumeræ fuerunt antiquitus mulieres, quæ prius voluerunt occidi, quam post mortem primi mariti vellent nubere alteri. Unde, ut narrat historiae et Hieronymus ³, mos fuit apud Indos, ut quilibet homo haberet plures uxores; et cum vir moreretur, illa quæ magis fuit ab eo dilecta, cum eo igne cremabatur. Eratque mirabile, quia, viro mortuo, omnes inter se contendeabant, et quælibet se magis dilectam fuisse dicebat, ut posset cum viro comburi.

Exemplum.

Exemplum.

¹ II Cor., XI, 2. — ² Tob., VII, 20. — ³ Hieron., adv. Jovinian., lib. I, col. m. 69, B. — ⁴ Brev. Rom.,

illa igitur, quæ vincebat, optimis suis vestibus se ornat, et juxta viri corpus se collocabat, illum osculans et amplexans, ignes hinc inde ardentem non curans, sed virum osculando, ardebat. Ergo si tanta potuit esse fides ad virum mortalem, quanta debet esse ad Dominum immortalem? O si scirent virgines, cum quanto dolore florem virginitatis amittunt, cum quanta mutatione corporis factum concipiunt et nutriunt, cum quanto dolore pariunt, et sæpe pereunt, cum quantis pœnis filios nutriunt, cum quanto dolore eos morientes aspiciunt, quanta est pœna zelotypos viros habere, malos maritos sustinere, bonos perdere, non desiderarent facile nubere, sed libentius, Christi et Virginis gloriose amore, eligerent virgines permanere.

Secundo beata Agatha fuit virgo fortissima ad omne temporale subsidium contemnendum. Solum enim Christum amabat, de ipso solo in omni pressura sperabat. Itaque nec in suis vulneribus medicinam corporalem requirebat, sed solum Dei auxilium invocabat. Unde cum in equuleo suspensa, et in mammilla graviter torta, et a corpore separata, totoque corpore vulnerata, et in carcere esset clausa, apostolus Petrus in forma medici venit ad eam, hortans, ut ejus medicinam reciperet, utique sic sanari posset. Ancilla Domini eum medicum putans esse, et de solo Domino sperans, ait ad eum ⁴: « Corporalem medicinam nunquam corpori meo exhibui, sed habeo salvatorem Dominum Jesum, qui solo sermone restaurat universa. » Lege totam historiam. Poterat ergo vere dicere, de solo Christo confidens, et omnia temporalia respiciens, illud David ⁵: « Dominus petra mea, et robur meum, et salvator meus, Deus meus, et fortis meus, sperabo in eum. » Aspice sapientiam Virginis, quæ domum suam non fundaveret supra rem vanam, non supra arenam, non supra vane-scentem materiam; sed supra solidissimam petram, id est, super Christum se totam posuerat, et ideo vinci non poterat. Sciebat enim esse scriptum ⁶: « Respiciete, filii, nationes hominum, et scitote, quia nullus speravit in Deo, et est confusus. » Sed quis unquam evasit, confidens in divitiis? Nam et *Vitis Patrum* habetur, quod quidam fuit frater pauper, qui de solo Deo confidens, divitias respiciens, propter quod omnia, quæ lucrari poterat, pauperibus dabat; ejus

resp. 8, et antiph. 2. — ⁵ II Reg., XXII, 2-3. — ⁶ Eccl., II, 11.

(a) Del. ad.

sanctitati diabolus invidens sibi suggestit, ut de his, quæ acquireret, partem aliquam reservaret, ut si quandoque infirmitates incurrerent, unde sustentaretur, haberet. Cumque illi tentationi assensum præberet, et jam multam pecuniam congregasset, Deo volente, graviter infirmatus est. Cumque medicos advocasset, et pro cura omnem illam pecuniam expendisset, curari tamen non potuit. Vehementer tamen afflictus, ad Deum se contulit, et pro salute sua, illius auxilium imploravit. Cui angelus apparens, ait: «Ubi est pecunia tua, in qua sperasti? dic illi ut te adjuvet.» Cumque ille ingemisceret, et misericordiam peteret, ab angelo curatus est. Propterea dicere poterat beata Agatha, et nos omnes cum ea illud ¹: «Non est sanctus, ut est Dominus, neque est alius extra te, et non est fortis, sicut Deus noster.» Ergo restat ut in ipso solo, non in mundo, sperare debeamus.

Tertio beata Agatha fuit fortis ad omne genus martyrii tolerandum. Unde dicitur ² «quod lætanter ibat ad carcerem, et quasi ad epulas invitata, agonem suum Domino precibus commendabat.» Tyranno etiam omnes pœnas comminanti dicebat: «Sicut qui audit bonum nuntium gaudet, sic ego in his pœnis corporalibus posita: quia frumentum non ponitur in horrea, nisi theca ejus fuerit fortiter conculcata in paleis: ita anima mea non potest in paradysum cum palma intrare martyrii, nisi corpus meum permiseris a carnificibus fortiter attrahere.» Lege in Legenda tormentorum ejus generalia, et populo prædica. Nam et ipsa vere poterat dicere illud Eleazari ³: «Fortiter, inquit, vitam excedendo, senectute quidem dignus apparebo. Adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompte ac fortiter pro sanctissimis legibus honesta morte perfungar.» Et addit, orans ad Dominum ⁴: «Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo labores (sive dolores), secundum animam vero propter amorem tuum libenter hæc patior.» Sed quis hodie talis, qui non effugiat pœnas et mortem, si possit? Si qui aliquando tamen pati cogantur, de hoc solo conqueruntur, quia innocentes et absque culpa patiuntur, cum potius gaudere deberent. Nam innocentes mortui sunt omnes, qui pro Christo sunt occisi; imo ipse Christus fuit innocentissimus mortuus. Ergo

esset gaudendum, non dolendum, si quis culpabilis non patiatur. «Quæ enim gratia,» inquit apostolus Petrus ⁵, «si peccantes et colaphizati suffertis?» Quæ gratia latronibus, si decollentur vel exoculentur, si membris truncentur, si suspendantur? Unde Socrates ille philosophus, qui tanta sapientia claruit, sicut Valerius Maximus ⁶ scribit ⁷, ut «nihil ultra petendum esse a diis arbitraretur, quam ut bona tribuerent:» hinc Socrates multis ad hanc rem probandam usus est argumentis, ut narrat Valerius Maximus, qui in fine capitis illud de scelerata sententia ab Atheniensibus in eum lata sapienter dictum concludit: «Socrates enim eum forti animo, et constanti vultu potionem veneni e manu carnificis accepisset, admoto jam labris poculo, uxori Xantippæ inter fletum et lamentationem vociferanti innocentem perimi: Quid ergo, inquit, nocenti mihi mori satius esse duxisti?» Hæc Socrates, ut narrat Valerius dicens: «O immensam illam sapientiam, quæ ne ipso quidem vitæ excessu oblivisci sui potuit!» Forti igitur animo vultuque hilari de manu carnificis veneni potionem accepit, et eam appositam bibit.

Quarto beata Agatha fortis fuit ad perseverandum: nullus enim ei scutum patientiæ arripere potuit, sed illud finaliter retinuit. Quid prodest eani, si post leporem aliquantulum currat, cum autem non capiat, sed ante capturam deficiat, nisi quia frustra laboravit? Beata igitur Agatha, sicut viriliter incœpit, sic mediavit, et ante victoriam clypeum fortitudinis non abiecit. Potuit ergo occidi, sed non potuit vinei, nec a certamine sibi proposito deterreri. Unde mortem non solum patienter tulit, sed etiam ardentem desideravit, et ferventer eam precibus postulavit. Unde Sancta in carcere, post tot et tam diversa tormenta, expandens manus suas ad Dominum, ait: «Domine, qui me fecisti, et custodisti ab infantia mea, et fecisti me viriliter agere, qui tulisti a me amorem mundi, qui corpus meum a pollutione separasti, qui me fecisti vincere tormenta carnificum, ferrum, ignem et vincula, qui mihi inter tormenta virtutem patientiæ contulisti, te rogo ut accipias spiritum meum modo. Tempus enim, Domine, est, ut jubeas me sæculum hoc relinquere, et ad tuam misericordiam pervenire.» Et his dictis, animam cælo reddidit. Vide ergo quomodo perseveravit, quomodo mori petierit, et quo-

Exemplum.

¹ 1 Reg., II, 2. — ² Brev. Rom., resp. 2. —

³ 11 Mach., VI, 27. — ⁴ Ibid., 30. — ⁵ 1 Petri., II, 20. — ⁶ Valer. Max., lib. VII, c. II, extern. n. 1.

modo pervenire ad gloriam concupiverit. Accipiebat enim illud sibi dictum¹ : « Forti animo esto, in proximo est, ut a Deo eureris. » Sed quidam fortiter incipiunt, et ante finem delinunt : similes leopardo, qui dum bestiam statim non capit, bestiam, ad quam currit, mox insequi desinit, et sui cursus fructum non accipit. Nullam unquam civitatem Alexander obsedit, a cujus obsidione cessaverit, nisi eam prius ceperit, sciens omnem laudem ex fine esse. Et ideo ploravit David fortissimos Israel, qui ante victoriam coram inimicis corruerant; dicebatque² : « Quomodo ceciderunt fortes? Montes, » inquit³, « Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super vos, quia ibi abjectus est elypeus fortium. » *Montes*, super quos nec ros misericordiae, nec pluvia gratiae descendit, sunt diversae species superbiae, per quas fortissimi quique dejiciuntur in mortem. Sicut enim humilitas hominem elevat et custodit, sic superbia dejicit et frangit. Et ideo beata Agatha, cum esset nobilis et ingenua, in omnibus incedebat quasi ancilla. Unde ait ad eam Quintianus : « Si ingenua es et nobilis, quare servilem personam te ostendis? » Cui illa : « Quia ancilla Christi sum, ideo servilem personam me habere ostendo. » Rogemus ergo Dominum, etc.

IN CATHEDRA S. PETRI APOSTOLI.

SERMO PRIMUS.

*Beatus es, Simon Barjona : quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in caelis*⁴. Duplicem beatitudinem esse, a Scripturis accepimus : unam viae, alteram patriae. Nam beatitudo viae consistit in plenitudine gratiarum ; sed beatitudo patriae est esse gloriosum, secundum tres dotes animarum, quae sunt visio, quantum ad potentiam rationalem ; tensio, quantum ad irascibilem ; et dilectio, quantum ad concupiscibilem. Verbum ergo, quod Dominus dixit Petro, posset exponi de utraque beatitudine ; sed proprie accipitur de beatitudine viae, cum adhuc esset in statu militiae. Dicat (a) ergo Dominus : *Beatus es, Simon* ; in quo verbo, generaliter sic accepto, maxime notat duo : nam primo ostendit ejus excellentiam virtuosam, qua clarus et beatus apparuit ; secundo hujus excellentiae rationem assignat, et causam, eo

quod divinam naturam in Christo confessus fuerat. Nam quia Christum Deum esse cognovit, et hoc confessus fuit, dicens : *Tu es Christus filius Dei vivi* ; ideo audire versa vice meruit : *Beatus es, Simon Bar-Jona*. Primo ergo notatur ejus excellens felicitas, cum dicitur : *Beatus es, Simon Bar-Jona* ; secundo notatur felicitatis tantae causalitas, cum additur : *Quia caro, et sanguis non revelavit tibi*. Est igitur, circa totale hoc verbum de Simone, notandum, quod nobis ostenditur venerabilis propter plura quae gessit : nam primo legimus hunc venerabilem Simonem propter Christum omnia relinquentem, ipsique per omnia obsequentem ; secundo legimus Simonem naturam divinam in Domino confitentem ; tertio legimus Simonem Christum praeter ceteris diligentem ; quarto legimus Simonem praeter ceteris majora miracula facientem.

Dico primo quod legimus Simonem ad primam vocem Domini omnia relinquentem, ejus mox imperio obsequentem : Simon enim interpretatur *obediens*. Et ideo non mirum, si statim obediens, omniaque contemnens, Dominum vocantem audiverit. Unde dicitur⁵ : « Ambulans Jesus juxta mare Galilaeae, vidit Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare, et vocavit eos dicens : Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus, secuti sunt eum. » Mira obedientia, quae nihil dixit, inducias nullas petiit, impossibilitatem non allegavit, sed mox omnibus relictis post Dominum ivit. Unde admiratur Gregorius dicens⁶ : « Audistis, fratres charissimi, quod ad unius jussionis vocem Petrus et Andreas, relictis omnibus, secuti sunt Redemptorem. Nulla vero hunc adhuc miracula facere viderant, nihil ab eo de praemio aeternae retributionis audierant : et tamen ad unicum Domini praecceptum, hoc, quod possidere videbantur, obliti sunt. » Et addit : « Quanta nos ejus miracula vidimus ! quot flagellis affligimur ! quantis minarum asperitatibus deteremur ! et tamen vocantem contemnimus. In caelo, » inquit, « jam sedet qui de conversione nos admonet. Jam jugo fidei colla gentium subdidit ; jam mundi gloriam stravit ; jam ruinis erebrescentibus districti judicii propinquum denuntiat diem : et tamen superba mens nostra non vult hoc sponte deserere, quod quotidie perdit invite. Quid, » inquit, « igitur in ejus judicio

¹ Tob., v, 13. — ² II Reg., i, 19. — ³ Ibid., 21. — ⁴ Matth., xvi, 17. — ⁵ Ibid., iv, 18-20. — ⁶ Greg., in *Evang.*, hom. v, n. 1.

(a) *Leg.* dicit.

dicturi sumus, qui ab amore mundi, nec præceptis fleclimur, nec verberibus delerremur? » Sed quæret forte aliquis ¹ : « Quid Petrus dimisit, qui pene nihil habuit? » Huic quaestioni respondet Gregorius ², dicens : « In hac re, fratres, potius debemus considerare affectum, quam censum. Multum enim dereliquit, qui quantumlibet parum, quod habuit, totum deseruit : multum dimisit, qui desiderium habendi dereliquit. Nam a sequentibus Christum tanta dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt. » Bene igitur Petrus dicit ³ : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. » Bernardus ⁴ : « Bene, inquit, Petre, quia sequi Christum non poteris sic oneratus : velocius enim currit nuntius ab omnibus expeditus, quam mercibus oneratus. Fortius aliis currit in aqua navis exonerata, quam mercibus plena. Propter quod leo dum fugere venatores cogitat, ventrem gravatum cibis exonerat. Quis unquam bene fugit, si oneratus fugit? Nonne stultus esset qui plumbo se oneraret, quando eum fugere oporteret? » Ergo cum apostolis contemnenda sunt omnia, quæ « habita gravant, et amissa exeruciant, » sicut dicit Bernardus.

Exemplum.

Secundo legimus Simonem Dei Filium Christum confitentem. Nam cum quæreret Dominus ⁵ : « Quem dicunt homines esse filium hominis? » et alii dicerent : « Joannem Baptistam, alii Jeremiam; » ipse ait ad apostolos : « Vos autem quem me esse dicitis? » Et respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus filius Dei vivi. » Hæc autem confessio sic placuit Domino, ut diceret Simoni Petro ⁶ : « Et ego dico tibi, Petre, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam : et tibi dabo claves regni cælorum : et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis ; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis. » Est tamen notabile, quod Petrus Christum confessus est ore, quando eum gentibus prædicavit ; et confessus est opere, quando pro eo crucifigi voluit. Sed quid, si qui hodie Christum confiteantur ore, vel etiam corde, qui eum tamen non confiteantur opere? Tales, ut dicit Apostolus ⁷, « dicunt se nosse Deum, factis autem negant, » et similes sunt

Judæis, qui Christum Dominum cognoscebant, sed factis eum negabant. Gravius enim peccant tales Christiani, quam peccent pagani vel Saraceni. Nam, exempli gratia, tale ponamus exemplum. Sint homines duo qui obligati sunt uno (a) domino, sed unus obligationem hanc nesciat, alter vero plene agnoscat : et uterque istorum servitium domino non impendat. At domino requirenti, cur sibi non serviat, primus dicat : Domine, nescio quod sis dominus meus. Nam si scirem, devote tibi servirem, nec alteri domino tuum honorem impenderem. Sed alter dicat : Scio, bene sentio te dominum meum esse, sed nolo tibi servire. Numquid non valde gravius offenderet dominum hic secundus, quam primus, cum ille dominum non contemnat, hic autem contemnat, et totus ingratus existat? Exemplum de beato Machario, qui cum invenisset in deserto caput hominis, ab eo quaesivit quis fuerit ; cui caput : Sacerdos idolorum fui. Cui sanctus Macharius : Est-ne aliquis sub te? Respondit caput : Sunt quidem inferiores nobis Judæi, qui Dominum cognoverunt, et legem ab eo acceperunt ; et adhuc inferiores cæteris mali Christiani sunt, qui redemptionis beneficium agnoverunt, et ex hoc ingrati fuerunt. Ergo, fratres, nolite Dominum solum confiteri ore, sed ore confiteri et opere : quia ⁸ « fides sine operibus mortua est. » Quid valeret, si homo Imperatorem cognosceret, sed ei servire contemneret? numquid non contemptum aggravaret? Sicut enim ignorantia aliquo modo peccatum excusat, sic scientia aggravat. Exemplum in apostolo Paulo, qui dicit ⁹ se ideo « misericordiam consecutum, quia ignorans fecit. »

Exemplum.

Exemplum.

Tertio legimus Simonem Christum præ cæteris diligentem. Unde Dominus dicit ei ¹⁰ : « Simon Joannis, diligis me plus his? » Et ait : « Tu seïs, Domine, quia amo te. » Ter sic quaesivit, et Petrus semper ita respondit. Mira in his verbis semper commendatio dilectionis Petri : quia, sicut dicit Augustinus ¹¹, « de hoc quærebatur Dominus, quod sciebat. » Mira etiam humilitas ipsius Apostoli, qui de se parva, de aliis sentiebat magna. Nam, cum diceret Dominus : *Diligis me plus his?* nunquid (b) ei respondit, quod plus aliis eum diligeret, sed solum quod eum amaret. « Tu, inquit ¹², Domine, qui omnia

— ⁸ Jac., II, 20. — ⁹ I Tim., I, 13. — ¹⁰ Joan., XXI, 15 et seq. — ¹¹ August., in Joan., tract. CXXIII, II, 5. — ¹² Joan., XXI, 17.

(a) Leg. uni. — (b) Leg. non.

¹ Gregor., in Evang., hom. v, n. 2. — ² Ibid. — ³ Matth., XIX, 27. — ⁴ Bern. Declamat., in princ. — ⁵ Matth., XVI, 13-16. — ⁶ Ibid., 18-19. — ⁷ Tit., I, 16.

nosti, seis quia amo te.» Petrus enim tanto amore in Christum ardebat, et quasi de amore ebrius fuit. Nam ipse solus sæpe pro omnibus respondebat, nec expectabat quod alius loqueretur. Ipse solus, cum Dominus diceret ¹ : « Ecce ascendimus Iherosolimam, et filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et condemnabunt eum ibi morte; » et dixit ei ² : « Absit a te, Domine, » non istud, ut scilicet moriaris : et quia in furore modum excedebat, ideo a Domino redargutus est. Item propter ipsum solum, dicit Augustinus ³, quod Dominus hora cœnæ indicare noluit proditorem, quia, ut ipse ait, « statim Petrus surrexisset, et eum coram omnibus trucidasset. » Unde valde diligenter procuravit ⁴ scire, quis esset. Item ipse solus, in hora passionis, gladio evaginato ⁵, Dominum defendit. Item ipse solus, dum audivit a Joanne ⁶ : « Dominus est, posuit se in mare : omnes alii navigio venerunt. » Et puto quod, quia nimium auidax, eum cadere permisit Deus, ut disceret non de se, sed de Deo solo sperare. Sed quis hodie est, qui Christum sic amet? Proh dolor! invenio uxores plus amasse maritos, quam Christum ament animæ sponsæ Christi. Narrat enim Romana historia ⁷ quod « quidam nomine Caius Plautius, mortem dum audivit uxoris, » doloris impotens, pectus suum gladio transfixit. Cumque amici ejus eum caperent, ne iterum se feriret, ille scissis deinde fasciis, ac vulnere divulso constanti dextra, spiritum, luctus acerbitate permixtum, ex ipsius præcordiis et visceribus hausit. Julia item ⁸ filia Cæsaris, uxor Pompeii, cum quadam vice vestem mariti sanguine eruentatam ex campo domum relatum vidisset, timens ne sibi malum aliquod accidisset, eum gravida esset, statim perforata aculeo doloris, se incurvavit, et peperit, et cum partu animam expiravit. Ubi ergo hodie tantus amor in Christum? Tota die postulant panem filii Dei, et non est qui manum porrigat. Cadunt animæ sponsæ Christi : nec est qui manum relevantem impendat, nec plus curatur si pereat anima, quam si pereat bos aut asinus. « Omnes, » inquit Apostolus ⁹, « quæ sua sunt quærent, non quæ Jesu Christi. »

Quarto legimus Simonem majora cæteris miracula facientem. Nullus unquam fuisse inve-

nitur sanctus ita ad miracula facienda potens, ut Petrus : quia ipse, sicut prædixerat Dominus ¹⁰, majora miracula fecit, quam Christus. Nam de Simone legitur ¹¹, quod in plateas eiciebant (a) infirmos, et ponebant eos in lectulis et grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam eorum, et liberarentur ab infirmitate. Exemplum de filio principis Antiocheni, quem Petrus suscitavit, cum per annos duodecim mortuus jacuisset. Lege historiam, et hic narra. Collige etiam ex aliis multis locis et variis Legendis multa ejus miracula, quæ volueris, et prædica. Rogemus, etc.

Exemplum.

SERMO II¹².

Ecce constitui te super universam terram Ægypti ¹³. Sicut patet ex historia hodierna, quæ scripta est in Legendis, propter resurrectionem filii principis, Apostolus Petrus apud Antiochiam ad cathedram sublimatus fuit, et principatum, quem a Christo acceperat, hodie per ascensum cathedræ publicavit. Non enim hoc absque divina dispensatione gestum est, ut honorem principis et doctoris Petrus acceperet, et ut principatum, quem a Christo acceperat, hoc signo claresceret. Nam duplex invenitur in mundo potestas : una temporalis, altera spiritualis. Cum autem omnis multiplicitas ad unitatem aliquam reducatur, quia ab unitate nascitur, necesse est, ut una istarum (b) potestatum ad alteram reducatur : sed non spiritualis ad temporalem, cum illa sit nobilior : ergo temporalis ad spirituales. Ergo dum Petrus cathedram honoris accepit, se principem omnium esse ostendit. Item nulli dubium debet esse, quin ratione culpæ de omnibus possit judicare; et si exigat meritum culpæ commisse, potest quosque a suis dignitatibus repellere, et per consequens alios, quos dignos viderit, erogare (c). Unde in figura hujus dictum est Moysi ¹⁴ : « Ecce constitui te Deum Pharaonis » : non quod faceret eum Deum per naturam, sed per potentiam et prædominantiam. Item hoc ipsum expressius dictum est ¹⁵ : « Ecce constitui te hodie super gentes et regna, ut evellas et destruas, ædifices et plantes in nomine Domini. » Ecce quomodo spiritualis potestas habet a Deo, ut regna evellat, et destruat,

¹¹ Act., v, 15. — ¹² Hunc non habet edit. Hageno. an. 1496, nedum Codex Assis. sæc. XIII. — ¹³ Gen., XLII, 41. — ¹⁴ Exod., VII, 1. — ¹⁵ Jerem., I, 10.

(a) Cæd. edit. in plateis eiciebat. — (b) Item ista. — (c) Leg. subrogare.

¹ Matth., XX, 18. — ² Ibid., XVI, 22. — ³ August. — ⁴ Joan., XIII, 24. — ⁵ Ibid., XVIII, 10. — ⁶ Ibid., XVI, 7-8. — ⁷ Valer. Max., lib. IV, c. VI, n. 1. — ⁸ Ibid., n. 4. — ⁹ Philip., II, 21. — ¹⁰ Joan., XIV, 12. —

ædificet iterum, atque plantet. Bene igitur a Christo dicitur Petro : *Ecce constitui te super universam terram*, etc. In quo verbo describit Dominus Petri principatum, quantum ad duo : primo quantum ad altitudinem qua se (a) sublimari promeruit; secundo vero quoad latitudinem, qua ejus imperium dilatavit. Ista enim duo, quantum ad statum vite præsentis, ubi æternitas esse non potest, perficiunt principatum, scilicet ut sit altus gloria dignitatis, et sit latus latitudine potestatis. Primo igitur ostendit Pontificium ejus esse altum et præ cæteris esse elevatum, cum dicit : *Ecce constitui te*, etc. Secundo vero ostendit pontificium esse latum, et ubique diffusum, cum addit : *Universam terram*. Et tamen hic notandum quod quadroplex est terra, super quam Apostolus fuit constitutus; scilicet terra inferior, super quam calcamus; interior, quam portamus; exterior, quam venerantes amamus; superior, quam desideramus. Prima est terra elementaris substantiæ; secunda est terra conscientiæ; tertia est terra Ecclesiæ; quarta est terra cœlestis patriæ.

Dico quod prima terra, cui Apostolus præfuit, est terra inferior, quam pedibus conculcamus, et quam Deus dedit ad usum, ut nobis ejus fructus essent in cibum; huic præfuit Apostolus, quia dum eam propter Christum contempsit, super totam sublimari promeruit. Nam et reges servos suos toti regno præficiunt, et eis universa subjiciunt : ergo quanto fortius Rex summus ipsi mundo, quem fecit, suos servos præfecit, quos sibi fideles invenit. Psalmus ¹ : « Constitues eos principes super omnem terram. » Mirum valde, quia dum putassent Apostoli se propter Christum omnia reliquisse, invenerunt se principatum super omnia accepisse. Psalmista ² : « Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. » Unde apostoli fuerunt « tanquam nihil habentes, et omnia possidentes ³. » Nobilis margarita paupertas, quæ dum omnia contemnit, dominium super omnia accipit. Sicut e contra avarus, dum omnia appetit, omnium servum se facit. Quare avari non possunt esse beati, quia nunquam possunt esse contenti. Ille enim solus potest dici beatus, qui modica habens, est illis contentus. Unde narrat Valerius Maximus ⁴ quod Gyges rex Lydiæ, divitiis et armis inflatus, ad deum Apollinem venit, quaerens ab eo, si ali-

Exemplum.

quis mortalium se beator esset. Cui ille ait : Aglaus te felicior est. Hic autem Aglaus erat vir pauperrimus, atque ætate proventus, qui terminos cujusdam sui agelli nunquam excesserat, sed paucis ejus fructibus fuerat semper contentus. Et addidit, dicens regi in suis divitiis glorianti, magis esse laudandum pauperulum tugurium cum securitate, quam dives palatium cum timore, et paucas terræ glebas sine omni pavore possessas, quam pinguissima regni sui arva metu semper plena; et habere unum parvum facile ad custodiendum, quam exercitum magnum, et apparatus arborum impensis multiplicibus onerosum; et habere horreolum victum modicum continens et necessarium, nulli hosti appetendum, quam multos thesauros, cupiditatibus et insidiis multorum expositos.

Secunda terra est terra interior, quam nobiscum portamus, quæ est terra conscientiæ, quam terram admodum oportet excolere, ne spinas et tribulos generet peccatorum. Terra enim non culta, non aratro trita, non aquis aspersa, non calore cœlesti excocta, fit penitus infœcunda, nisi forte generet spinas et silices. Hæc conscientia si dimittatur inculta, discretionis aratro non sæpe contrita, aquis lacrymarum non sæpius balneata, cœlesti incendio non excocta, generat non bona, sed mala. Unde de hac terra subditur ⁵ : « Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, et proferens herbam optimam, accipit benedictionem a Domino. Proferens autem spinas et tribulos est maledictioni proxima. » Expositio est plana per ea quæ dixi supra. Super hanc terram fuit constitutus Apostolus, dum suæ conscientiæ præfuit, quam et sapientissime coluit, lacrymis devotionis aspersit, et ardore Dominicæ charitatis excoxit. Et de hoc potest exponi illud ⁶ : « Constituit eum dominum domus suæ. » Domus fuit conscientia, cui dominabatur, et quam regebat multa sapientia. Unde dicitur in Clemente ⁷, quod Petrus tanti ardoris et devotionis erat, quod semper pannum portabat in manica propter lacrymas defluentes : non enim volebat sine lacrymis et ardore per horam conscientiam permanere.

Tertia est terra exterior, quam veneramus, et colimus, quæ est terra Ecclesiæ, cui præfuit ipse Apostolus. ⁸ « Constituit eum super excel-

¹ Psal. XLIV, 17. — ² Psal. XLVI, 10. — ³ II Cor., VI, 10. — ⁴ Valer. Max., lib. I, c. 1. — ⁵ Hebr., VI, 8.

— ⁶ Psal. CIV, 1. — ⁷ Epitom. Pont. Rom. — ⁸ Deut., XXXII, 13.

(a) Cat. edit. qua sublimari. qua se.

sam terram, ut comederet fructus agrorum. » Excelsa terra est ipsa Ecclesia, quæ omnibus terris aliis jam dictis est prælata; cui Petrus præfuit, et fructus agrorum comedit, quando sibi per fidem infideles incorporavit, vel quando primitias et decimas agrorum accepit, ex quibus Ecclesia vitam ducit. Dicitur autem de Petro : *Constituit eum*, quia ipse quodam modo singulariter præ cæteris audire meruit¹ : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni cælorum. » Ipse enim solus audivit² : « Tu vocaberis Cephias, quod interpretatur caput³. » Ipse etiam solus audivit⁴. « Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. » Ipse etiam solus audivit⁵ : « Simon Joannis, diligis me plus his? Pasee oves meas. » Unde potest de eo accipi illud⁶ : « Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? » Optime in Petro et in quolibet prælato conjunguntur hæc duo, prudentia et fidelitas : quia prudentia sine fidelitate transit in malitiam, sed fidelitas sine prudentia declinat in stultitiam. Deus autem nec acceptat servum malevolum, nec etiam stultum. Debet ergo servus Dei esse prudens in opere, et fidelis in intentione; vel prudens in cavendo malum, et fidelis in operando bonum; vel prudens in discernendo, sed fidelis in exequendo : et quia talis fuit Petrus, constituit eum Dominus super omnem terram Ecclesiæ. Romani enim dum aliquem sibi præficerent, sive in consulem, sive in imperatorem, ista duo maxime in eo requirebant, scilicet quod esset vir prudens, ne falli posset, et fidelis, ne suos falleret. Nunquam enim bonus rector esse aliquis poterit, qui altero istorum carebit. Duo enim ista omni homini sunt necessaria ad regendum seipsum, et ad regendum proximum, ut per prudentiam non fallatur, et per fidelitatem nullo amore, vel odio, nulloque munere corrumpatur, amore pecuniæ non frangatur. Exempla præ oculis patent, multa sunt, et nova, et vetera, et ideo apponere hic non curavi.

Quarta terra est terra superior, quam desideramus, et terra hæc cælestis patriæ, de qua dicit Propheta⁷ : « Credo videre bona Domini in terra viventium. » Vere viventium terra di-

citur illa vita beata, ubi nemo unquam infirmatur, nullo unquam dolore tangitur, nunquam ibi moritur, quia continua sanitas ibi habetur. Item nemo ibi aliquo eget, quia summum bonum omnes possident, ultra quod nihil appetere homo potest. Item nullus ibi timore afficitur, nemo perturbatione concutitur, nullus ibi hostilis formidatur incursus : quia ibi est summa pax, summa securitas, summa tranquillitas. Item ibi servitus non timetur, quia omnium summa libertas, liberaque voluntas. Item nemo ibi unquam conturbatur accidia, nec commovetur tristitia : quia ibi est summa lætitia nunquam discontinuata; quia nunquam deest gaudendi materia, dum continue cernitur pulchritudo summa, et degustatur dulcedo divina. Et propter hoc dicitur⁸ : « Beata terra, cujus rex nobilis est. » Super hanc terram nobilem constitutus est Petrus. Unde et sibi dicere potuit illud⁹ : « Euge, serve bone et fidelis : quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. » *Pauca* dicit ista temporalia æternis comparata, quæ sunt adeo multa, ut nulla possint exprimi lingua. Nonne Petrus super hanc terram constitutus fuit, quando a Christo audivit¹⁰ : « Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis. » Quis unquam tyrannorum, vel regum, tantam potestatem accepit? Magna fuit potentia Alexandri, magna et illius nobilis Assueri, maxima Romani imperii; sed hujusmodi potentia fuit tantum super terram. Potestas autem Petri se extendit supra cælum. O potestas altissima, potestas latissima, potestas veneranda et honoranda, portarum infernalium contractiva, et bonorum supercælestium collativa! Quænam unquam posset exprimere lingua, qualis et quanta sit illa cælestis terra, quæ peregrinantibus ad tempus est data? Est enim tam lata, et tam longa, ut dicatur¹¹ : « Altitudinem, et latitudinem ejus quis dimensus est? » Quanta est terra illa, quæ repatriantibus in perpetuum est concessa? Item si hæc terra peccatoribus data, et ad temporalem usum concessa, tot producit bona, quot sunt illa bona, quæ sunt in cælesti terra amantissimis filiis Dei concessa? Item si in hac terra sic est hominibus dulcis vita, licet tot doloribus, tot calamitatibus plena, qualis est illa terra, quam dulcis habitatio in ea, ubi

EX-
plum.

¹ *Matth.*, xvi, 18, 19. — ² *Joan.*, i, 42. — ³ *Ibid.* Petrus. — ⁴ *Luc.*, xxii, 32. — ⁵ *Joan.*, xxi, 15 et seq. — ⁶ *Matth.*, xxv, 15. — ⁷ *Psal.* xlii, 13. — ⁸ *Ecc.* ..

x, 17. — ⁹ *Matth.*, xxv, 21. — ¹⁰ *Matth.*, xvi, 19. — ¹¹ *Ecc.*, i, 2.

nulla mors est timenda, nulla penitus pœna suspicanda, sed lætitia ibi est sempiterna? Item si sic delectat hic vivere cum amicis temporalibus, ubi vix amicitia est nisi falsa, quam delectabilis erit vita ubi erit sanctorum militia, vera amicitia, nullo unquam tempore finienda? Item si sic delectant divitiæ perituræ, quid faciunt summæ illæ divitiæ in æternum mansuræ? Item si nos sic delectat corporis sanitas, quam destruit sæpe infirmitas, qualis illa sanitas erit, ubi in perpetuum infirmitas nulla erit? Item si sic delectat pulchritudo hæc corporalis, quæ febre turpatur, quid erit delectationis esse ibi pulchriores sole, ubi pulchritudo in perpetuum non perdetur? Item si sic delectat nunc esse filium militis, comitis, vel baronis, quid delectationis erit esse filium summi Regis, ubi nec filiatio perdi poterit? Ergo veneranda est quæ Petri potestas, quæ si ligat in terra mortaliū, ligat et in terra viventium; et si solvit in terra peccantium, solvit et in terra felicium. Ad quam precibus et meritis beati Petri perducatur nos Filius Dei vivi. Amen.

DE MATTHIA APOSTOLO.

SERMO PRIMUS ¹.

Dilectus meus candidus, et rubicundus, electus ex millibus ². Septem sunt quæ excludunt hominem, vel excludere deberent a divina electione, sicut ex verbis elicitur sacræ Scripturæ. Primum est consanguinitas sive carnalitas; secundum est carnis nobilitas; tertium est mentis debilitas, sive fragilitas; quartum est pusillanimitas; quintum est superba potestas; sextum est mendositas, sive falsitas; septimum est cupiditas. Et illa septem sunt diligenter notata a Domino loquente ad Moysen ³: « Provide, » inquit, « tibi de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam. *De omni*, per quod excluditur consanguinitas; *Plebe*, per quod excluditur nobilitas; *Viros*, per quod excluditur fragilitas; *Potentes (a)*, per quod excluditur pusillanimitas; *Timentes Deum*, per quod excluditur superba potestas; *In quibus sit veritas*, per quod excluditur falsitas; *Et qui oderint avaritiam*, per quod removetur cupiditas. Quod autem illa septem in sancto Matthia fuerint, recte eum ad aposto-

licum cœtum Deus elegit. Mira enim, si quis attendat electionem Matthiæ, commendatio est, quod ex omni cœtu sanctorum, super hoc orantium Deum, in apostolum sit electus, locum Judæ proditoris sortitus. Unde hic potest narrari Judæ historia, quæ scribitur in hujus sancti Legenda. Quia ergo hic sanctus apostolus ex tanta multitudine est electus, tanquam Deo inspirante, sanctissimus, bene de eo dicitur: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus*. Non dicitur *millibus*, quod mille essent; sed millenarius numerus, quia perfectus, perfectionis apostolici cœtus est signativus. In auctoritate ergo præmissa a quatuor hic Apostolus commendatur: primo ex parte Dei, ab excellentia amoris eximii; secundo a munditia, sive pudicitia animi; tertio a prærogativa martyrii; quarto a dignitate officii. Notatur autem primo divina charitas, quando dicitur: *Dilectus meus*. Notatur secundo animi puritas, et totius vitæ honestas, cum additur: *Candidus*. Notatur tertio ejus ad patiendum stabilitas, cum subditur: *Et rubicundus*, quasi sanguine cruentatus. Notatur quarto sui officii dignitas, cum inferitur: *Electus ex millibus*. Verum quia omnis qui a Deo æternaliter est electus, in tempore ad gratiam est vocatus, et est a Deo *dilectus*, et est munditia *candidus*, et divino igne est *rubicundus*; de sola enim (b) electione nunc est sermo fiendus, tum quia omnia alia in se claudit, tum quia diei magis convenit, tum quia in aliis sermonibus majoribus festivis plura de aliis me recolo dixisse, quæ si super sermones lector tabulam fecerit, poterit invenire, et hoc, si videbitur, prædicare. Est igitur hic notandum quod homines eliguntur ad plura: quidam enim eliguntur primo ad divinorum observantiam mandatorum; secundo ad perfectionem consiliorum; tertio ad tolerantiam martyriorum; quarto ad regimen inferiorum; quinto vero omnes ad excellentiam præmiorum. Prima electio est omnium salvandorum; secunda est religiosorum; tertia est sanctorum martyrum; quarta est omnium prælatorum; quinta vero est communiter omnium electorum.

Dicamus ergo quod quidam eliguntur ad observantiam mandatorum, sive præceptorum: et hæc electio est communiter omnium, quia nulli est salus adulto, si negligat observare præcepta ⁴: « Si vis, » inquit Dominus, « ad vitam

Homines
ad plura
electi.

¹ Hunc non habet edit. Hageno. an. 1496, nedum codex Assis. sæc. XIII. — ² Cant., v, 10. — ³ Exod., XVIII, 21. — ⁴ Matth., XIX, 17.

(a) Editio vulgata tradit *Sapientes*. — (b) *Leg.* ejus, *vel dele* enim.

ingredi, serva mandata. » Et de hac electione dicitur ¹ : « En Dominus Deus tuus elegit te, ut sis ei populus peculiaris, et custodias omnia praecepta ejus. » Haec est prima electio, scilicet observantia mandatorum Dei : ad quam vocantur omnes populi, et homines omnes a Deo creati ; quamvis hoc leve onus refugiant peccatores impii, volentes prius obedire diabolo, et carnis desiderio, quam Regi aeterno pro eis temporaliter passo. Sed nunc attende, quam graviter mundi reges suorum praeceptorum puniunt transgressores, et obedire nolentes, quos et tormentis afficiunt, carceribus tradunt, et dira morte vitam finire faciunt. Ergo si sic puniunt homines mundi, quid facturus est Rex ipse caeli, cum non solum sit justus, sed ipsa sit justitia? Sed « quia non profert statim contra malos sententiam, filii hominum absque ullo timore perpetrant mala, » sicut dicitur ². Sed attendant, quod quanto plus eos expectat, si converti negligant, cum ex hoc culpam augeant, tanto justius est, ut gravius finaliter seviet; nam dicitur ³ : « Cum accepero tempus, ego justitias judicabo. » Nam consuetudo est iudicium elementium, ut provocati ad iram, fortius sevient in subiectos. Et est exemplum in elephante, quod est animal benevoluntatis, sed prosternit arbores, et aliquando domos, ad iracundiam provocatus. Propter ergo omnia suprascripta dicitur ⁴ : « Irritam facies legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur; quanto putatis majora mereri supplicia, qui Filium Dei contulerit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, et Spiritui gratiae contumeliam fecerit? » Arguit Apostolus a minori : nam minor fuit Moyses servus, quam Christus Dominus, et major lex Christi, quam Moysi : ergo gravius peccat qui facit contra hanc legem, quam qui fecit antiquitus contra illam : ergo si factores illius sic graviter sunt puniti, quali poena isti sunt digni? Loquens de lege Moysi ⁵ : « Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis praevariatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem, quomodo effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? » Et contra, si verba Christi, quae fuerunt verba Dei (quia Christus Deus est), non observamus, consequens est, etc. In-

venio enim ⁶ plures consulum Romanorum amore justitiae filios occidisse, nec eis parere voluisse, eo quod sine licentia bellaverunt, quamvis hostes superaverint; ergo quid faciet Rex justitiae illis, qui contra obedientiam faciunt, et non hostes vincunt, sed contra naturalem Dominum, ejus adversario se supponunt?

Secundo quidam eliguntur ad perfectionem consiliorum. Non enim est divinum praeceptum, sed est salubre consilium, universum relinquere mundum, et Deo in paupertate servire. Unde diviti illi Christo dicenti se divina omnia praecepta servasse, dixit Dominus ⁷ : « Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes, et da pauperibus, et veni, sequere me, » ut sic pauper pauperem sequaris. Non quidem pari cursu per mare vadit navis onerata, et quae est oneribus expedita. Ob quam causam cursores brevibus vestimentis utuntur, ne in cursu impediuntur. Similiter et leo, qui dum fugere cogitat, rejectione superfluum ventrem alleviat. Necesse igitur habet qui vult pauperem Christum sequi, ut et ipse sit pauper, quia sic non potest currere equus qui super se habet militem armatum, sicut qui inermem super se habet dominum. Ob quam causam qui equos suos currere volunt ad bravium, non super eos ponunt graves viros, sed potius pueros modicum ponderosos. De hac igitur electione perfectorum, quae fit ad consilia, dicit Dominus ⁸ : « Elegi te in camino paupertatis. » In camino nobilitate dicit, quia sicut in camino ignis et fumus, et calor affligit, sic paupertas in hac valle miseriae hominem multum premit, sed in fine ad divitias aeternas adducit. Nullus est ita stultus mercator in mundo, qui non libenter ad tempus patiat inedia, si multam ex hoc deberet invenire pecuniam, ipsam tamen aliquando perituram : ergo nunc paupertatis inedia (b) modicum sustineamus, ut ad aeternas divitias veniamus, quas in perpetuum non perdemus. Sed Romani nobilissimi eligebant pauperes esse, similiter et philosophi ⁹, pro gloria mundi citissime transitura. Quid ergo eligendum est pro gloria sine defectu in perpetuum permansura?

Tertio quidam electi sunt ad gloriam martyrum, sive ad tolerantiam tormentorum. Est enim martyrum opus altissimum, opus dignis-

¹ Deut., xxvi, 18. — ² Eccl., viii, 11. — ³ Psal. lxxiv, 3. — ⁴ Hebr., x, 28. — ⁵ Ibid., ii, 2. — ⁶ Tit. Liv., decad. I, lib. viii, de Manlio Torquato; Valer. Max., lib. V, c. viii, n. 3, de eodem. — ⁷ Matth.,

xix, 21. — ⁸ Isa., xlviii, 10. — ⁹ Hieron., in Matth., xix, de Cratere philos., in fine.

(a) Cael. edit. add. ut. — (b) Item inedia.

Exem-
plum.

Exem-
plum.

Exem-
plum.

simum, opus summa gloria dignum, et omnis peccati rubiginis abstersivum : nam peccatum omne interimit : charitas perficit, et absque dilatione ad gloriam introducit. Unde Augustinus dicit ¹, quod injuriam facit martyri, qui orat pro martyre. Sicut enim materialis ignis, dum in materiam ferream invalescit, omnem rubiginem ab eo tollit, et ad ignis claritatem adducit, sic charitas martyris, dum ad pœnæ præsentiam invalescit, omne in anima peccatum consumit, et ad claritatem perpetuæ lucis adducit. Unde de hac electione exponitur illud ² : « Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram regibus, et principibus, et filiis Israel. » Et paucis interpositis, subditur : « Ego autem ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati : » quia sicut igne probatur aurum, sic et vir justus camino paupertatis, et tribulationis. Qui timet pati, timet a peccato purgari. Non enim ignis aurum falsificat, sed probat et purgat. Unde magis, quam ante, rutilat argentum : quamvis enim natura sit album, in igne tamen fit rubeum. Carbo extinctus est nigerrimus; sed fit pulcherrimus, igni simillimus, cum igni conjunctus fuerit : sic et tribulatio, quæ est sicut ignis, et vitia omnia purgat, et animam totam pulchrificat, Deoque assimilat. In signum hujus dicitur ³ de Polycarpo, qui discipulus fuit beati Joannis, quod dum in ignem fuisset projectus a paganis, corpus ejus non arsit, nec igne in aliquo fuit læsum, sed ad modum auri in fornace rutilans, sic fulgens cunctis apparuit.

Quarto quidam eliguntur ad regimen subditorum, sive inferiorum, et tales sunt omnes iudices civitatum, et castrorum rectores, duces, barones omnes, et reges, quibus a Deo commissi sunt omnes minores. Unde unus eorum dicebat ⁴ : « Tu, Domine, elegisti me regem populo tuo, et iudicem filiorum tuorum, et filiarum. » O quam sancti, quam immaculati, quam ab amore privato et a munere alieni esse deberent omnes qui aliis præferuntur, cum vitia eorum quasi quoddam speculum omnibus subditis proponantur! Sed hodie, sicut dicitur ⁵, « conversum est retrorsum iudicium, et justitia longe stetit. Corruit in plateis veritas, et æqui-

tas non potuit ingredi. » Quis hodie juste iudicat? quis est qui amicitia, vel potius pecunia non corrumpatur? Unde dicitur ⁶ : « Quare taces, concaltante impio justiore se? Propter hoc, » inquit ⁷, « dilacerata est lex, et non pervenit usque ad finem iudicium, quia impius prævalet adversus justum : propterea egreditur iudicium perversum. » Utinam attenderent iudices nostri illud Sapientiæ ⁸ : « Audite, » inquit, « reges, et intelligite : discite, iudices finium terræ, » etc., « quoniam vobis data est potestas a Deo, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem justitiæ, necque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende, et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum in his, qui præsent, fiet, » etc. Lege auctoritatem, quia valde prædicabilis est tota, et multum valet ad hanc materiam. Gregorius enim dicit ⁹ quod majores « tot mortibus digni sunt, quot ad subditos perditionis exempla transmittunt. » Narrat etiam Seneca ¹⁰, quod « quidam reversus ab inferis narravit se vidisse Neronem apud inferos balneantem, et erat balneum auro liquefactum, et quod infundebant dæmones continue super eum. Cumque Nero vidisset coram se cætum iudicum transeuntem, clamavit ad eos : O amici nostri, o venale genus hominum, venite ad me in balneum, et balneetis vos mecum, qui similiter amavimus aurum, pervertimusque iudicium. »

Quinto omnes supradicti, si bene se habuerint, et perseveraverint, sunt electi ad gloriam Beatorum, et in hac electione ultima est omnis boni complementum, quia in ea sola possidetur et perfecte diligitur summe bonum, et longe fit in perpetuum omne malum. De hac igitur dicitur ¹¹ : « Mittet Dominus angelos suos, congregabit electos suos a quatuor ventis, a summo terræ usque ad summum cæli » : congregabit, inquit, ut recipiant præmium, et intrent in gaudium diutius concupitum. O felices, qui intraturi sunt; et in perpetuum infelices, qui excludendi sunt! Nota ergo, quod his omnibus modis hic sanctus apostolus fuit a Christo electus. Hic igitur electus fuit ad observantiam manda-

¹ Aug., serm. CLIX, al. de verb. Apost., serm. XVII, n. 1, et refertur, Extrav., de celebr. Miss., c. Cum Mart., § ult. — ² Act., IX, 15. — ³ Euseb. Caesar., Eccl. Hist., lib. IV, c. XIV; Hieron., de Scriptor. eccl.; Lipom., de Sanctis, die 26 Jan. — ⁴ Sap., IX, 7. — ⁵ Isa., LIX, 14. — ⁶ Habac., 1, 13. — ⁷ Ibid., 4.

— ⁸ Sap., XI, 2-5. — ⁹ Gregor., Past. cur., part. III, adm. 5. — ¹⁰ Nusquam in Seneca id scriptum reperiri potuit. — ¹¹ Marc., XIII, 27.

(a) Forte leg. scriptura. Vid. ulterius, de S. Mar. Magdal. serm. 1, inter notas.

torum, sicut omnes communiter justī. Electus fuit ad perfectionem consiliorum, sicut omnes discipuli. Electus fuit ad tolerantiam martyriorum, sicut cæteri martyres Christi, sicut ex *Legenda* ejus potest ostendi, quæ hic poterat (a) recitari. Electus fuit ad officium prælatorum, sicut cæteri Apostoli, qui mundo toti constituti sunt a Christo prælati. Electus etiam hodie fuit ad gloriam Beatorum, ad quam est ingressus consummatione martyrii, ad quam nos perducatur, etc.

SERMO II¹.

Beatus, quem elegisti, et assumpsisti : habitabit in atris tuis ². Si electus omnis beatus existit, quid est, quod Judas beatus non fuit, sed filius perditionis extitit? Sic enim de eo dicitur ³ : « Nonne ergo duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est? » Sed dicendum hic breviter, quod est electio secundum veritatem, et est electio secundum reputationem tantum. Vel est electio secundum æternitatem, et est electio secundum vocationem in tempore. Primis duobus modis undecim fuerunt electi; sed secundis duobus modis Judas fuit electus, quia secundum reputationem tantum, non secundum veritatem. Unde non fuit aliud ejus electio temporalis, quam quædam vocatio. Quod si quæras, quare vocavit eum ex quo sciebat eum periturum, et se traditurum; dicendum est, quod in hoc ostendere voluit, quod quantum in se est, omnibus dare gratiam paratus sit; quod nemo perit, nisi qui salutem suam negligit, et se ad gratiam non disponit, vel Dei gratia non bene utitur, si accepit. Quare nullus se excusare poterit, cum fuerit judicatus : quia si gratiam a Deo non accipis, vel, si accipis a Deo, perdis, non est culpa dantis, et quantum in se est continue influentis; sed culpa est voluntatis, vel non se preparantis, et quantum in se est non facientis, vel a gratia jam accepta deficientis, et non perseverantis. Sic enim Dominus proprium proditorem, qui eum tradidit pretio tam vili in mortem, ad se venientem benigne suscepit, peccata illi omnia donavit, sua eum gratia decoravit, et suum apostolum, et quasi procuratorem omnium eum fecit. Quid faceret aliis non tam sceleratis, si se ad eum converterent, si de peccato contererent, si devote ejus misericordiam implorarent? Igitur si damna-

mur, si gratiam non accipimus, si in accepta non perseveramus, nobis imputandum est, et non Deo. Nunquam culpa est maris, quod abundantissime undique aquas spargit, nec unquam suam influentiam subtrahit, si fons fuerit desiccatus, eo quod aquæ via aliquo obstaculo sit obstructa. Item si esset vas aliquod undique clausum, vel, si non clausum esset, utique perforatum, vel in aliqua parte fractum, in quod curreret flumen magnum, constat quod aqua vel non intraret, vel sicut intraret, sic et per foramina foras exiret. Sed nunquam est culpa fluminis influentis, si vas aquam non acciperet, vel si receptam non teneret. Cor enim hominis cum sit liberum, potest se gratiæ claudere, et illam non admittere : potest se aperire, et receptam ejicere. Quare si homo gratiam non habeat, si in accepta non perseverat, hominis culpa est, et non Dei. Bene igitur dictum est : *Beatus quem elegisti*. In quo verbo sanctus Apostolus describitur maxime a duobus : primo ab excellentia meriti, quo refulsit; secundo vero a sublimitate præmii, quod accepit. In his duobus consistit omnis beatitudo hominis, scilicet si clarescat in via per meritum, et si fulgeat in regno per præmium. Notatur igitur status meriti excellentis, quo fulsit in mundo, cum dicitur : *Beatus quem elegisti*. Notatur status præmii refulgentis, quo extitit coronatus in regno, cum additur : *Et assumpsisti : habitabit in atris tuis* : Domini enim atria sunt cœlestia habitacula, de quibus dicit Propheta ⁴ : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. » Ad hæc beata atria hodie Apostolus ingressus est, qui loco Judæ prius fuerat ad apostolatam electus. Unde hic est narranda historia, et quomodo Judas ruit, et quomodo Matthias substitutus fuit, sicut habetur ⁵. Convertendo igitur sermonem ad nostram instructionem, est notandum, quod aliter eligit mundus, aliter Christus. Nam mundus eligit, et confidit in potentia, confidit et in opulentia. Eligit igitur ad honores nobiles et potentes, eligit iudices et sapientes, eligit divites et abundantes. E contra Dominus, quia est summe sapiens, et quia est summe dives, non formidat humanam potentiam, non miratur humanam sapientiam, non aspicit humanam opulentiam. Non igitur mun-

Electio duplex.

Exemplum.

¹ Neque hunc, neque duos sequentes habet edit. Hageno. an. 1496; habet vero hunc saltem codex

Assis. sæc. XIII. — ² *Psal.* LXIV, 5. — ³ *Joan.*, VI, 71. — ⁴ *Psal.* LXXXIII, 3. — ⁵ *Act.*, I, 16 et seq.

(a) Forte leg. poterit.

di eligit Dominus nobiles, vel potentes, sed infirmos et ignobiles : non philosophos sapientes, sed piscatores simplices : non gloriosos et divites, sed abjectos et pauperes.

Dico, quod Dominus noster non eligit nobiles et potentes, sed infirmos et ignobiles. Unde scribitur ¹ : « Ibi fuerunt gigantes nominati, qui ab initio fuerunt statura magna, scientes bellum : non hos elegit Dominus. » Quare? ut ostenderet se omnipotentem esse, et humana potentia non egere : si enim per potentes mundum expugnasset, potentiae illorum attributum fuisset, et sic non Deum ex mundi subjugatione laudasset. Sed nunc tota laus in Deum refertur, dum potentissimus ab infirmissimo expugnatur. Nemo miratur, si murilegus vincat murem, si canis leporem, si lupus ovem, si etiam leo bovem. Sed admiratio magna esset, si mus cattum invaderet, vel si lepus canem occideret, si ovis lupum fugaret, et si bos sibi leonem subjiceret. Ut ergo mundo innotesceret divina potentia, non elegit potentes, quibus sibi mundum subjiceret, sed elegit infirmos et debiles, viles et ignobiles, quibus dum omnem mundi potentiam dejecit, quanta sua potentia sit, ostendit. Unde dicitur ² : « Ignobilia, et contemptibilia, et quæ infirma mundi sunt, elegit Deus, ut confundat fortia. » Quis unquam Petro vilior fuit? Et tamen per ipsum Deus totum Romanum imperium subjugavit. Ergo, fratres mei, non est curanda, sed penitus detestanda humana potentia, quæ excludit ab electione divina, nec sui potest esse in periculis defensiva, sicut quotidie probant bella, ubi sæpe plures a paucis, sapientes a stultis, potentes a debilibus superantur. Exemplum Samsonis, qui a fœmina ligatus fuit, a Philisthæis excæcatus. Nam in naturis videmus, quod aquila timet hirundinem, elephas murem, leo gallum albas pennas habentem, lupus lapidem. Cum ergo in omnibus rebus magna et fortia timeant parva et debilia, cur mirabimur de divina potentia, quæ fortia trepidare facit, et debilia facit esse secunda?

Secundo, Dominus non elegit iudices, vel philosophos sapientes, sed stultos et simplices. Unde dicitur ³ : « Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confunderet sapientes. » Quare hoc? ut, si sapientes elegisset, et per eos mundanam sapientiam convicisset, victoriam non

Deo homines, sed illorum sapientiæ detulissent. In hoc ergo divina sapientia apparuit magna, quando per simplices viros, per illiteratos, per homines ignaros, et omni prorsus scientia destitutos, omnem sapientiam mundi convicit, et stultam et cæcam esse ostendit. Quis enim Joanne simplicior? et tamen quis unquam fuit, qui sic alte de Deo senserit? quis sic alte scrutatus divina mysteria fuit? quis Christi magnalia altius intonuit? Dicit enim Augustinus ⁴ quod « si altius intonasset, totus mundus non caperet. » Unde Hieronymus, in epistola ad Paulinum ⁵, de omnibus divinæ historiæ libris : « Joannes rusticus, piscator, indoctus, et unde illa vox, obsecro : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum?* Hoc, » inquit, « doctus Plato nescivit, hoc Demosthenes eloquens ignoravit, » etc. Augustinus tamen dicit expresse ⁶, se legisse in libris Platonis totum Evangelium Joannis ab eo loco, ubi dicitur : *In principio erat Verbum*, usque ad illud : *Verbum caro factum est*, quod ibi utique non invenit, eo quod incarnationis beneficium non agnovit. Unde dicit Augustinus audivisse se a sancto Simpliciano sene, quod dum quidam platonicus philosophus Joannis Evangelium legisset, dixit ad circumstantes : « Hoc deberet aureis litteris conscribi, et in loco valde alto suspendi, unde ab omnibus posset legi. » Narrat etiam *Historia tripartita* ⁷, quod dum Constantinus imperator fidem Christi acceperat, quidam philosophus eum arguebat, quod inconsulte fidem antiquam reliquerat. Et idem philosophus, se de fide velle cum Alexandro disputare, dicebat. Erat autem Alexander Constantinopolitanus episcopus, vir simplicissimus, sanctus, tamen sæcularibus destitutus litteris, sed Deo valde devotus. Ab imperatore ergo ad disputationem vocatus, de solo Deo, qui simplices elegerat, sanctus episcopus confidebat. Cumque omnes congregati essent, episcopus philosopho dixit : « In nomine Christi tibi præcipio, ut non loquaris. » Quod ut philosophus audivit, statim sibi obligato ore, ultra loqui non potuit. Exemplum etiam de beata Catharina, quæ solum Christum dum confessa fuit, electos philosophos obmutescere fecit, et eos ad Christi fidem convertit.

Tertio, Dominus non elegit divites, sed contemptibiles pauperes. Unde dicit ⁸ : « Nonne

Exemplum.

Exemplum.

Exemplum.

¹ Bar., III, 27. — ² I Cor., I, 28. — ³ Ibid., 27. — ⁴ Aug. — ⁵ Hieron., ad Paulin., epist. CIII, tom. III, col. m. 7. — ⁶ Aug., de Civit. Dei, lib. X, c. XXIX,

versus fin., et Confess., lib. VII, c. IX, n. 13 et 14. — ⁷ Cassiod., Hist. tripart., lib. II, c. IV. — ⁸ Jac., II, 5.

Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Sed quare hoc? Ne, si per divites mundum viciisset, victoria non Deo, sed divitiis attributa fuisset. Nam et Romani homines rusticos ab aratro subtrahebant, quos ad imperium promovebant, et per eos sibi gentes extraneas subjugabant. Nota ergo juxta beatum Augustinum¹, quod hoc fait maximum miraculorum omnium. Nam cum apostoli fuissent numero valde pauci, fuissent potentia infirmi, fuissent omni scientia destituti, fuissent divitiis nulli, Deus per eorum paucitatem omnem multitudinem mundi subjugavit, per eorum infirmitatem omnem potentiam mundi devicit, per eorum simplicitatem omnem sapientiam mundi convicit, et per eorum paupertatem omnes mundi divitias et sæculi gloriam contemni fecit. Ergo, fratres, laboremus esse debiles, non potentes; simplices, non sapientes; pauperes, non divites, ipso donante, etc.

DE B. GREGORIO PAPA.

SERMO PRIMUS².

*Audi, fili mi, et esto sapiens : et dirige in via animum tuum*³. Docet Scriptura sacra, docet omnis philosophia, docet et ipsa experientia, prius esse audiendum, quam docendum, quia nunquam bonus magister erit, qui esse discipulus renuit. Unde narrat Valerius Maximus⁴, quod Pythagoras, perfectissimus omni sapientia, cum jam credebatur omnium scientiarum culmina attingisse, tunc incepit audire. Nam et Ægyptum adiit, et quidquid de scientiis invenit, totum accepit; indeque profectus ad Persas, illorum philosophis se erudiendum dedit, a quibus siderum motus, cursus stellarum, et rerum omnium proprietates docili animo didicit. Deinde Cretam navigavit, et eorum moribus legibusque inspectis, ad Olympicum certamen descendit. Et, cum jam omnibus hominibus esset propter summam sapientiam admirandus, interrogatus quid profiteretur, non se sapientem, sed philosophum, id est, amatorem sapientie esse respondit. Dicebat enim, superbissimum esse, sapientem aliquem

appellare, cum nullus finis inveniatur esse sapientie, sed semper posset homo in ea proficere. Ergo non est facile docendum, sed prius est audiendum. Fons enim primo aquam a mari accipit, et postea eam locis sibi vicinis infundit. Nunquam luna illuminat terram, nisi a sole ipsa fuerit prius illustrata: ergo optime dictum est beato Gregorio: *Audi, fili mi, et esto sapiens*: quia, diu audiendo, sapientie studiosus, culmen omnium scientiarum obtinuit, et sic sapiens factus, et verbo docuit et exemplo. In verbo igitur præmisso Sapiens tria considerare docet: primo, sapientie auditum; secundo, sapientie habitum; tertio, sapientie usum. Nam sapientia per auditum acquiritur, per habitum possidetur, per usum effectui mancipatur. Notatur ergo primo auditus, cum dicitur: *Audi, fili mi*. Notatur scientie habitus, cum additur: *Et esto sapiens*. Notatur et scientie usus, cum adjungitur: *Et dirige in via animum tuum*. Ad hoc enim sapientie studere debemus, ut per eam in agendis omnibus recte dirigamur. Supradicta enim tria perfecte fuerunt in hoc doctore clarissimo. Nam, cum esset in omni philosophia summus, ita quod non esset ei quisquam secundus, sicut de eo legitur⁵, non fuit sapientie sæcularis vento inflatus, sed factus est velut Christi discipulus, et tandem Ecclesie doctor clarissimus. Quia (a) dicitur⁶: « Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia. » Unde de beato Gregorio potest exponi illud⁷: « Dedit Dominus Salomoni sapientiam et prudentiam multam nimis, ita ut præcederet sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium et Ægyptiorum. » Ad litteram, sapientia beati Gregorii omnium sapientiam præcedebat, qui temporibus suis erant. Ob quam causam prius monachus factus, deinde pontifex summus, totam sapientissime gubernavit Ecclesiam, et in divinis officii ordinavit. Lege historiam, et eam narra⁸. Nunc igitur ad instructionem nostram quatuor sunt nobis necessaria, ut esse possimus vere sapientes. Nam necesse est, ut quisque primo sapiens appareat in auditu; secundo, in aspectu; tertio, in opere et in effectu; quarto, in affatu. Hic est enim ordo hominis sapientis, ut primo audiat, sive studeat, et dis-

Pytha-
goræ dic-
tum.

¹ August., *de Civit. Dei*, lib. XVIII, c. XLIX. — Neque hunc, neque sequentem habet cod. Assis. sæc. XIII. — ² *Prov.*, XXI, 19. — ³ Val. Max., lib. VIII, c. VII, n. 2; item Hieron., in epistola ad Paulinum presbyterum, de libris divinæ histor., Ep. 103, tom. III, col. m. 5; item Chrysost., Hom. 1,

in Joan. — ⁵ Paul. Diacon., *Greg. Mag. Vita*, n. 2. — ⁶ *Prov.*, IX, 9. — ⁷ III *Reg.*, IV, 29-30. — ⁸ Vid. Joan. Diacon. apud Lipon., *de vitis Sancti*, imo triplicem *vitam Greg.*, apud Migne, *Patrol. Lat.*, tom. LXXV.

(a) Forte leg. Quare.

cat; secundo, sapientiam in conversatione ostendat; tertio, ut quod ostendit, efficiat; quarto, vero, ut ipsum, quod facit, alios doceat.

Dico primo, quod qui vult esse sapiens, necessarium est, ut sapientia appareat in auditu: ergo necesse est, ut magistrum habeat, et diligenter verba sapientiae audiat. Sic beatus Gregorius fecit, ut superius patet ex dictis. Qui enim vult bene discere, et sapiens cito esse, debet accedere ad magistrum, ut audiat; ad librum, ut legat; ad studium, ut semper se exerceat. Unde dicitur ¹: «Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam.» *Auris bona* dicitur esse illa, quae non est surda, ut audiat; non est superba, ut audita contemnat; non est obliviosa, ut audita non teneat. Item dicitur *auris bona*, non quae libenter audit verba vana, verba lasciva, verba maledicta, verba mundana; sed e contra verba casta, verba vera, verba dulcia, et divinis benedictionibus plena, et verba divina: unde debent boni sapientes fugere mundi rumores, et ire ad praedicationes, ubi audiuntur sermones verba vitae continentes. Item *auris bona* est illa, quae non quaerit audire sublimia, sicut est de praescientia et de praedestinatione divina; sed scire quaerit divina praecepta, in quibus est animae vita. ² «Altiora te ne quaesieris, et majora te ne scrutatus fueris; sed quae praecipit tibi Deus, cogita illa semper. ³ Cogitatum habe in praecipitis Altissimi, et in mandatis assiduus (a) esto, et concupiscentia sapientiae dabitur tibi.» Ergo, fratres charissimi, ante omnia debemus audire diligenter, si volumus esse sapientes. Nam et Hieronymus dicit ⁴: «Nemo potest scire sine doctore quod cupit, non agricolae, non caementarii, non fabri, non carpentarii: ergo multo fortius, nec grammatici, nec dialectici, nec astrologi,» et de hoc multo forius, nec divini. Unde Plato, cum omnium mortalium sapientissimus haberetur, ut narrat Valerius ⁵, ita ut, si ipse Jupiter, quem Deum tunc esse credebant, de caelo descendisset, non esset in eo elegantior nec beatior facundia, in Aegyptum tamen ivit, et ibi multa de caelestibus didicit: et, cum a studiosis juvenibus in doctorem peteretur Athenis, ipse quasi omnes mundi provincias peragravit, ut discere

posset, malens, ut Hieronymus dicit ⁶, aliena verecunde discere, quam sua impudenter ingerere.

Secundo necesse est, ut scientia appareat in aspectu: ut omnis nostra conversatio sit talis, ut signum sit sapientiae cordis, ut per exteriora cognoscamus interiora. Cognoscitur enim interior sapientia perfecta per exteriora. Philosophus enim dicit ⁷, quod per signum exteriorum membrorum dispositiones cognoscimus animorum. Unde mollities carnis, boni ingenii signum est. Unde frequens clausio oculi signum est mobilitatis animi. Item per aspectum faciei judicant medici, qui sint cholericus, qui melancholicus, qui sanguineus, quive flegmaticus: et sic de omnibus aliis. Sicut est ergo in naturalibus, sic est in spiritualibus, quia per signa exteriora judicamus facta interiora. Unde, sicut «impudicus oculus impudici cordis est nuntius ⁸,» sic est oculus pudicus pudici cordis nuntius: ergo secundum gestus exteriores sapientiam judicamus interiorum. ⁹ «In facie prudentis luceat sapientia.» ¹⁰ «Ex visu cognoscitur vir. Amictus,» inquit, «corporis, et risus dentium indicant (b) de illo.» Nam sicut, in naturalibus, humorum interiorum dispositio faciem exterius colorat, et quasi aequae, quantum sibi potest, assimilatur, sic interiorum morum dispositio exteriorem hominem ordinat. Unde non est credendum, ordinatum esse interius, qui sit deordinatus exterius. Ob hanc utique causam sic detestabantur antiqui vanos aspectus, ut uxores a se abjicerent. Unde docet Romana historia ¹¹, quod quidam nomine Sulpicius uxorem dimisit, eo quod capite aperto, vel nudo, eam foris versatam cognoverat, quasi aliis vellet placere. Dixitque ad eam: «Lex matrimonii te tantum meis oculis tradidit, quibus pulchritudinem deberes offendere: his tantum te videndam committere debuisti: propter quod tuus vanus aspectus aliis supervacue demonstratus in suspitionem criminis me adduxit: et ideo, quia legem matrimonii violasti, violetur,» etc. Quantae honestatis decor huius sancti fuerit, requiratur monachalis habitus, quem assumpsit, et tota vita, quam duxit.

Tertio, necesse est, ut sapientia appareat in

¹ *Eccli.*, III, 31. — ² *Eccli.*, III, 22. — ³ *Ibid.*, VI, 37. — ⁴ Hieron., *ad Paulin.*, epist. CIII, col. m. 8. — ⁵ Valer. Max., lib. VIII, c. vii, n. 3; et Cic., in *Bruto*. — ⁶ Hieron., ubi sup., col. m. 5. — ⁷ Arist., *de Anima*, lib. II, cont. 91. — ⁸ August., *Regul. ad*

serv. Dei, n. 6. — ⁹ *Prov.*, XVII, 24. — ¹⁰ *Eccli.*, XIX, 26, 27. — ¹¹ Valer. Max., lib. VI, c. 10, n. 10, fere ad verbum.

(a) *Cæt. edit.* assiduus. — (b) *Item* judicant. *Vulg.* enuntiant.

opere et effectu. In naturalibus ita est, quod fructus ostendit qualis sit arbor. Ex fructu enim arbor cognoscitur: sic et opus hominis sapientiam interiorem ostendit. Unde dicitur ¹: « Quis sapiens et disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. » Sed quis hodie habet sapientiam operandi? Sapientes sunt ut faciant mala; bene autem facere nescierunt. Nam sapientes hodie putantur, qui sciunt vias ad peccandum exquirere, proximos conuolare, pecuniam congregare, bella disponere, incendia procurare, et omnia talia facere: per hæc enim et similia faciunt sibi nomen, et famam. Narrat Hieronymus ², quod quidam fuit apud Ephesum, qui, cum vellet sibi facere nomen, nec posset per aliquod bonum, cogitavit facere aliquod facinus, per quod fieret cunctis notus. Cumque cogitaret, quid faceret posset, nocte ivit, et templum Dianæ famosissimum apud illos incendit. Cumque quaereretur auctor facinoris, ille sponte se obtulit. Requisitus, cur hoc faceret, ait: « Ut, quia bene non poteram, male omnibus innotescerem. » Nunquam Nero Imperator potuisset sic apud mundum fieri famosus per bona, quæ apud eum erant modica, sicut factus est per turpissima mala ³. Tales ergo hodie dicuntur sapientes, cum nihil de sapientia habeant, sed stultitia summa pleni existant. ⁴ « Stultus factus est omnis homo a scientia sua. » De aliis operibus sancti Gregorii quære in Legenda, quia longum esset hic ponere.

Quarto, debet apparere sapientia in afflatu. Non debet homo præsumere loqui verba sapientiæ, vel alios docere. ⁵ « Cœpit Jesus facere, et docere. » Primo fecit, et postea docuit: sic et beatus Gregorius diu in monasterio prius Deo servavit, carnem jejuniis et vigiliis maceravit, exempla de se virtutis exhibuit, et sic ad officium doctoris accessit. Sciebat enim Apostolum dixisse ⁶: « Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus. » Cato ⁷:

Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Rhetores definiunt oratorem, quod non solum sit vir arte peritus, sed sit opere bonus: quia,

¹ Jac., III, 13. — ² Hieron., *adv. Helvid.*; et Valer. Max., lib. VIII, c. XIV, n. 3; Strab., lib. XIV. — ³ Vid. apud Sueton., in *Nerone*, ejus petulantiam, libidinem, luxuriam, avaritiam, etc. — ⁴ Jerem., LI, 17. — ⁵ Act., I, 4. — ⁶ Rom., XV, 18. — ⁷ Cato, *Parænes.* 4. — ⁸ Cic., *de Orator.*, lib. II. — ⁹ Plutarch., *Vit. Alex.*; Curtius, *de reb. gestis Alex.*, lib. V, et

sicut dicunt, dicendi perdit auctoritatem et docendi, qui dicit, et non facit. Unde Tullius ⁸: « Caput est artis, ea docere, quæ facis. » Princeps, qui bellum fugit, scutum non arripit, arma non induit, sed vacat lasciviis, non est bonus exercitator ad bellum. Unde de Alexandro illo Magno narrat historia ⁹, quod erat vir aulaciæ singularis, patiens laboris, cui nihil arduum, nihil impossibile videbatur: omnis periculi, omnisque multitudinis erat contemptor: primus etiam omnium ingredebatur pericula, in aciem irruebat, et sicubi cuneos hostium fortiores esse videbat, illuc protinus procedebat. Et, quia sic in omnibus periculis milites precedebat, sic eos animaverat, ut ad vocem ejus essent parati non solum homines invadere, sed muros ferreos penetrare. Una utique vox illa imitatione digna. Quænam illa? Quæ dicit, operibus et exemplis ostendit. Sicut enim arbor cognoscitur floribus, foliis et fructibus, sic homo exemplis, verbis et operibus. Et propter hæc omnia bene dicitur ¹⁰: « Doctrina sua cognoscitur vir. » Et ¹¹: « Sapiens in verbis producet seipsum, » id est, primo docebit seipsum, et postea proximum. Rogemus ergo Dominum, etc.

SERMO II.

Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium ¹². Quantæ sit utilitatis verba (a) vitæ errantibus, sive ignorantibus, prædicare, quis exprimet officio linguæ? Dicitur enim ¹³: « Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. » Quid melius istis? Sed numquid non prædicatores faciunt ista, divina auxiliante gratia? Nonne ad prædicationem Petri unam, tria millia hominum conversa sunt? imo, ut de his taceam, quæ sunt pluribus nota, unum exemplum extraneum ponam. Narrat Græcorum historia ¹⁴, quod apud Athenas erat adolescens, Polemo nomine, totus deditus vino et luxuriæ: ideo non solum pessimus erat, sed de ipsa sua mala fama gaudebat. Cumque solus, post cœnam, ex convivio domum rediret, et Xenocratis philosophi apertam januam vidisset, vino ut erat gravatus, unguentis delibutus, sertis capite coronatus, pellucida veste vestitus, phi-

alibi. — ¹⁰ Prov., XII, 8. — ¹¹ Eccli., XX, 13. — ¹² Psal. LXXXVI, 30. — ¹³ Jac., V, 20. — ¹⁴ Diog. Laert., lib. IV, in *Vita Polemonis*, in priuc.; Valer. Max., lib. VI, c. IX, extern., n. 4.

(a) *Cal. edit.* verbis.

losophi jam dicti scholas intravit, ipsoque philosopho legente, ad sedem se posuit: cumque fieret contra eum scholarium tumultus, philosophus, nihil motus, ommissa re, de qua docebat, de temperantia cœpit loqui. Cumque Polemo verba ejus diligenter audiret, dolore compunctus vitæ suæ, mox de capite coronam deposuit, brachium intra pallium reduxit, omnem intemperantiam abiecit, castitatem induit, et post philosophus factus fuit. Ergo, si tantum valuit sermo pagani philosophi, quantum præsens valebit sermo efficax servi Dei? Ergo magnum est prædicanti officium: et ideo ad commendationem prædicatoris maximi, doctorisque clarissimi, optime dicitur: *Os justî meditabitur sapientiam, et loquitur ejus*, etc. In quo verbo duplex notatur perfectio: una cordis, perficiens intra; altera vero oris, perficiens extra. Prima ergo perfectio, quæ consistit in corde, est sapientiæ meditatio; secunda vero perfectio, quæ consistit in ore, est sapientiæ prædicatio. Prima est secundæ causativa; sed secunda est primæ declarativa. Nam, sicut idem est verbum cordis, et oris, ut Richardus dicit; sic et eadem est sapientia, et quæ latet in corde, et quæ prædicatur in ore. Sed in corde est nuda, in ore vestita. Vox enim oris est vestimentum vocis interioris. Notatur ergo primo vera (a) sapientiæ meditatio, cum dicitur: *Os justî meditabitur sapientiam*; secundo vero, sapientiæ prædicatio, cum additur: *Et lingua ejus loquitur judicium*. Ut igitur cum Doctore hoc venerabili possimus esse sapientes, et corde meditando, et ore docendo, quatuor sunt necessaria nobis, quæ fuerunt in doctoribus sanctis, scilicet: domus conscientiæ perfecta purgatio; temporalis substantiæ perfecta desertio; intellectivæ potentiæ perfecta humiliatio; divinæ sapientiæ perfecta inquisitio: ut mente mundati, a temporalibus curis abstracti et ad nos reversi, per humilitatem concavi facti, et sic ad sapientiæ lumen dispositi, per amorem facti ad quærendum solliciti, dona sapientiæ capiamus.

Dico primum, quod necessarium ad habendam sapientiam, est domus conscientiæ perfecta purgatio: non enim simul esse possunt mortalis culpa, et vera sapientia. Unde dicitur¹:

« In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. » Possunt enim impii habere mundanam scientiam, pure speculativam; sed scientiam sapidam, sicut est sapientia, a *sapore* sic dicta, nunquam habent. Unde, etsi sint sapientes (b), sicut et demones, nunquam tamen sapientes, ut justî homines: ergo si volumus perfici in vera sapientia, oportet nos recedere a culpa. Unde dicitur²: « Sapiens cor et intelligibile abstinabit se a peccatis. » Unde videmus, quod illi non fuerunt vere sapientes, sed dicti sunt philosophi, id est, sapientiæ amatores, ut possint (c) fieri sapientes. Non solum abstinabant a vitiis gravibusque peccatis, sed ab omnibus mundi vanitatibus et curiositatibus; et multi (d) conati sunt, ut possent fieri virtuosî³. Quis unquam sic mundum contempsit, ut Diogenes, qui nunquam domum habere voluit, nunquam accipere ab aliquo aliquid voluit, nunquam familiaris alicui fuit; sed ostialim panem petens, gloriam omnium contempsit⁴? et hoc propter mundi sapientiam! Ergo quid faciendum nobis esset propter sapientiam divinam, quæ est secundum animam?

Secundum, quod est necessarium ad sapientiam, est mundanæ substantiæ perfecta desertio: non enim potest acquiri sapientia cum pecunia. Unde Aristippus, cum iret ad philosophandum Athenas, aurum, quod portavit, abiecit in mare, dicens: « Pecunia et philosophia simul possideri non possunt. Abite, divitiæ, ne a vobis valeam impediri⁵. » Crates etiam, alter philosophus, magnum auri frustum projecit, dicens: « Abite pessum, male cupiditates: ego vos submergam, ne submergar a vobis⁶. » Ob hanc causam beatus Gregorius, volens Christi esse philosophus, cum esset ex nobilibus natus, et esset ditissimus, omnia vendidit, et septem monasteria construxit, omniaque sua pauperibus erogavit⁷. Sciebat enim Apostolum dixisse⁸: « Ubi sapiens? ubi scriba? ubi hujus sæculi conquisitor? » Quasi diceret: Si sapientes mundi sic sagaces sunt ad lucrandum et acquirendum illud, unde pereunt, quid deberet facere sapientia christiana ad quærendum illud, quod est vera vita? Quæ est comparatio pecu-

¹ Sap., 1, 4. — ² Eccli., III, 32. — ³ Hieron., cont. Jovinian., lib. II, Epist., tom. II, col. m. 94-95. — ⁴ Diog. Laert., in Vit. Diog. Cynic. — ⁵ Laert., lib. II, in Vit. Aristip. — ⁶ Hieron., in Matth., IX, et cont. Jovinian., ubi sup., col. 95; Laert., lib. VI,

in vit. Crat. Theb.; Suidas et Ælianus, var. histor., lib. III. — ⁷ Joan. Diae., vit. Greg., lib. I, n. 6. — ⁸ 1 Cor., 1, 20.

(a) Forte leg. veræ. — (b) Forte leg. scientes. — (c) Item possent. — (d) Item multa.

niæ ad sapientiam? Nam pecunia est bonum extra; sapientia, bonum intra: pecunia bonum est a nobis extraneum; sapientia bonum verum: pecunia bonum est periturum, sapientia permansurum: pecunia ducit ad mortem, sed sapientia perducit ad requiem. Ergo, si tanta potest esse cura mercatoribus ad acquirendam ipsam pecuniam, quanta deberet esse ad acquirendam sapientiam? Sic enim scribitur ¹: « Beatus, qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia: melior, » inquit, « est acquisitio ejus (a) auri, et argenti primi, et purissimi: » et multa ibi de hoc. Et similiter ² (b). Non istam sapientiam habent filii mundi, filii diaboli, quia, sicut dicitur ³: « Exquisierunt prudentiam, quæ de terra est, negotiatores terræ; viam autem sapientiæ non invenerunt: et propterea perierunt. » Hanc sapientiam bonam sancti Dei apostoli habuerunt, propter quam mundum cum suis hominibus reliquerunt.

Tertium, quod est necessarium, est animæ nostræ perfecta humiliatio: ubi enim concavum humilitatis non est, sapientia esse non potest: quia aquæ nunquam currunt ad montes, sed tantum ad valles: et breviter, ubicumque est concavum, illuc est fluxus aquarum. Unde, cum Alexander rex a Didymo philosopho quæreret, quomodo posset esse sapiens, ille ait: « Deus potest tibi præstare sapientiam, sed tu non habes, ut teneas eam. » Unde dicitur ⁴: « Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia: ubi autem est humilitas, ibi et sapientia. » Quid igitur mirum, si sapientissimus Gregorius fuit, quia humillimus fuit? Lege in Legenda ipsius, quam humiliter inter monachos vixerit; quomodo et summum pontificium toto posse refugerit; quantum etiam in ipso summo officio semper humilitatem amaverit, et e contra superbiam oderit? Sed quis est hodie, qui fugiat honores, contumelias amet? Unde hodie bella, unde tanta sævitia, nisi ex dominante superbia, quæ suos superiores odit, pares invadit, inferiores premit? Augustinus ⁵: « Utinam superbi attenderent, quod sæpe alta calore siccantur, quando aliquis (c) humillima conservat? » Bernardus ⁶: « Superbia causa est subtractionis gratiæ, sicut humilitas est causa ipsius præsentæ. »

Unde dicit Chrysostomus ⁷: « Tolle hoc vitium, ut nolint homines gloriosi videri, et absque labore cætera vitia resecantur. »

Quarto (d), si volumus esse sapientes, necessarium est nobis sapientiæ inquisitio. Unde dicitur ⁸: « Disce, ubi sit sapientia. » Quærenda enim est toto velle, toto posse, et omni mentis sollicitudine, ne per negligentiam amittatur. Exemplum hujus est in sancto Gregorio, qui quantum studuerit sapientiæ, testes sunt libri, quos fecit. Unde quidam Poeta:

Absque labore gravi non munera magna dabuntur.
Gratior est plenus utilitate labor.

Quis unquam sine labore dives? Quis sine labore aliquam artem didicit? Ergo quis absque labore sapiens esse poterit? Usque ad canos quæsierunt antiqui sapientiam; et tamen pauci invenerunt eam, quia locum ejus ignoraverunt, et viam qua perveniri poterat ad eam. Unde dicitur ⁹: « Sapientia ubi invenitur? et quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium, » id est carnaliter viventium et delicate. Ergo, qui vult sapientiam habere, et locum ejus invenire, non oportet lascivire; sed necesse est vigilare, et laborare, et devote orare, et eam a Deo lacrymis postulare.¹⁰ « Si sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ; si quæsieris eam quasi pecuniam, et quasi thesauros effoderis illam; tunc scientiam Dei invenies: quia Dominus dat sapientiam, et ex ore ejus prudentia et sapientia. » Unde dicitur in Canonica ¹¹: « Qui indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non impropere: et dabitur ei. » Ergo, qui sapientiam non habet, potest argui negligentia, quia non est defectus ex parte dantis, sed potius negligentis, et laborare nolentis. Nam de Socrate narrant historiæ ¹², quod quamvis sapientissimus fuerit, nec ipso suo senio a studio cessavit, imo, damnatus ad mortem, ad consolationem sui, in carcere positus, disputavit. Unde Valerius Maximus de eo dicit ¹³, quod, « quia ad discendum semper se pauperem credidit, ad docendum fecit se locupletissimum. » Sic enim aliqui philosophi studio in Socrate, ante fin. — ¹⁴ Valer. Max., lib. VIII, c. VII, n. 8.

(a) Suppl. negotiatione. — (b) Suppl. Præposui illam regis et sedibus, et cætera usque: tanquam futurum æstimabitur argentum in comparatione illius. — (c) Forte leg. ideum. — (d) Leg. Quartum.

¹ Prov., III, 13-14. — ² Sap., VII, 8-9. — ³ Bar., III, 23. — ⁴ Prov., XI, 2. — ⁵ Aug. — ⁶ Bern., ad Henric. Senon. — ⁷ Chrysost., in Joan., hom. XXVIII, al. XXVII, n. 3. — ⁸ Bar., III, 14. — ⁹ Job, XXVIII, 12. — ¹⁰ Prov., II, 3-6. — ¹¹ Jac., I, 5. — ¹² Diog. Laert.,

erant intenti, ut etiam obliviscerentur cibi. Studeamus igitur, fratres, sapientiæ; labore-
mus mandata divina cognoscere: studeamus
Deum timere, quia ¹ « initium sapientiæ timor
Domini. »

DE S. MARCO EVANGELISTA.

SERMO PRIMUS ².

Mihi enim, omnium sanctorum minimo, data est gratia hæc in gentibus, evangelizare investigabiles divitias Christi ³. Secundum Philosophum ⁴, imo, quod majus est, certum experimentum, nihil patitur esse vacuum. Unde natura sine locato nunquam sinit aliquem esse locum. Propter quam causam, si urceus, vel vas aliquod, verso ore, in aquam ponatur, quantumcumque ad inferius deprimitur, sursum semper repellitur, nec aliquid aquæ intus intrare permittitur, eo quod aere plenum esse probetur. Sola enim vasa vacua sunt liquoris infusi receptiva: unde vas uno liquore plenum non recipit alium, nisi illo prius fuerit vacuatum. Est enim natura corporis vacui, attrahere ad se corpus. Nam barbitonsores, sive balneatores ⁵, dum ventosas hominibus ponunt, prius cum stuppa ignem immittunt, ut, ignis virtute, repulso aere ibi contento, et tandem igne extincto, ibi remaneat vacuum, et sit virtus quædam potens ad attrahendum. Et hæc est ratio, quare ventosa carnibus applicata, sic est fortiter attractiva; quia vacua corpore, sive aere, attrahit fortiter ad se carnem, ut suam vacuitatem possit repellere. Quia ergo beatus Marcus, humilitate plenus, se vacuum esse credebat, ideo sibi abunde divinam gratiam attrahebat: et ideo bene dicit: *Mihi enim, omnium sanctorum minimo, data est gratia, etc.* In quo verbo tria considerare debemus: primum, ex parte Dei gratiam conferentis; secundum, ex parte Sancti donum accipientis; tertium, ex parte doni in alios redundantis. Ex parte igitur Dei, monstratur liberalitas; ex parte Sancti, ostenditur idoneitas; sed ex parte divini doni, mirabilis efficacitas. Notatur igitur primo Dei largitas in donando, cum dicitur: *Data est gratia hæc, supple, a Deo.* Notatur secundo Sancti idoneitas in suscipiendo, cum additur: *Mihi omnium sanc-*

torum minimo, etc. Qui enim per humilitatem se minimum credebat, ideo ad gratiam idoneum se reddebat. Tertio notatur doni accepti efficacitas in docendo, cum adjungitur: *Ut evangelizare investigabiles divitias Christi.* Dicit ergo beatus Marcus: *Mihi enim, omnium sanctorum minimo, data est gratia*: quasi diceret: Ideo gratiam a Deo accepi, quia me minimum reputavi. Congruum enim est, ut, dum homo, propter honorem Dei, se vacuum reputat, Deus illi gratiam de supernis infundat. Est ergo notandum, quod beatus Marcus propter Christum in quatuor fecit se minimum, contra quatuor, in quibus se magnificent homines. Nam quidam extollunt se in potentia; quidam, in rerum opulentia; quidam, in scientia; quidam vero in vita. Ista enim quatuor sunt causa superbiæ, scilicet multum posse, multum habere, multum scire, et multum credere se valere. Beatus ergo Marcus se fecit minimum per confessionem propriæ culpæ, per simplicitatem propriæ vitæ, per contemptum humanæ pecuniæ, per abnegationem propriæ personæ.

Dico primo, quod beatus Marcus se reputavit minimum per confessionem culpæ in sua conversione. Sicut enim dicitur ⁶: « Justus in principio accusator est sui. » Et est hoc valde rationabile, quia nunquam ægrotans medicinam a medico implorat, nisi ei prius infirmitatem delegat, et ostendat; nunquam potest ante vulnus curari, nisi postquam ferrum fuerit foras eductum. Ergo secundum istam sententiam, ante omnia necesse est ægrotanti, ut ostendat vulnus medico spirituali, ut sic possit ab eo curari, et justus per consequens fieri. Ob quam causam dicere poterat sanctus Marcus illud Pauli ⁷: « Ego sum minimus omnium apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. » Ecce confessio peccati. Omnis enim homo Ecclesiam Dei persequitur, quando peccatis inficitur, et sic fideles in eo turbantur. Sic enim homo minuit per confessionem, sicut minuit apostema <sup>EXEM-
PLA.</sup> per saniei educationem, et vesica plena per venti expulsionem: et ista talis minutio sui est contra illam superbiam, qua gloriantur hypocrite de sanctitate vitæ: hypocrite enim, ne videantur mali, nolunt sua peccata confiteri; sed ad mo-

¹ *Psal.* cx, 10. — ² Hunc et novem sequentes habet codex Assis. sæc. XIII; hunc quoque, non vero sequentes omnes, habet edit. Hageno. an. 1496. — ³ *Ephes.*, III, 8. — ⁴ *Arist.*, *Physic.*, lib. IV, c. VI,

text. 83, par. 4, et in *Problem.*, sect. 8, q. VIII. —

⁵ Olim chirurgiæ alumni vices supplebant barbitonso-
rum et balneatorum. — ⁶ *Prov.*, XVIII, 17. — ⁷ *I Cor.*,
XV, 9.

dum cygni sub penna alba, id est, sub vitæ apparentia occultant carnem nigram, id est, animam peccatis infectam. Sed veniet dies illa, dies omni amaritudine plena, quando publicabuntur coram universo mundo omnia, non solum verba, et opera, sed ipsa cordis secreta. O quam consultius, quam melius esset, nunc uni detegere sacerdoti, dicere nulli valenti, quam coram Deo, et angelis, mundoque universo confundi.

Secundo, beatus Marcus fecit se minimum per simplicitatem vitæ: audiverat enim Dominum dicentem ¹: « Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. » Et dicebat Apostolus ²: « Nos simplices (a) propter Christum. » Et ³: « Cum simplicibus enim sermocinatio ejus. » Unde poterat sanctus Marcus dicere cum Apostolo ⁴: « Nihil fateor me scire inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum. » Exemplum de Pauli simplicitate, qui tantam gratiam a Deo acceperat, quod vidit angelos, et demones, et cognovit omnes homines, in quo statu essent. Unde posset de beato Marco spiritualiter illud exponi, quod de Benjamin dicitur ⁵: « Minimus fratrum cum patre nostro est. » Optime *minimus*, id est, simplex frater dicitur esse cum patre, quia Deus simplicitatem diligit, et eum talibus esse cupit. Sed non tales multi, qui seipsos magnificant per ostentationem scientiæ, sicut fecerunt vani philosophi, iudices, et advocati. Tales enim, sicut dicitur ⁶, « dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. » ⁷ « Stultus factus est omnis homo a scientia sua. » Optime dicit *sua*, quia sola divina sapientia, non invidana, non diabolica, facit homines sapientes. Ergo juxta Apostolum ⁸: « Si quis autem inter vos sapiens esse vult, fiat stultus, ut sit sapiens, » id est, fiat stultus in mundo, ut sit sapiens soli Christo. Nam et Sapiens dicit ⁹: « Stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum. » Et dicitur ¹⁰: « Si quis æstimat se aliquid scire, (b) nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire. » Nam qui superbit de scientia, quæ a solo Deo est, similis est corniculæ, quæ gloriabatur ¹¹ de pennis avium aliarum; sed, dum quælibet avis suas subtraxit ab ea, remanet nuda penitus, et omnis ejus

gloria in ignominiam est conversa. Sic et in die judicii, cum divinis nudabuntur, miseri non habebunt, unde valeant gloriari, quia solis peccatis, quæ proprie sua sunt, tunc invenientur ornati.

Tertio, sanctus Marcus se fecit minimum per contemptum mundi, et pecuniæ, et omnis temporalis substantiæ. Nudus enim nudum Dominum est secutus: non enim poterat sequi vestitus, ipse enim fuit de numero illorum minorum, de quibus dicit Dominus ¹²: « Quod uni de minimis meis fecistis, mihi fecistis. » Minimos dicit ipsos pauperes indigentes, quales fuere apostoli et evangelistæ. Sed quidam quærunt se magnificare, et gloriosos apparere per congregationem pecuniæ, non attendentes quod dictum est Simoni mago a Simone Petro ¹³: « Pecunia tua tecum sit in perditionem. » O quanta stultitia, se onerare pecunia, quæ citius demergitur in pœnam! Multo stultior est hic, quam ille, qui congregat sibi ligna, quibus ignis eum ardens (c) perpetuo nutriatur. Nonne stultissimus esset qui per lubricam viam incedens, et profundum magnum juxta se habens, in quo (d) si semel caderet, in perpetuum non exiret, se plumbo et stercoribus ornaret, quibus eum mergi necesse esset? Ergo, si toti in lubrico positi sumus, si profundum inferni juxta nos cernimus, si quotidie nostros vicinos ruere et cadere passim videmus, quid est, quod nos temporalibus stercoribus ornamus? Sapientes naute, si fluctibus premuntur, ventis quatiantur, tempestatibus impelluntur, non navem onerant, sed eam alleviant, non merces quærunt, sed inventas abijciunt; et nos, fratres, ubi, nisi in tempestuosissimo mari sumus? Ergo, juxta verbum sancti Ambrosii ¹⁴, « cavendum valde nobis est, ne navem nostram, vel fluctus absorbeat, vel procella tempestatibus allidat, vel in æternam prædam pirata crudelis abluat. »

Quarto, sanctus Marcus se fecit minimum per abnegationem propriæ personæ: et in hoc est summa perfectio. Nam et mali possunt per confessionem peccata detegere, possunt vitam simplicem ducere, possunt temporalia ista despiciere; sed nemo, nisi vir magnanimus, potest seipsum contemnere. Gregorius ¹⁵: « Non mag-

¹ *Matth.*, x, 16. — ² *1 Cor.*, iv, 10. — ³ *Prov.*, iii, 32. — ⁴ *1 Cor.*, ii, 2. — ⁵ *Gen.*, xlii, 13. — ⁶ *Rom.*, i, 22. — ⁷ *Jerem.*, x, 14. — ⁸ *1 Cor.*, iii, 18. — ⁹ *Prov.*, xxx, 2. — ¹⁰ *1 Cor.*, viii, 2. — ¹¹ *Æsopus, Fabul.*, lib. II, fa'. xxviii; *Horat., Epist.*, lib. I, epist. iii, v. 19 20. — ¹² *Matth.*, xxv, 40. — ¹³ *Act.*, viii, 20. —

¹⁴ *Ambros., in Luc.*, lib. IV, n. 70, quoad sensum. — ¹⁵ *Greg., in Evang.*, hom. xxxii, n. 1.

(a) *Vulg.* stulti. — (b) *Cæt. edit. add.* ubi. — (c) *Leg.* areus. — (d) *Leg.* quod.

num quippe est homini abnegare quod habet; sed multum valde est abnegare quod est. Et forte, « inquit, » laboriosum non est homini relinquere sua; sed valde laboriosum est, relinquere seipsum. » Ergo sanctus Marcus, dum seipsum ob Christi amorem reliquit, viam perfectionis arripuit. Sciebat enim Dominum dixisse ¹ : « Qui major est vestrum, fiat sicut minimus. » Et illud ² : « Qui vult venire post me, abneget semetipsum. » Quid est enim semetipsum abnegare, nisi voluntatem suam Deo dare, et se totum Deo committere, nihil de se sibi retinere? Sed multi sunt, qui non solum non se abnegant, sed cæteris laborant præponi, non attendentes, quod ex alto loco gravius caditur, et existenti in alto ruina gravior præparatur. Quanto enim nubes in altum attolluntur, tanto fortius ventorum turbinibus quatuntur. Sæpe feriuntur tonitruis alti montes, quando quietissimæ manent valles. Arbor enim, quanto magis in altum ascendit, tanto magis se turbinibus, et ventis exponit, et præcisa fortius terram petit, et graviori plurimum casu ruit : ergo stultum est appetere, unde sit necesse gravissimo casu concidere. Job ³ : « Elevasti me, et quasi super ventum elisisti me valide. » Exemplum de Lucifero ⁴, ubi ostenditur, quod quia altissimus fuit, ideo in profundissimum locum inferni cecidit.

Sequitur : *Evangelizare*, etc. Hoc enim est donum, quod accepit ex gratia redundante, quod non solum in se sancte et humiliter vixit, sed verbum vitæ aliis prædicavit. Nam doctor fuit Ecclesiæ primo factis, secundo verbis, tertio scriptis. Sed de his quære in ipsius Legenda ⁵.

SERMO II ⁶.

Opus fac Evangelistæ : ministerium tuum imple ⁷. Inter omnia exteriora opera gratiæ gratis datæ, nobilissimum opus est evangelizare, sive Evangelium prædicare : sed non est utile, nisi præcedat ministrare, quia tam ordine gratiæ, quam naturæ, prius est facere, quam docere, vel dicere. Prius enim diu natura hominem fornat, quam ei usum loquæ tribuat. Item Joannes Baptista prius diu fecit, quam ad prædicandum accesserit. Ita nec Dominus suam prædicationem incepit, nisi prius jejunasset in deserto. Non enim, ut dicit Hieronymus ⁸, ædificat, sed

destruit, qui quod aliis dicit, ipse non fecit. Bene ergo beato Marco dicitur : *Opus fac Evangelistæ : ministerium tuum imple*. In quibus verbis commendatur a duobus jam dictis, ut nihil desit ejus perfectioni. Nam primo commendatur ab excellentia sanctitatis in vita, quam tenuit; secundo vero, a refulgentia veritatis in doctrina, quam scripsit. In his enim duobus perfectus homo consistit. Nam per primum ordinatur ad Deum, et etiam ad seipsum; per secundum ordinatur ad proximum. Notatur igitur primo excellentia sanctitatis in vita, per quam ordinatur ad Deum, nullo modo ad seipsum, cum dicitur ultimo : *Ministerium tuum imple*. Sed notatur secundo veritatis refulgentia in doctrina, per quam ordinabatur ad proximum, cum præmittitur : *Opus fac Evangelistæ*. Nam constat opus Evangelistæ esse, primo in Christum credere; secundo, Christum prædicare; tertio, prædicata in scripturam redigere; quarto, seipsum in mortem pro Evangelio tradere, et sic doctrinam suam morte confirmare. Et quia hæc omnia sanctus Marcus effecit, sicut ex Legenda probare poteris, ideo vere Christi evangelista fuit, ejus Evangelium Petrus legit, et lectum approbavit, et legendum Ecclesiæ tradidit. Nunc autem ad instructionem fidelium de ministerio tantum sermo reddendus est : tum quia prius et melius est facere, quam docere; tum quia per ministerium solum, et ordinatur homo ad Deum, et ordinatur ad seipsum, et ordinatur ad proximum. Est igitur hic notandum, quod qui vere Christi minister est, sicut fuit hic sanctus, primo ordinatus est ad seipsum. Sunt autem duo, quibus homo ad se ordinatur : primum est munditia carnis; secundum vero est modestia mentis : ut per primum componatur exterius, per secundum ordinetur interius.

Dico quod homo primo ordinatur interius ad seipsum, per modestiam mentis. Ad hanc enim invitat Dominus, quando dicit ⁹ : « Qui mihi ministrat, me sequatur, » id est, meam modestiam imitetur. Nam Dominus totus fuit mansuetus, sive modestus, nunquam turbatus. Isaias ¹⁰ : « Non erit tristis, neque turbulentus. » Ejus autem mansuetudinem probat parabola servi debitoris decem millium talentorum, et alterius centum denariorum; item mulier deprehensa in adulterio; item parabola de filio prodigo; item exemplum Magdalenæ, quam non solum

Homo
quomodo
de-
beat esse
ordina-
tus.

Ordina-
tio I.

¹ Luc., XXI, 26. — ² Matth., XVI, 24. — ³ Job, XXV, 22. — ⁴ Isa., XIV, 12 et seq. — ⁵ Lipom., 25 April. — ⁶ Neque hunc, neque sequentem habet edit. Hageno.

an. 1436. — ⁷ II Tim., IV, 5. — ⁸ Hieron., in Matth., XXIII. — ⁹ Joan., XII, 26. — ¹⁰ Isa., XLII, 4.

non repulit, sed benigne suscepit, eique peccata dimisit. Quare ista ad prædicandum sunt valde pulchra : quia, dum modestia tanta de Deo prædicatur, nos ad modestiam invitamur; et valde arguimur, si more apri, vel ursi, irascimur. Miro enim modo per iram inordinatur homo, et subvertitur ratio; sed e contra ordinatur per modestiam. Qui ergo in hac virtute Dominum imitatur, ab eo plurimum honoratur. Ipse enim dicit ¹: « Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. » Secundo debet homo ordinari exterius ad seipsum per vitæ munditiam. Nullus enim est rex, imo nec ullus homo, qui mundum ministrum non requirat : ergo, si volunt hoc homines immundi, et peccatis infecti, quales putas vult habere ministros Dominus mundissimus? Unde dicitur ² : « Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. » Sed quis hodie cum munditia carnis Deo servit? Quis vitam immaculatam ducit? Quis maculari hac turpitudine non cupit? Nam, quia omnes polluti sumus, et velut canes et equi ad carnis lasciviam currimus, ideo a Deo in nostris precibus non audimur. Unde dicitur ³ : « Cum multiplicaveritis preces, non exaudiam : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. » Legitur enim ⁴ : « Et omnis caro corruerat viam suam. » Non tanta fuit olim infectio in paganis, quanta

Exemplum. hodie est in hominibus christianis. Ideo narratur Romanæ historiæ, quod non solum Romani detestabantur actum ipsum nefandissimum, sed omnem vanum aspectum, et suspectum colloquium. Nam ⁵ quidam, nomine Quintus Antistius, repudiavit uxorem, eo quod cum quadam suspecta fœmina eam viderat loquentem. Et ⁶ Sempronius uxorem dimisit, eo quod, ipso ignorante, homines ludentes aspexit. Nec erat apud Romanos hoc reprehensibile, sed valde laudabile. Ergo, si talia faciebant propter solum aspectum et colloquium, cogita quid fecissent, si actum vidissent.

Secundo debet minister bene ordinari ad Deum. Ordinatur autem per duo; primo per intelligentiam in agendis, secundo vero per patientiam in periculis tolerandis. Dico quod primo ordinatur minister Christi per intelligentiam in agendis. Multum enim diligunt reges et principes ministros bene vota sua intelligentes, et pro posse effectui mandantes. Unde scribitur ⁷ :

¹ Joan., xii, 26. — ² Psal. c, 6. — ³ Isa., i, 15. — ⁴ Gen., vi, 12. — ⁵ Valer. Max., lib. VI, c. III, n. 11. — ⁶ Ibid., n. 12. — ⁷ Prov., xiv, 35. — ⁸ II Cor., vi,

« Acceptus est regi minister intelligens. » Stulti ministri, etiam si ferant aurum, non placent. Nec mirum: nam sola intelligentia excellimus bruta. Nam, cum a leporibus, tigribus, et canibus superemur in velocitate, ab elephantibus in malignitate, a cervis in robore, ab aquilis et lyceibus in visu, a lupis in auditu, a vulturibus in olfactu, et ab araneis in tactu, sola intelligentia superamus cætera animalia. Et ideo homines soli propter intelligentiam Deo sunt accepti, et ad beatitudinem electi. Secundum vero, quod ordinat ad Christum, sive ad Deum, ministrum, est tolerantia, sive patientia in periculis tolerandi. Ille enim minister dignus amari non est, qui propter Dominum portare mala non potest. Unde dicebat Apostolus ⁸ : « In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, ut non vituperetur ministerium nostrum. » Ergo, secundum hoc Apostoli dictum, illud vituperandum est ministerium, quod non vult pati aliquid propter Christum. Sunt enim multi, qui tantum Deo serviunt in prosperis; sed nunquam ad Deum clamant, nisi cum se sentiunt in adversis. Sunt enim similes ferro, quod cum sit semper nigrum, rubiginosum, in solo igne fit pulchrum, vel arena aspera fortiter confricatum. Plumbum colore est lividum; sed fit pulchrum, igni adustum. Sic et multi non ad Deum redeunt, nec pœnitentiam agunt, nisi a tribulatione cogantur. Est ergo tribulatio non solum patienter ferenda, sed desideranda, cum sit nobis ad Deum redeundi via.

Tertio oportet Dei ministrum bene ordinari ad proximum. Sunt autem duo, per quæ ordinatur ad proximum : primum est benevolentia voluntatis, ut ex proposito nullum lædat; secundum est beneficium charitatis, ut omnibus pro posse subveniat. Dico quod primum est benevolentia voluntatis, ut neminem lædat, nulli injuriam faciat, nulli maledicat, sed e converso benedicat, et serviat. Unde Paulus ⁹ : « Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. » In benevolentia servi cognoscitur benevolentia domini; et malignitas ministri sæpe redundat in dedecus ministerii. Nam servi refugiunt malum ministerium, sicut scholares malum magistrum, et clerici malum præpositum, sive malignum. Dicitur enim in fabulis ¹⁰, quod dum leo rex aliquando animalia ad consilium convocasset,

Exemplum.

Exemplum.

Exemplum.

Ordinatio III.

4, 3. — ⁹ II Cor., vi, 3. — ¹⁰ Æsop., lib. II, fab. XLIII; Horat., Epist., lib. I, epist. I, v. 73-75.

Exemplum.

ultimo omnium vulpes advenit; cumque foris staret, nec intus intraret, et leo, ut ingrederetur, ediceret, illa ait: « Obstupesco tuam crudelitatem, quam video: quia, cum vestigia omnium animalium considerem, nullum video foras exisse. Unde timeo te omnia occidisse: quare non ausa sum introire. » Sic et malignum dominum fugit exercitus famulorum. Secundum est benevolentia charitatis, ut omnibus pro posse subveniat: officium enim est boni patris, filiis necessaria exhibere. Ideo Deus dat quibusdam divitias, ut pauperibus subveniant, et sibi vitam æternam acquirant. Unde dicitur talibus¹: « Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores. » Boni dispensatores dicuntur, qui a Deo accipiunt, et indigentibus libenter distribuunt. Unde dicitur² quod nemo erat indigens inter apostolos; sed sicut erat cor unum et anima una, sic et illis erant omnia communia. Si enim aquila, avium regina, nunquam comedit prædam suam, quin aliis avibus dimittat ex ea, et hoc dictante natura; quid deberet facere humana natura, ab hoc a suo Rege edocta? Nunquam sine eleemosyna deberet esse humanum prandium, vel cœna. Require de hoc exemplum Nicolai, quod scriptum est in Legenda Joannis Eleemosynarii³; et multa alia de hoc exempla sunt ibi.

DE SS. PHILIPPO ET JACOBO

APOSTOLIS.

SERMO PRIMUS.

*Nimis honorati (a) sunt amici tui, Deus*⁴. Dignum est, et rationi consonum, ut qui toto posse Dominum honoraverint, et pro ejus honore se occidi permiserint, operante Deo, ab omnibus honorentur. Fit ergo, Deo efficiente, ut major honor impendatur ab homine piscatori, quam alicui summo regi; major Jacobo, quam illi famosissimo Alexandro; major Philippo, quam Cyro et Bario. Et propterea bene de eis dicitur: *Nimis honorati sunt amici tui, Deus*. In verbo ergo præmisso describuntur Apostoli maxime a duobus: primo, ab excellentia sanctitatis, qua fulserunt in via; secundo, ab altitudine potestatis, qua præsent in patria.

¹ 1 Petr., IV, 10. — ² Act., IV, 34, 32. — ³ Lipom., ad 23 Januar. — ⁴ Psal., CXXXVI, 17. — ⁵ Imo auctor, quisquis sit, serm. CCXXV, al. XLVII, de Sanctis, n. 1,

Ille enim perfectus dicitur esse, qui in via divinis meritis adornatur, et in patria regio diademate coronatur. Primo ergo notatur excellentia meriti, qua fulserunt in mundo, cum dicitur: *Amici tui, Deus*; secundo notatur sublimitas præmii, quo regnant in cœlo, cum subditur: *Nimis honorati sunt*. Nam etsi sancti Apostoli fuerunt honorati in sua conversione propter Regis vocantis amorem, et iterum sua conversatione propter Regis familiaritatem, et iterum in sua passione propter Regis societatem; nimis tamen dicuntur honorati propter assecutam æternitatem, et quam acceperunt immortalitatem, et perpetuam potestatem. Sed nunc ad eorum meritum adeamus, et eos, quantum possumus, imitari studeamus, ut aliquando ad Regem pervenire possimus. Nam dicit Augustinus⁵: « Qui sanctos martyres, in quantum potuerit, noluerit imitari, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire. » Est ergo notandum, quod Dei amicitiam sancti Apostoli multis modis acquisierunt, quibus et nos, præstante Deo, eam acquirere possumus, si otio non vacemus. Divina igitur amicitia acquiritur per puritatem innocentiam, per afflictionem verè pœnitentiæ, per amorem obedientiam, per donum patientiam, per donum munificentiam, sive misericordiam.

Dico quod divina amicitia primo acquiritur per munditiam vitæ; sic enim scribitur⁶: « Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum Regem. » Optime dicit *cordis munditiam*, quia cordi mundo omnia sunt munda. Nunquam aqua rivuli erit munda, si fuerit in fonte immundo: nunquam viriditas esse poterit in arbore, si defecerit in radice. Et sicut nascitur rivus ex fonte, sic omnis in corpore nostro motus causatur ex corde. Ergo, si cor fuerit immundum, erit visus immundus, auditus immundus, olfactus immundus, gustus immundus, et tactus. Et e contra, si fuerit in corde munditia, omnia per consequens erunt munda. Quia sancti Apostoli habuerunt corda munda, ideo et caro exterior fuit munda. Audiverant enim a Domino⁷: « Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. » Nam et de sancto Jacobo dicitur⁸ quod fuerit sanctus ex utero matris suæ. Sed quis potest hodie gloriari mundum se

Exemplum.

inter Oper. Aug., Append. tom. V. — ⁶ Prov., XXII, 11. — ⁷ Joan., XV, 3. — ⁸ Vid. in *Vitis Sanctior.*, die 1 Maii, apud Lipom., ex Hegesipp., lib. V.

(a) Vulg. *honorificati*.

habere cor? ¹ Quis hodie mundus a sordibus? Immunda sunt hodie corda, immunda sunt verba, immunda sunt opera. Quomodo posset vita hominum esse munda, vel vitare luxuriam, cum sic regnet in eis gula? Dicit enim Hieronymus ², de *Virginitate servanda*: « Libido est juncta luxuriæ: prius enim venter extenditur, et sic cætera membra concitantur. Venter cum inordinate reficitur, genitalia ad luxuriam provocantur. » Et addit: « Sicut ignis ex oleo crescit et lignis, sic libido ex cibis. » Ob hanc enim causam antiquitus Romanæ matronæ, ut possent esse castæ, in nullo indulgebant gulæ; sed a vino, in quo est luxuria ³, penitus abstinebant. Unde magnus quidam Romanus ⁴ uxorem occidit, quia eam vinum bibere vidit, existimans, quod mulier, quæ sobrietatem abiecit et vinum immoderate bibit, virtutibus omnibus januam claudit, et eam vitis aperit.

Secundo acquiritur divina amicitia per afflictionem veræ pœnitentiæ, ut, qui inimicus Dei erat per culpam, fiat amicus et filius per pœnitentiam, si sit vera, si per amaritudinem cordis, si per confessionem oris, et per satisfactionem operis. Ad hæc enim tria studeamus in prudentia serpentina, de qua Dominus dicit Apostolis ⁵: « Estote prudentes sicut serpentes. » Nam serpens, cum se veneno sentit esse gravatum, quamdam herbam amaram comedit, cujus virtute venenum vomit, quod sibi erat causa infirmitatis: quo facto pluribus diebus jejunit, et sic cutem a carne relaxat, postea in aqua se balneat: sicque par arctum foramen lapidis intrat, et ibi veterem pellem expoliat, ut novam induat, et sic totum se renovat ⁶. Sic et homo volens ex veteri fieri novus homo, oportet, quod cum serpente se primo lavet, id est, pro peccato lachrymas compunctionis effundat, et sic herbam amaram comedat, id est, pro peccato amaros planctus edat: postea debet venenum vomere, id est, peccata omnia confitendo narrare: quo facto, per arctum foramen satisfactionis debet transire, et sic veterem culpam deponere, gratiam divinam induere, et perditam amicitiam reparare. Nam per pœnitentiam reparatur homo ad divinam amicitiam, quæ fuerat amissa per culpam. Unde de hæc potest exponi illud ⁷: « Ad ami-

cum si (a) produxeris gladium, non desperes: est enim reversio ad amicum (b). » Quis amicus ut Deus, a quo accipimus omne quod sumus, omne quod scimus, omne quod habemus, sive in bonis naturæ, sive in bonis fortunæ, sive in bonis gratiæ? Sed ad eum gladium producimus, cum peccamus: sed non est desperandum, quia, dum vere pœnitemus, in pristinam amicitiam reparamur, imo aliquando in majorem. Exemplum de David, Petro, et Magdalena. Unde Dominus dicit ⁸: « Mihi alienigenæ amici facti sunt, » id est, qui per peccatum erant extranei, par pœnitentiam in amicitiam sunt reparati. De pœnitentia et asperitate vide Legendam sancti Jacobi ⁹, quantæ abstinentiæ, quantæ orationis, quantæque fuerit sanctitatis. Nam propter ejus iniquam mortem dicit Josephus Jerusalem fuisse a Tito subversam.

Tertio acquiritur divina amicitia per amorem obedientiæ: multum enim principes, sive reges, amant servos bene obedientes, et eos sibi faciunt valde familiares: ut jam non dicantur servi, sed maxime amici, dum fiunt regis consilarii. Unde Dominus dicit Apostolis ¹⁰: « Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid facit (c) Dominus ejus; vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audivi a Patre meo, nota fecit vobis. » Sed cujus merito? certe obedientiæ, quia me vocantem secuti estis, quia præcepta mea servastis, et quia pro me omnia reliquistis. Unde Dominus dicit de eis ¹¹: « Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. » Propterea, qui obedire nolunt, gravissime puniendi sunt. Exemplum de Saule rege ¹², qui, quia obedire renuit, dejectus a regno fuit. Lege

par. 5. — ⁷ *Eccli.*, xxii, 26. — ⁸ *Psal.* cvii, 40. — ⁹ *Lipom.*, 1 Maii. — ¹⁰ *Joan.*, xv, 15. — ¹¹ *Ibid.*, 14. — ¹² *Reg.*, xv, 22.

(a) *Vulg.* etsi. — (b) *Vulg.* regressus. Ad amicum, etc. — (c) *Vulg.* faciat.

Exemplum.

Exemplum.

Exemplum.

¹ *Prov.*, xx, 9. — ² Hieron., ad *Eustoch.*, epist. xlii, col. m. 173. — ³ *Ephes.*, v, 18. — ⁴ Egnatius Metellus, apud Valer. Max., lib. vi, c. iii, n. 9. — ⁵ *Matth.*, x, 16. — ⁶ Arist., *Hist. Animal.*, lib. viii, c. xvii,

de ipsius amatorem, patriæ defensorem, qui non suo jussu, sed sponte ad campum progressus, hostes fugaverat, victorem redeuntem occidi mandavit ¹. Ergo, si sic inobedientia hominis est punita a patre in filio, quanta pœna est punienda inobedientia contra Deum? Ob quam causam hi duo apostoli non solum observaverunt divina præcepta, sed ipsa consilia: non, pro morte ejus (a) inflictâ, sicut narrat utriusque Legenda, recesserunt ab eorum observantia.

Quarto acquiritur divina amicitia per donum patientiæ. Hæc virtus, quæ dicitur patientia, sive malorum tolerantia, est amicitiae, si vera sit, probativa: non enim dicendus est amicus, sed simulator potius, qui assistit in prosperis, et fugit in adversis. ² « Simulator ore decipit amicum suum. » Nam illa magna, quæ ore promittit, non servat, ut dixerat, in adversis. Propter quod viri sapientia pleni nunquam facile amicum esse credunt, quem in adversis non probaverunt. « Si possides, » inquit Ecclesiasticus ³, « amicum, in tentatione posside illum, et ne facile credas ei. » Stultus est, qui emit equum in nullo probatum: ergo et fatuus, qui illum credit amicum, eujus nunquam habuit experimentum. Nam et Philippus, rex Macedonum, valde arguit litteris filium suum Alexandrum, quod illos sibi amicos credebat esse, quos pecunia et donis sibi familiares effecerat ⁴. Hieronymus ⁵: « Vera amicitia non temporalibus communionibus est pensanda, sed amore gratuito impendenda. Nemo, » inquit, « potest esse amicus hominis, nisi prius fuerit amicus veritatis. » Hæc igitur scientes hi sancti Apostoli, in omnibus periculis morte que probati, amicissimi sunt inventi. Lege eorum vitas, et prædica. Sciebant enim scriptum ⁶: « Abraham pater noster tentatus est, et per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus est. » Non timet probus miles equum amittere in bello, dum scit sibi reddendum a rege. Sed constat, quod qui corpus suum hoc terreum et obscurum, grave et grossum, tradiderit propter Christum, recipit illud impassibile et clarissimum. Ergo illud morti exponere, non est

ullo modo timendum. Unde Dominus dicit ⁷: « (Amici mei), nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. »

Quinto acquiritur divina amicitia per donum misericordiæ. Misericordia enim, sive pietas ad pauperes, miro modo divinam iracundiam placat, indulgentiam advocat, et omnia peccata relaxat. Unde ⁸: « Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. » Quid est enim misericordia, nisi quidam divinus ignis, qui omnium peccatorum rubiginem a duritia nostri cordis abstergit? Quid est enim cor durum, nisi quoddam ferrum frigidum, igne misericordiæ non mollium? Ergo, dum misericordiam induimus, dum miseris vere compatimur, et pro posse eorum necessitatibus subvenimus, ignem in nobis incendimus, quo rubiginem omnium peccatorum abstergimus. Ad hanc misericordiam monebat Dominus, cum dixit ⁹: « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. » Et est sensus: Pauperum est regnum cœlorum: ergo vos, cum divitias habeatis, nihil de vestro in regno cœlorum habetis. Ergo, si illud habere vultis, necessario vobis incumbit, ut a pauperibus illud ematis. Ergo de mammona iniquitatis, id est, de divitiis inæqualiter possessis a vobis, amicos pauperes faciatis vobis. Nam isti, qui ad curias regis vadunt, quia perse accedere ad regem non possunt, ad servos regis accedunt, portariis aurum tradunt, regis familiaribus sua ferunt, quorum auxilio et favore ad regis præsentiam accedere possint. Non ergo vos, fratres, pigeat dare temporale bonum, ut possitis accipere summum bonum. Nullus est enim mercator in mundo, qui non libenter daret pro auro plumbum, pro argento stannum, pro marca argenti denarium, pro tritico hordeum, et pro regno domum, etc. Ista enim omnia temporalia bona æternis bonis comparata, sunt vilissima stercora ¹⁰: « Si consideremus, fratres charissimi, quæ, et quanta sunt, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescent animo omnia, quæ habentur in terris. »

Mammon iniquitatis quid.

¹ Valer. Max., lib. II, c. VII, n. 6, ponit Posthumium dictatorem, qui Anulum Posthumium filium suum securi feriri jussit, quamvis paulo post de Torquato etiam mentionem faciat: sed Bonaventura de Posthumio loquitur, cum eadem Valerii verba dicat. Hoc idem ait Livius, lib. IV, et Gellius, lib. XII, cap. ult. Sed Diod. Sic. id non credit. — ² Prov., XI, 9. —

³ Eccli., VI, 7. — ⁴ Valer. Max., lib. VII, c. II, Extern., n. 8. — ⁵ Hieron. — ⁶ Judith., VIII, 22. — ⁷ Luc., XII, 7. — ⁸ Eccli., III, 33: Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis. — ⁹ Luc., XVI, 7. — ¹⁰ Gregor., in Evang., hom. XXXVII, n. 1.

(a) Leg. eis.

Ergo non timeamus dare terrena, ut accipiamus æterna : quia, secundum sententiam Domini ¹, « in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. » ² « Qui enim parce seminat, parce et metet. » Justa enim mensura seminis, mensura futura est messionis. Non perditur quod seminatur, imo ad magnas usuras terræ committitur. Plus illi usurarii lucrantur, et majores pecunias cumulant, qui multa, quam qui pauca mutuant. Eleemosynas dare, non est datum perdere, sed ad usuras maximas dare. Non tantum redduntur, sed uno denario regnum datur, non terrenum, sed cœlifera; non parvum, sed magnum; non perituum, sed perpetuo possidendum. Ob quam causam isti sancti Apostoli, relictis omnibus, datisque pauperibus, pauperem Dominum pauperes sunt secuti. Rogemus ergo, etc.

SERMO II ³.

Venite, filii, audite me ⁴. Licet enim in sanctis Evangelii multa non legantur, quia innumerabilia fecit Dominus et dixit, quæ nemo Evangelistarum scripsit, sicut habetur in fine *Joannis* ⁵, nulli tamen dubium esse debet, quod sicut Dominus Petrum, et Andream, Jacobum, Joannem, similiter Matthæum vocavit, et ad se sequendum invitavit, sic et apostolos cæteros evocavit. Nam de Philippo expresse habetur, quod dixit ei ⁶ : « Sequere me. » Quia igitur ita est, bene et congrue de horum Apostolorum vocatione dicit Dominus per Prophetam : *Venite, filii, audite me*; id est, venite post me : quem audite, ut Pontificem summum, ut Dominum, et Magistrum. In quibus verbis Dominus tria facit : primo enim ostendit suam benevolentiam, ut facilius retraherentur; secundo invitat ad veniam, ut a culpis præteritis purgarentur; tertio mandat obedientiam, qua in gratia complerentur. Optime conjunguntur hæc tria, quia ad sequendum benevolentia allicit, venia disponit, sed obedientia perficit. Notatur igitur primo Domini benevolentia, cum dicitur : *Filii* : nihil enim est in amoribus majus amore filiorum. Secundo notatur vocatio ad veniam, sive recessum a culpa, et a vita præterita, cum addit : *Venite* : quid est enim venire, nisi a præteritis surgere et ad Christum accedere? Tertio vero notatur invitatio ad obedientiam, cum scribitur : *Audite me* : verus enim obediens attente

audit præcipientem; imo relinquit voluntatem propriam, se totum tradens alterius voluntati. Dicit ergo Dominus Apostolis suis : *Venite, filii, audite me*. Est ergo notandum, quod cum suis Apostolis debemus venire ad divinam reverentiam, ecclesias visitando; ad divini jugi supportationem, præcepta servando; ad malorum omnium tolerantiam, Christum sequendo; ad paupertatis eminentiam, temporalia contemnendo; ad præmii excellentiam, ad patriam aspirando.

Dico, quod primo venire debemus ad divinam reverentiam, ecclesias frequentando. Unde dicitur ⁷ quod « Petrus et Joannes ascenderunt in templum, ad horam orationis nonam. » Et credendum est, quod sicut in illa, sic et ad omnes alias horas ascendebant in templum. Nam et hoc de sancto Jacobo dicitur, quod propter excellentiam suæ sanctitatis, cum diceretur ab omnibus justis, essetque Salvatori simillimus, propter quod et frater Domini fuit dictus, de consensu Apostolorum omnium, post mortem Domini Hierosolymis factus est episcopus; et quod ei soli ex omnibus Apostolis concedebatur, ut Sancta sanctorum ingrederetur; et quod, genua figens in templo, pro populo orabat, ut ejus genua indurarentur super duritiam camelorum. Nos ergo ad hanc divinam reverentiam, et orationem devotam invitamur ⁸ : « Venite, adoremus, et procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos : quia ipse est Dominus Deus noster. » Si enim ipse est Dominus, qui creavit; si ipse est Dominus, qui redemit; si ipse est Dominus, qui gubernat et regit; si autem nos populus ejus, si oves pascuæ ejus, ergo venite corpore : adoremus mente : procidamus ante eum corpore et mente, et ploremus coram eo, ex peccatorum recordatione, ex bonorum omissione, ex præceptorum ejus transgressione, et ex omnium virium interiorum corruptione. O magnam verecundiam populis christianis, quod, cum pagani sic visitarent, et sic honorarent, sic denique offerrent in templis suorum deorum, et demonum pessimorum, ipsi ecclesias fugiunt, ad eas ire contemnunt, decimas et dona non offerunt, sed potius, si possunt, eis auferunt, et divitias possident. Milites enim nostri temporis verecundantur ad ecclesias ire, et, si casualiter vadant, verecundantur Dominum adorare. O summa

¹ Luc., VI, 38. — ² II Cor., IX, 6. — ³ Hanc et sequentem habet edit. Hageno. an. 1496. — ⁴ Psal.

XXXIII, 12. — ⁵ Joan., XXI, 25. — ⁶ Ibid., I, 43. — ⁷ Act., III, 1. — ⁸ Psal. XCIV, 6.

stultitia, quod tam læta facie genuflectitis terreno regi, a quo nihil penitus habetis, sive possidetis, et illum verecundamini adorare, a quo habetis omne quod estis, omne quod scitis, et a quo res omnes possidetis. Sed ego pro Christo secure spondeo vobis, quod sicut vos eum nunc erubescitis, et adorare contemnitis, sic ipse in morte vestra, cum ante ipsum veneritis, dicet vobis ¹: *Nescio vos.* « Qui, inquit ², me erubuerit et sermones meos coram hominibus, et ego erubescam eum coram Patre meo. »

Secundo, venire debemus ad divini jugi supportationem, Christo obediendo. Hoc jugum leve assumpserunt sancti apostoli, quando, vocante Domino, sunt eum secuti. Audierant enim ipsum dicentem ³: « Tollite jugum meum super vos. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. » Ad hoc igitur jugum ab omnibus assumendum invitat Dominus ⁴: « Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos, » dulcedine scilicet spirituali. Non credunt modo miseri peccatores laborare, cum tamen omnis eorum vita sit amarissima pœna, et cura, sive febris, etc. Quis non videat, quantum laborant luxuriosi? quantum avari? quantum superbi? quantum invidi, nisi sint penitus cæci? Non sentit phreneticus durissimam febrem quam tolerat ⁵: imo sæpius alte cantat, ignorans quod mors sibi instat. Non sentit epilepticus ⁶, dum cadit in ignem; et tamen gravissima est illa infirmitas, quæ in carne sic animam alienat, ut ignis ardores non sentiat. Gravissimi ergo infirmi sunt peccatores, qui, cum in labore (a) vivant, sic abstracti sunt, ut eos non sentiant. Sed veniet dies illa, ultima pœna veniet, quæ, velint nolint, aperiet oculos modo clausos, et excitabit sensus modo mortuos, sive paralyticos. Membrum enim paralyticum modo non sentit, cum sensus ad ipsum transire non possit; sed cum infernalis illa pœna viam servabit, velit nolit, tunc sensus ad membrum redibit, et tunc male vixisse plorabit. Unde damnati dicturi sunt illud ⁷: « Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus per vias difficiles. Viam autem Domini ignoravimus, » id est, scire nolimus, vel, si scivimus, de ea non curavimus. Ergo, ante illam

tremendam horam, assumamus cum Apostolis jugum Domini suave, onus leve, quod non gravat, sed alleviat; non deprimit, sed reficit; non ad infernum mergit, sed in cœlestem patriam sursum vehit. Videtur stultis, quo l pennæ multæ sint in gravamen avibus: cum tamen sint in maximum volatus auxilium, sine quibus, nec a terra surgere possunt, nec in aera se atollere. Et est notabile, quod, quanto plus de pennarum onere habent, tanto volare melius habent, sive valent. Sic est de onere Domini, quia, qui plus de eo arripit ad portandum, faciliorem se reddit.

Tertio, venire debemus ad malorum omnium tolerantiam, Christum sequendo. « Christo enim in carne passo, » sicut dicit Apostolus ⁸, « et vos eadem cogitatione armamini. » Unde hi sancti Apostoli libenter, sive patienter, omnia pericula portaverunt, ita quod nec mori pro Domino timuerunt, sicut ex eorum patet Legenda. Sciebant enim Dominum docuisse ⁹: « Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. » Ille enim vere abnegat semetipsum, qui se in mortem pro Christo tradere non formidat, et omnia mala mundi pro ejus amore patienter tolerat. Sunt enim justi similes ligno sethim, quod in igne si ponatur, nullo incendio consumitur. Pellis salamandræ, quantumcumque vetusta, si in igne fuerit posita, non solum non comburitur, sed in melius renovatur ¹⁰. Adamas, ut refertur ¹¹, tantæ fortitudinis est, ut non solum in igne non ardeat, sed nec aliquo modo calefiat. Viri ergo justi ad modum auri possunt liquefieri, sed non in pondere et in valore minui, nec corrumpi; imo aurum fit pulchrius et splendidius, dum ab igne inflammatur. Vere patientia similis est cuidam gemmæ, a qua si vestis cocta fuerit in igne posita, non ardebit: quia nihil est, quod nocere possit homini patienti: quia ad modum ineudis, quanto fortius malleis intunditur, tanto amplius insolidatur. Sed quis hodie talis? Hodie sumus similes foliis, quæ quocumque vento agitantur, secundum illius impulsus moventur: non est, qui sustineat facta, non verba, imo nec signa: sed sunt ad

Exemplum.

Exemplum.

¹ *Matth.*, xxv, 12. — ² *Luc.*, ix, 26. — ³ *Matth.*, xi, 20, 39. — ⁴ *Ibid.*, 29. — ⁵ *Arist.*, in *Problem.*, sect. xi, q. xxii, § 7. — ⁶ Epilepticus est epilepsia laborans. Hic morbus dicitur etiam comitialis, dicitur sacer, major, ab Aristotele Hercules, sed a Platone et

Apuleio divinus. — ⁷ *Sap.*, v, 7. — ⁸ *1 Petr.*, iv, 1. — ⁹ *Matth.*, xvi, 24. — ¹⁰ *Arist.*, *Hist. Animal.*, lib. v, c. xix, par. 5. — ¹¹ *Plin.*, lib. x, c. lxxvii; lib. xxxvii, c. iv. Augustinus, *de Civit. Dei*, lib. xxi, c. iv, n. 1 et 4, de salamandra et de adamaute idem refert.

(a) *Leg.* laboribus.

modum marinæ spumæ, quæ nunc subito generatur, nunc subito corrumpitur.

Quarto, venire debemus ad paupertatis eminentiam, propter Christum omnia relinquendo. Hoc enim isti sancti fecerunt Apostoli, qui a Christo vocati omnia reliquerunt. Turpe est, et contra rationem, ut dives miles ibi sit servus, et rex ibi sit pauper. Unde dictum est juveni illi diviti¹: «Vadè, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælis: et veni, et sequere me.» Non possumus simul esse divites in cælo, et in terra; sed necesse est omnino, quod qui hic dives est, ibi sit miser, et pauper. Hieronymus²: «Impossibile,» inquit, «est, ut aliquis a divitiis ad divitias transeat, et in cælo et in terra appareat gloriosus.» Unde³ Anaxagoras philosophus, cum, ad studium vadens, sua omnia reliquisset, cum post multa tempora patriam repetiisset, et omnes possessiones suas desertas et incultas cerneret, ait ad circumstantes: «Non salvus esse potuissem, nisi istæ periissent.»

Quinto, venire debemus ad præmii excellentiam, ad patriam anhelando. Ad hanc enim invitabimur a Domino in die iudicii, quando facta erit omnium resurrectio, omnium ad iudicium congregatio, omnium meritorum discussio eo modo, quo dicitur in *Matthæo*. Tunc enim dicit Dominus his, qui a dextris ejus erunt⁴: «Venite, benedicti Patris mei,» etc. O vox dulcissima, vox amantissima, vox desideranda, vox omnibus laudibus prædicanda, vox propriæ lætitiæ causaliva! *Venite*, inquit, ab omni malo de cætero recedendo. *Venite*, omne bonum accipiendo. *Venite*, mortem et omnia pericula fugiendo: et *venite*, vitam sempiternam in munus accipiendo. *Benedicti Patris mei*, id est, benedicti a Patre meo, non benedictione temporali, non benedictione tantum spirituali, sed, quod est maximum, æternali. *Venite*, inquit, et *percipite regnum* non vanum, sed verum; non vacuum, sed plenum; non contractum, sed firmum et solidum; non hostibus patens, sed pacificum et quietum; non momentaneum, sed æternum; non in aliquo diminutum, sed usquequaque perfectum, ita ut ei nullum fieri possit additamentum. Quis enim, etiamsi adesset lingua Demosthenis, sapientia

Salomonis, et fluvijs eloquentiæ Tullianæ, posset vel ad medium enarrare, quantum Sancti gaudio exultabunt? Si sic gaudet canis, dum leporem invenit: si sic falco, dum volucrem arripit, quem invadit: si sic gaudet homo, dum magnum thesaurum acquirit, vel aliquam dignitatem ascendit: si sic gaudet anima, cum de Deo aliquid sentit, pro quo et lacrymas dulces effundit: quid gaudii ibi erit, ubi, Domine,⁵ «inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et de torrente voluptatis tuæ potabis eos?»⁶ «Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.» Sic væ illis, væ et iterum væ, qui e converso audire merebuntur a Christo⁷: «Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus.» O quæ vox et quæ lingua dolorem summum exprimet damnandorum, clamores flentium, et flumina lacrymarum, dum separabuntur a beatissima Trinitate, et summi boni dulcissima visione, et prædulcissima degustatione, a tanta angelorum et sanctorum dulcissima societate, et a bonorum omnium ubertate, et tradentur diabolo, hosti crudelissimo, igni acerbissimo et æterno, et breviter omni malo nullis unquam sæculis finiendo? Sic, fratres, dum tempus habemus, veniamus ad penitentiam, veniamus ad malorum præsentium tolerantiam, ut fugiamus illa futura mala, et apprehendamus cum sanctis Apostolis illa præmia sempiterna, ipso donante, qui cum Patre, Spiritu Sancto, vivit et regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

DE INVENTIONE SANCTÆ CRUCIS.

SERMO PRIMUS.

*Lignum vitæ est his, qui apprehenderit eam*⁸. Vita est actus continuus, nunquam interpolatus, a Deo viventibus datus, adeo a cunctis desideratus, ut pro vita servanda sollicita sint cælestia, sollicita sint terrena, sollicita sint vegetabilia, sollicita sint rationabilia, quasi, breviter, omnis natura. Quare? quia vivere est viventis esse, Philosopho testante⁹. Unde, vita corrupta, pariter omnis viventium corrumpitur natura: et hoc est non solum naturaliter, sed,

Exemplum.

Exemplum.

¹ *Matth.*, XIX, 21. — ² Hieron., in *Psal.* LXXXIII. — ³ Valer. Max., lib. VIII, c. VII, extern. n. 5; Laertius etiam, in vita ipsius Anaxagoræ Clazomenii, init, quamvis paulo aliter. — ⁴ *Matth.*, XXV, 34 et seq. —

⁵ *Psal.* XXXV, 9. — ⁶ *Isa.*, LXIV, 4; *I Cor.*, II, 9. — ⁷ *Matth.*, XXV, 41 et seq. — ⁸ *Prov.*, III, 18. — ⁹ *Arist.*, *de Anima*, lib. II, cant. 16; *Moral. Eudem.*, lib. VII, c. XV; *Moral. Nicomac.*, lib. IX, c. 13, par. 3.

quod magis est, etiam spiritualiter. Unde anima, vita gratiæ spoliata, dicitur mortua. Ergo, si vivere cupimus, crucem Domini amplectemur, quia lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam. In his enim paucis verbis maxime duo notantur: nam primo dominica crux ab effectu, sive fructu describitur, quando dicitur: *Lignum vitæ*; secundo, quibus hic fructus prosit, ostenditur, dum infertur: *Est his qui apprehenderint eam*. Quamvis enim virtus crucis, quæ non est alia, quam illius virtus, qui fuit in cruce suspensus et passus, sit omnibus hominibus in salutem propter suam sufficientiam, non tamen habet efficaciam, nisi in volentibus apprehendere eam. Quamvis enim virtus solis omnes homines illustrare sufficiat, non tamen oculos clausos illuminat, non oculos infirmos lætificat, nec in domum ejus, qui illam ei non aperit, radios suæ lucis immittit. Bene ergo dicitur: *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam*. Nunquam medicinam, quantumcumque perfecta sit, illi in aliquo proficit, qui eam non amat, sed potius detestatur et odit. Est igitur notandum, quod, sicut communiter solet dici, triplex est vita: prima est naturalis; secunda est spiritualis; tertia est æternalis. Et secundum hoc, est triplex lignum vitæ, cujus efficacia conservatur vita: primum lignum vitæ fuit plantatum in medio paradisi terrestri; secundum lignum fuit plantatum in medio mundi cælestis; tertium lignum vitæ fuit et est plantatum in medio paradisi supercælestis. Item ex defectu hujus triplicis ligni vitæ, dem triplex vita perditur, mors triplex inducitur: primo, mors naturæ; secundo, mors culpæ; tertio vero mors gehennæ.

Dicamus ergo, incipientes a primis, quod prima vita est vita quæ dicitur naturalis, quæ non est aliud quam anima, quæ est vita corporis. Et de hac dicitur ¹, quod «fecit Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.» Dei enim inspirare fuit, animam creare, et corpori infundere; ut sic fieret homo in animam viventem, id est habens animam, qua viveret. Sine vita quis esset omnis homo? Quid est enim corpus hominis sine vita, nisi caro fœtida, deformis et pallida, sive nigra, nullis usibus apta, nisi redeat in terram, de qua fuit assumpta? Et ideo est adeo cara homi-

nibus vita, ut pro ea servanda omnes humani labores, omnes temporalium aggregationes, et omnes comestiones, vestium compositiones, domorum, et armorum fabricationes fiant: et quamvis sic omnis humana natura sit ad vitam servandam, non tamen potest vita hominis esse longa, sed est brevis et vana, momentanea et caduca, more vaporis. Vapor enim, sive fumus, videtur magnum quid, dum ascendere incipit; sed dum adesse creditur, evanescit: sic vita, dum florere videtur, modica febre extinguitur. Unde ²: «Quid est enim vita nostra? vapor est ad modicum parens.» Sed quare ita est? Ideo ita est, quia nunc vita nostra ligno vitæ caret, quo solo conservari potest. Ad quod intelligendum, est hic notandum, quod humana vita maxime consistit in humido radicali. Est enim, secundum doctrinam omnium medicorum, duplex humiditas in corporibus nostris: una quæ dicitur radicalis; altera, quæ dicitur nutrimentalis. Humiditas radicalis est illa, quæ radicaliter se tenet cum ipsa natura, cum qua generatur homo, sine qua vivere et esse non potest; quia in hac tota veritas humanæ naturæ est. Et ideo dicitur radicalis, quia, sicut radix est principium productivum et conservativum totius arboris, sic humiditas radicalis principium humani corporis. Humiditas autem nutrimentalis est illa, quæ generatur ex cibis, quæ non est de essentia nostri corporis, sed in auxilium radicalis humiditatis. Calor enim, sive ignis, qui in corporibus nostris existit, cum otiosus esse non possit, semper aliquid de illa radicali humiditate consumit: et sic, cum datur in pabulum, humiditas nutrimentalis minus in radiale agit, quia dum nutrimentum radicale vim suam convertit, minus de radicali consumit. Et est exemplum notabile in lucerna, in qua est lychnus, et oleum a lychno imbibitum, et aliud oleum circumstans lychnum, et ignis incendium. Lychnus est sicut corpus humanum: oleum a lychno imbibitum et illi incorporatum, est sicut radicale humidum: oleum circumstans lychnum est sicut nutrimentum. Dum igitur ignis agit in lychnum, consumens oleum illud imbibitum, et dum circumstans oleum præbet nutrimentum igni, conservat ignem, et præstat impedimentum, ne tam cito consumat lychnum. Nam, quando illud oleum imbibitum est consumptum, consumptus est et lychnus: quia, humore radicali consumpto in corpore, et vita similiter est consumpta: hoc enim hu-

Exemplum.

Exemplum.

Humiditas radicalis quid.

Humiditas nutrimentalis quid.

Exemplum.

¹ Gen., II, 7. — ² Jac., IV, 15

midum radicale non potest ullam reparationem accipere, quia, ut Avicenna docet, si reparari posset homo, ex senectute in juventutem rediret. Lignum ergo vitæ, quod erat in medio paradisi, habebat virtutem radicale humidum reparandi. Unde, si homo non peccasset, sed in paradiso stetisset, de ligno vitæ comedens, nunquam infirmus fuisset, nec unquam senio defecisset, sicut Augustinus docet ¹. Postquam ergo Adam peccavit, et per divinam sententiam necessitatem mortis incurrit, Dominus eum a ligno vitæ separavit, ne, si de illo comederet, diutissime viveret. Unde dicitur ²: « Ne forte mittat manum suam, et sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum : eunxit eum Dominus de paradiso. » Adam igitur a ligno vitæ separatus, eum amplius per alios cibos humidum radicale reparare non posset, necessitatem habuit moriendi, non solum per divinam sententiam, sed etiam propter defectum ligni conservantis vitam. « Omnes igitur morimur, et tanquam aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur, » sicut habetur ³. « Vadam, » inquit Job ⁴, » et non revertar, ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine. « Numquid, » ait ⁵, « non paucitas dierum meorum finietur brevi? » Ergo, fratres charissimi, cum simus adjudicati morti, et sit in nobis necessitas moriendi, et ratione peccati, et ratione defectus ligni, de quo dixi, si hanc vitam habere non possumus, sic vivamus, ut vitam aliam non perdamus. Exemplum de Enoch et Elia posset hic prædicari, qui de ligno illo vitæ comedentes, tanto tempore sunt servati in vita.

Enoch
et Helias
quomodo
in vi-
ta ser-
ventur.

Secunda vita est spiritualis, qua anima vivit in Deo. Sicut enim anima est vita corporis, sic Deus vita est animæ: quia, sicut recedente anima, corpus moritur, sic, Dei gratia discedente ab anima, anima sua vita privatur, non quantum ad vitam nature, sed quantum ad vitam gratiæ. De hac enim vita dicebat Apostolus ⁶: « Vivo ego, jam non ego vivo, vivit vero in me Christus. » Et est sensus: Ego vita gratiæ vivo; sed hoc a me non habeo, sed a Christo. Hæc autem vita nobilis, qua anima nostra vivit, ex medio ligni vitæ causatur in nobis. De hoc ligno exponitur illud ⁷: « Benedictum lignum per quod fit justitia: » hoc est enim lignum, cui « committunt (a) homines animas

suas, » dicitur ibidem ⁸. Hoc enim salutariter signatum fuit in primo ligno vite jam dicto: et aliqui opinantur, quod fuerit ex eodem ligno, quia, dum Adam infirmaretur usque ad mortem, et filius suus Seth ad paradysum ivisset, et de ligno vitæ pro patris salute peteret, angelus paradysum custodiens, ramum illius arboris tradidit, eique dixit: Cum hoc lignum fructum faciet, tunc pater tuus salutem recipiet ⁹. Sed alii dicunt, quod de illo ligno fuit, in quibus (b) Adam peccavit. Seth ergo ramum accepit, et veniens mortuum patrem invenit. Unde ramum arboris ad caput suum plantavit, qui precedente tempore crevit, et in arborem magnam surrexit, quam Salomon incidi mandavit; sed in tota domo sua, ubi hoc lignum poneret, non invenit: nunc enim vel majus debito, vel minus inveniebatur. Et sic Deo volente est factum, ut in quodam loco pro ponte poneretur, ut per hoc signaretur, quod futurus pons erat ex ligno faciendus, per quem hoc mare magnum erat ad cælum christianus populus transiturus. At regina Saba, dum ad Salomonem venit, in spiritu hoc lignum cognovit, nec super illud transire voluit; sed Salomoni indicavit, quod in illo ligno erat aliquis suspendendus, pro cuius morte regnum Israel deperiret. Quod Salomon dum audivit, illud in profundissimum terræ demergi fecit. Sed, instante tempore dominicæ passionis, terra crepuit, et ibi piscinam fecit, in qua lignum supernatavit, ejus virtute ad tempus « aqua movebatur: et qui primus in eam tunc descende-
bat, sanabatur, quæcumque infirmitate teneretur, » sicut dicitur ¹⁰. Cum ergo crucifixo-
res Domini hoc lignum vidissent, ipsum acceperunt, et de eo crucem Domino paraverunt. Breviter hoc dixi, quod longum est, ut de hoc aliquid prædicator crucis acciperet. Hoc igitur vitæ nostræ lignum in medio mundi plantatum fuit, quia Hierusalem in umbilico terræ situata esse dicitur: ob quam causam in Psalmo dicitur ¹¹: « Operatus est salutem in medio terræ. » Dignum utique erat, ut, qui pro salute omnium patiebatur, in medio omnium pateretur, ut a medio ad extrema æqualiter tantum beneficium funderetur. Hoc est lignum vitæ, in quo vita mundi pependit, per quod vitam omnibus dedit, quantum in se fuit, sine cuius beneficio

Piscinæ
origo.

Hieru-
salem
situs.

¹ Aug., de Civit. Dei, lib. XIII, c. xx. — ² Gen., III, 22-23. — ³ II Reg., XIV, 14. — ⁴ Job, x, 21. — ⁵ Ibid., 20. — ⁶ Gal., II, 20. — ⁷ Sap., XIV, 7. —

⁸ Ibid., 6. — ⁹ Unde hæc desumpta, inveniri non potuit. — ¹⁰ Joan., v, 4. — ¹¹ Psal. LXXIII, 12.

(a) Vulg. credunt. — (b) Ley. quo.

nullus vita gratiæ vivit. Hoc vitæ lignum in palo signatum fuit ¹, in quo suspensus serpens æneus fuit olim, ad cuius aspectum omnes salvabantur, qui ab ignitis serpentibus mordebantur. Unde et de hoc dicit Dominus ²: « Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, sic exaltatus est (a) filius hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. » Igitur hominibus vita est ex cruce dominica. Narrat enim Cassiodorus ³, quod quidam apud Constantinopolim fuit, qui christianus erat, sed dominicam crucem adorare nolbat. Infirmatus igitur nimium, cum pro salute rogaret Dominum, apparuit ei angelus, crucem illi ostendens, et dicens: Si vis curari, hanc crucem adora, quia ex quo mundi Dominus in ea pependit, nullum unquam beneficium homini contulit, nisi ob gratiam crucis. Constantino etiam dictum est ⁴: « In hoc signo confide, et vinces. » Qui, cum vexillum suum in crucis formam vertisset, nullum invenit hostem, quem non sterneret. Dicitur etiam in historia eadem ⁵, quod nullus unquam in bello illud in crucis vexillum portantium potuit vulnerari, vel occidi, vel capi: imo, dum quidam de portantibus illud semel timeret hostes, et alii signum tradens, se de medio subtraxit, ille inter tela remansit illesus, hic autem extra sagittas lethaliter est percussus. Manifestum est igitur ex præmissis, quod qui ab hoc ligno se longe facit, vita gratiæ carens, mortem culpæ incurrit. Exempla ad hoc multa quære in Legenda exaltationis Sanctæ Crucis, et de Crucis inventione facta per Helenam. Narra historiam, quia ad prædicandum est valde pulchra: et in Legenda Sancti Christophori, et Sanctæ Christiænæ, sunt etiam pulchra exempla, quomodo diabolus timeat signum crucis. Nam et Julianus Imperator, dum adhuc puer esset, et in arte magica magistrum haberet, absente magistro, dum librum artis aperiret, et dæmones mox venissent, ille timens, dum se cruce signasset, et illi mox aufugissent, magistro redeunte, factum narravit: quare sic fugissent, ab eo quasivit. Cui ille: « Nihil in mundo sic dæmones timent, sicut hoc signum Crucis ⁶. »

Tertia vita est vita æternalis: et hæc vita

¹ Non., XXI, 9. — ² Joan., III, 14. — ³ Cassiod., *Hist. tripart.*, lib. II, c. XIX; Niceph., *Hist. eccl.*, lib. VII, c. L. — ⁴ Niceph., ubi sup., lib. VIII, c. III, et lib. II, c. XLVII; Sozom., *Hist. eccl.*, lib. I, c. III. — ⁵ Cassiod., ubi sup., lib. I, c. IV; Sozom., lib. I, c. IV; Niceph., *Hist. eccl.*, lib. VIII, c. XXIX. —

summa vita, sola beata, vita pacifica et segura, quæ consistit in visione divina. Tunc, inquit Apostolus ⁷, « apparebitis cum ipso in gloria. » Et ⁸: « Quoniam apud te est fons vitæ. » Et Dominus ⁹: « Ego sum via, veritas, et vita: » via, in meritis vel exemplis; veritas, in præceptis; vita, in præmiis. Vel via deducens, veritas docens, vita reficiens. ¹⁰ « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. » Cognoscant, inquam, non cognitione viæ, quæ est obscura, sed cognitione patriæ, quæ est aperta, ut videatur Deus in sua essentia, quæ, quia in summo est pulchra, summe delectat animam. Hæc autem dulcissima sanctorum vita est eis ex ligno vitæ, quod est in medio paradisi, ut possit ab omnibus manducari. Unde loquens Joannes de Hiernsalem cælesti, dicit ¹¹: « In medio plateæ ejus ex utraque parte fluminis lignum vitæ. » Flumen appellatur abundantia gloriæ, quæ copiose ad modum aquæ fluminis redundat in Sanctos ¹²: « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. » Et ¹³: « Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. » O sanctorum beata gloria, ex Christo Jesu, ligno vitæ, causata, ubi non gustatur caro peccatorum, non avium, non piscium marinorum, sed ipsum vitæ lignum, Verbum utique incarnatum, quod degustatum adeo est dulce, ut illo degustato, nec famescat homo, nec sitiat in æternum! Ubi sunt glutones, qui quærunt dulcia vina et fercula sapida? Nam sponsa degustans de fructu hujus ligni, dicit ¹⁴: « Sub umbra illis, quem desideraveram, sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo. » ¹⁵ « Comede, fili, mel, quoniam bonum est, et favum dulcissimum gutturi tuo. » Qui separatus fuerit ab hoc ligno, in fine privabitur vita gloriæ, et incurret mortem damnationis æternæ, ubi erit vita semper moriens, et mors semper vivens: vita vita carens, et mors mori nesciens: vita mortalis, et mors vitalis. O si scirent peccatores miseri, qualia sunt passuri, quam gravia pondera super se portaturi, quam continue, sine interpolatione, non more febris quartanæ, vel tertianæ, sed continue sunt arsuri, quam gravissima fame, et siti mortifera, sint carnes proprias corrosuri, nunc, contempta vita naturæ,

⁶ Vid. Cassiod., lib. II, c. XVII; Niceph., lib. VIII, c. XXIX. — ⁷ Col., III, 4. — ⁸ Psal. XXXV, 10. — ⁹ Joan., XIV, 6. — ¹⁰ Joan., XVII, 3. — ¹¹ Apoc., XXII, 2. — ¹² Psal. XLV, 5. — ¹³ Joan., VII, 38. — ¹⁴ Cant., II, 3. — ¹⁵ Prov., XXI, 13.

(a) Leg. exaltari oportet.

currerent ad vitam gratiæ, ut tandem ad vitam gloriæ pervenirent, semper donante Christo, qui Sanctis omnibus factum est lignum vitæ, etc.

SERMO II¹.

*Omnis qui quærit, invenit*². Omne quod diligitur, a diligente sollicite quæritur. Quam sollicite quærit canis lepuseculum, gallus vermieu- lum, cervus fontem aquarum! Helena ergo Constantini mater, quia Christum ferventer ama- vit, ejus crucem et clavos diligentissima cura quæsivit, et invenit³. Exemplum Magdalena, quæ, quia Dominum sollicite quæsivit, et in quærendo perseveravit, ipsum invenire prome- ruit⁴. Exemplum hoc etiam apparet in Magis, qui ideo invenerunt, quia quæsiverunt⁵. Bene ergo dicitur : *Omnis qui quærit, invenit*. Lege historiam inventionis Crucis, et in regina⁶ hoc verbum impletum esse videbis. In verbo igitur præmisso, juxta historiam, maxime notantur duo : primum est labor devotus a regina as- sumptus; secundum vero est laboris utilis fruc- tus. Notatur itaque primo labor devotus, quem sustinuit in quærendo, cum dicitur : *Omnis qui quærit*; secundo notatur fructus utilis, quem habuit in inveniendo, cum subditur : *Invenit*. Sed quia hodie festum de Inventione agitur, de sola inventione aliquid dicamus. Est igitur no- tandum, ad nostram instructionem, quod est aliquid, cujus inventio est vana; aliquid, cujus inventio est mala; aliquid, cujus inventio est (a) bona.

Est enim vanum temporalem invenire thesau- rum; est malum (b) invenire peccatum; est utile, sive bonum, invenire dominicum lignum.

Dico, quod aliqua res est, cujus inventio est vana : et talis res est omnis prosperitas hu- mana, sive mundana, et omnis temporalis substantia, etiam juste acquisita. Nonne vanum est quidquid cor implere non potest? Nonne vanum est, quod teneri non potest? Sed totus mundus cor humanum non implet, quia⁷ « avarus non implebitur pecuniis (c). » In rebus etiam mundi nihil stabile est : imo cras ad te ve- niet, quod hodie meum est. Anguilla enim, quanto fortius stringitur, tanto fortius de manu

elabitur : sic et mundus, quanto plus amatur, tanto timidius retinetur : et semper est in sus- picione ne perdat : et perdit, ex hoc magnus dolor exoritur. Inventio enim temporalium rerum est sicut somnus dormientium, qui, dum dormiunt, somniando divites se esse credunt; sed dum evigilant, vacuos se inveniunt.⁸ « Di- ves, cum dormierit, nihil secum affert : aperit oculos, et nihil videt. » Divites enim, dum multa se congregasse credunt, adveniente morte, ni- hil se habere inveniunt, nisi peccata, quæ propter divitias commiserunt. Psalmista⁹ : « Dor- mierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. » Sæpe, dum dives moritur, ei quem odit, velit, nolit, sua dimittit.¹⁰ « Congregabit (d), et ignorat cui congregabit ea. » Exemplum de divite illo ma- gno, qui multa congregavit; cui dixit Domi- nus¹¹ : « Stulte, hæc nocte animam tuam repe- tent a te : quæ autem parasti, cujus erunt? » Quid profuerunt divitiæ Darii? Nonne eas cum omni imperio suo reliquit adversario? Quidam enim, ut dicitur, fuit, qui somniavit se diu de- bere vivere; cumque propter longam, quam somniaverat, vitam, congregasset multa, morte interemptus est subita. Innocentius¹² : « Quid prosunt divitiæ, quid epulæ, quid deliciæ? non enim liberant hominem a morte, non defendunt a verme, non eripiunt a fœtore. »

Secundo est res aliqua, cujus inventio non est tantum vana, sed etiam mala; et talis res est peccatum contra Deum et proximum perpetra- tum : nihil enim ex omnibus rebus est malum, nisi ipsum peccatum. Unde iter peccati maxime sequuntur homines, et laborant invenire de- lectabilia, quamvis non attendentes, more por- corum, quid fœtoris, quid anxietatis, quid tur- pitudinis, quid amaritudinis sit in eis. Nam Sa- lomon, qui experientia et scientia noverat, dice- bat¹³ : « Lustravi, » inquit, « universa animo meo, ut cognoscerem impietatem stulti, et erro- rem imprudentium : et inveni amariorē morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sa- gena cor ejus, et vincula sunt manus ejus. » Nota verba, signa mysteria. Quid morte ama- rius? et tamen dicit sapientissimus hominum, cognitor naturarum, quod *mulier amarior morte*

¹ Neque hunc, neque duos sequentes habet edit. Hageno. ab. 1496. — ² *Matth.*, vii, 8. — ³ Niceph., lib. VIII, c. xxix; Cassiod., lib. II, c. xviii; Sozom., lib. II, c. 1. — ⁴ *Matth.*, xxviii, 9; *Joan.*, xx, 16. — ⁵ *Matth.*, i, 11. — ⁶ Scilicet Helena. — ⁷ *Eccle.*, v, 9. — ⁸ *Job*, xxvii, 19. — ⁹ *Psal.* lxxv, 6. — ¹⁰ *Psal.*

xxxviii, 7. — ¹¹ *Luc.*, xii, 20. — ¹² Innocentius III, *de Contempt. mund.*, c. v, quoad sensum. — ¹³ *Eccle.*, vii, 26-27.

(a) *Cæt. edit.* non repetunt aliquid cujus inventio est. — (b) *Cæt. edit.* male. — (c) *Vulg.* pecunia. — (d) *Vulg.* Thesaurizat.

est : quippe quia *laqueus* est, *sagena* est, *vinculum* est. Laqueo capiuntur aves, sagena pisces, vinculo homines : nulla esca sic fortiter attrahit aves, nulla sagena sic violenter pisces, sicut mulieres attrahunt homines. Quid igitur faciendum est in tanto periculo? Certe quod ibidem sequitur ¹. « Qui, » inquit, « placet Deo, effugiet illam; qui autem peccator est, capietur ab illa. » Non est enim tutum juxta serpentem dormire. Fœmina scorpionis more, semper est hominem parata ferire : « nihil enim est, » ut Hieronymus dicit ², « in corpore mulieris, quod intuitu non sagittet cor hominis. » Ergo qui vult effugere laqueum mortis, fugiet a facie mulieris, quasi a facie colubri et serpentis, sicut fugit Helias a facie Jezabel. Est et aliud consilium, quod datur ³ : « Dic, » inquit, « sapientiæ : Soror mea es; et prudentiam voca amicam tuam, ut custodiat te a muliere extranea, et ab aliena, quæ verba sua dulcia facit. » De sapientia increata, ad quam recurrendum est, dum carnis sentimus incendia, lege totum jam supradictum capitulum, quia est pulchrum, et valde prædicatori aptum contra mulieris malitiam. Qui ergo vere continens esse vult, debet non solum tactus impudicos fugere, sed vanos aspectus, vanos auditus, et vanas locutiones vitare. Nam Lacedæmones, tanquam castitatis amici, ut narrant eorum historiæ, libros cujusdam philosophi extra civitatem jusserunt asportari, eo quod illorum lectio non erat omnino pudica, sed potius ad luxuriam inflammativa. Noluerunt enim filios suos talibus lectionibus imbui, ne honestis moribus plus nocerent, quam ingeniis prodesse. Ergo, si talia pagani fecerunt, quid deberent facere Christiani?

Est tertio res aliqua, cujus inventio est summe bona : Crux Dominica : et talis fuit per Hele-
nam inventa : in qua dejecta sunt dæmonum fortia castra. Unde valde clamabant dæmones contra Judam, qui fuit ductor illius inventionis, dum locum, ubi jam ducentis annis jacuerat, patefecit. Lege historiam ⁴, et narra. Est igitur a nobis sollicite quærenda crux ipsa dominica, in qua mundi pependit vita. Unde non est aliud crucem invenire, quam illum invenire, qui pependit in cruce. Omnis enim honor crucis ad Crucifixum refertur. Unde sæpe pro cruce

assumitur illud verbum, quod de se dicit illa Sapiencia crucifixa ⁵ : « Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino. » Sed qui vult invenire crucem, imo ipsum Dominum crucifixum, quærat eum tempore, quo inveniri potest, et loco, in quo est. Nemo enim, si non sit stultus, quærit uvas in vere, neque in æstate violas, nec fructus in hieme : « omnia enim ⁶ tempus habent; et omnia bona in tempore suo. » Item nemo quærit ficus in vite; nemo aurum in arbore; nemo pisces in monte. Si enim res omnis quærenda est ubi est, ergo quæramus Crucifixum pro tempore, in quo sumus, quia nunc inveniendus est. Item quæramus eum in loco, ubi est, ubi continue jacet, id est, in cruce. Bernardus ⁷ : « Circuire possum, Domine, cælum et terram, et nusquam te possum invenire, nisi in cruce : ibi dormis, ibi cubas in meridie. » Ergo, qui suaviter vivunt, qui carni deserviunt, Christum invenire non possunt, quia ad locum, ubi stat, nunquam vadunt. Dicitur enim ⁸ : « Quis invenit locum ejus, aut quis intravit in thesauros ejus? Non invenitur in terra suaviter viventium. » Ergo, si crucem, ergo si Dominum crucifixum invenire volumus, oportet carnem affligere, oportet pœnitentiæ crucem assumere, oportet cum Magdalena ad sepulcrum fluvios lacrymarum effundere; oportet cum Magis ad præsepe, ubi jacet, accedere : oportet cum pastoribus ad stabulum ire : oportet juxta crucem cum Dei matre astare, et cum ipsa lacrymas irremediabiles fundere. Brevibus verbis multas historias tetigi, ut sit prædicatori via ad plurima diffundendi (a). Scriptum est enim ⁹ : « Da sapienti occasionem, et festinabit accipere. » Rogemus igitur Dominum crucifixum, per ipsum venerabile lignum, quod contactu suæ sanctissimæ carnis factum est sanctum, etc.

DE S. ANTONIO PADUANO

ORDINIS MINORUM.

SERMO PRIMUS.

Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi ¹⁰? Mirum est, et valde dignum est admiratione, quomodo Deus, cum sit altissimus, non ad altos oculos vertat, sed tantum ad dejectos et

¹ *Eccle.*, vii, 27. — ² Hieron., in *Eccle.*, vi, et *Regul. Monach.*, c. xx. — ³ *Prov.*, vii, 4-5. — ⁴ Surius, *Vit. Sancti.*, 3 Maii. — ⁵ *Prov.*, viii, 35. — ⁶ *Eccle.*,

iii, 1. — ⁷ Bern. — ⁸ *Bar.*, iii, 15. — ⁹ *Prov.*, ix, 9 — ¹⁰ *Gen.*, xliii, 29.

(a) *Ley.* diffundenda.

humiles. Superbos dejecit, humiles sursum ve-
luit. Hoc et sanctus admiratur propheta, cum di-
cit ¹ : « Deus noster in altis habitat, et humilia
respicit in cœlo et in terra. » Et Domina nostra
suo dicit in cantico ² : « Deposuit potentes de
sede, et exaltavit humiles. » Et puto, juxta
dicta Sanctorum, hoc ideo esse, quia superbus
Deo voluntatem suam non subjicit, sed ejus vo-
luntati suam præponit : ejus totum contrarium
vir humilis facit, qui, dum de se vilia sentit, se
totum divinæ virtuti committit. Quis enim ex
regibus his terrenis illum servum in regno præ-
ficere, ejus voluntatem sibi contrariam esse
sciret ; et non potius illum subsecutum face-
ret, quem sibi per omnia subsecutum cognos-
ceret ? Parvuli ergo, et qui sunt humiles in hoc
mundo, sunt qui a Christo sublimantur in cœlo.

Exem-
plum. Nam luna, quando mundo tota est obscura, et
ab hominibus mundi dicitur esse nulla, tunc
versus cœlum tota est luminosa ; vel quando
versus terram est vacua, versus cœlum est tota
plena : et sic est in rebus omnibus invenire, eo
quod, sicut Hieronymus dicit ³, « non est pos-
sibile ut homo in cœlo et in terra appareat glo-
riosus. » Dicit ergo Joseph, typum Christi per
omnia gerens, dicat de parvulo fratre suo, di-
cat ad alios fratres suos, quos in mundo voluit
vocari minores : *Iste est frater vester parvulus,*
de quo dixeratis mihi ? quasi dicat : Ipse est,
quem adeo mihi laudastis, ejus nomen sic fa-
mosum fecistis ? Quia vero parvulus inter vos
vixit, humilem in omnibus vitam duxit, et ideo
sic exaltari promeruit. In verbo igitur præ-
misso, Dominus et Salvator noster beatum An-
tonium describit a tribus : primo, ab excellen-
tia sanctitatis, qua intus ardebat in anima ; se-
cundo, a contemptu mundanæ subtilitatis, sive
ab amore propriæ vilitatis, quam foris osten-
debat in vita ; tertio a celebri gloria nominis,
qua cunctis innotescit in fama. In his enim tri-
bus perfectio summa consistit : primo ut sanc-
titas sit in corde ; secundo, sit humilitas in con-
versatione ; tertio, sit homo famosus in nomine.
Notatur igitur primo excellentia sanctitatis in
anima, cum dicitur : *Iste est frater vester.* Per
fratrem notatur nomen sanctitatis, nomen amo-
ris, et charitatis. Dum pronomem demonstrati-
vum et verbum substantivum conjunguntur,
excellens sanctitas designatur. Secundo, nota-
tur amor propriæ vilitatis in vita, cum addi-

tur : *Parvulus.* Tertio vero, vulgatio nominis
sui diffamatur, cum adiungitur : *De quo dixeratis
mihi ?* ipsum enim dicere, fuit vitam ejus
prædicare, miraculis divulgare, et canonizatio-
nem ejus precibus impetrare. Unde, quia hæc
dictio, *Parvulus*, continet sanctitatem mentis, et
ostendit humilitatem operis, de hoc nomine
solo, brevitatis gratia, erit sermo. Est ergo no-
tandum, quod parvuli has habent proprietates :
quia sunt ad discendum dociles, ad obediendum
flexibiles, ad amandum habiles, ad indulgen-
dum faciles, ad dona sive munuscula promp-
tiores. Quia ergo ad doctrinam sunt dociles,
divinæ veritati in nullo rebellant ; quia ad obe-
diendum flexibiles, divinis imperiis non repu-
gnant ; quia ad amandum habiles, divinæ cha-
ritati non obstant ; quia ad indulgendum per-
faciles, divinæ pietati non obviant ; sed quia ad
accipiendum veloces, divinis donis non dero-
gant.

Primo sunt ad discendum dociles. Omnis
enim res, quando est tenera, potest aptari ad
omnem formam, sicut manifeste apparet in
virga, quæ facile flectitur, et curvatur ad ima,
et facile revocatur ad summa. Est quædam
herba, quæ dum extrahitur ab aqua, est adeo
tenera, quod flecti potest ad omnem formam,
sive figuram recipiendam. Sic et pueri, quam-
diu sunt in pueritia, habiles sunt ad omnem
doctrinam. Est enim prima ætas, ut dicit Avi-
cenna, calida et humida : et ideo, ad modum
ceræ calidæ et liquidæ, facile recipit omnem
formam. Sic et in spiritualibus suo modo se
habet, quod qui sunt parvuli, propter humilita-
tem sunt valde dispositi ad divinam influen-
tiam. Sic beatus Antonius fuit valde dispositus
ad divinam scientiam, imo ad omnem divinam
influentiam : sol enim nobiliores impressiones
facit in terra, quia est omnium infima, quam
faciat in aliqua alia elevata natura. Hoc est
ergo, quod Dominus significare voluit ⁴ : « Con-
fiteor tibi, Domine Pater cœli et terræ, quia
abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, »
supple *mundi*, « et revelasti ea parvulis, » id
est, humilibus. Quia ergo beatus Antonius hu-
milis fuit in conversando, humilis in suam
scientiam abscondendo, multum illuminatus
fuit a Deo, sicut manifestat ejus prædicatio. Di-
citur enim ⁵ : « Testimonium Domini fidele, sa-
pientiam præstans parvulis. » Confundatur ergo

Exem-
plum.

¹ Psal. CXLII, 6. — ² Luc., I, 52. — ³ Hieron., de

scient., div. leg., Epist. VIII. — ⁴ Matth., XI, 25. —
⁵ Psal. XLVII, 8.

superbia intellectus humani, quæ dum hominem per arrogantiam elevat, oculus rationis exæcat, ut sibi utilia homo non videat. Oculus enim Exemplum. carnis si timore nimio fuerit inflatus, impeditur noster corporeus visus: sic et spiritualis oculus, factus per superbiam tumidus, ad omnia bona fit cæcus. Tales fuerunt omnes philosophi, qui quia fuerunt superbi et vani, facti sunt stulti. « Dicentes, » inquit Apostolus ¹, « se esse sapientes, stulti facti sunt. » De qua stultitia satis supra in præallegato capitulo invenies, si de ea volueris prædicare. Sicut enim vas, uno liquore plenum, non recipit alium, nisi illud prius fuerit evacuatum, sic homo plenus superbia non habet sapientiam, quia secundum sapientem ², « ubi superbia, illic et contumelia; ubi autem humilitas, ibi sapientia. »

Secundo parvuli sunt ad obediendum valde flexibiles, nunquam imperiis majorum rebelles. Exemplum. Exemplum de pueris, qui stant in scholis; qui quasi nihil aliud cogitant, nisi quomodo præcepta magistri adimpleant. Dicitur etiam, quod hinnuli cervorum miro modo sunt obediens parentibus, et in saltando, et in sedendo, et etiam in abscondendo. Nam et pulli gallinarum, quamdiu sunt parvuli, miro modo obediunt parenti, et mox currunt vocati; sed nullo modo obediunt, facti magni. Sic et spirituales viri sunt inter alios parvuli, quamvis meritis sint valde alti, ut a malis servis non possint cognosci aspectu. Dicitur enim ³: « Quanto tempore hæres est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium. » Tales enim nesciunt in aliquo contradicere; sed in omnibus parati sunt obedire. Vere talis fuit beatus Antonius, qui in quantum (a) fuit parvulus et despectus, ut in quodam generali capitulo a nullo ministrorum fuerit postulatus, quem tamen ad petitionem suam frater Gratianus duxit in Roman-diolam, quia adeo semper fuit, dum vixit, obediens, ut in nullo obedire reluctaret ⁴. Exemplum, quando ei in quodam capitulo apud Forum Livii Minister imposuit, ut sermonem fratribus faceret: quia tamen nihil scire credebatur, sic humiliter scientiam suam occultabat. Quod igitur sic obediens fuit, et sic parvitatem amavit, Deus eum in omnibus custodivit. ⁵ « Custodiens parvulos Dominus: humiliat autem pec-

catores usque ad terram. » Sed væ inobedientibus et superbis, quos Dominus custodivit (b). Exemplum de Nabuchodonosor, et Antiocho rege. Dixit Samuel de (c) Saul ⁶: « Nonne, cum parvulus esses in oculis tuis, caput in Israel factus es? » Et sequitur ibi ⁷: « Quia sermonem Domini abjecisti, abjecit te Dominus, ne sis rex. » Unde dicitur de Esther, quod ⁸ « quidquid ei Mardocheus præcipiebat, omnia observabat, sicut eo tempore solita erat, quo eam parvulam nutriebat. » Et quia sic fecit, ad regnum exaltari meruit, Vasthi abjecta, quæ obedire contempsit.

Tertio parvuli sunt ad amandum stabiles, et in nullo amori alterius rebelles, sed amant valde se amantes. Videmus enim non solum in Exemplum. parvulis hominum, sed in parvulis animalium, asinarum, et maxime equarum, quod quamdiu sunt parvuli, mirabili affectu parentes sequuntur, et amant plurimum, et amantur. Sed, si ad maturam ætatem perveniant, nec parentes de filiis, nec filii de parentibus curant. Aquila sic pullos, quamdiu sunt parvuli, diligit, quod tota infirmatur in eis, et præ amore languescit: quos tamen adultos omnino repellit, et secum habitare non sinit ⁹. Igitur manifestum est his exemplis, quod parvuli de sua natura sunt habiles ad amandum, sive ut ament, et amentur. Unde videmus, quod parvuli ab omnibus amplexantur, et ab omnibus in collo feruntur: in quo ipsi valde gratulantur. Unde dicitur quod Dominus complexans parvulos, et imponens illis manus, benedicebat eis. Unde et dicebat eis ¹⁰: « Sinite parvulos venire ad me, et nolite eos prohibere; » quasi diceret: Quid eos prohibetis? tales sunt, qui diligunt me. Unde cantat Ecclesia in persona Domine nostræ ¹¹: *Dum essem parvula, placui Altissimo*, etc. Quia ergo B. Antonius parvulus per humilitatem fuit, et multum Christum amavit, ideo multum ab eo amatus fuit. Unde tanto fervore de passione Domini prædicabat, quod quasi crucifixus omnibus apparebat. Ita ut posset dicere cum Apostolo ¹²: « Christo confixus sum cruci. » Exemplum habetur in Legenda ¹³, quando de titulo crucis dominicæ prædicabat. Sed hodie nulla est charitas, quia nulla est parvitas: imo val-

affirmatur, quantum ad effectum præsertim. — ¹⁰ *Matth.*, XIX, 14. — ¹¹ *Offi. B. M. Virg.*, noct. 1, resp. 2. — ¹² *Gal.*, II, 19. — ¹³ *Sur.*, ubi sup.

(a) *Leg.* in tantum. — (b) *Leg.* non custodit. — (c) *Leg.* ad.

¹ *Rom.*, I, 22. — ² *Prov.*, XI, 2. — ³ *Gal.*, IV, 1. — ⁴ *Sur.*, in *Vit. Sanct.*, die 3 Jun. — ⁵ *Psal.* CXIV, 6. — ⁶ *I Reg.*, XV, 17. — ⁷ *Ibid.*, 23. — ⁸ *Esth.*, II, 20. — ⁹ *Plin.*, *Hist. natur.*, lib. X, c. III. Idem de gallina

les (a) laborant elevari in colles, et colles in altissimos montes. Hodie de villissimis usurariis fiunt milites, et pauperes sublimantur in principes et barones. Sed dicitur ¹: « Dejecisti eos, dum elevarentur. » Augustinus ²: « Non dicit: Dum elevati essent; sed: *dum elevarentur.* » Unde dicitur ³: « Ecce parvulum dedi te in gentibus, contemptibilem inter homines. » Contemptibilis tu es valde; sed ⁴: « superbia cordis tui extulit te in scissuris petrarum exaltantem solium tuum; qui dicis in corde tuo: Quis trahet me deorsum? Sed (b) si exaltatus fueris ut aquila, et inter sidera posueris nidum tuum, inde detrahā te, dicit Dominus. »

Quarto parvuli sunt ad indulgendum perfaciles: mox enim verberati, de collo depositi, et repulsi, mox ad amplexus redeunt vocati. Nam et canes adeo domino sunt fideles, quod, quantumcumque exasperati, verberibus affecti, foras repulsi, mox redeunt vocati, quasi nihil omnino sint passi. Sic et parvuli non sunt malevoli, sed ad injurias relaxandas promptissimi. Unde dicebat Apostolus ⁵: « Malitia parvuli estote, » sine malevolentia, sicut est puerilis natura. Tales enim nihil habent impietatis, nihil crudelitatis. Et, quia B. Antonius eo modo, quo dictum est, parvus fuit, sicut corde humilis, et habitu vilis, sic in omnibus totus fuit pius et dulcis. Unde, quamvis haberet prudentiam serpentinam, habebat tamen dulcedinem columbinam, nulli corde detrahens, neminem ore lædens, opere nullum offendens. Sciebat enim apostolum dixisse Petrum ⁶: « Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo, quod detrecant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum. » Sed in mundo quis hodie parvulus? quis, ut parvulus, pius? Regnat in mundo crudelitas, et repulsa est foris pietas. Sunt similes homines avibus viventibus de rapina, quæ nullum diligunt: omnium societatem fugiunt, omnes, quos possunt, invadunt, nulli pareunt, pacem nunquam querunt, qui sine guerra vivere non possunt. Sicut et multi sunt hodie, qui, quia pauperes sunt, ut prædari alios valeant, guerras concitant, pacem aliorum exturbant, et, ut nunquam pax fiat, pro posse laborant. Sed caveant, ne contingat finaliter eis, sicut contingit accipitri prædatori: dum enim

stellio, animal parvum, in rimula sua quiescit, dum supra se accipitrem volare prospicit, quando eum occulta vi ad se trahit, et eum discerpens, avibus ad manducandum exponit. Quasi enim diceret: Ecce tu in prædam datus es aliis, qui cæteros prædatis. Nunquam enim vidi, imo vix audivi hominem prædatorem, fratrum suorum oppressorem, bene vitam finire: quia ⁷ « qui ferit gladio, gladio peribit. »

Quinto parvuli sunt ad accipiendum veloces: nunquam ita plorant, quin statim currant et rideant, si quis eis pulchrum pomum porrigat, vel denarium album offerat. Valde enim munuscula amant; quæ si ablata eis fuerint, plorant. Beatus ergo Antonius, quia verus parvulus erat, ad cœleste regnum sibi promissum totis affectibus aspirabat. Sæpe ad illud oculos elevabat, et pro accipiendi desiderio irremediabiliter flebat. Sciebat enim, quod juxta mensuram parvitalis in via, erat mensura felicitatis in patria. Unde, cum discipuli quærent a Domino ⁸: « Quis putas major est in regno cœlorum? Ille advocans parvulum, statuit eum in medio, et dixit: Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumque igitur se humiliaverit sicut parvulus iste, hic erit major in regno cœlorum. » Quid igitur, fratres charissimi, per diversa nitimini? quid laboratis in ventum? Nisi, superbia deposita, efficiamini parvuli, regnum non accipietis æternum: et tanto ibi majorem obtinebitis locum, quanto hic esse poteritis parviores. Nam et vapor, quanto magis ab imo surgit, tanto plus in altum ascendit. Unde vapor resolutus a terra, quæ loco est infima, vapore qui resolvitur ab aqua, sublimius elevatur.

Nunc ultimo prædicabitur de fama Sancti, quam excelsus in cœlo, quam famosus in mundo. Unde hic ponenda sunt ejus miracula, et populo prædicanda. Ego unum referam, quod legi ipsum fecisse in vita. Dum enim, ad quemdam mortuum ut prædicaret, invitatus a parentibus esset, hoc in thema proposuit ⁹: « Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum; » deinde addidit, quod cum mortuus non Deum, sed aurum amaverat, cor ipsius non erat in eo, sed cum ipsis denariis in marsupio. Cumque illi diligenter inquirerent, non in ipso, sed in ipso

— ⁷ *Matth.*, xxvi, 52. — ⁸ *Ibid.*, xviii, 1-4. — ⁹ *Ibid.*, vi, 21.

¹ *Psal.* lxxii, 18. — ² *Aug.*, *Enarr. in Psal.* lxxii, n. 24, quoad sensum. — ³ *Jerem.*, xlix, 15. — ⁴ *Abd.*, 3. — ⁵ *1 Cor.*, xiv, 20. — ⁶ *1 Petr.*, ii, 12.

(a) *Cæt. edit.* valde. — (b) *Vulg.* detrahēt me in terram?

marsupio cor hominis invenerunt ¹. Rogemus ergo Dominum, etc.

SERMO II.

Invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ ². Scribitur autem ³: « Qui indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non impropertat, et dabitur ei. » Qui enim aliquo indiget, quod potest habere, si non petat, negligentia potest argui, si a donatore illud non postulat. Non est enim res petenda ab eo, qui non habet, sed ab eo, qui possidet. Numquid a ficu uvæ petendæ sunt, vel ficus a vite? Cum igitur « omnis sapientia sit a Deo, » ut habetur ⁴, et ipse sit summe largus, omnibus eam dare paratus, ab eo solo sapientia ab omnibus est petenda. Quod beatus Antonius dum cognovit, dum sapiens esse appetiit, sapientiam a Domino postulavit, et quam postulavit, accepit. Unde bene dicit: *Invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ*. In quo verbo principaliter notantur duo: primo, ejus devotus affectus, quem habuit, Deum affectuosius exorando; secundo, orationis utilitas, sive fructus, quem obtinuit, sapientiam petendo. Nam affectus præveniens notatur, eum dicitur: *Invocavi*, id est, intus oravi; sed fructus consequens notatur, eum additur: *Et venit in me spiritus sapientiæ*. Verum quia plura de oratione recolo me dixisse, nunc de fructu, quæ est ipsa sapientia, qua anima fit tota sciens et sapida: non est enim aliud sapientia, quam scientia saporosa. Unde de ipsa aliquid est dicendum. Est igitur hic notandum, quod beatus Antonius habuit in se scientiam omnium antiquorum, scilicet angelorum, quæ consistit in ministrando; patriarcharum, quæ est similis sapientiæ viatorum; prophetarum, quorum est providere futura, et nuntiare; apostolorum, quæ similitudinem habuit eum sapientia mereatorum; martyrum, quæ similitudinem habet eum sapientia pugnantium; confessorum, sive doctorum, quæ est sapientia magistrorum; virginum, quæ consistit in fugiendo mala, et consortia hominum.

Primo dicamus, quod ipse habuit scientiam angelorum, quæ consistit in ministrando. « Omnes enim sunt administratorii spiritus, » sicut dicitur ⁵. Dicitur autem ille minister sapiens, qui voluntatem Domini prudenter intelligit,

fideliter complet et perficit, et qui Dominum, eum iratus est, placare novit. Tales fuerunt angeli in principio suæ conversionis ad Deum, quando, malis superbientibus angelis, et ideo de cælo ruentibus, sancti angeli, dum voluntatem Domini adverterent, ad Deum fideliter conversi sunt, et iram ejus obsequio humili placaverunt. Scriptum est enim ⁶: « Ubi superbia, ibi contumelia: » hoc, quantum ad angelos malos; sed « ubi humilitas, ibi et sapientia: » et hoc, propter bonos. Beatus ergo Antonius, tanquam minister bonus, et Deo fideliter ministravit, et ejus iram erga se et alios suis precibus mitigavit. Unde de eo potest exponi illud ⁷: « Indignatio regis, nuntii mortis: et vir sapiens placabit eam. » Sed quis hodie est, qui sic Deo ministret, ut iram ejus placet, et non potius provocet? Mala sunt eorda, plena discordia, odio venenosa, in omnibus fraudulenta. Mala sunt nostra verba, maledica, detractoria, ad malum induceantia, vana insuper, et mundana. Et mala sunt opera, ut probant latrocinia, homicidia, et adulteria, et similia, etc. Sed nunquam ex talibus Dei ira placatur, sed potius provoeatur. « In omnibus his, » inquit Isaias ⁸, « non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta est. » Ergo essent facienda opera, et dicenda verba, per quæ divinus impetus placaretur. Si enim ⁹ « verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos, » imo et tyrannos crudelitibus assuetos, quanto magis placatur his Deus, qui ex natura totus dulcis est, et benignus? Nam ¹⁰ apud Athenas quidam tyrannus, nomine Dionysius, imperabat, de quo cum in quodam convivio quidam de ipsius actibus malis nimium murmurassent, apud eum sunt accusati. At ille furore plenus, eis vocatis, si vera esset relatio, requisivit. Tunc unus jucunde ait: « Nisi nobis vinum defecisset, nihil est quod diximus, in comparatione ejus quod dixissemus. » Tunc ille risit, et placatus est. ¹¹ « Qui sapiens est corde, et duleis eloquio, majora recipiet. »

Secundo beatus Antonius habuit sapientiam patriarcharum, quæ est similis sapientiæ viatorum. Dicitur enim sapiens viator, qui novit rectam viam tenere. Sed ille dicitur sapientior, qui novit viarum pericula declinare. Ille vero dicitur sapientissimus, qui, ubi nec via, nec

¹ Sur., *Vit. Sanct.*, 13 Jun. — ² *Sap.*, VII, 7. — ³ *Jac.*, I, 5. — ⁴ *Eccli.*, I, 1. — ⁵ *Hebr.*, I, 14. — ⁶ *Prov.*, XI, 2. — ⁷ *Ibid.*, XVI, 14. — ⁸ *Isa.*, VIII, 25. —

⁹ *Eccli.*, VI, 5. — ¹⁰ *Valer. Max.*, lib. V, c. 1, extern. 3, hoc exemplum narrat de Pyrrho, non de Dionysio, ut hic habetur. — ¹¹ *Prov.*, XVI, 21.

semita est, novit iter suum dirigere. Tales fuerunt patriarchæ, qui nondum apparente via præceptorum, quæ in lege Moysi fuit data, nec semita consiliorum, quæ per Christum in Evangelio ostensa est, terram tamen propriam dimiserunt, et consanguineos reliquerunt, et viam scrutari cœperunt, qua iretur ad cœlum. Nam, sicut habetur in Genesi ¹, et apostolus Paulus meminit ², Abraham vocalus obedivit exire in locum, quem in hæreditatem acceperat, et exiit nesciens quo iret. Talis revera fuit beatus Antonius, dum relicto ordine, in quo erat, fratribus adhuc quasi mundo ignotum totaliter se commisit, et relictis domesticis extraneis, adhesit, ut esset ille, de quo dicitur ³: « Vir sapiens dirigit gressus suos. » Sed quis hodie sanctum hunc sequitur? Ecce, charissimi, certa est via, nota omnibus semita, cœli janua est aperta, data sunt præcepta, proposita sunt divina consilia; et tamen non est, qui teneat ea, sed omnes divertunt a via. ⁴ « Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. » Vere sunt homines nostri temporis similes vulpi, quæ nunquam recta vadit, sed semper tortuosis gressibus incedit. Adeo enim sunt tortuosæ viæ hominum hodie, ut necesse sit eis errare. Unde de hoc posset exponi illud ⁵: « Tria sunt mihi difficilia, et quartum penitus ignoro: Viam aquilæ in cœlo, viam colubri supra petram, viam navis in medio maris, et viam juvenis in adolescentia sua. » Omnia ista, sicut ad sensum patet, tortuose vadunt, nunc huc, nunc illuc se divertunt, et nunquam recto itinere procedunt. Certe sic et homines hodie, derelicta via Dei, quæ est tota recta, viam sequuntur serpentis antiqui, et hujus sæculi vanissimi, quæ tota est tortuosa, quamvis eis videatur recta. Unde dicitur ⁶: « Est via quæ videtur homini recta, sed novissima ejus ducunt ad mortem. »

Tertio beatus Antonius habuit scientiam prophetarum, quorum est prævidere futura, et ea populis nuntiare. Talis enim fuit revera beatus Antonius, dum per se Paduanam civitatem sublimandam esse prævidit, dum etiam canonico socio improperant: « Vade, vade, quia forsitan sanctus eris, » prophetans sic respondit: « Dum me sanctum audieris, Deum utique collaudabis. » Lege hæc attentius in Legenda ⁷, quæ sunt

breviter hic inserta. Vere enim beatus Antonius spiritualiter gallus fuit cantans in die, cantans in nocte, et a divinis laudibus et a prædicatione non cessans. Unde de eo potest exponi illud ⁸: « Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? aut quis dedit gallo intelligentiam? » Magnæ enim sapientiæ et intelligentiæ gallus fuit, dum, ad modum galli, suis cantibus ægros spiritualiter confortavit, et malos et impios attrivit, lapsos reparavit, fessos fortificavit. Nam et ad cantum galli, sicut dicitur ⁹, ægri confortantur, latro latronis absconditur, et lapsis fides revertitur. Sed non sunt hodie tales nostri speculatores, nostri rectores, nostri majores, quia populis subditis non solum non prævident futura, sed nec ordinant præsentia: quia non sunt sapientia illuminati, sed sunt cæci, omni lumine veritatis destituti. Unde de eis dicitur ¹⁰: « Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universa: canes muti, non valentes latrare, videntes vana. » Tales enim non attendunt mala, quæ in civitatibus fiunt, quia cæci sunt. Canes enim muti ad nihil utiles sunt: unde nec pane digni sunt.

Quarto beatus Antonius habuit sapientiam apostolorum, quæ similitudinem habet cum sapientia mercatorum; ipsi enim sunt, qui titulo emptionis emerunt regnum cœlorum. ¹¹ « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Et ait illis Jesus: Vos, qui reliquistis omnia, centuplum accipietis, et vitam æternam possidebitis. » Optima revera mercatio, ubi pro parvis dantur magna, pro corruptibilibus incorruptibilia, et pro caducis æterna. Bonus mercator ille homo, qui novit merceptionem suam sine damno deducere; sed sapientior ille, qui novit ex paucis multa acquirere: sed ille sapientissimus haberetur, qui sciret quasi ex nihilo bona inestimabilia comparare. Tales revera fuerunt Apostoli, dum pro nobis terram desiderabilem invenerunt. Certe hæc sapientiam apostolorum imitatus fuit beatus Antonius, dum propter regnum cœlorum omnia reliquit, et pauperem virum Franciscum, imo Dominum Jesum secutus per omnia fuit: sciebat enim, quod hæc sapientia omnia præcederet mundi bona, juxta illud ¹²: « Beatus, qui invenit sapientiam, et affluit prudentia: melior est, » inquit, « acquisitio ejus negotiatione

¹ Gen., XII, 1. — ² Hebr., XI, 8. — ³ Prov., XV, 21. — ⁴ Psal., XIII, 3. — ⁵ Prov., XXX, 18-19. — ⁶ Ibid., XIV, 12. — ⁷ Sur., ubi sup. — ⁸ Job, XXXVIII, 36. —

⁹ Ambros., *Hexæm.*, lib. V, c. XXIV, n. 88, et *Offic. Dominic.*, ad Laudes. — ¹⁰ Isa., LVI, 10. — ¹¹ *Matth.*, XIX, 27-28. — ¹² *Prov.*, III, 13.

auri et argenti. » Et ibidem dicitur ¹ : « Posside sapientiam, quia auro melior est : et accipere prudentiam, quia melior est argento. Et de hoc habetur satis in *Sapientia* ². Sed, quis hodie hanc sapientiam quærit, et non potius eam abjicit, et toto posse divitias quærit? Unde dicitur ³ : « Filii Agar exquisierunt sapientiam (a) quæ de terra est, negotiatores Merrhæ (b). » Filii Agar sunt omnes mali Christiani, qui a Christo, vero patre, et ab Ecclesia, vera matre, facti sunt alieni : et, ommissa sapientia Christi, toto posse quæruni divitias mundi. Quis hodie est sanctus mercator, qui ad lucrandum regnum cælorum se toto corde disponat? Sed potius auri et argenti mercatores sunt hodie, non solum, ut olim, personæ viles, sed milites, barones, et principes : tales omnes, contra mereationem apostolorum, pro vilibus dant pretiosa, pro terrenis cælestia, pro transeuntibus æterna et summa bona. Et quid hoc est stultius? Nobilissimi Romani, ut humanam possent consequi gloriam, in omnibus contemnebant humanam pecuniam. Nam ⁴ cum, Pyrrho rege devicto, Manius Curius, victor ejusdem, Macedonum opibus paupertatem Romanam satiasset, et divitias magnas Romanis præbuisset, nullo modo suos parentes fecit locupletiores, optime secum actum credens esse, si alii ex victoria sua pecuniam, ipse gloriam occupasset. Ergo, si propter gloriam vanam eitissime perituram sic potuerunt viri pagani contemnere mundi bona, quid Christianis faciendum esset propter æternam gloriam omnibus bonis plenam? plus quam exprimi valeat ulla lingua.

Quinto beatus Antonius habuit sapientiam martyrum, quæ est sicut scientia pugnatorum. Nam ille sapiens pugnator fuit, qui novit adversariorum insidias declinare; ille sapientior creditur, qui novit adversarios expugnare; sed ille sapientissimus habetur (c), qui per ipsas hostium manus nosset de hostibus triumphare. Talis revera fuit sapientia martyrum pugnatorum, qui, servientibus sibi manibus hostium, meruerunt pertingere ad triumphum. Quis enim fabricavit coronam Stephano, nisi manus lapidantium? Quis Laurentio, nisi manus assantium? Quis Andree et Petro, nisi manus crucifigentium? Quis

Bartholomæo, nisi manus exeoriantium? Et sic de aliis est intelligendum. Unde dicitur ⁵ : « Melior est sapientia, quam arma bellatorum (d). » Hanc sapientiam vir Dei Antonius habuit, cum martyrium sic desideravit, sic animose quæsivit, et sic ad patiendum omne quod potuit fecit : quem Deus tamen ad aliud ordinavit, sicut ipsa *Legenda* ostendit ⁶. Qui enim optabat bellare cum pœnis, datum est sibi, ut bellaret cum vitiiis : quod, secundum Gregorium ⁷, quoddam martyrii genus existit. Unde de eo potest dici illud ⁸ : « Certamen forte dedit illi, ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia. » Et item dicitur ⁹ : « Melior est sapientia quam vires : et vir sensatus melior, quam fortis. » ¹⁰ « Nobile genus vincendi est, per patientiam vincere. » Sed, quis hodie patiens ad portandum, non dico martyrium, sed modicum verbum? Confundunt impatientiam nostram paganorum exempla. Nam ¹¹ quidam fuit Romanorum nobilissimus consul apud eos, et maximus, sed aliquando ab æmulis accusatus, et ab eis fuit expulsus. Qui, patriam egrediens, et ad extraneam gentem perveniens, regi patriæ se præsentare volens, ad ejus palatium ivit. Cumque intrare ad eum non posset, in nullo turbatus, verbum memoriæ dignum, et maximæ patientiæ ostensivum dixit ad socium : « Oportet, inquit, nos patienter hoc ferre : quia nos, dum in dignitate nostra essemus, sæpe talia aliis fecimus. » Ergo non debet facere Christianus quod fecit paganus?

Sexto beatus Antonius habuit sapientiam confessorum, sive potius sanctorum doctorum, quæ est sapientia magistrorum. Sapiens enim doctor ille dicitur, qui prudenter docet suos scholares; sapientior ille, qui docet unam totam provinciam; sed sapientissimus ille, qui docet omnem terram. Item sapiens doctor est, qui docet in aliquotempore, sicut in hyeme tota; sed sapientior, qui docet in tota vita; sed sapientissimus, qui sic doceret in ista, ut esset sibi, et aliis utilis in futuro. Talis revera fuit Antonius, qui primo docuit se, vigilando, orando, jejunando, et carnem servire spiritui cogendo. Secundo, docuit proximum, non tantum in uno loco, sed undique per circuitum : non ea tantum, quæ vale-

¹ *Prov.*, IV, v. — ² *Sap.*, VII et VIII. — ³ *Bar.*, II, 23. — ⁴ *Valer. Max.*, lib. IV, c. III, n. 5. — ⁵ *Eccle.*, IX, 18. — ⁶ *Sur.*, ubi sup. — ⁷ *Greg.*, *Dialog.*, lib. III, c. XXXII, col. 37. — ⁸ *Sap.*, X, 12. — ⁹ *Ibid.*, VI, 1. — ¹⁰ *Greg.*, in *Evang.*, hom. XXXV, n. 6. — ¹¹ *Valer.*

Max., lib. IV, c. 1, n. 3, narrat hujusmodi exemplum de Dione Syracusano, non de Romanorum nobilissimo consule.

(a) *Vulg.* prudentiam. — (b) *Cart. edit.* terræ. — (c) *Leg.* haberetur. — (d) *Vulg.* bellica.

rent in hac vita ad meritum, sed quæ valerent in futuro ad præmium, et ad evadendum infernale supplicium. Et propterea de eo potest exponi illud ¹: «Scientia sapientis quasi inundatio abundabit, et consilium ejus quasi fons vite permanet. «Sed quis hodie est, qui sic proximum doceat, qui sic de bono animæ consulat, et non potius vana quærat, vana amet, et vanis omni tempore deserviat? Statim modo ut nati filii cognoscere incipiunt, statim instruuntur ut vanis intendant, et mundanis assuescant, et computare discant. Quis unquam modo docet filium ut Deo serviat, ut ad ecclesiam vadat, ut mundum relinquat? Heu! dolendum, et plorandum est valde, quia pagani olim filios et filias tradebant templis dæmonum, quos colebant, et ibidem omni tempore servire statuebant; sed Christiani, servi emptitii, Christi sanguine comparati, volunt filios suos magis servire mundo, quam Christo; magis crudelissimo tyranno, quam vero et piissimo Domino. Sunt enim omnes tales lupis similes: qui filios suos adultos docent ad prædam, et instruunt ad insidias canibus et ovibus faciendas.

Septimo beatus Antonius habuit sapientiam virginum, quæ consistit in fugiendo vana, et fugiendo hominum consortia, in vitando verba scurrilia, et omnia quæ possunt lasciviæ esse causa. Hoc perfecte fecit Antonius, dum mundum penitus fugit, et religionem elegit, non aliquem locum verbis, vel aspectibus dereliquit; sciebat enim esse scriptum ²: «Sapiens cor et intelligibile abstinebit se a peccatis,» id est, non solum ab opere peccati cavebit, sed et ab omnibus causis abstinebit inducentibus ad peccatum. Unde opus veræ pœnitentiæ est, causas peccatorum excidere, et eis aditum ultro non indulgere. Exemplum de Dina, filia Jacob, quæ, quia se intra tabernaculum non continuit, sed ad videndum vana foris exivit, et alterum in suam concupiscentiam inflammavit, ipsam virginitatem perdidit, et tota civitas, propter eam, destructionem incurrit. Lege historiam ³. Ob hanc enim causam apud Romanos ⁴ mulier illa reputabatur incorruptum gerere animum, quæ non egrederetur in publicum; et quæ, post primum, secundum non contraheret matrimonium, continentię habere virtutem. Et, ut nullam incontinentię sibi occasionem darent, nunquam

bibebant vinum ⁵, sed tantum erat apud eas continentię bonum, ut nullum timeretur apud eas adulterium. Magna confusio Christianis, apud quos sunt prandia, sunt vina varia, sunt verba et opera vana, omnia ad luxuriam provocantia: et ideo apud nos nulla continentia, sed adulteria, supra innumerabilia. Rogemus ergo.

DE S. JOANNE BAPTISTA.

SERMO PRIMUS ⁶.

Dedi te in lucem Gentium ⁷. Quid luce nobilior, quæ est naturaliter in summo omnium constituta, rerum omnium contentiva, et rerum omnium pulchrificativa? Sed hic est notandum, quod lux uniformiter non in omnibus est corporibus; sed aliter est in solari substantia, aliter in luna, aliter est et in alia qualibet stella cœli. Nam in sole lux est plenissima et inaccessibilis, propter suam excellentiam; in luna lux est incomprehensibilis, propter ejus abundantiam; sed in quacumque alia stella est visibilis, propter sui temperantiam. Lux ergo solaris, nobis inaccessibilis, maxime Christi est figurativa; lux lunaris, nobis incomprehensibilis, signat maxime Virginem gloriosam, quæ a Christo, vero Sole, illuminata, est noctis illuminativa, et aliarum quasi stellarum obscurativa; lux vero stellaris visui nostro comprehensibilis, et minor supradictis, est sanctorum signativa. Unde, cum sol sit unus, quia unus est Dominus; et luna una, quia mater Dei est unica; stellæ tamen sunt innumeræ, quia innumerabiles sunt sanctorum personæ. Unde, licet omnes sancti in luce possint figurari, quia omnes fuerunt lucidi et præclari, Joannes tamen, quodam privilegio speciali, qui et ⁸ «lucerna ardens et lucens fuit,» ⁹ «in mundum venit, ut testimonium perhiberet de lumine.» Bene ergo Dominus de eo in sua persona dixit Isaræ: *Dedi te in lucem Gentium*. In quo verbo maxime tria notantur: primum, ex parte Domini largientis; secundum, ex parte nuntii relucens; tertium, ex parte populi proficientis. Nam ex parte Domini notatur liberalitas, qua suum præconem ad magna levavit. Ex parte nuntii, sive servi, notatur sublimitas, qua refulsit. Sed ex parte populi notatur utilitas, qua perfecit. Notatur igitur primo Dei liberalitas, cum dicitur: *Dedi te*. Notatur

¹ *Eccli.*, XXI, 16. — ² *Ibid.*, 32. — ³ *Gen.*, XXIV, 1 et seq. — ⁴ *Valer. Max.*, lib. II, c. 1, n. 3. — ⁵ *Ibid.*, n. 5. — ⁶ Hunc et novem sequentes habet quoque

edit. Hageno. an. 1196. — ⁷ *Isa.*, XLIX, C. — ⁸ *Joan.*, V, 35. — ⁹ *Ibid.*, 1, 5.

secundo Joannis sublimitas, cum additur: *In lucem*. Notatur tertio populi utilitas, cum infertur: *Gentium*. Notandum est ergo ad præsens, quod Joannes lux fuit, et quia veram lucem prævenit, et quia veram lucem annuntiavit, et quia prædicando, baptizando, docendo, mundum illuminavit. Lux enim, ut ex multis pauca dicam, est natura impassiva, est natura directiva, est natura confortativa, est natura arguitiva, et est natura inflammativa. Est impassiva, per extraneam actionem; est confortativa, per virium corroborationem, et visus delectationem; est directiva, per radiorum expansionem; est arguitiva, per rerum occultarum manifestationem; est inflammativa, per radiorum repercussionem et multiplicationem.

Dico, quod lux est in seipsa natura impassiva, nulli passioni supposita. Probat enim Philosophus, quod illa celestia corpora, quæ sunt ex luce formata, nullius peregrinationis sunt susceptiva. Ubi autem actio non est, passio non potest esse, quia omnis passio ab actione est. Ergo manifestum est, quod illa corpora sunt impassibilia, et incorruptibilia. Beatus ergo Joannes fuit lux impassiva per mentis et carnis integritatem, et cam, quam semper servavit, virginitatem, tam mente, quam carne. Hoc autem ex hoc apparet, quod parvulus desertum intravit et semper ab omnibus vanis remotus vixit. Unde dicitur ¹: « Puer autem erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel. » Unde de eo cantat Ecclesia ²:

Antra deserti teneris sub annis
Civium turmas fugiens petisti,
Ne levi saltem maculare vitam
Famine posses...

Quia igitur donum incorruptionis semper tenuit et servavit, lux incorrupta et impassibilis fuit. Lux enim solaris nunquam deficit, sed semper in sole lumen existit. Unde dicitur, loquendo de sapientia increata ³: « Proposui, » inquit, « pro luce habere illam: » eo quod sicut lumen lucis est inextinguibile, sicut apparet in sole, sic et lumen sapientiæ. Sed quis est hodie lux incorrupta, lux pura, lux immaculata? Lux enim, etiam si per sordes transcat, nullas contrahit maculas: ergo illi non sunt lux munda, sed tenebra, qui (a) ex verbis, et factis, et ex signis contrahunt immunditiam. Miro modo detestabantur antiqui,

et puniebant gravissime corporis voluptates, cum sint animæ infectivæ, corporis vero debilitativæ, et vitæ diminutivæ, et mortis accelerativæ. Unde ⁴ Fabricius, Romanorum nobilissimus, cum apud Pyrrhum regem pro Romanis esset legatus, audivit quemdam referentem, quod philosophus quidam Atheniensis diceret omnia esse facienda propter corporis voluptatem. Quod cum audisset, adeo detestatus est, ut pro monstro illam sententiam haberet. Dixitque regi: « Quamvis Athenienses de sua doctrina gloriantur, valde tamen in hac sententia falluntur. » Quod eventus ipse probavit. Nam urbs ipsa, postquam voluptati se dedit, imperium maximum, quod tenebat, amisit: et urbs illa, scilicet Roma, quæ se laboribus occupavit, imperium ejus obtinuit. Illa per luxuriam tueri non potuit, quod ista per continentiam occupavit. Ad sensum videmus, quod viri luxuriosi, et deliciis dediti, fiunt totaliter effœminati, ad bella omnino inepti, quia mucronem prius fugiunt, quam ab adversario extrahatur. Nulla est alia causa, quare Italici nostri ultramontanos fugiunt, et defensionem non faciunt, cum sint plures illis, corpore pulchriores, artibus fortiores, nisi quia deliciis dediti, timent capi, timent vulnerari, timent occidi.

Secundo lux est debilium confortativa, et visus directiva; unde Philosophus dicit, quod in ascensu solaris lucis usque ad mediam diem confortantur et crescunt vires in corporibus animalium, quæ in descensu ejus ad occasum decrescunt, et resolvuntur in somnum. Videmus etiam quod ad præsentiam lucis confortantur itinerantes, confortantur navigantes et ægrotantes. Lux etiam miro modo visum delectat, quando se illi contemperat. Unde Ecclesiastes ⁵: « Dulce lumen, et delectabile est oculis, videre solem. » Joannes ergo fuit lux confortativa, dum ad penitentiam populos exemplis et operibus animavit: nam et prædicationem suam a penitentia inchoavit, sicut habetur in *Matthæo* et in *Luca* ⁶, ubi dicitur quod « venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum penitentiae in remissionem omnium peccatorum. Parate, » inquit, « viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. » Ecce quomodo confortabat omnes in generali, confortabat in speciali turbas ad eleemosynas, pu-

¹ *Luc.*, 1, 80. — ² Hymn. ex Paul. Diacon. — ³ *Sap.*, VII, 10. — ⁴ Cic., in *Catonæ*; Plutarch., in *Pyrrho*;

Valer. Max., lib. IV, c. III, n. 6. — ⁵ *Eccle.*, XI, 7. — ⁶ *Matth.*, III, 2; *Luc.*, III, 3-4.

(a) *Curt. edit.* qua.

blicanos ad justitiam, milites ad misericordiam; nam, sicut habetur in *Luca* ¹, « interrogabant eum turbæ, dicentes : Quid faciemus et nos? quibus dicebat : « Qui habet duas tunicas, unam det non habenti : et qui habet escas, similiter faciat. Dicebant et publicani : Magister, quid faciemus? Quibus ille : Nihil aliud, quam quod constitutum est vobis, » id est ea, quæ recepistis, fideliter et juste tractetis. Item militibus quærentibus : « Et nos quid faciemus? Ait : Neminem conculcatis, neque alteri calumniam faciatis, et estote contenti stipendiis vestris. » Vide quomodo omnes in generali, et in speciali confortabat. O quam felices turbæ, mercatores et milites, si doctrinam hanc observarent! Sed quis est, qui de duabus tunicis, imo de minimis (a) et variis, det unam non habenti? Quis est, qui juste et sine fraude mercationes faciat, et qui in aliena bona sibi commissa turpiter non invadat? Quis est ex majoribus, qui minoribus calumniam non faciat, qui servos non conculcat, qui suis stipendiis contentus existat? Utinam officiales nihil acciperent ultra suum! Sed omnes quidem furantur, et rapiunt; et qui plura rapit, melior et sapientior reputatur, etc.

Tertio, lux est natura arguitiva per rerum occultarum manifestationem : dum enim lux tenebras pellit, occulta detegit et abscondita manifestat : latrones et adulteri tenebras quærunt, latere volunt : et ideo lucem fugiunt, et odiunt ad modum rubete. Est enim rubeta quædam rana venenosa, quæ odit loca odorifera, et boni odoris, et diligit foetida et fumosa : et ideo lucem fugit, et tenebras semper quærît, quod omnium maleficiorum (b) officium existit. Unde dicitur in *Joanne* ² : « Hoc est iudicium, quia lux in mundum venit, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem; erant enim eorum mala opera. Omnis enim, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur ejus opera mala : qui autem, » inquit, « facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera, quæ in Deo sunt facta. » Fuit ergo Joannes lux arguitiva, qui peccatores graviter arguebat, nullique parcebat : unde dicitur in *Matthæo* ³, quod « videns multos Pharisæorum, et Sadducæorum ab baptismum suum venire, dixit eis : Progenies viperarum, » et

filiî patrum perversorum, « quis monstravit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ. Ecce securis ad radicem arboris posita est : omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in igne mittetur. » Ecce quam graviter arguebat illos, qui videbantur cæteris sanctiores. Non etiam verebatur personam potentis : unde nec Herodi parcebat, sed eum de uxore fratris sui, quam fratre vivente acceperat, graviter arguebat, sicut habetur in *Matthæo* ⁴. Nam et ob hanc causam ab Herode occisus est. Lege historiam totam. O quot inter nos sunt hodie Herodes, fornicatores, aliorum habentes uxores, virginum constupratores, et masculorum concubitores, qui lucem odiant, arguentes fugiunt, prædicatores audire nolunt, sed Joannem, si possent, occiderent! Sed numquid Herodes hoc fecit impune? Non, inquam, sed ipse in exilium relegatus, miserrime vitam finivit cum ipsa meretricula, quam amavit : sed et puellam, quæ saltavit, et caput Joannis petiit, vivam terra absorbit. Dicit tamen quædam historia ⁵, quod dum Herodias caput Joannis teneret, caput ejus in eam efflavit, et protinus in pulverem vertit.

Quarto, lux est natura inflammativa, sive calefactiva per radiorum repercussionem et multitudinem ; dum enim solares radii ad corpus opacum veniunt, dum transire ultra non possunt, ab ipso corpore repercussi retrocedunt, sicut pila, ad murum projecta, cum pertransire non possit, repercussa ab ipso corpore retrocedit. Radii ergo sic repercussi circa corpus illud se multiplicant, et maximum ibi calorem generant. Unde semper major calor est juxta parietem, quam in campo : et major est etiam calor in valle, quam in monte ; quia in valle radii detinentur, ne transeant, cum in monte detineri non valeant. Item ex eadem ratione minor est calor tempore hyemis, quam æstatis : quia in hyeme radii super terram quasi cadunt ex latere, et ultra transeunt, et non ibi subsistunt : sed in æstate cum zenith ⁶, qui est punctus directe positus super caput nostrum, appropinquat sol, et radii quasi diametraliter cadunt super terram, et sic ibi subsistunt, nec ultra procedunt : propter quod calorem efficiunt. Fuit ergo Joannes lux calefactiva et inflammativa in verbis, et operibus, et exemplis :

Rubeta
quid.

¹ *Luc.*, III, 10-14. — ² *Joan.*, III, 19-21. — ³ *Matth.*, III, 7-8, 10. — ⁴ *Ibid.*, XIV, 4. — ⁵ *Niceph.*, *Hist. eccl.*, lib. I, c. XX, ex Joseph. *Antiquit.*, lib. XVI et XVIII.

— ⁶ Zenith punctus est in firmamento directe superpositus capitibus nostris.

(a) *Forte leg.* nullis. — (b) *Forte leg.* maleficorum.

unde de eo dicitur, quod fuit lucerna ardens et lucens : ardens in affectu, lucens in intellectu; vel ardens in corde, lucens in opere; vel ardens quantum ad seipsum, lucens per comparisonem ad proximum. Ipse enim fuit Helias, de quo in *Ecclesiastico* ¹ dicitur, quod « surrexit Helias sicut ignis, et verbum ejus sicut facula ardebat. » Sed vae mundo misero, quia non est hodie, qui hac luce inflammetur; sed sumus nive frigidiores, quæ nunquam calefieri potest. Est quoddam ossiculum in dextro latere rubetæ tantæ frigiditatis, quod in lebetem si miseris, fervere non sinit; et si fervet, statim fervere desinit ². Sic multi non solum in se non sunt calidi, sed adeo frigidi, ut omnes, cum quibus conversantur, infrigidant.

SERMO II.

Joannes est nomen ejus ³. Tantæ excellentiæ fuit beatissimus Joannes, ut plena lingua dici nequeat. Quis enim sic totus sanctus, sic omni tempore vitæ suæ conversatus, sic a Deo commendatus, ut Præcursor hic maximus? Non enim absque rationabili causa Joannes toties appellatus fuit. Ergo bene ad laudem ejus assumitur, ut dicatur : *Joannes est nomen ejus*, quasi vir magnæ gratiæ, vel magnorum meritum. Quamvis igitur ejus altissima merita plene non possimus exprimere lingua, brevitas tamen gratia ex quatuor possumus ostendere altissima esse, scilicet ex parte abundantis gratiæ, quam accepit; ex parte humilis conscientiæ, per quam vilia de se sensit; ex parte asperæ pœnitentiæ, quam semper portavit; ex parte zeli justitiæ, pro qua mori non timuit.

Dico primo, quod beatus Joannes magnorum fuisse meritum ostenditur ex parte abundantissimæ gratiæ, quam accepit. Joannes enim interpretatur *in quo est gratia Dei*, et ut daretur intelligi, quod ejus gratia fuit maxima : nam a tribus, Spiritu sancto dictante, plenus est appellatus, ut ex ore trium testium tam veracium, ejus meritum probaretur fuisse quam maximum. Nam primus impositor nominis, ut de Deo omittam, fuit angelus, qui Zachariæ apprensus, ait ⁴ : « Elisabeth uxor tua pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem. » Lege historiam. Item et hoc ibidem ⁵ : « Cum natus

esset puer, venerunt circumcidere eum; et vocabant eum nomine patris ejus Zachariam. » Quibus obvians mater ejus, sciens quid dixisset angelus, dixit ad illos : « Nequaquam, sed vocabitur Joannes. » Iterum dum innuere patri ejus, quem vellet vocari eum, postulans pugillarem, scripsit, dicens ⁶ : « Joannes est nomen ejus; » et sequitur, quod « mirati sunt universi. » Unde mirati? quia sic ab angelo nuntiante, sic a matre concipiente, sic a patre generante, puer Joannes concorditer est nominatus. Dum ergo toties asserunt eum esse Joannem, ostendunt in eo plenitudinem gratiæ. Sed nos hodie, fratres mei, in culpa concipimur, in peccatis nascimur, in peccatis nutrimur, et in peccatis sæpius nominamur. Unde possumus merito gemere, sicut Innocentius ⁷ dicit, eo quod sit « nostra conceptio culpa, nativitas pœna, et vita mori. » Quotidie morimur, quotidie vitam finimus, quotidie ad mortem tendimus, nec ad punctum stare possumus. Unde ob nostras tantas miseras mos fuit olim in terra, ut in natiuitatibus hominum flerent, eo quod ad pœnas venirent, et in eorum morte gauderent, eo quod mundi mala effugerent. Nota ejus merita : ab eodem angelo, quo Dominus, nuntiatus; a Maria adhuc in utero salutatus; et natus, ab ipsa in brachiis elevatus; et in natiuitate ejus totus mundus gavisus.

Secundo apparet eum fuisse magnorum meritum ex parte humilis conscientiæ, per quam vilia de se sensit. Si enim, juxta sententiam Salvatoris, quæ mentiri non potest ⁸, « omnis, qui se humiliaverit, exaltabitur, » ergo qui se magis humiliat, magis exaltabitur; et qui maxime, maxime. Sed beatus Joannes summe humilis fuit, vilia maxime de se sensit, vilia de se prædicavit, vilia de se quærentibus respondit. Hæc omnia probantur per *Joannem* ⁹. Cum enim Joannes tantus esset, quod crederetur a multis Messias, requisitus a sacerdotibus et Levitis, se non esse Christum, nec Heliam, nec prophetam, respondit; sed vocem se esse dixit, quasi dicat : Quid in me erratis? Christi Dei Verbum manet in æternum; sed vox deficit. Et post multa, quæ humilitatem ejus sonant, cum dicebant ei : « Quare baptizas, si tu non es Christus? » dixit : « Ego baptizo vos aqua : medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis : ipse est, qui post me venturus est, qui ante me fac-

Homini
nativitas
cur la-
genda.

Morve-
tus.

Jo:nes
quid.

¹ *Eccli.*, XLVIII, 1. — ² *Plin.*, lib. XXXII, c. v. — ³ *Luc.*, 1, 63. — ⁴ *Luc.*, 1, 43. — ⁵ *Ibid.*, 59, 60. — ⁶ *Ibid.*, 63. — ⁷ Innocentius III, *de Contempt. mundi*,

c. 1, quoad sensum. — ⁸ *Luc.*, XIV, 11. — ⁹ *Joan.*, 1, 19-36.

tus est, ejus ego non sum dignus solvere corrigiam calcamenti, » etc. Et plura addidit de sua humilitate ibidem. Ergo, quia sic in summo humilis fuit, summe exaltari promeruit. Sed quis hodie humilis cum Joanne? quis non superbus cum Herode? quid hodie mundus, nisi superbia? Unde discordiæ? unde guerra? unde rixæ? unde incendia? unde homicidia? unde furta? unde adulteria? unde omnia mala, nisi ex superbia, quæ divina parvipendit imperia, divina refugit præmia, nulla infernalium formidat supplicia? Utinam attenderent miseri quod eorum gloria est sicut palea igne succensa, quæ ad ictum oculi tota combusta, nec etiam viles cineres derelinquit. Sunt enim sicut aqua defluens, quæ prius dissolvitur, quam tangatur. Multum erigitur et inflatur spuma maris; sed mox evanescit, modico vento facta. Unde vobis, filii superbiæ, tanta de vita fiducia? Numquid non corpus humanum fragilius est, quam vitrum, quia vitrum solo concussu alterius corporis rumpitur, sed hominis corpus modis innumeris frangitur? Sed numquid confidis in pecunia? Sed ubi mundi divites? ubi principes? ubi reges, qui omnia possederunt? Sic de potentia, sic de sapientia penitus est sentiendum. Ergo, fratres, non superbiamus cum Herode, sed simus humiles cum Joanne: non superbiamus cum diabolo, sed simus humiles cum Christo.

Tertio ostenditur fuisse magnorum meritum, ex parte austeræ pœnitentiæ, quam semper portavit: fuit enim austera ejus pœnitentia ex parte loci, et ex parte vestimenti, et ex parte cibi. In his enim tribus consistit austeritas pœnitentiæ: nam infantulus introivit desertum, ubi est locus vilis, locus sterilis, locus inhabitabilis. Item ejus vestimentum vilissimum et asperrimum. Item cibus ejus modicus, et admirandus, et similiter potus. Unde dicitur in *Matthæo*¹: « Ipse Joannes erat in deserto, et habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pellicæam circa lumbos. Esca autem ejus erat locustæ, et mel silvestre. » De potu ejus dicitur in *Luca*²: « Venit Joannes Baptista, non manducans panem, neque bibens vinum. » Prædictum enim erat per Angelum³: « Vinum et siceram non bibet. » Sed quis hodie talem pœnitentiam facit? Non in deserto, sed amplis palatiis et

lectis spatiosissimis pœnitemus: nostra pœnitentia sunt delicatissima vestimenta; non duo paria, sed plurima: non locusta, nec panis et aqua, sed fercula varia, et vina dulcissima et diversa. Vere non est vera, sed falsa nostra pœnitentia; imo nec pœnitentia est nominanda, ubi nulla sunt aspera, sed dulcissima universa. Si enim Joannes, qui ex utero fuit sanctus, qui, ut dicitur, actualiter nunquam peccavit, tam asperam pœnitentiam faciebat, quid facere debent peccatores impii, peccatis omnibus pleni? Ipse enim Joannes prædicaverat⁴: « Facite fructus dignos pœnitentiæ. » Ubi dicit Gregorius⁵, quod « non debet esse par pœnitentia ejus, qui parum, et ejus, qui multum peccavit: » ergo secundum mensuram culpæ debet esse mensura pœnitentiæ. Si Joannes et Helias, et omnes sancti patres, in desertis Ægypti tantis se vigiliis et jeuniis maceraverunt, tam aspera et inculta vestimenta portaverunt, quid nos pleni peccatis omnibus facere debemus?

Quarto Joannes ostenditur fuisse magnorum meritum ex parte zeli justitiæ, pro quo animam suam posuit. Nam quia Herodem de uxore fratris arguit, Herodes ipsum occidit. Multiplaciter⁶ « metuebat Herodes Joannem, sciens eum virum justum et sanctum. » O quot sunt Herodes, qui justos premunt, angarias eis imponunt, et quandoque pro justitia occidunt, nec argui volunt, etc.

DE SS. PETRO ET PAULO⁷.

SERMO.

*Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, et vos sedebitis super sedes duodecim, judicantes tribus Israel*⁸. Hieronymus, in *Matthæum*⁹: « Grandis fiducia! Petrus piscator erat, cibum manu et arte quærebat; et tamen confidenter dicit: *Dimisimus omnia: fecimus, quod jussisti; quid igitur dabis nobis præmii?* » Ad hanc questionem respondens ait: *Vos, qui secuti estis me, etc.* Circa igitur statum meriti, quo in via potissime indigemus, ut tandem ad præmium veniamus, immorandum est, et notandum, antequam veniamus ad meritum statum, quod sunt quidam sequentes carnis delectabilia: carnem sequuntur gulosi et luxuriosi. Quidam sunt se-

¹ *Matth.*, III, 4. — ² *Luc.*, VII, 33. — ³ *Luc.*, I, 15. — ⁴ *Luc.*, III, 8. — ⁵ *Gregor.*, in *Evang.*, hom. XX, n. 8. — ⁶ *Marc.*, VI, 20. — ⁷ Præter hunc, quem vel

integriorem exhibet, alium prorsus diversum habet cod. Assis. sæc. XIII. — ⁸ *Matth.*, XIX, 28. — ⁹ *Hieron.*, in *Matth.*, XIX.

quentes mundi desideria : mundum sequuntur avari et cupidi. Quidam sunt sequentes Christi vestigia : Christum sequuntur apostoli, et apostolici viri, sive potius omnes sancti.

Dico quod quidam sunt, qui sequuntur carnem. et carnis delectabilia, sicut gulosi et luxuriosi, qui ad nihil aliud vacant, nisi ut bene comedant, et bibant, et vana videant, vana audiant, et turpia tangant. Tales similes sunt porcis, qui os totum, dum comedunt, in pastam figunt, et sine masticatione deglutunt, et statim post cibum in luto se ponunt, nec ori a luto parcent. Certe tales sunt omnes carnis amatores, qui primo se cibus et vinis ingurgitant, et sic tandem luxuriæ vacant. Unde de eis dicitur in *Proverbis*¹, ubi est sermo de muliere meretrice, quæ irretivit juvenem multis sermonibus, et procaci vultu blandita est ei, quod juvenis sequitur (a) eam quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lascivens, ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transigat sagitta jecur ejus, vel quasi avis festinet ad laqueum, nesciens, quod de periculo animæ ejus agatur. Nota verba. Nam primo sequitur eam lentus, quasi bos ad macellum ductus. Secundo sequitur eam lætus, quasi lascivens agnus. Tertio sequitur eam festinus, quasi avis ad escam, celeri volatu deducta. Primo vinculatur, et nescit; secundo sagittatur, et non fugit; tertio occiditur, et sic perit. Vinculatur primo mala affectione; sagittatur secundo in occasionis acceptione, sicut in risu ejus, vel in aspectu oculorum ejus, et similibus; sed tertio occiditur in consensione, sive in peccati perpetratione. Et propter hæc omnia dicitur in *Ecclesiastico*² : « Post concupiscentias tuas ne eas, et a voluntate tua avertere : quia si dederis animæ tuæ concupiscentias, faciet te venire in gaudium inimicis tuis. »

Secundo sunt quidam, qui quærent mendacia, et mundanorum falsa desideria. Et tales sunt omnes avari, et cupidi, et grifonici. O summa fatuitas avarorum ! quærent vento et vanitatibus mundanis satiari, quia non attendunt, quod nunquam satiari possunt; sed quanto plura acquirunt, tanto plura appetunt, et vacuos se esse magis inveniunt : dicitur enim in *Ecclesiastico*³ : « Quasi qui apprehendit umbram, et sequitur ventum, sic qui attendit ad

visa mendacia (b). » Vere mundus est umbræ simillimus, quia sicut umbra aliquid esse videtur, sed dum apprehenditur, non sentitur, nec manu tenetur, sic mundus nunc videtur aliquid, sed totus vanus existit, sicut unusquisque in morte perpendit. Hinc Job⁴ : « Quasi flos egreditur et conteritur, » etc. Ergo stultissimi sunt avari, qui volunt umbra fugiente repleti, et vento vanissimo satiari. Sunt enim draconi simillimi avari, qui quærit vento satiari, et vento credit suum internum incendium mitigari; de hoc enim Hieronymus ait super illud Hieremiæ⁵ : *Attraxerunt ventum sicut dracones* : « Draco, » inquit⁶, « est animal sitibundum, in tantum, ut vix aqua valeat satiari : et ideo vento os aperit, ut sic sitim extinguere possit. » Quare cum navem in mari viderit, et ventum maximum circa navis velum adverterit, tanto impetu illuc vadit, quod sæpe navem subvertit; et tamen draco nihil proficit, cum ardorem nullo vento unquam extinguere possit. Sed nota hoc, quod omnes, qui carnem sequuntur, et mundum sequuntur, sequuntur etiam diabolum, tyrannum utique pessimum, quærentem omnes secum trahere ad infernum : et tale est sequi diabolum, quale esset, si agnus sequeretur lupum, porcus ursum, gallus vulpem, lepus canem, etc. Et licet caro omnes inficiat, mundus in omnibus passim deficiat, et diabolus omnes decipiat, nec alicui verum dicat, quia grifonicus est, tamen hos pessimos dominos sequitur omnis mundus. Unde in figura hujus dicitur in libro *Regum*⁷, quod omnis Israel toto corde sequebatur Absalonem ad persequendum David. Absalon, quia lascivus, signat mundum : sed tyrannus significat diabolum, qui in suis membris persequitur Christum. Sed attendite, fratres, quia Absalon periit, et omnis populus, qui eum sequebatur, dispersus fuit, quia tempus adveniet, quando amatores sui corporis, amatores mundi, et consecutores diaboli, omnes cum suo principe ignibus infernalibus sunt tradendi.

Tertio sunt qui sequuntur Christum, agnum mansuetissimum, doctorem prudentissimum, Regem potentissimum, et Patrem duleissimum. Et tales fuerunt apostoli, et omnes apostolici viri. Et quis posset sufficienter cogitare, quis sufficienter verbis exprimere, quam perfecte, quam continenter, quanto fervore, Apostolorum prin-

(a) *Cæt. edit. deest sequitur.* — (b) *Cæt. edit. villa mundana.*

¹ *Prov.*, VII, 21 et seq. — ² *Eccli.*, XVIII, 30-31. — ³ *Ibid.*, XXXIV, 2. — ⁴ *Job*, XIV, 2. — ⁵ *Jerem.*, XIV, 6. — ⁶ Hieron. — ⁷ II *Reg.*, XV, 1.

cipes secuti sunt Dominum Salvatorem? Nam rebus omnibus nudi, fame sitique confecti, verberibus attriti, carceribus macerati, injuriis plurimis provocati, tandem, sequentes Christum, judicati sunt mortui. Vide Legendam ¹. Potest unusquisque apostolorum dicere pro se illud in *Job* ²: « Vestigia ejus scentus est pes meus, » vestigia humilitatis profundissimæ, paupertatis altissimæ, charitatis ardentissimæ, et patientiæ constantissimæ. Qui unquam in mundo sic humiles, sic omnibus rebus pauperes, sic flamma charitatis ardentis, sic in persecutionibus patientes, ut Petrus et Paulus? Unde Paulus dicebat *ad Romanos* ³: « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia? » etc. Et sequitur: « Certus sum, quod neque mors, neque vita, etc., poterunt nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Domino. » Unde potuit quilibet istorum figurari in Elhai, qui dixit ad David regem ⁴: « Vivit Dominus, et vivit Dominus meus Rex: quoniam in quocumque loco fueris, Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. » Sic enim sancti apostoli dicere potuerunt vero David, Domino Salvatori. Nam Petrus dixit ⁵: « Animam meam ponam pro te. » Paulus autem ait ⁶: « Mihi vivere Christus est, et mori lucrum, » et ⁷: « Cupio dissolvi, et esse cum Christo. » Qui sunt hodie fideles Christo, qui parati sunt mori pro Christo, quando pro ejus amore non possumus pati verba? Qui non sustinet verba, quomodo portaret mortis supplicia? Numquid nix, sive ros, sustineret ignis incendia, quæ calorem nequeunt pati solis? O Christiana confusio, et sempiterno digna opprobrio, quæ non potest pati pro Christo!

DE S. MARIA MAGDALENA.

SERMO PRIMUS ⁸.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus ⁹. Quam ardenti desiderio, quam flagranti incendio, se Magdalena ad Christum habuerit, quis ullis exprimat dignis verbis? Nam primo ex magno desiderio, odioque peccati, ad fontem misericordiæ sitibunda, velut cervus ad fontem, venit;

fontes lacrymarum effudit, quibus Dominicos pedes lavit, suis capillis extersit, et oscula illis magni amoris impressit. Propter quod audire promeruit ¹⁰: « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. »

Est igitur circa desiderium hoc notandum, quod propter hoc Christus est desiderandus omni tempore, ab omni gente, in omni necessitate, in omni prosperitate, in omni adversitate, ex omni parte: eo quod ipse est desiderabilis visui, ut sit homini delectatio in videndo; est desiderabilis auditui, ut sit delectatio in auditu; est desiderabilis sensui, sive gustui, ut sit homini delectatio in gustando. Dicat ergo et ante omnia Magdalena, et quilibet nostrum cum ea: Desidero, Domine, te videre. Sicut enim naturale est summum bonum desiderare, sic et desiderare conspiciere summum pulchrum: visus enim naturaliter delectatur in pulchro. Unde omnia animalia sequuntur pantheram, ut videant ejus pulchritudinem ¹¹. Item miro modo aquila delectatur, dum solis pulchritudinem tectur. Delectatur et plurimum visus hominis, dum virens pratum, et flores conspiciat; et dum purum et clarum speculum intuetur, delectabiliter visus acies reparatur. Et si sic delectat pulchrum hoc corporale, quid pulchrum efficit spirituale? et si delectat visum hunc corporalem soliste materialis, quantum delectat visum animæ spiritualem sol spiritualis? et si tanta est pulchritudo in cunctis creato hoc sole, quanta est in Sole creante, et rebus pulchritudinem dante? Est igitur Salvator noster, de quo dicitur ¹²: « In quem desiderant angeli prospicere: » et si angeli, constat, quod omnes sancti. Unde dictum est in *Aggæo* ¹³: « Veniet desideratus cunctis gentibus. » Et si sic est desirabilis omnibus, qualiter Maria Magdalena ardebat! quomodo æstuabat! quomodo ejus faciem videre cupiebat, quæ præter eum nihil aliud diligebat? Unde poterat dicere illud *Isaiæ* ¹⁴: « Anima mea desideravit te in nocte, » id est, dum adhuc essem in tenebris peccatorum, sive inter tenebras mundanorum. Et hoc desiderium patuit in *Joanne* ¹⁵, ubi dum mortuum ploraret, a sorore audivit: « Magister adest: » statim fratris oblita, surrexit, et ad fontem misericordiæ festina cucurrit. Vere poterat dicere

¹ *Sur.*, in *Vit. Sancel.* — ² *Job*, xxii, 11. — ³ *Rom.*, viii, 35 et seq. — ⁴ *II Reg.*, xv, 21. — ⁵ *Joan.*, xiii, 37. — ⁶ *Philip.*, i, 21. — ⁷ *Ibid.*, 23. — ⁸ Hunc et undecim sequentes habet quoque codex Assis. sæc. xiiii. — ⁹ *Psal.* xli, 2. — ¹⁰ *Luc.*, vii, 47. — ¹¹ Hoc de odore, non de colore aut pulchritudine

pantheræ dicitur ab Aristotele, lib. ix, *de Histor. animal.*, cap. vi, p. 5, et in *Problem.*, iv, sect. xiiii, p. 6. Idem dicit Plutarch. de solertia animal., et Plin., lib. iii, *Hist. natur.* — ¹² *I Petr.*, i, 12. — ¹³ *Agg.*, ii, 8. — ¹⁴ *Isa.*, xxvi, 9. — ¹⁵ *Joan.*, xi, 28.

illud Psalmi, et potest esse verbum eujuslibet sanctæ animæ¹: « Sitivit anima mea ad Deum, » etc. Non potest anima amore fervens pati sui dilecti absentiam. Exemplum de sponsa in Cantico, quæ sic quærebat, sic ardebat, sic languida incedebat propter absentiam sui sponsi². Sed quis hodie hoc desiderio quærit Chsistum?³ « Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontes lacrymarum, » ut non cessem a fletu, cum videam omnem mundum magis valde desiderare aurum quam amantissimum Dominum? Currunt reges, currunt principes, currunt pariter omnes gentes ad aurum; et vix est unus qui currat ad Christum. Isaias⁴: « Principes tui infideles, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. » Et Hieremias⁵: « A minimo usque ad maximum omnes avaritiæ student. » Sed numquid impune? Narrat Scriptura⁶, quod quidam reversus ab inferis vidit Neronem imperatorem in quodam balneo, quod erat ex auro liquefacto, super ejus etiam dorsum liquidum fundebatur a demonibus aurum. Poterat enim dicere dæmon ille, qui hoc gerebat officium, quod dietum fuit Crasso imperatori. Dum enim captus esset, et aurum in os ejus liquefactum effunderetur, dicebatur ei: « Aurum sitisti, aurum hibe. »

Secundo dicat venerabilis Magdalena, et quilibet nostrum cum ea: « Domine, desidero te audire. » Naturale est auribus audire suavia. Nam boves et cervi libenter audiunt melodiam, et miro modo delectantur in cantu. Cygni in tantum cantum amant, quod ad cantantes de nidis advolant, et voces consimiles formare laborant. Sed si tantum delectat auditum cantus avium, sive hominum, et sonus instrumentorum; si sic afficitur animus, dum aliquis bonus orator, vel concionator auditur, quid putas divinam sapientiam concionantem audire? Dicitur enim *Regum* tertio⁷: « Omnis terra desiderabat videre Salomonem, ut audiret sapientiam ejus. » Salomon fuit rex pacificus, Christus. Ob sapientiam hujus regis, venit regina Saba a finibus terre, sicut dicitur⁸: cum enim audisset Regina famam Salomonis, venit ad eum, et audiens omnem sapientiam, dixit ad eum: « Verus est sermo, quem audiavi in terra mea super ser-

monibus oris tui, et super sapientia tua. Nec credebam narrantibus, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi, quod media pars narrata mihi non fuit. Major est enim sapientia tua, quam rumor, quem audiavi: « Beati servi tui, qui stant semper coram te, et audiunt sapientiam tuam. » Argue ergo sic: Si igitur regina Saba invenit tantam sapientiam in figura, quantum putas, Magdalena invenerit in re ipsa? Dicitur enim in *Luca*⁹, quod « sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. » Quod Augustinus exponens ait¹⁰: « Erat, inquit, Maria intenta dulcedini verbi Domini, et mira dulcedine tenebatur, quia major est refectio mentis, quam ventris. » Unde poterat Maria Magdalena dicere illud Psalmi¹¹: « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo. » Et similiter illud Cantici¹²: « Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. » Et quid hoc mirum est, cum sic equi existant, dum vocem audiunt: tubæ sonantis? Quid anima sancta facit, dum aure cordis divinæ sapientiæ intendit! O! si scirent miseri peccatores, quam sit dulce, quam suave intus in corde divinam sapientiam loquentem audire, omnia dimitterent, de nullo curarent, sed ad ejus auditum totis auribus aspirarent. Unde dicebat Sponsa in Canticis¹³: « En dilectus meus loquitur mihi. » Pro magno narrat, quia in ipsa locutione suavitatem admirabilem sentiebat. Narrat Gregorius¹⁴, quod quidam nomine Servulus, dum in lecto jaceret, et coram se divina verba legi faceret, subito clamare cœpit: « Tacete, tacete. » Cumque tacuissent: « Numquid, ait, non audistis, quantæ laudes resonant in cœlo? » Cumque ad illas laudes collo suspensio aurem intenderet, tantam delectationem sensit, quod mox cœlo animam reddidit. Ergo si sic delectat aures carnales sanctorum audire concentum, modulationes et harmoniam, quid, æstimas, est audire divinam sapientiam, et ipsum Verbum æternum, quod omnis beatitudinis sanctorum causa est et principium?

Tertio dicat beatissima Maria Magdalena: Domine, non solum desidero videre te, ut perficiatur etiam meus visus; non solum audire, ut perficiatur auris mea: sed et corde desidero te sentire, ut compleatur animæ gu-

¹ *Psal.* xli, 3. — ² *Cant.*, iii, 1 et seq. — ³ *Jerem.*, ix, 1. — ⁴ *Isa.*, i, 23. — ⁵ *Jerem.*, vi, 13. — ⁶ Idem narratur sup., pag. 538, col. 2, sub nomine Senecæ: ubi vitio Librarii, vel Typographi, ut conjectura fert, pro scriptura Seneca legitur. Id quod ob notam compendiosam fortasse factum est. — ⁷ *III Reg.*, x,

24. — ⁸ *Ibid.*, i-8. — ⁹ *Luc.*, x, 39. — ¹⁰ August., serm. civ, al. xxvii, *de verb. Dom.*, n. 1, paucis mutatis. — ¹¹ *Psal.* cxviii, 113. — ¹² *Cant.*, v, 6. — ¹³ *Ibid.*, ii, 10. — ¹⁴ Gregor., *in Evang.*, hom. xv, n. 3.

SERMO II.

stus : nam in degustatione et complexu suavi est complementum et perfectio omnis boni. Major est delectatio, in re amabili, in complexu, quam in auditu, vel visu : nihil est enim aliud, quam rei convenientis cum sibi convenienti conjunctio ¹. Unde longe plus delectat vinum gustatum, quam auditum, vel visum. Nam gustus est quidam tactus, ut dicit Philosophus. Unde Propheta ² : « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus; » quasi diceret : Seire, quam duleis sit, non potestis, nisi gustetis, non gustu carnis, sed mentis. Poterat ergo sancta dicere Magdalena, quod de Sponso in Canticis dicitur ³ : « Sub umbra illius, quem desiderabam, sedi, et fructus ejus duleis gutturi meo : » quoniam ipsa triginta annis in deserto absque humano solatio fuit, ubi nihil aliud gustavit, quam verbum æternum. O quanta dulcedine tenebatur! Lege totam historiam, quia ad narrandam valde est pulchra, et multum facit ad materiam. Nam ad litteram, dum corpus Christi degustasset, tanta eam duleedo invasit, quod mox animam exhalavit. Si ergo tantam delectationem habere potuit, dum adhuc esset corruptibilis et mortalis, quid nunc gloriosa sentit, dum suo Dilecto conjuncta est cœlis, quem sic amare potuit in terris? O dilectio summa, in hac vita paucis experta, et in ea valde parvula mora, quid est, quod non desideraris ab omnibus? Certe quia non perfecte potest amari, quod contingit aliquando experiri. Nam sanctus Bernardus, qui aliquando expertus fuerat, dicebat ⁴ : « Semel te gustavi, bone Jesu : utinam millies mori possem, ut semel iterum gustarem! » Si sic dicebat qui semel ad momentum gustaverat, quid est sanctis et beatis, qui continue gustant? nescio, quid dicam. Nihil est illi dulcedini comparabile : et ideo magis tacendum, quam aliquid imperfecte dicendum. Quidquid enim de illa dulcedine, vitæque beata, dicere potest lingua, minus valde est, quam una aquæ gutta ad totum mare comparata, aut ad magnitudinem cœli una modica terræ particula. O summa stultitia pro carnis delectatione tam parva, pro modica hujus sæculi gloria, et pro minima temporalium copia, omnino citissime peritura, perdere velle illam delectationem æternam, et e contra ad pœnam pervenire perpetuam!

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum ⁵. Dilectio, sive amor in rebus spiritualibus, est sicut ignis in corporalibus. Nam sicut ignis habet virtutem corporis calefactivam, rubiginis abstersivam, duritie emollitivam, sic dilectio, velut animarum ignis, dum in animam agit, ipsam intime calefacit, et omne frigus ab ea expellit, eam ad pietatem et misericordiam mollem facit, et omnem culpæ rubiginem ab eadem abstergit. Gregorius ⁶ : « Quid esse dilectionem credimus, nisi ignem? quid culpam, nisi rubiginem? ergo tanto amplius peccati rubigo consumitur, quanto cor peccatoris charitatis igne concrematur. »

Est ergo notandum, quod hæc venerabilis fœmina Magdalena supra humanam eloquium dilexit Christum : cujus amoris signa probantia quatuor fuerunt ista : primum signum fuit assiduitas recordationis; secundum fuit sollicitudo inquisitionis; tertium fuit sinceritas affectionis; quartum vero signum fuit fervor æmulationis. Ista enim quatuor signa miro modo probant qui se alterutrum diligunt : et probant, non solum opere exteriori, quod nonnunquam decipit, sed interiore. Est igitur primum signum dilectionis, assiduitas recordationis dilecti : amor enim, si verus sit, cor quiescere non sinit, sed continue ad sui amati recordationem impellit. Ubi est amor, ibi cor. Cum enim amor secundum Dionysium ⁷ sit vis unitiva, et secundum Hugonem est vis transformativa, dum amantem transformat in amatum, necessario de eo generat continuum cogitatum : sicut enim homo non potest sui oblivisci, ita nec sui amati : quia violentia impressi amoris sæpius movet aspectum cognitionis. Vis igitur seire, si Deum perfecte diligas, vel aliud plus Deo amas? attende, si de Deo plus, quam de aliis rebus, cogitas, quia de illo plus cogitas, quod plus amas ⁸ : « Ubi enim thesaurus tuus, ibi cor tuum est. » Veritas hoc docet, quæ mentiri non potest. Ergo si plus cogitas de mundo, plus de luero, plus de carnali amico, vel socio, quam de Christo, non vertas in dubium, sed sit tibi certissimum argumentum, quod amas ista plus, quam Christum. Nam ob hanc causam Dominus dicebat de divino amore ⁹ : « Diliges Dominum Deum tuum ex

¹ Arist., *de Anima*, lib. III, cont. 63. — ² *Psal.* XXXIII, 9. — ³ *Cant.*, II, 3. — ⁴ Bern. — ⁵ *Luc.*, VII, 47. — ⁶ Gregor., *in Evang.*, hom. XXXIII, n. 4. —

⁷ Dion. Areop., *de Div. Nom.*, c. IV, § 15. — ⁸ *Matth.*, VI, 21. — ⁹ *Deut.*, VI, 5; *Matth.*, XXII, 37; *Luc.*, X, 27.

toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua. Nota diligenter, quod non dicit, ex parte cordis, vel ejus medio, sed *ex toto*: nec tantum dicit, *ex toto corde*, sed *ex tota anima*, et *ex tota mente*, dans per hoc intelligere, quod non debeamus aliud velle, aliud cogitare, quam Christum. Nam, sicut Bernardus dicit¹: « Diligere Deum toto corde, est diligere toto intellectu sine errore. Diligere Deum tota anima, est diligere tota voluntate sine contradictione. Diligere vero tota mente, est tota memoria sine oblivione. » Sed quis, charissimi, ita diligit? nonne plus cogitamus de minimo, plus de mundo, plus de adversario subjugando, plus de carnali peccato, quam de Domino Jesu Christo? Ergo dum plus ista, quam Deum diligimus, filii perditionis, non filii Dei sumus. Quia ipse dicit²: « Qui amat patrem, aut matrem, plus quam me, non est me dignus. » Et quod de patre et matre dicitur, quibus maxime obligamur, multo fortius de omnibus aliis intelligitur: ergo nullus talis est Deo dignus: ergo non est ejus, sed sui adversarii filius. Unde ipse dicit omnibus talibus in *Joanne*³: « Vos ex patre diabolo estis. » Quod intelligi debet *ex diabolo*, scilicet non creatione, sed imitatione. Non talis Maria Magdalena, quæ semper portavit Christum in memoria, ut nihil aliud præter ipsum amaret, vel cogitaret. Dicitur enim, quod post mortem Domini impatiens alios homines videre, desertum intravit, ubi neminem videret, sed de solo Domino cogitaret. Unde vere poterat dicere illud⁴: « Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea. »

Secundum dilectionis signum est sollicitudo inquisitionis. Proverbium est enim: Qui bene amat, non dormit. « Intenta enim supplicatio, ut dicit Ambrosius⁵, dormire cor mundum vetat. » Nam et perfecte amans etiam somniat de amico: quod facit ipsa animæ sollicitudo. Videmus enim ad sensum, quod si quis non videat rem quam diligit, et nesciat ubi sit, non quiescit, non dormit, comedere ad tempus omittit, et sollicite illam quærit. Unde Sponsa, præ amore et absentia Sponsi languens, sic ait⁶: « In lectulo meo per noctem quæsi vi quem diligit anima mea. » Sed quia Christus

non invenitur in lecto, nec in suavi loco, addit et dicit⁷: « Surgam, et circuibo civitatem per vias et plateas: quæram quem diligit anima mea. » Sed quia Dominus Jesus non invenitur inter cognatos et amicos, addit anima sancta, dicens⁸: « Paululum cum pertransissem eos, » scilicet cognatos et notos, « inveni quem diligit anima mea: tenui eum, et non dimittam. » Talis revera fuit Magdalena, quæ Domino mortuo, sibi que subtracto, non dormiebat, quiescere non poterat; sed sæpe ad monumentum currens, intus aspiciebat. Et quamvis ipsum ibi non esse cerneret, sæpe tamen ad videndum se inclinabat: quia, ut dicit Gregorius⁹, de ea loquens, « vis amoris intensionem multiplicat inquisitionis. » Sed quis hodie Christum quærit? Quærant luxuriosi et gulosi suavia: quærant superbi sublimia: quærant avari pecuniam magis, quam Christum. Vere multi plus diligunt asinum suum, porcum suum, et equum, imo denarium unum, quam Deum. Unde hoc probas? Certe ex inquisitione sollicita. Nam perdit homo bovem, et sollicite eum quærit: perdit equum, et non quiescit: perdit ovem, et post eam vadit: perdit asinum, et quærit. Sed perdit homo, peccando, Christum, et quiescit, dormit, bibit, comedit, et non quærit. O quot sunt, qui diu dormiunt in peccatis, nec curant per pœnitentiam Christum Dominum invenire! Unde ipse conqueritur¹⁰: « Omnes, inquit, dereliquistis me. Frustra percussi filios vestros; disciplinam non receperunt: devoravit gladius vester prophetas vestros, » etc. « Quare ergo dixit populus meus: Recessimus, et non veniemus ultra ad te? Numquid obliviscetur virgo ornamentis suis, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris. »

Tertium dilectionis signum est sinceritas affectionis. Est enim sincere diligere Deum, nihil nisi ipsum, vel propter ipsum, amare. Augustinus ad Dominum in libro *Soliloquiorum*¹¹: « Minus te, Domine, amat, qui tecum aliquid amat quod non propter te amat. » Sicut enim aurum mixtum, vel impurum, non tam est charum, vel pretiosum, sicut illud quod est purum, sic dilectio mixta, et non pura, minus

¹ Bern., in *Cant.*, serm. xx, n. 4 et 7, quod sensum. — ² *Matth.*, x, 37. — ³ *Joan.*, viii, 41. — ⁴ *Thren.*, iii, 20. — ⁵ Dicitur hoc est in Hymno, Ales dici nuntius, qui legitur in Feria 3, ad Laudes, et inter opera Prudentii extat in lib. Cathemer. ad Galli cantum. — ⁶ *Cant.*, iii, 1. — ⁷ *Ibid.*, 2. — ⁸ *Ibid.*, 4. —

⁹ Greg., in *Evang.*, hom. xxv, n. 2. — ¹⁰ *Jerem.*, ii, 29-30, 31-32. — ¹¹ Imo *Confess.*, lib. X, c. xxix. Leguntur quidem in libro etiam *Soliloquiorum*, xix, Append. tom. VI; sed liber ille non videtur genuinum Augustini esse opus.

est accepta Deo : virtus enim unita est potentior, quam divisa, quia

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Quare dilectio in plura divisa non potest esse sincera, vel pura, et ideo semper est talis dilectio diminuta. Gregorius ¹ : « Tanto quisque a divino (a) amore sejungitur (b), quanto in inferioribus (c) delectatur. » Ergo qui vult Deum sincere amare, ipsum solum debet diligere, et alia omnia propter ipsum. Sic enim eum Magdalena amabat. Unde in persona ejus cantat Ecclesia ² : *Regnum mundi*, etc. O quanto amore flagrabat ad Christum, quæ nullum poterat sibi invenire solatium, nullum nisi de ipso habere gaudium, de cujus amore sic ebria erat tota, quod non homines curabat, nec ipsos advertebat! Consueverunt homines oblivisci post mortem non tantum amicorum, sed etiam filiorum. Exemplum de David, qui postquam filium mortuum esse audivit, statim surrexit, flere omisit, faciem lavit, et cibum sumpsit ³. Ergo cogita, quantum Maria Magdalena dilexerat vivum, quem sic amabat mortuum! Poterat enim dicere illud ⁴ : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi : inter ubera mea commorabitur; » quasi : Dilectus meus mihi sic redolet etiam mortuus, sicut myrrhæ fasciculus, qui est valde odoriferus : et ideo ejus amor, et memoria, semper inter ubera mea commorabitur, in medio pectoris mei, sive in medio cordis. Est enim cor in medio uberum. De hoc igitur tanto amore ejus sic dicit Gregorius ⁵ : « Quæ prius frigida peccando remanserat, postmodum amando fortiter ardebat. Unde stabat ad monumentum foris plorans, et tanta vis amoris eam accendebat, quod a monumento Domini discipulis recedentibus, non recedebat, sed amoris igne succensa, ejus, quem ablatum credebat, ardebat desiderio. » Sed quis hodie in cælo sic amat regnantem in omnibus, sicut illa amabat in sepulcro jacentem? Frigida supra nivem sunt corda nostra : frigida verba, et universa frigida sunt opera, quasi sint adamantina : dicitur enim, quod adamas nullo igne calefieri potest. Nonne ergo durior et frigidior est adamante, qui divino non potest calefieri igne, et tanta Christi ad nos charitate demolliri? O duri et in-

sensati filii Adam, et frigidi, quos non emollit, nec incendit tam ingens flamma amoris!

Quartum amoris signum est fervor æmulationis, ut homo laboret illum imitari, quem diligit. Signum est, quod modo diligit Deum, si odiat omne malum Deo contrarium, et diligit omne bonum. Hinc Psalmus ⁶ : « Qui diligit Dominum, odite malum. » Naturale enim est, ut qui delectatur in aliquo, necessario contristetur in ejus contrario. Unde gustus, qui in dulci delectatur, in amaro turbatur; et qui amat sanitatem, fugit et detestatur infirmitatem. Ergo qui diligit Dominum, refugit malum : « fortis enim est, ut mors, dilectio, » sicut dicitur ⁷; quia sicut mors separat animam a corpore suo, sic qui vere diligit, recedit ab omni eo, quod possit displicere dilecto. Maria Magdalena ergo, quæ multum Dominum amavit, cum fuisset filia regis, sicut historia Marthæ dicit (nam Maria Magdalena castrum habuit ex parte matris), regnum omne contempsit, et omnes carnis delicias dereliquit, et quidquid scire potuit esse contrarium Christo. Poterat dicere illud *Matthæi* ⁸ : « Domine, sequar te quocumque ieris. » Sed quæ hodie anima fide Christi desponsata, Christi sanguine redempta, Christi misericordia gubernata, sic sequitur sponsum suum, ut Magdalena?

DE S. JACOBO.

SERMO PRIMUS.

Dilectus Deo et hominibus Moyses, cujus memoria in benedictione est ⁹. Recte per Moysen beatus Jacobus intelligitur, quia uterque ex aquis sumptus, quia uterque in filium adoptatus. Sed Moyses a filia Pharaonis, Jacobus a divina Sapientia : quia uterque Ægyptum, id est, mundum dereliquit; et quia uterque dux dominici populi factus fuit. Plana sunt ista, si quis legat quæ de Moysæ et Jacobo dicta sunt in scriptura Exodi ¹⁰ et ad *Hebræos* ¹¹ de Moysæ, et Jacobo in Evangeliiis ¹².

Est ergo notandum, quod præter illa quatuor signa, quæ supra dixi in sermone de Magdalena, hæc quatuor alia sunt posita, et quæ sunt dilectionem probantia : est enim bonorum om-

6. — ⁸ *Matth.*, VIII, 19. — ⁹ *Eccli.*, XLV, 1. — ¹⁰ *Exod.*, II. — ¹¹ *Hebr.*, XI, 23. — ¹² *Matth.*, IV, 21; *Marc.*, I, 20; *Luc.*, V, 11.

(a) *Greg.* superno. — (b) *Item* disjungitur. — (c) *Item* inferius.

¹ *Gregor.*, in *Evang.*, hom. XXX, n. 2. — ² *Offic.*, comm. nec virg. nec mart., respons. 7. — ³ *II Reg.*, XII, 20. — ⁴ *Cant.*, I, 12. — ⁵ *Gregor.*, in *Evang.*, hom. XXV, n. 1. — ⁶ *Psal.* XCVI, 10. — ⁷ *Cant.*, VIII,

nium primum signum communicatio; secundum est servitii exhibitio; tertium est voluntatis conformatio; quartum est adversorum pro amico toleratio. Valde fortia sunt hæc signa amoris: si omnia amico communicas, si totum ei servitium impendas, si te per omnia illius voluntati conformes, et si pro illo pati quæcumque mala non timeas.

Dico quod dilectionis est primum signum, si sibi invicem amici omnia bona communicant, ut si unus amicus alteri omnia sua donat: amor enim est bonum inappretiable, et ideo qui pro amore omnia temporalia donat, sive tribuit, bonam nummatam accipit, quia rem vilem pro pretiosissima tradit. Hinc dicitur ¹: « Si dederit homo omnem substantiam suæ domus pro dilectione, quasi nihil despiciet eam, » id est, modicum est despiciere omnia pro ea. Quis ita stultus mercator esset, qui non daret aurichalcum pro auro, et plumbum pro argento? Quis non daret hordeum pro frumento? Item quid mirum, si fidat homo dilecto suo, qui tradidit ei omne quod potest, et omne quod habet? Ergo qui dat corpus, daret ei facile omnem mundum, etiam si mundi multiplicarentur in infinitum. Multum ergo Christus beatum Jacobum dilexit, et multum ab eo dilectus fuit, quia propter eum Jacobus omnia dereliquit, non solum res temporales, sed etiam dilectos parentes, imo seipsum, quod maximum est. Nam ipse cum fratre sanctissimo, vocati a Domino, continuo relictis retibus, et patre, secuti sunt eum. Sed quis hodie sic diligit Christum? Qui pauperi Christi buccellam negat, quomodo daret ei plenum modium? qui negat pauperi vetus et contractum, quomodo traderet ei novum et solidum? qui negat pauperi hospitium, quomodo ei traderet ipsam domum? Ergo qui pro Christo non traderet hoc temporale bonum, utique vanum, et necessario perituum, quomodo daret ei amorem suum? Unde dicitur ²: « Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? » Fratrem notabiliter dicit, ut ostendat quanta sit crudelitas hominum, qui non pascunt fratrem suum, utique Dei Filium, cum una equa pascat alterius equæ pullum, et hinnus pascat alterius filium, et falco aquilæ parvulum.

¹ Cant., VIII, 7. — ² I Joan., III, 17. — ³ Prov., XXX, 15, 16. — ⁴ Bern. — ⁵ Greg., in Evang., hom. xxx,

Secundum amoris signum est, si sibi dilecti mutuo serviant. Non potest esse, ut ignis sit in paleis, vel in lignis, et non ardeat: non potest otiosus esse ignis, sed semper crescit, vel decreseit: ignis, secundum sententiam Salomonis ³, est *insatiabilis* (a), et « nunquam dicit: Sufficit: » imo quanto plura ligna suscepit, tanto in majorem flammam se erigit, et ex abundantia materiæ vires sumit. Sic in spiritualibus per omnia facit vis amoris: amor enim quiescere nescit, sed, sicut Bernardus dicit ⁴, vel crescit, vel deficit, quia stare nescit. ⁵ « Amor Dei non est otiosus: operatur enim magna, si est; si operari renuit, jam amor non est. » Sicut enim ursus, ad palum ligatus, tota die circa stipitem se vertit, sic amor continue ad Deum et ad proximum se convertit. Unde Dominus dixit Jacobo, et cæteris Apostolis ⁶: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit. » Gregorius dicit ⁷: « Probatio dilectionis est exhibitio operis. » Non potest esse ut ignis sit, et non calefaciat; nec similiter potest esse, ut amor sit, et non ferveat. Hic Apostolus sanctus, dum accendit ignem ardentem, intus celare non potuit; sed primus de omnibus apostolis amorem Christo reddidit, quem accepit: nam primus inter omnes apostolos pro Christo morti se tradidit, sicut dicitur ⁸, quia « misit Herodes rex manus ut alligeret quosdam de Ecclesia: occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. » Vide Legendam ⁹, quomodo et quare mortuus fuerit, et de miraculo quod in via fecit, etc. Attendite, fratres: si Christum diligitis, ex servitio pensate: qui enim diligit, servit: ergo qui non servit, non diligit: sed nos non servimus, quia divina præcepta non agimus, non servamus, sed mundum amamus, et mundanis curis intendimus: honores appetimus, carnem nutrimus. Christum igitur Dominum non amamus: igitur filii mortis sumus, quia « qui non diligit, manet in morte, » sicut dicitur ¹⁰.

Tertio, perfectum amoris signum est, si voluntas cum voluntate conveniat, ut idem omnino velint et sapiant, in nullo penitus contradicant, ita tamen, ut nihil aliud quam bonum appetant. Nam in malis esse non debet conformitas voluntatum, quia sanctus amor refugit omne malum. Narrat Valerius ¹¹, quod dum

n. 2. — ⁶ Joan., XIV, 23. — ⁷ Greg., ubi sup., n. 1. — ⁸ Act., XII, 1. — ⁹ Sur., 25 Jul. — ¹⁰ I Joan., III, 14. — ¹¹ Valer. Max., lib. VI, c. IV, n. 4.

(a) Vulg. *insaturabilis*.

quidam ¹ a suo amico quoddam injustum peteret, et ille facere omnino renueret, ille indignatus ait : « Quid mihi opus est amicitia tua, si quod a te peto, non facis? » Ille respondit : « Imo quid mihi tua, si propter te agere debeo turpia? » Ergo ubi verus est amor, voluntatum in nobis conformitas esse debet, ut sit idem nolle, idem velle. Unde Hieronymus dicit ² : « Qui perfecte amat, totum sibi amantis voluntatem vendicat, quia nihil est omnino imperiosius charitate. » Hæc autem conformitas voluntatum perfecte in Christo fuit et in Jacobo, quia nihil voluit Apostolus, nisi quod eum velle voluit Christus. Cum enim Jacobus et Joannes, nobilissimi duo fratres, sessionem ad dexteram et ad sinistram a Domino peterent, et ille diceret eis ³ : *Nescitis quid petatis*; statim, ut ejus voluntatem audierunt, tacuerunt, et illud amplius non petierunt. Hæc autem conformitas voluntatum maxime probatur per amorem proximorum, quia hoc solum est nobis a Deo mandatum, ut nos invicem diligamus : quia, ut ait Apostolus ⁴, « qui diligit proximum, legem implevit. » Unde Dominus ad Apostolos ⁵ : « In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, » id est, voluntate mihi conformes sitis, « si dilectionem habueritis ad invicem. » Ergo ⁶ « qui diligit Deum, diligit fratrem suum. » Unde secundum Augustinum ⁷ : « Omnes fratres sumus, si Evam et Adam attendamus, a quibus universi descendimus. » Unde et ipsi, qui sunt inimici, sunt proximi; et ideo a nobis sunt diligendi. Unde Augustinus ⁸ : « Ego ad dilectionem inimicorum vos moneo, quia ad sananda vulnera peccatorum nullum medicamentum utilius esse sentio. » Et dicit : « Elige modo quod tibi placuerit : si inimicos amaveris, non solum amicus Dei, sed filius esse mereberis; si autem inimicos amare nolueris, Deum propitium habere non poteris. »

Quartum signum dilectionis est, si pro amico adversa sustinere non refugis. Non enim diligit, nec amicus existit, qui aliquem sequitur in prosperis, et deserit in adversis : qui enim alterum perfecte amat, verbera, vincula, improperia, rerum damna, et pericula mortis portat : « fortis est enim dilectio ut mors, » sicut dicitur ⁹ : quia non superatur a morte, sed ipsa superat

mortem. Unde Seneca, loquens de amicitia, dicit ¹⁰ : « Amicus qui utilitatis causa assumptus est, tamdiu placebit, quamdiu utilis est. » Quare in vera amicitia nihil aliud debet placere præter ipsam. » Et addit : « Ego amicum quero, ut habeam quem in exilium sequar, pro quo moriar, ejus me morti opponam, et me ipsum in mortem impendam. » Talis amicus fuit Christo sanctus Apostolus, pro cujus amore capite est truncatus. « Omni enim ¹¹ tempore diligit, qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur. » Sed quis hodie amicus Christi, qui pro eo mori paratus sit? quis pro eo fert vulnera? quis verbera? quis verba? Vere impleta est propheta Apostoli ad Timotheum ¹² : « In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes. » Et est, ac si dictum esset, quod nec est dilectio ad Deum, nec ad proximum, sed uniuscujusque ad seipsum.

SERMO II.

Erit sepulcrum ejus gloriosum ¹³. Sicut patet, et ad sensum cernimus tota die, nullius sancti sepulcrum sic est apud omnes homines gloriosum (a), quia in principio miraculis plurimis fabricatum, quia in medio magnis virtutibus adornatum, et quia magnis privilegiis est dotatum. Nec debet verti in dubium, quod ille, qui sic eum voluit honorare in via, donis etiam amplissimis eum sublimaverit in patria, qui tot beneficia præstat ad ejus ossa, et ostendit eunctis tam ampla miracula, sicut patet in ejus Legenda, quanta ei contulit in cælo præmia, sive dona. Ergo, fratres, multum a nobis est honorandus, quem honorat Deus; et est in omnibus necessitatibus invocandus, quia est audibilis Sanctus, et Deo gratissimus : pro cujus honore omnium Apostolorum primus est mortuus, et ad sepulcrum miraculose delatus.

Est igitur notandum, quod triplex sepulcrum est nobis sæpius memorandum, scilicet 1. sepulcrum temporale, ad quod homo per mortem deducitur : hoc primum est cogitare horribile, sed aliquando finiendum. 2. Sepulcrum infernale, in quo pro peccato affligitur : hoc est toto corde detestabile, quoniam est sempiternaliter horrendum. 3. Sepulcrum æternale, in

¹ Scilicet P. Rutilius Rufus. — ² Hieron. — ³ *Matth.*, xx, 22. — ⁴ *Rom.*, xiii, 8. — ⁵ *Joan.*, xiii, 35. — ⁶ *I Joan.*, iv, 21. — ⁷ Aug. — ⁸ Imo auctor, quisquis sit, tract. *de Rectit. cathol. conversat.*, n. 13, inter

Opera Aug., Append. tom. VI. — ⁹ *Cant.*, viii, 6. — ¹⁰ Senec., epist. ix, ante med. — ¹¹ *Prov.*, xvii, 17. — ¹² *I Tim.*, iii, 1. — ¹³ *Isa.*, xi, 10.

(a) *Suppl.* ut Jacobo.

quo anima Deo perfruitur : hoc est desiderabile, quia est ad æternaliter delectandum.

Sepulcrum triplex.

Dico quod sepulcrum primum est temporale, et est de sua natura horribile; sed est aliquando dimittendum, sicut erit in resurrectione corporum, quando ex illis sepulcris corpora assumuntur, ad duo alia adducentur, secundum quod animæ in illis corporibus meruerunt, vel deduci in cælum, sive ad infernum. De hoc sepulcro tota Scriptura est plena, et ideo hic sufficiat auctoritas ¹ : « Sepulcra eorum domus eorum in æternum. » Non dicit *in æternum*, quia ibi semper sit standum; sed longo in eis tempore permanendum, scilicet usque ad iudicium. O quam dura est domus ista, et quam stricta, quam fœtida, quam paupercula, et quam obscura, quæ communis est omnibus, divitibus et pauperibus, rusticis et regibus, viris et mulieribus, parvulis et senibus! Utinam attendere viri fortes, et reges, principes, et divitiis abundantes, quomodo a tam amplis palatiis sunt deferendi ad sepulcrum tam strictum; et a palatiis tam luminosis et fulgidis, ad sepulcrum horrendum et obscurum; et a palatiis sic rebus omnibus superplenis, ad sepulcrum tam indigens et egenum; et a palatiis filiis et familiis adornatis, ad sepulcrum sic vacuum, sic ab amicis et filiis derelictum. Bernardus ² : « Ubi est illa præterita pompa? ubi præterita gloria? ubi famulorum obsequentium turba? ubi vestimenta tam fulgida? ubi culeitra tam mollis et tenera? ubi vina illa rubentia? ubi fercula illa tam varia et diversa? Heu! qui paulo ante vivebat in deliciis in palatio, totus manducatur a vermibus. » Unde Innocentius ³ dicit : « Heu! fratres, attendite : Qui paulo ante inelytus residebat in domo, ecce quam pauper jacet in tumulo; et qui gloriosus incedebat in aula, ecce quam despectus jacet in tumba; et qui vesebatur deliciis in cœnaculo, ecce nunc consumitur a vermibus in sepulcro. » Ab hoc sepulcro excluduntur omnes excommunicati, omnes hæretici, usurarii, et omnes peccatores, nisi prius absoluti fuerint et confessi. Unde narrat Gregorius ⁴, quod cum excommunicati fuissent in loco sacro sepulti, quando diaconus in Ecclesia clamabat, ut omnes excommunicati exirent, quidam videbat eos de sepulcris exire, et extra eccle-

siam ire. Narrat et ibidem Gregorius ⁵ quod dum usurarius, quadam pecunia clericis data, fuisset in loco sacro sepultus, custos ecclesie vidit eum in nocte a quibusdam spiritibus nigris, valde ipso fortiter clamante et se lamentante, ligatis pedibus, foris trahi. Cumque custos ad tumultum cucurrisset, et cum illum in sepulcro non invenisset, scivit non esse phantasticum, sed verum fuisse, quod viderat. Narrat etiam ⁶ de alio fornicatore, qui sine pœnitentia mortuus, et in loco sacro sepultus, quod ignis ex fundo sepulcri processit, et non solum carnem et ossa voravit, sed ipsam terram undique consumpsit. « Non ergo, » sicut dicit Augustinus ⁷, « valet impio ecclesiastica sepultura, sed potius est ei ad pœnam. » Ad hoc sepulcrum est corpus Apostoli delatum; sed non fuit ei fœtidum, sed odoriferum; non despectum, sed gloriosum, ut nullus unquam regum habuerit sepulcrum sic ab omnibus honoratum, tot donis et privilegiis a Deo dotatum. Unde bene est dictum : *Erit sepulcrum ejus gloriosum.*

Secundum sepulcrum est infernale, in quo homo dure punitur. Nam qui ad hoc pessimum sepulcrum ducitur, convertuntur ejus deliciae in tormentum, honores in opprobrium, et divitiæ in cumulum egestatis. Consideremus, fratres, si ita est. Dicitur enim ⁸ : « Mortuus autem est dives, et sepultus est in inferno. » Nota, quod dives erat ab aliis honoratus, fulgide vestitus, et quodidie splendide comedebat; sed fortis mutatio, quia *dives sepultus est in inferno*: qui erat purpuratus, honoratus, tenetur in vilissimo; et qui deliciis assuetus, totus est positus in tormento. Nam et de quolibet deliciis dedito dicitur ⁹ : « Quantum se in deliciis glorificavit (a), tantum date ei tormentum et luctum. » O quanto consultius illi diviti fuisset, ut panem hordeaceum omni tempore comedisset, quam deliciis atluxisset, pro quibus tam gravia tormenta portaret! Quanto melius fuit illi Lazaro temporaliter mendicanti, qui in sinum Abrahamæ est portatus ⁸, quam illi diviti abundantanti, qui in suppliciis est sepultus! « Quid illi » ut dicit Augustinus ⁷, « valuit marmoreus locus? quid illi decor ille purpureus? quid turba plorantium famulorum, postquam ductus est ad infernum? » Nota etiam, et cum hoc, quomodo in egestatem

¹ Psal. XLVIII, 12. — ² Bern., de *Divite epulone*, serm. — ³ Innoc. III, in serm. — ⁴ Greg., *Dialog.* — ⁵ *Ibid.*, lib. IV, c. LII. — ⁶ *Ibid.*, c. LIII et LIV. —

⁷ Aug., de *cur. pro mort. ger.*, c. 11, aiunt editores romani; sed non potui ego reperire locum. — ⁸ Luc., XVI, 22. — ⁹ Apoc., XVIII, 7.

(a) *Vulg.* glorificavit se et in deliciis fuit.

sibi divitiæ sunt conversæ : sicut enim, dum vixit, fuit ditissimus, sic mortuus est inventus pauperrimus. Psalmista ¹ : « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. » Quid enim aqua vilius ? quid habetur ab hominibus aqua abundantius ? communis est omnibus non solum hominibus, sed etiam pecoribus. Ergo ille non tibi videtur factus esse pauperrimus, (a) cum variis fereulis abundaret, et vina varia biberet, aquam communem a suis, non dico situlam ² aquæ, sed unam guttam ad sitim refrigerandam, quam petiit, habere non potuit ? imo ab ipso Abraham, quem vocaverat Patrem, audivit ³ : « Recordare, fili, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. » Nolite vacare, fratres, potationibus, et comessionibus, et purpureis vestimentis, quia ratio Abrahæ est bona. Constat quod qui nunc habent bona, passuri sunt multa mala, non temporalia, sed æterna. Unde de omni tali, qui ducitur ad infernum, potest dici illud ⁴ : « Sepultura asini sepelietur. » Nam sicut asino prius corium detrahitur, et postea canibus et avibus devorandus (b) exponitur ; sic omnis dives prius divitiis spoliatur, et sic perpetuo cruciandus dæmonibus datur ⁵ : « Dives enim cum dormierit, nihil secum auferet : aperiet oculos suos, et nihil inveniet. » ⁶ « Ne timueris, cum dives factus, » etc. Ad hoc ponitur exemplum in historia Barlaam ⁷, quod erat civitas quedam, quæ omni anno regem sibi ponebat, et plenam illi potestatem, ut omne, quod vellet, faceret (c), dabat : sed anno finito, ipsum ad quamdam insulam portabant, ubi ex penuria honorum omnium, fame, siti et frigore deficiebat : quorum unus cum regnavit, tantum ad insulam præmisit, quod ibi abundanter vixit. Civitas est mundus, quæ amatoribus suis potestatem omnis mali tribuit, sed in fine eos ad infernum transmittit, ubi fame, siti et frigore tabescunt. Unde *Ecclesiasticus* ⁸ : « Ante mortem præpara justitiam, quia non est apud inferos invenire cibum. »

Tertium sepulcrum est æternale, in quo homo beatificatur : hoc enim sepulcro nihil melius, nihil dulcius, nihil utilius, dum transit homo a tristitia ad lætitiã, ab egestate ad copiam, a

confusione ad gloriam, non utique transitoriam, sed æternam. Unde dicebat Job, quasi mortem appetens, et sepulcrum hoc cupiens ⁹ : « Dies » inquit, « mei breviabuntur, et solum mihi superest sepulcrum : » quasi diceret : Utinam cito dies temporis mei finiantur, ut veniam ad sepulcrum, quod mihi superest solum ad meæ gratiæ complementum. Quis ad introitum talis sepulcri non gaudeat ? quis videns semel tantum bonum, secundo non redeat ? quis illum jubulum narrare sulliciat ? dicitur in *Legenda beati Nicolai* ¹⁰, quod vir, invento auro, tanto exultavit gaudio, ut non posset exprimi ullo modo. Multi enim inventi sunt homines, qui ex aliqua transitoria re, et mundana, tantum gaudium acceperunt, quod dilatato corde ultra debitum, perierunt : ergo si creature tantum gaudium potest ingerere bonum creatum, aliquando finiendum, quantum inferet homini gaudium bonum summum, increatum, perpetuo possidendum ? Sic enim dicitur viro justo ¹¹ : « Ingredieris in abundantia sepulcrum. » Vere in abundantia, ubi nullius boni penuria, et nullius mali præsentia. O sepulcrum beatum, quare te non quærimus, quare te non appetimus, quare pro te obtinendo bona nostra omnia non tradimus ? Certe, puto, ista facimus, vel quia quæ vere de te dicuntur non credimus, vel quia pro tempore hoc misero, in quo sumus, tuam dulcedinem non gustamus. Augustinus dicit ¹², quod « una gutta tuæ dulcedinis est major, quam oceanum (d). Quare mihi certum est, quod si quis tuæ dulcedinis unam solam guttam sentiret, pro nihilo omnia carnis et mundum contemneret, et millies morti se traderet, ut ad tuam dulcedinem veniret. » Ergo, fratres charissimi, horreamus sepulcrum temporale, fugiamus infernale, et desideremus sempiternale.

Mors ex
nimio
gaudio.

DE S. PETRO AD VINCULA.

SERMO.

Surge velociter ¹³. Quia Sancti, hæc hodiernam epistolam exponentes, per beatum Petrum catenis astrictum, hominem peccatorem vinculis alligatum, spiritualiter volunt intelligi post narrationem historiæ, quæ apostolicas tenet laudes ;

¹ *Psal.* LXXV, 6. — ² Situla est vas ad hauriendam aquam accommodum. — ³ *Luc.*, XVI, 25. — ⁴ *Jerem.*, XXII, 19. — ⁵ *Job*, XXVII, 19. — ⁶ *Psal.* XLVIII, 17. — ⁷ *Damasc.*, in *Historia de Josaphat et Barlaam.* —

⁸ *Eccli.*, XIV, 17. — ⁹ *Job*, XVII, 1. — ¹⁰ Surius, die 6 Dec. — ¹¹ *Job*, V, 26. — ¹² Aug., vel auctor *Soliloq.* — ¹³ *Act.*, XI, 7.

(a) *Suppl.* qui. — (b) *Cort. edit.* devorandis. — (c) *Item* facere. — (d) *Leg.* oceanus.

sunt autem quatuor peccata, quibus maxime homines inhærent terræ: nam primo jacent in terra negligentes et pigri; secundo incumbunt terræ per affectum totaliter cupidi et avari; tertio latent in terra lubrici et lascivi, et in terra sedent gulosi, et deliciis assueti: primum vitium, sive peccatum, est contra potentiam operativam; secundum, per potentiam amativam; tertium, per potentiam generativam; quartum, per potentiam nutritivam. Ergo, si surgere est se a terra erigere, debemus hic notare, quod primo debemus surgere a somno pigritiæ, quo operari negligimus; secundo, a frigore avaritiæ, per quod avaritiæ servimus; tertio, a calore luxuriæ, quo nosipsos inficimus; quarto vero, ab incendio gulæ, quo superflua degustamus.

Dico, quod primo surgendum est a somno pigritiæ, ut operari possimus. Nam hic maledictus somnus, quo tota die jacemus et sedemus, instar corporalis somni, aufert usum bonæ cogitationis, sensum discretionis, motum bonæ operationis, et facultatem bonæ refectionis, et somnii phantasmata vana, et phantasias inducit. Stultum est ergo, et rationi contrarium, ibi dormire, ubi est vigilandum; stare, vel jacere, ubi est ambulandum; et quiescere, ubi est laborandum. Unde dicitur ¹: « Surgite et ite, quia non habetis hic requiem. » « Homo enim factus est ad laborandum, sicut avis ad volandum, » ut dicitur ². « In sudore vultus tui, » dicitur est homini ³, « vesceris pane tuo. » Ergo non est dolendum, sed vigilandum: non pigritandum, sed sollicite operandum. ⁴ « Quodcumque potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec prudentia, nec sapientia est apud inferos, quo tu properas. » Unde Dominus ⁵: « Operamini, dum dies est: veniet autem nox, dum nemo poterit operari. » O quantum dolebunt! quam amare post mortem plorabunt, qui modo operari, et penitentiam agere renuunt! sed nihil dolores et lacrymæ tunc valebunt, quia tempus operandi, quod nunc est, amiserunt; ibi autem non tempus est ad operandum, sed tantum ad patientium: et ideo dicit Apostolus ⁶: « Hora est jam nos de somno surgere, » etc., quasi dicat: Quid ultra dormitis? quid negligitis? quid utilitatis expectatis? Ecce quia Christus est in januis: iudicium appropinquat, et tempus reddende rationis instat. Unde dicitur ⁷: « Usquequo, pi-

ger, dormies (a)? usquequo non consurges ex somno tuo? » Quis, nisi stultus, dormiret, dum bellum instaret, dum ignis jam domum invaderet, dum mox ferenda sententia mortis esset? Unde addit Salomon, pigros excitans per exemplum ⁸: « Vade ad formicam, et considera vias ejus, o piger, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, æstate parat sibi cibum, ut comedat, » etc. Notate viarum multiplicationem, et sagacitatem in eundo. Notate grana non hordeacea, sed frumentina eligendo; ipsa grana, ne germinent, dividendo, et futura tempora cognoscendo: cum tamen ducem non habeat, qui eam doceat, nec præceptorem, quem timeat. Ergo quid nos faciemus, qui, cum magni corpore simus, qui ductorem veritatis habuimus, qui præceptorem comminationem suscepimus? Quam coram eo excusationem habebimus, si operari negligimus? utinam cogitaremus quomodo inter apes nulla est otiosa, sed omnes ad laborandum vadunt, pascua quærent, et mel ex floribus legunt, ita quod totæ onerate redeunt, et otiosas gravissime puniunt, et, si possunt, occidunt.

Exemplum.

Secundo, surgendum est a frigore avaritiæ, quo totaliter terræ incumbimus. Unde avari dicunt ⁹: « Conglutinatus est in terra venter noster, » et omnes affectus nostri. Venter enim, quia cibaria appetit, et ea conservat, signat affectum, cujus est res appetere, et acceptas servare, ad modum cujusdam memoriæ. Ergo, cum avari sic jaceant, et terræ inhæreant, necesse habent ut surgant, et ad Deum faciem suam vertant. Unde dicitur de Matthæo Apostolo qui ad telonium sedebat, et avare temporalia lucra quærebat ¹⁰: « Qui surgens secutus est eum, » id est, Christum. Surgere debet homo ad modum virgæ, quæ mox nata incipit ascendere, a terra se elevare et versus cælum semper se erigere; nunquam enim ad terram se flectit; imo si violenter incurvata fuerit, mox dimissa se ad cælum erigit: solum autem pedem in terram figit, ubi tantum attrahit necessarium alimentum. Turpe est ergo, quod homo, qui factus est ad possidendum supernum regnum, semper faciem elevatam non portet ad cælum, nunquam cælum respiciat, nunquam se ad cælum erigat, sed semper, brutorum more, terram respiciat, animam nobilissimam, Dei ima-

— ⁷ Prov., VI, 9. — ⁸ Ibid., 6. — ⁹ Psal. XLII, 25.

— ¹⁰ Matth., IX, 9.

¹ Mich., II, 10. — ² Job., V, 7. — ³ Gen., III, 9. — ⁴ Eccl., IX, 10. — ⁵ Jan., IX, 4. — ⁶ Rom., XIII, 11.

(a) Cat. cedit. dormis.

gine insignitam, ad terrena convertat, seque totam subjiciat terræ, quam calcet. Quid tibi, homo, dignissima creatura, eum terra? Unde tibi cum terra tam fortis amicitia, cum gravatus ex ea non possis ascendere ad tuæ beatitudinis locum, sed demergaris ejus pondere ad infernum? Puto, dices, quod propter victum et vestitum terra indiges. Sed fac sicut planta: solum pedem tene in terra, id est, accipe ex ea necessaria, et dimitte superflua, quæ tibi sunt in ruinam. Nam et planta ipsa si superfluum humorem attraxerit, vel in se putrescit, vel putridos fructus facit. Unde amygdalus ex humore superfluo, quem atraxit, sterilescit, et fructum non facit, juxta quod Philosophus dicit¹: « Debet in radice perforari clavis, ut dum humor superfluo inde exierit, humor necessarius qui remansit, dum a calore plantæ digestus fuerit, vertatur in fructum. Sunt ergo, fratres, abjicienda superflua, accipienda sola necessaria, si volumus facere opera matura, et Deo accepta. Nam ad congregandum superflua non cogit natura, sed avaritia sola. Nam, si congregare talia esset ex natura, utique congregarent omnia bruta, quæ, ut dicit Damascenus, non regunt, sed reguntur a natura: sed non congregant illa: ergo congregatio tua pura est avaritia. Nam hoc est quod Dominus arguit a minori²: « Nolite, » inquit, « solliciti esse (a) quid manducetis, aut corpori vestro quid induamini, » etc. « Respicite, » inquit³, « volatilia cæli, » etc. « Respicite lilia agri, » etc. Lege et prædica omnia usque ad finem capituli, quia miro modo sunt pulchra, et ædificatoria, pro confundenda humana avaritia. Unde Ambrosius, exponens illa, sic ait⁴: « Nunquam humanæ vitæ necessarius deficit usus alimenti, nisi cum venerit dies moriendi. Absurdum, » inquit, « est ut victus nobis copiam defuturam credamus, qui jugem vitam a Deo accepimus. » Et addit⁵: « Considerate volatilia cæli. Magnum, » inquit, « sane et aptum, quod fide sequamur, exemplum. Nam, si volatilibus cæli, quibus nullum est exercitium cultivationis (b), nullus de messium fecunditate proventus, indeficientem tamen divina providentia largitur alimoniam, verum est, quod causa inopiæ nostræ avaritia est. »

Tertio, surgendum est a peccato luxuriæ, per quod nos totos inficimus, et corpus et animam maculamur. Luxuriosi enim, more scabronum, semper in stercorebus sunt, et stercorea continue revolvunt, et adeo infecti sunt, quod stercoreum fœtorem non sentiunt. Ciconia cognoscit fœtorem, et sentit quando sua uxor adultera fuit; et miser homo adeo infectus existit, quod fœtorem proprium non advertit, cum fœteat magis, quam putridus canis. Ergo, fratres, surgendum est a turpitudine, exemplo filii prodigi, qui omnia, quæ a patre acceperat, luxuriose consumpserat. Audi: post multa quæ fecerat⁶, « reversus ad se ipsum, ait: Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccavi in cælum, et coram te. » O qui sic faceret, qui sic pœniteret, qui sic toto corde ad Deum patrem rediret, qui sic peccatum suum diceret, qui sic humiliter veniam peteret, ut, sicut ille, largam misericordiam inveniret! Nam, ut ibidem habetur, « dum adhuc ille longe esset, pater suus illum videns, misericordia motus est, et currens, super collum ejus cecidit, » et dulce osculum sibi dedit, stola prima illum induit, annulum in manu illius posuit, calecamenta in pedibus dedit, et magnum convivium illi paravit. Omnia ista verba magnam ostendunt esse Dei clementiam, quæ non abjicit, non contemnit, sed dulciter suscipit filios pœnitentes, et ad suam misericordiam revertentes. Fluvius enim ad tempus a mari recedit; sed, dum ad illud redit, non eum abjicit, sed intra (c) suos sinus recolligit. Est ergo, fratres, peccatum grande et immane tam pium patrem offendere, qui nos fecit, nos redemit, qui et tota die offendentes eum benigne suscipit revertentes. Sed notate: qui hic tantam benignitatem contemnit, et ad eum non redit, gravissime eum punit. Unde dicitur⁷: « An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis ejus contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis (d) justi judicii Dei, qui reddit unicuique juxta opera sua, » etc. Quanto enim peccator amplius ad pœnitentiam expectatur, tanto, nisi convertatur, gravius punietur. Nam quia Dominus post passionem suam quadraginta duobus annis, ut redirent ad pœnitentiam, Judaicum populum

¹ Arist., de Plantis, lib. III, c. 1, circa fin.; Theophrast., de Plant., lib. II, c. VIII. — ² Matth., vi, 25. — ³ Ibid., 26, 28. — ⁴ Ambros., in Luc. lib. VII, n. 123. — ⁵ Ibid. n. 124. — ⁶ Luc., xv, 17, 18, 20. — ⁷ Rom., II, 4-6.

(a) Cæt. edit. hic add. dicentes. — (b) At. cultionis. — (c) Cæt. edit. infra. — (d) Item reverentiæ.

expectavit, dum converti renuit, Titum, Romanum principem, super eum induxit, qui eis obsessis, undecies centum millia fame et gladio mori fecit, et omnes alios vendidit, ita quod triginta ex eis pro denario uno dedit ¹, quia ipsum Dominum vendiderant pro triginta denariis.

Quarto, surgere debemus a peccato gulæ, quo carnem augmentamus, et spiritum deprimimus. Gulæ enim servire, est pinguedinem augmentare : et pinguedinem augere, est sanguinem minuere, qui est nutrimentum vitæ. « Anima enim ², omnis hominis in sanguine est. » Unde viri pingues modicum habent de sanguine, sicut Philosophus ³ et Constantinus ⁴ testantur. Nam pinguedo non est aliud, nisi sanguis coagulatus; et, qui modicum habent de sanguine, modicum habent et vitæ. Unde, loquendo communiter, qui pingues sunt, non diu vivere possunt, quia pinguedo vitam minuit. Unde exemplum ponitur ⁵ de agno, qui, quando circa renes impingatur, cito infirmatur et moritur. Isti enim pingues, dum in eis pinguedo dissolvitur, subito moriuntur, et communiter a reumate suffocantur. Unde dicit Hieronymus ⁶ quod philosophi olim, ut possent diu vivere, modicum dabant gulæ, et vivebant omni tempore temperate. Dicebant enim, et vere, quod cibi dati homini erant ad vitam conservandam, non ad eam corrupendam. Item et dicebant ⁷, et dicunt Sancti, quod venter pinguis grossum sensum gignit. Quare, ut possent esse subtiles, erant plurimam abstinentes. Item homines pingues ad operandum et generandum sunt quasi inutiles. Unde dicunt pastores ovium, et philosophi hoc scripserunt, quod, quando aries impingatur, non est ad generandum aptus. Quare pastores, cum eos nimis impinguari cernunt, tanquam inutiles eos occidunt. Ob hanc etiam causam mulierem nimis pinguem volentem concipere, Hippocrates ⁸ jubet macrescere. Ergo, cum gula mortem acceleret, intellectum obtenebret, et vim operativam et generativam enervet, ab ea surgendum est. Unde ad litteram dicitur ⁹ : « Si coactus fueris in edendo multum, surge e medio, evome, et refrigerabit te; » quasi dicat : Cave, ne nimium comedas; sed, si

in comedendo nesciens excesseris, evome quod nimium comedisti. Nam et lec hoc facit, cum nimis cibo gravatum se sentit. De abstinentiis sanctorum Patrum sunt exempla innumerabilia; sed, quia multis nota, non arbitror hic ponenda, etc.

DE S. LAURENTIO.

SERMO PRIMUS.

Probativ me quasi aurum, quod per ignem transit ¹⁰. Valde bene et convenienter modo B. Laurentius signatur in auro ignis maximo calore probato. Nam constat quod auro nihil est pulchrius. Inter omnes enim formas picturarum, auri pulchritudo obtinet principatum; imo pulchritudo auri decor est metallorum omnium et colorum. Sic et B. Laurentii pulchritudo fuit in suo tempore totius Ecclesiæ, propter maximam, quam habuit, honestatem. Item auro nihil ductilius: nam tam ductile est, quod inter incudem et malleum sine corruptione, sine partium divisione, in tenuissimas laminae dilatatur; imo, ut dicitur, ad modum pastæ in manibus tenetur, et ex eo pro voluntate universa formantur. Sic et B. Laurentius sic semper per obedientiam ductilis fuit, quod de præceptis majorum nihil unquam omisit. Unde pecuniam, sibi a Papa dimissam, statim absque mora pauperibus distribuit ¹¹. Item auro nihil solidius et compactius: unde, si illud in ignem ponatur, non evaporat. Ulterius, si in ignem ponatur, non consumitur, nec in pondere suo minuitur, sed ardore caloris dissolvitur. Sed, si quid habet impuritatis annexum, solum ab illo purgatur, et sic fulgidum redditur. Sic et B. Laurentius, in igne positus, corrumpi non potuit; sed quidquid in eo erat culpæ venialis, totum ibi dimisit, et sic fulgidus totus exivit. Item aurum percussum non reddit sonum sicut æs, vel argentum; nec crepat, vel scinditur; sed solum, dum percutitur, dilatatur: sic B. Laurentius, verbis attritus et factis, nullum impatientiæ sonum dedit, non per odium scissus fuit, vel crepuit, sed ad inimicos ad majorem flammam exarsit. Item nihil auro est purius; non enim, ut alia metalla, rubiginem contrahit a terra:

Exempla nulla de auro in B. Laurentiore-per'a.

¹ Joseph., *de Bell. Judaic.*, lib. VI, c. XII, de abscissis manibus; de numero autem occisorum, lib. VII, c. XVII. — ² *Levit.*, XVII, 11. — ³ Arist., *de Hist. animal.*, lib. III, c. XIX, par. 5. — ⁴ Constantinus medicus, in *Pantechn.*, lib. II, c. XIV, et lib. XI, c. XVI. Ille fuit deinde monachus Benedictinus. —

⁵ Arist., *de Hist. animal.*, lib. III, c. XVII, par. 5. —

⁶ Hieron., cont. Jovinian., lib. II, ante med. —

⁷ Arist., *de Generat. animal.*, lib. I, c. XVIII et XIX, par. 6. — ⁸ Hippoc., lib. *de Sterilib.*, post med. —

⁹ *Ecclesi.*, XXXI, 25. — ¹⁰ *Job*, XXIII, 10. — ¹¹ Surlus,

10 Aug.

sie S. Laurentius mundum cum suo flore contempsit, propriam patriam et omnia dereliquit, unde nullam peccati rubiginem a terra contraxit. Item nihil est auro virtuosius : nam virtutem habet confortativam, et superfluum omnium in corde corrosivam : unde valet plurimum contra lepram, et contra passionem cardiacam ¹. A lepra enim vel preservat, vel eam retardat, vel saltem eam palliat, et occultat. Sic et vir iste sanctus magnas virtutes efficit cordis : in fide enim corda dubia confirmavit exemplis, verbis et miraculis, multosque jam infectos a lepra peccati sanavit. Ergo verissime de eo potuit dici : *Probavit me quasi aurum, quod per ignem transit*. In quo verbo utique tria facit : nam primo se a Deo esse examinatum ostendit; secundo suam puritatem et patientiam innuit; tertio vero, per quid examinatus fuerit, patefacit. Ostenditur ergo primo auctoritas in probando; ostenditur secundo martyris soliditas in portando; sed ostenditur tertio instrumenti acerbitas in agendo. Dico, quod primo examinatum se esse ostendit, cum praemittit : *Probavit me*. Secundo, suam firmitatem et patientiam innuit, cum interponit : *Quasi aurum*. Tertio, per quid examinatus fuerit, patefacit, cum in fine adjungit : *Quod per ignem transit*. Verum, quia patientia Martyris per ignem probata fuit, et jam superior narratio martyrem commendavit, nunc, ad instructionem, de igne aliquid dicendum. Est igitur notandum, quod in Scriptura maxime sex legitur ignes : Primus est ignis illuminans et inflammans; secundus est ignis maculans et deformans; tertius est ignis probans et examinans; quartus est ignis purgans et lavans; quintus est ignis crucians et exterminans; sextus est ignis glorificans et beatificans.

Dico, quod primus ignis est illuminans, et inflammans. Et hic est ignis divinae gratiae, cujus officium est animam illuminare ad verum, et inflammare ad bonum. Scientia enim et virtutibus humanus perficitur animus, ut dicit Philosophus ² : et ideo, si perfici volumus, hoc igne gratiae indigemus. Hic est utique ille ignis, de quo dicitur ³ : « Ignem veni mittere in terram : et quid volo, nisi ut ardeat? » Nobilis certe ignis, propter quem accendendum Dominus in terram venit. O quanta diligentia, quanta

sollicita cura deberet hic ignis nutrirī et custodiri, ne posset extingui, cum talis sit anima, quod possit accendi hoc igne spirituali, sicut carbo igne materiali! Anima autem sine tali igne spirituali, est sicut carbo sine igne materiali. Opera enim nostra, hoc spirituali igne non incensa, sunt sicut cibaria multum crassa et dura, igne materiali non cocta. Talis est anima sine hoc igne spirituali, qualis est stomachus sine calore naturali, cujus virtute non possunt cibaria coqui vel digeri. Ergo, sicut, propter vitam corporalem, calor naturalis fovendus est cibus et rebus confortativis, sic propter vitam spiritualem calor gratiae spiritualis nutriendus est sanctis verbis et operibus bonis : quia et ignis materialis saepe perit, deficientibus sibi lignis. Et propterea de hoc igne praecipit fuit ⁴ : « Ignis, » inquit Dominus, « in altari meo semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens ei ligna per singulos dies. » Altare divinum est cor humanum, quod semper debet igne gratiae esse inflammatum, et ne deficere possit, semper lignis operum bonorum nutriendus est ignis.

Secundus ignis jam dicto igni contrarius est, scilicet ignis maculans, et animam deformans. Et hic est ignis culpae. Hic enim malus ignis, dum animae advenit, omnia ejus bona consumit, et naturam inficit. Et de hoc igne dicitur ⁵ : « Ignis est usque ad consummationem devorans. » Et iterum dicit ⁶ : « Ignis devorabit tabernacula eorum, qui (a) munera libenter accipiunt. » Hic est ille ignis, qui dicitur de rhamno exire; de quo dicitur ⁷ : « Egredietur ignis de rhamno. » Dicitur enim, quod arbor illa culpae signativa de se ignem emittit, qui omnia circumjacentia destruit et comburit. Hic ignis domus nostrae combustivus non est nutriendus, sed aqua poenitentiae extinguendus. Quis enim sic stultus, qui non aquam ad domum deferat, dum eam ardere videt? et quis non statim curat, quando primo eam ignis invadit, nec (b) expectat, quousque consumpta fuerit? Non enim facile aqua etiam extinguitur ignis, postquam plurimum in lignis invaluit; nec facile culpa removetur ab anima, quando in ea diu fuerit radicata. Nam rubigo, quae diu ferrum tenuit, sic fortiter illi immititur, quod non facile removetur. Non facile plaga curatur, cui in

Ignis
quotu-
plex.

¹ Cardiacae passio vel affectio, est innati roboris labefactio et languor, teste Galeno in *Def. med.* — ² Arist., *Problem.*, sect. xxx, q. iv, part. 7. — ³ Luc.,

xii, 49. — ⁴ *Levit.*, vi, 12 — ⁵ *Job*, xxxi, 12. — ⁶ *Job*, xv, 34. — ⁷ *Judic.*, ix, 15.

(a) *Cæt. edit.* quæ. — (b) *Leg.* vel.

principio non succurritur : ergo non diu est in culpa standum, sed certissime illi per pœnitentiam occurrendum.

Tertius ignis est ignis probans et examinans, quo sanctus Laurentius fuit hodie probatus, dum in craticula fuit adustus. Igne enim omne metallum probatur ; nec unquam melius denarius falsus probatur, sive cognoscitur, quam si in igne ponatur. Vas enim solidum et plenum non erepat ad ignem positum ; sed ignem non sustinet vacuum. Ergo vas solidum, vas aureum, vas plenum Laurentius fuit : qui igne probatus, patientiam non abjecit, sed velut fortissimus clypeus, natura adamantinus, omni periculo adversanti se opposuit. Sed quis hodie servat patientiam in adversis ? Similes sumus ligno balsami, quod nullo modo vult gladio tangi ; imo, si tactum fuerit, statim perit ¹. Oliva, si putata, in collectione fructuum, sicut nux feriatu (a), sic dedignatur, ut nullum in futuro tempore fructum ferat. Homines ergo nostri temporis sunt de natura cordis, quod tangi renuit, vel tactu, vel acu solo punctum vivere renuit. Non talis Laurentius, qui ardens dicebat illud ² : *Igne me examinasti*. Et propterea dicebat ³ : *Proba me, Domine, et tenta me : ure renes meos, et cor meum*.

Quartus ignis est ignis purgans et lavans, qualis est in Purgatorio. Officium enim ignis est purgare, et rubiginem a metallo abstergere. Qui enim est in statu salutis, et sufficienter se in præsenti non punit, ad ignem Purgatorii, velit nolit, perveniet : quia dicitur ⁴ : « Qui timet pruina, veniet super eum nix. » Sæpe, dum quis credit se ursum effugere, præter propositum incidit in leonem. Sic et qui per pœnitentiam refugit hic puniri, graviori reservatur examini, quia purgatorio igni. Et de hoc igne dicitur ⁵ : « Uniuscujusque opus manifestum erit : quia uniuscujusque opus, quale sit, ignis comprobabit, etc. » O quot opera, quæ nunc videntur aurea, tunc apparebunt lutea, contracta, et vana, sive potius nulla. Aurum enim sophisticum, sive artificialiter factum, in igne appositum, apparet esse nullum. Sic et apparebit esse in purgatorio igne, quia multa opera, quæ modo creduntur esse aurea, apparebunt ærea. O quot sunt hodie, qui videntur ædificare aurum, argentum, et lapides pretiosos, qui invenient se

Aurum
sophisticum.

ædificasse lignum, fœnum et stipulam, id est, non opera sublimia, sed modica, et purgatione digna. Sed quis illam examinationem poterit sustinere ? Quis poterit illud tam grave incendium tolerare ? Et tamen quis illum ignem poterit declinare ? Est enim, ut Sancti dicunt, gravior, quam quidquam in hac vita portari ab aliquo potest : et est hac præsenti pœna diuturnior, et est hac temporali pœna infructuosior : quia hæc temporalis pœna meretur palmam et gloriam ; sed ille ignis solam pœnam habet, sed palmam non habet et gloriam. Unde plus satisfacit hic homo Deo valde modica pœna voluntarie pro peccatis assumpta, quam ibi permaxima : sive quia ibi est involuntaria est, sive quia, si ibi est voluntaria, tamen ratione status immeritoria, nulla laude, vel præmio digna. Timeant igitur peccatores hunc ignem, qui nihil relinquit intactum, vel nihil penitus impunitum, sive verbum fuerit permodicum, sive opus inutile factum, sive quid modicum in corde pensatum. Unde dicitur ⁶ : « Quis stabit ad videndum eum ? Ipse enim quasi ignis confians, et quasi herba fullo-nium. » Ignis enim in conflatorio usque ad minima penetrat omne metallum : et herba fullo-nium, quia si carbo cadit in panno, etiam minimum pilum consumit, quia nullum erit tam parvum peccatum, quod ab illo pertranseat igne non tactum, et totaliter non excoctum. O fratres mei, qui modo modicam febrem, vel modicum quemcumque dolorem non potestis pati, quid facietis, quantum dolebitis, quantum plorabitis, illo incendio inflammati, et totaliter a pœnis absorpti ? Unum tamen maximum bonum hic habet ignis, quia propter hoc, quod peccatum consumit, et solum ad tempus existit, hominem in securissimo statu ponit : quia, qui ibi est positus, a pœnis est æternalibus absolutus, et de vita est æterna securus, quamvis aliqui aliter senserint.

Ignis
purga-
torii qua-
lis.

Ignis
purga-
torii bo-
num.

Ignis
inferni
qualis.

Quintus ignis est ignis crucians et exterminans. Et hic ignis est in inferno, ejus conflator diabolus est. Ille enim ignis est pessimus, quia est supra, quam dici valeat, afflictivus, consumptivus, et, quod est mirum, reparativus. Unde ⁷ : « Quis de vobis poterit habitare cum igne devorante ? » Mirum valde, quia ille ignis et est importabilis, et tamen est inévitable, ut declinari non possit. Est enim ignis usque ad con-

¹ Plin., *Hist. natur.*, lib. XXII, c. XXV. — ² *Psal.* XVI, 3. — ³ *Psal.* XXV, 2. — ⁴ *Job.* VI, 16. — ⁵ *I Cor.*, III, 13. — ⁶ *Malac.*, III, 2. — ⁷ *Isa.*, XXXIII, 14.

(a) Forte leg. fuerit.

summationem devorans, et pene jam devoratum reparans : ita, ut iterum atque iterum, immo usque in æternum valeat devorare. Unde dicit Gregorius ¹ « quod in inferno est vita semper moriens, et mors semper vivens. » Unde Glossa exponens illud ² : *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos*, dicit quod sicut herba ab ovibus carpitur, sed non radicibus evellitur, ut continue renascatur, ut sic semper sit, quod carpatur; sic homo in inferno semper moritur, et, ut semper mori possit, ad vitam continue reparatur. Est etiam quid gravissimum ignis æternus, nullis unquam temporibus finiendus. Unde miseri peccatores non erunt in inferno per annum, non per annos centum, nec per annorum millenarium, non per millia millium, sed per plura mille millia, quam sint pennæ omnium volatilium, plusquam pili et capilli omnium animalium, plusquam sint genera bestiarum, bladorum omnium; plusquam sint flores, et fructus, et folia omnium arborum; plusquam omnes herbæ camporum, montium et pratorum : plusquam sint lapilli et arenulæ omnium fluviorum et marium : et plusquam sint in oceano mari, et in fluminibus omnibus, puteis et fontibus guttæ aquarum, et adhuc ultra hæc omnia in infinitum. Unde dicitur ³ : « Vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur. » Et in Cantico Moysi ⁴ : « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima : devoravitque terram cum germine suo, » id est, viros terrenos cum omnibus suis filiis, « et montium fundamenta comburet : » radicem, sive radicalia corda superborum consumet. « Consumentur fame » gulosi, « et devorabunt eos aves, » id est, demones, sive infernales serpentes, « morsu amarissimo. » Attendite etiam, fratres mei, quia ille ignis non solum inextinguibilis, sed etiam est irrefrigerabilis, cum nihil ibi ad temperamentum caloris haberi possit. Nam guttam unam aquæ dives ille ⁵ peliit, quam habere non potuit : quam etiam si accepisset, nihil sibi penitus profuisset : imo si fontem totum, vel puteum, vel maximum fluvium accepisset, nec sitim illam mortiferam mitigasset, nec ad modicum incendium temperasset. Dicit enim Augustinus ⁶, quod tanta est vis illius ignis, quod si totum mare in ipsum flueret, nec ipsum ad modicum

Inferni
mansio
qualis.

temperaret. Est enim quædam ignis species, quæ etiam in aqua ardet, sicut in Legenda sancti Nicolai dicitur. Unde, si aliquis damnatorum in mari profundo poneretur, ibi ab igne torqueretur.

Sextus ignis est ignis glorificans et beatificans. Et hic ignis est in cælo, ubi vita est Beatorum; nec est aliud quam charitas, sive amor, non ad modum vite, sed patriæ : nam hic sanctus ignis in via est parvus, imperfectus et diminutus; sed in patria est summus, et usquequaque perfectus. Unde dicitur ⁷ : « Vivit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus in Hierusalem. » Sion, quæ interpretatur *Specula*, est militans Ecclesia, in qua charitas est modica, illi charitati gloriæ comparata. Sed Hierusalem, quæ *visio pacis* est interpretata, est cælestis curia, sive triumphans Ecclesia, ubi est charitas consummata, et ad instar camini in sanctorum cordibus inflammata. O qualis, quam suavis, quam amabilis, quam desiderabilis est iste ignis, qui sanctos vivificat, sanctos lætificat, sanctos glorificat, sanctos in bono conservat, et sanctos stabilis et confirmat ! Quis non deberet velle hoc frigus pati, velle penuria rerum attingi, velle laboribus premi, et velle, se offerente tempore, et opportunitate, mori, ut posset aliquando hoc dulcissimo igni succendi ? Non est hic ignis devorans, sed conservans; non attingens, sed delectans : non sitim aquæ generans, sed perfecte satians; solius boni summi desiderium cum satietate, et satietatem cum desiderio generans. Rogemus, etc. Ad hunc nos perducatur Christus. Amen.

Sion
quid.

Hierusalem
quid.

SERMO II.

Ignem me examinasti, et non est inventa in me iniquitas ⁸. Inter omnia elementa ignis maxime est activus, eo quod plus cæteris habeat de forma, et minus de materia. Et constat, quod omnis actio est a forma, sicut omne posse pati est a materia. Unde Isidorus dicit ⁹, quod ignis est fortissimæ actionis, consumens universa quæ rapit. Cum enim sit calidus in ultimo quarti gradus, nihil eo potest esse calidius; nec per consequens activum eo amplius : immo, cum omne calidum ab igne habeat (a) ut sit calidum : cum id, quo unumquodque est tale, et ipsum sit magis tale ¹⁰, ignis elementum summe est ea-

¹ Greg., *Moral.*, lib. IX, c. xxxix, al. lxxvi, n. 100. — ² *Psal.* XLVIII, 15. — ³ *Isa.*, LXVI, 24. — ⁴ *Deut.*, xxxii, 22 et seq. — ⁵ *Luc.*, xv, 24-25. — ⁶ August. —

⁷ *Isa.*, xxxi, 9. — ⁸ *Psal.* xvi, 3. — ⁹ *Isid.*, *Etymol.*, lib. X, c. xvi. — ¹⁰ *Arist.*, *Poster.*, lib. I, cont. 2.

(a) *Cat. edit.* habeatur.

lidissimum, et per consequens summe activum, summe consumptivum, summe penetrativum, et rei quantumcumque durissimæ, et compactæ, divisivum et liquefactivum. Si non credis, quære hoc a metallis, quæ, cum sint corpora solidissima, et corpora compactissima, per actionem tamen ignis non solum mollescent, sed penitus liquefiunt. Attende tamen, ut Philosophus docet ¹, quod ignis tres sunt species, id est, ignis lux, in sua sphaera; ignis flamma, in materia aerea: et ignis carbo, in materia terrea. Verumtamen ignis in carbone est valde acutus, et valde afflictivus, si fuerit affligibili applicatus. Cum igitur beatus Laurentius fuerit hoc igne decoctus, et craticulæ superpositus, prunis adustus, recte potuit dicere Domino: *Ignem me examinasti*. In quibus verbis maxime duo facit: nam primo ostendit se esse probatum per ignis adurentiam, quam portavit: secundo se asserit innocentem inventum per ipsam innocentiam, quam servavit. Primum fuit indicativum suæ sapientiæ, qua sustinuit ardua; secundum fuit ostensivum suæ innocentiae, qua fugit mala fœdantia. In his enim duobus consistit perfecta iustitia, scilicet in aggressionem bonorum operum arduorum, quibus in bono proficimus, et in declinationem malorum, quibus inficimur. Notatur ergo primo status tolerantiae, in quo adustionem sustinuit, cum ait: *Ignem me examinasti*. Secundo notatur status innocentiae, in quo vitia declinavit, cum addit: *non est inventa in me iniquitas*. Dicat ergo Sanctus Laurentius: *Ignem me examinasti*. Est igitur hic notandum, quod duplex est ignis: unus materialis, et unus spiritualis. De corporali nihil in hoc sermone; sed de spirituali aliquid est dicendum ad nostram instructionem. De hoc enim dicit Dominus ²: « Ignem veni mittere in terram: et quid volo nisi ut ardeat (a)? » Spiritualis itaque ignis non est aliud, quam charitas, sive gratia, qua peccatorum rubigo consumitur, frigus ab anima tollitur, durities removetur, et e contra quædam pulchritudo inducitur, calore amoris anima inflammatur, et dulcedine quadam et pietate mollitur. Ista enim omnia ignis corporalis facit in ferro, et amor spiritualis facit in anima. Item attende, quod, sicut materialis ignis deficit cito, non nutritus, sic et ignis spiritualis cito deficit, non nutritus. Est igitur notandum, quod ad

nutriendum hunc sanctum ignem quatuor maxime sunt necessaria: primum est pura meditatio cordis; secundum est sancta collocutio oris; tertium est continuatio boni operis: quartum vero humiliatio vera mentis. Miro modo his quatuor, gratia, sive amor, nutritur in homine, scilicet puris meditationibus, castis sermonibus, sanctis operibus, et humiliatis serviciis.

Dico, quod primum, quod ad nutrimentum spiritualis ignis est necessarium, est pura et sancta meditatio cordis. Sicut enim « pravæ cogitationes hominem separant à Deo, » sicut dicitur ³, sic bonæ et puræ Deo uniunt (b), et amore, quo uniunt (b), enutriuntur. Cor enim, sicut est omnium membrorum primum, et a natura primo productum, sic est spiritualis ignis, sive totius amoris radicale subjectum, et principale domicilium ⁴. Unde ad sensum videmus, quod, quidquid corde diligimus, oculis illud libenter inspicimus; et sæpe ad illud oculos elevamus, libenter de eo loqui audimus, libenter ad locum, ubi est, pergimus, libenter brachiis amplexamur, et oscula illi amoris imprimimus. Ergo primum nutrimentum casti amoris maxime in corde existit, ut sint mundæ affectiones, castæ meditationes, et semper devotæ cogitationes. Sequitur enim his incrementum spiritualis ignis, sicut ex pice, oleo et pinguedine crescit materialis ignis. Sanctus vero Laurentius, quia semper meditationibus sanctis se exercebat, et cogitationes inutiles respuebat, ideo spiritualement in se ignem omni tempore augmentabat, et sic illo totus intus ardebat, quia ex amore ignem vix suis applicatum carnibus sentiebat. Vere ergo poterat illud dicere ⁵: « Concealuit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis. » Dum enim cor sanctis meditationibus incalescit, ignis in eo dominicus exardescit, et suscipit non modicum incrementum. Sed quis hodie bona, casta, munda et justa cogitat? Hodie mundana cogitamus, vanis intendimus, immunda ruminamus: et ideo nihil caste diligimus, quia cordibus « coinquinatis nihil est mundum ⁶, sed coinquinata eorum est mens et conscientia. » Unde possumus dicere illud ⁷: « Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. » Cogitationes enim malæ et dissipationem bonorum

¹ Arist., *Topic.*, lib. V, c. 111, par. 1. — ² *Luc.*, XII, 49. — ³ *Sap.*, I, 3. — ⁴ Hoc secundum philosophorum doctrinam: secus autem medicorum, qui jecur

primum generari, et produci affirmant. — ⁵ *Psal.* XXXIII, 4. — ⁶ *Tit.*, I, 15. — ⁷ *Job*, XVII, 11.

(a) *Vulg.* accendatur. — (b) *Cat. edit.* uniantur.

omnium faciunt, et ad modum aquæ ignem devotionis extinguunt, et cor insuper cogitantis affligunt. Nam et quidem fuit sanetus pater, qui quamdiu sanctis cogitationibus se exereuit, et per amorem in Dominum exarsit, alimentum a Deo de cælis accepit. Omni enim die sibi panis mundissimus de cælo mittebatur. At postquam cœpit, diabolo pulsante, immunda cogitare, panis missus cœpit sordidus apparere. Cumque subversis omnibus cogitationibus mundis, sola cogitaret immunda, panis totus niger et sordidus apparuit, et ultra a Deo missus non fuit. Sicque factum est, ut qui, sancta cogitans, divino igne totus ardebat, dum immunda revolvere corde cœpit, ignem, quem diu nutrierat, mox extinxerit. Ob hanc causam multi fuerunt philosophi, qui sibi oculos eruerunt, ut subtracta sibi videndi materia, nulla omnino immunda, sed sola cogitarent illa, quæ sapere puritatem ¹.

Secundum, quod est necessarium ad spiritualis ignis nutrimentum, est sancta collocutio oris, sive sanctitas sermonis. Patet enim experientia, quod sancta verba audita, vel prædicata, miro modo incendunt corda. Nonne, ut Hieronymus ² dicit, « exultant equi in præliis, dum vocem clamoris intelligunt? Nonne ad bellum pugiles inflammantur, dum hominum clamoribus excitantur? Nonne ad pugnam milites fortiores, et fortius agitant lanceas, strictosque mucrones, dum voce clamantis principis excitantur? Nonne et boves et cervi dulcibus vocibus cantuum animantur? » Ergo, si tanta est virtus ad corda confortanda vocum hominum, quanta ad corda inflammanda est virtus verborum spiritualium? Unde dicitur ³: « Surrexit Helias propheta quasi ignis: verbum ejus velut facula ardebat. » Talia fuerunt verba beati Laurentii, alios inflammantia, sicut patet in Hippolyto, et aliis, quos convertit. Bene poterat dicere sanetus Hippolytus illud ⁴: « Factus est sermo Domini, » supple, mihi prædicatus per sanctum Laurentium, « in corpore meo, quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis: et defeci, ferre non sustinens. » Verbum enim Domini ignis est, et in cor agit, immutat, purgat, etiam innovat ⁵: « Ignitum eloquium tuum vehementer. » ⁶ « Eloquium Domini in-

flammavit eum. » Unde Spiritus sanctus apparuit in linguis igneis, ut corda intus redderet inflammata. Sed quis hodie loquitur Dei verba, ad bonum ignem augendum? quoniam, fratres, potius nostra verba sunt mundana, sunt lasciva, sunt ad malum provocantia, sunt ad discordias concitantia, sunt divinum ignem extinguentia. Sed « vir linguosus non dirigetur in terra, » sicut dicit Propheta ⁷. O quanta mala faciunt mala verba! Quid enim in hac vita bonis moribus melius? Nonne ad componendos mores omnis nobis Scriptura est tradita, et omnis moralis philosophia? Ergo nihil malis verbis pejus, quia, ut dicit Apostolus ⁸, « corrumpunt bonos mores colloquia mala. » Bernardus ⁹: « Levis est sermo, sed graviter vulnerat. Est enim, » inquit, « aptissimum evacuandis cordibus instrumentum. » Idem ait: « O quam velociter currit verbum! Unus est qui loquitur, et unum verbum solum loquitur; et tamen vincit illud verbum, dum uno momento multitudinis audientium aures tangit, corda inficit, et animas illorum interficit. » Unde quidam sanetus pater animadvertit, quod dum quidam fratres de Deo loquerentur, bonus angelus appropinquabat illis; cumque de mundo, angelus fugiebat, et diabolus illis appropinquabat. Unde vere, juxta sententiam Jacobi ¹⁰, « si quis verbo non offendit, hic perfectus est vir. » Et hic potes multa prædicare de lingua.

Tertium, quod valet ad augmentum spiritualis ignis, est continuatio boni operis. Sicut enim materialis ignis nutritur lignis, et augetur illis augmentatis, et extinguitur illis ab eo abstractis, sic suo modo spiritualis ignis nutritur operibus sanctis, et crescit illis multiplicatis, et deficientibus deficit. Unde in figura hujus præceptum fuit ¹¹: « Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutrit sacerdos, subjiciens illi ligna per singulos dies. » Altare Dei est cor hominis, in quo semper ardere debet divinus ignis, nutritus semper lignis bonæ operationis. Est tamen notabile, quia Dominus docuit hunc sacrum ignem nutriri lignis: non paleis, sed lignis, id est, operibus solidis, et non vanis. Item ligna ignem nutrientia non debent esse

¹ Hieron., *ad Abiga.*, epist. XXXII, versus med. Exemplum de Democrito apud Ciceronem, *Tuscul.*, lib. V, n. 114, et Plutarc., *de Curiosit.* Hic autem factum negat, ille vero affirmat omnino. Idem dicitur de

Metrodoro ejus discipulo. — ² Hieron. — ³ *Eccli.*, XLVIII, 1. — ⁴ *Jerem.*, XX, 9. — ⁵ *Psal.* CXVIII, 140. — ⁶ *Psal.* CIV, 19. — ⁷ *Psal.* CXXXIX, 12. — ⁸ *1 Cor.*, XV, 31. — ⁹ Bernard., *de Triplici custodia*, serm. XVII, n. 5. — ¹⁰ *Jac.*, II, 10. — ¹¹ *Levit.*, VI, 12.

madefacta, sed sicca, quia opera nostra, quibus nutritur hic ignis, non debent esse carnalia, vel fluida, sed ab omni malo humore siccata, ut sic sint veri ignis nutritiva. Sicut enim omne animal perit, nisi competenti sibi pabulo nutriatur, vel si cibus venenosus, vel sui salutis contrarius, illi detur, sic spiritualis ignis sine operatione bona moritur, id est, si ei nulla bona opera apponantur. Est igitur viris spiritualibus hoc igne ardentibus fortiter operandum, quia, sicut dicit Gregorius ¹, « amor Dei non est otiosus: operatur enim magna, si est; si autem operari renuit, amor non est. » Arbor quæ fructus non fert eo tempore, quo debet, de ipsa testimonium perhibe, quod naturali sibi debito caret, et ideo est digna succidi et arrenda ignibus tradi: quia homo, qui nunc renuit operari, æterno post mortem tradendus est igni; in quo, postquam steterit per tot mille millia annorum, quot arenulæ marium omnium, adhuc tantum ibi stare habebit, sicut quando incepit, et in infinitum magis.

Exemplum. Quarto, ad conservationem spiritualis ignis, requiritur vera humiliatio mentis. Sicut enim materialis ignis cito extinguitur, nisi bene cineribus cooperiatur, sic spiritualis cito evanescit, nisi cinere veræ humilitatis fuerit cooperatus. Species enim terræ valde sunt redolentes; sed, nisi clausæ teneantur, ne respirare possint, citissime evanescunt. Sic et vinum sine clausura dimissum, respirando fit vanum, et vertitur in acetum. Verum hæc omnia diu conservantur, si bene clausa teneantur. In veteri enim lege ² omne vas reputabatur immundum, quod non habebat operculum. Mercator sapiens thesaurum, quem maxime diligit, non in publico ponit, sed, quantum potest, abscondit: vina enim clauduntur in doliis, frumenta in horreis, poma in cistulis; sed aurum in sereniis, vel sub terris. Nam, sicut dicit beatus Gregorius ³, « deprædari desiderat, qui thesaurum publice in via portat. » Ergo manifestum est, quod ad ignem spirituales servandum, et augmentandum, valet plurimum sub cinere humilitatis tenere absconsum. Hoc enim valde eleganter signatum est in *Machabæis* ⁴, ubi sic dicitur: quod « sacerdotes acceptum ignem de altari occulte absconderunt in valle, ubi erat puteus altus. » Ille amorem suum in valle, sive in alto puteo ab-

scendit, qui eum, quantum potest, operit cinere humilitatis. Unde notabile est, quod dicitur ibidem ⁵, quod postea, requirentes absconsum ignem, non ignem exurentem, vel devorantem, sed invenerunt aquam crassam impinguatam, quæ in ignem magnum excrevit, et omne sacrificium consumpsit: quia amor celatus crescit, et tantum subtilissima cordis incendit, ut fiat Deo in sacrificium laudis. Beatus ergo Laurentius amorem, quo totus ardebat, et opera, quibus ignem nutrit, semper optima meditando, semper optima colloquendo, semper optima operando, et semper vilia de se sentiendo, in se perfectissime habuit. Propter quod in tantum amor ejus excrevit in corde, ut vix sentiret ignem, qui exterius ardebat in corpore. Unde et dicebat Decio ⁶: « Assasti, miser, ex una parte: gyra aliam, et manduca. » Hoc etiam igne totus accensus, clamabat post beatum Sixtum Papam: « Quo progredieris sine filio, pater? » etc. « Quid, » inquit, « in me displicuit paternitati tuæ? Numquid degenerem me probasti? Experire, » etc. Cui Episcopus: « Non ego te desero, fili, sed majora tibi debentur pro fide Christi certamina. Nos quasi senes, » etc. Lege utriusque Sancti historiam, et diligenter eas prædica. Rogemus ergo, etc.

DE S. BARTHOLOMÆO APOSTOLO.

SERMO PRIMUS.

Amice, ascende superius ⁷. Docet Tullius ⁸, et Valerius Maximus ⁹, quod amicitia propinquitati præfertur, eo quod ex propinquitate removeri amor potest, sed ex amicitia nunquam. Sæpe enim propinquus odit propinquum, sed nunquam amicus amicum. Unde concludit Tullius, quod omnibus rebus humanis est amicitia præponenda. Dicit quoque Valerius, quod amicitia bonum non est a quocumque facile assumendum, sed semel assumptum nunquam est deponendum, quia, qui semel fit amicus, est omni tempore diligendus. Est igitur homo primo probandus, antequam sit in amicitiam assumendus: et cum non sit probandus in prosperis, probandus est in adversis. Amicum enim se ostendit, qui in adversis amicum non deserit. Unde dicitur ¹⁰: « Si possides amicum, in tentatione posside illum, et non facile credas

¹ Greg., in *Evang.* hom. xxx, n. 2. — ² Num., xix, 15. — ³ Greg., in *Evang.*, hom. xi, n. 1. — ⁴ II *Mach.*, 1, 19. — ⁵ *Ibid.*, 20. — ⁶ Surtius, die xii Aug., ex

B. Petro Chrysol. — ⁷ *Luc.*, xiv, 10. — ⁸ Cic., *de Amicit.* — ⁹ Valer. Max., lib. iv, c. vii, in princ. — ¹⁰ *Ecclesi.*, vi, 7.

ei. » Non est enim credendus amicus, qui, beneficiis cessantibus, amicitia divideretur, eo quod tales omnes amici fortunæ sunt, non personæ. Unde ¹ Philippus rex Macedonum litteris arguit filium Alexandrum, quod illos sibi amicos esse crederet, quos beneficiis comparasset. Seneca ² : « Ego amicum quero cui serviam, pro quo mori valeam, non a quo munera ulla recipiam. Nam qui in amicitia non amici, sed sua commoda pensat, non bene cogitat, quia sicut cœpit, sic desinet, et cum amicum viderit afflictum, discedet. » ³ « Amicitia enim, » ut dicit Ambrosius, « virtus est, et non quæstus. » Non enim debemus amicitiam contrahere cum divite, quia dives est, sicut Seneca docet : quia, sicut mel museæ sequuntur, cadavera lupi, frumenta formicæ, sic et falsi amici prædam sequuntur, non hominem, et fortunam potius, quam personam. Unde Boetius dicit ⁴ : « Quem felicitas fecit amicum, infortunium faciet inimicum. » Verus ergo amicus Bartholomæus fuit, quando Christo non diviti, sed summe pauperi se conjunxit, non solum sequens eum in prosperis, sed potius in adversis. Unde bene dicit ei Christus : *Amice, ascende superius* : quasi ei diceret : Quia pro me, sive causa mei, elegisti esse inferius, nunc, tanquam probatus jam, *Amice, ascende superius*. Reges enim, antequam tradant stipendia militibus, prius, quales sint, experiuntur in bellis. Dignus enim est donativo, qui fortiter pro domino certat in bello. In verbo ergo præmisso, a duobus sanctus Apostolus commendatur : primo, ab excellentia meriti, quo refulsit ; secundo, a sublimitate præmii, quod assumpsit. Primum respicit statum hominis gratiosum, quo merita cumulantur ; secundum respicit statum hominis gloriosum, quo præmia condonantur. In his enim duobus summa perfectio hominis consistit : primo, si clarescat meritis in Ecclesia militante ; secundo, si dotetur præmiis in Ecclesia triumphante. Notatur ergo primo dignitas meritorum, quibus Apostolus fulsit in via, cum dicit : *Amice*. Notatur secundo sublimitas præmiorum, quibus est coronatus in patria, cum infertur : *Ascende superius*. Circa ergo veram amicitiam est notandum, quod ad eam ostendendam ad præsens quatuor requiruntur : primo, ut sit in amicis communis contemptus

omnium vitiorum ; secundo, communis amor omnium divinarum ; tertio, communicatio omnium secretorum ; quarto vero, communis pro se ipsis tolerantia tormentorum. Tunc enim est amicitia vera, si amici communiter mala refugiant, si bona communiter faciant, si consilia sibi communicent, et si pro se mutuo communiter mala sustineant.

Dico, quod primum, unde probatur amicitiam esse veram, est communis contemptus omnium vitiorum, et omnium impedimentorum, quibus homo potest impediri ad bonum. In malis enim nulla potest esse amicitia : quia, ut Tullius ⁵ et Augustinus ⁶ docent : « Amicitia est divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et charitate consensio. » Unde ex vera amicitia duæ voluntates quodammodo fiunt, una scilicet in omni nolito et volito, non malo, sed bono. Unde narrat Valerius ⁷, quod duo erant amici, quorum ad malum unus alterum invitabat. Cumque unus non assentiret, alter ait : « Quid necesse est me te habere amicum, postquam, quæ tibi dico, non facis ? » Cui alter sapienter respondens ait : « Imo, quid mihi necesse est, amice, te amicum habere, si me pro te oportet turpia agere ? » Igitur amicis communis debet esse contemptus omnium malorum, omnium turpium, imo omnium impedimentorum, sive omnium mundanorum, quibus impedimur ad bonum, et allicimur ad malum. Ergo inter Christum, et hunc sanctum Apostolum, vera amicitia fuit, quia quidquid Christus contempsit, etiam Apostolus dereliquit. Unde non solum peccatum, sed et totum mundum perfecte dimisit. Sciebat enim se non simul esse posse amicum Christi, et mundi. Unde dicitur ⁸, quod « amicitia hujus mundi inimica est Deo. » Et inquit ⁹ : « Qui voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur. » Nullum enim medium : vel amicus eris Christi, vel mundi. « Nemo enim ¹⁰ potest duobus dominis servire, » id est mundo, et Christo. Quare ? Quia sunt eis voluntates contrariæ, præceptiones contrariæ, prohibitiones contrariæ. Mundus inducit ad gulam, Christus ad sobrietatem : mundus ad luxuriam, Christus ad castitatem : mundus ad superbiam, Christus ad humilitatem : mundus ad avaritiam, Christus ad paupertatem : mundus ad invidiam, Christus ad charitatem. Ergo,

¹ Valer. Max., lib. VII, c. 11. Cicero idem refert, *de Offic.*, lib. II. — ² Senec. — ³ Ambros., *de Offic.*, lib. III. — ⁴ Boet., *de Consol. philos.*, lib. III, pros. 5,

in fine. — ⁵ Cic., *de Amicit.* — ⁶ August., *de Amicit.*, c. 11. — ⁷ Valer. Max. — ⁸ Jac., IV, 4. — ⁹ Ibid. — ¹⁰ *Matth.*, VI, 24.

dum duo contraria immediate se habentia simul circa idem esse non possunt, nemo simul esse potest amicus Christi, et mundi. Apostolus ergo, ut verus Dei amicus esse posset, mundo et omnibus vanis libellum repudiū tradidit, et Christo toto corde adhæsit. Unde erat de dicentibus illud ¹ : « Ecce nos reliquimus omnia. » Augustinus enim dicit ² : « Dominus omnia bona temporalia contempsit, ut contemnenda esse ostenderet; et omnia mala sustinuit, ut sustinenda esse doceret : ut neque in illis quæreretur felicitas, nec in istis ulla timeretur adversitas. » Et dicit : « Peccatum est amare quæ Christus contempsit, et fugere, quæ ipse sustinuit. » O quis hodie in hoc sequitur Christum, vel ejus Apostolum? imo quis est qui non sequatur toto corde temporalia ista bona, et non fugiat temporalia mala? Nullus. Imo vita nostra est omnino vitæ Christi contraria; et ideo cum sancto Apostolo ejus non sumus amici, sed hostes et inimici : non servi Dei, sed mundi et diaboli. Orabat semel pater Franciscus, cujus servus esset, sibi postulans revelari. Ad quem de cælis vox facta est, dicens : « Franciscæ, quando divina meditaris, divina loqueris, et secundum me operaris, servus tunc meus existis. Cum autem his contraria operaris, alterius servus efficeris, qui meo ore nominari dignus utique non existit. » Tunc sanctus ait : « Et ego, Domine, semper me alterum horum trium spondeo facturum : vel de te meditari, vel de te loqui, vel aliquid propter te operari. » Veniens ergo ad fratres ait : « Fratres, talia a Deo audi vi : talia illi promisi : nolo, ut vos promittatis; sed rogo ut semper alterum horum trium facere studeatis, ut servi Dei esse possitis. » Sed quis mundanorum hoc facit? Quid avari, nisi de pecunia? quid vani, nisi de gula et luxuria? quid superbi, nisi de dignitatibus et gloria? meditantur, loquuntur, et operantur? Ergo omnes isti non servi Christi, sed servi diaboli esse probantur. « A quo enim quis superatus est, ejus et servus est, » sicut apostolus Petrus docet ³.

Secundum, unde probatur amicitiam esse veram, est communis observantia divinorum. Est enim officium veræ amicitiae, idem velle, et quod in rebus divinis, dominicisque præceptis, nulla sit diversitas voluntatum. Vera igitur

amicitia inter Christum et suum Apostolum fuit, quia, sicut Dominus non venit suam facere voluntatem, sed Patris, sic et Apostolus nihil sibi de propria voluntate retinuit, sed corporaliter divinis præceptis se subdidit. Audiebat enim Dominum dicentem ⁴ : « Vos amici mei estis, » etc. Si enim amicorum est idem velle, et idem nolle ⁵, ergo, quidquid unus mandat, alter observat. Et quid mirum, si hoc de apostolis verum est, qui fuerunt Christo intimi, et in ejus amicitia præcipui, cum dicatur ⁶, quod omnium credentium erat cor unum, et anima una? Nam et ipse Augustinus dicit ⁷, se habuisse amicum, de quo videbatur sibi, quod licet duo haberent corpora, anima tamen erat tantum una. Nec mirum, si tanta potest esse unitas Christianorum se charitate amantium, cum amor communis tantam unitatem possit facere paganorum, ut dicantur inter se esse unum. Nam ⁸, postquam Alexander, rex Macedonum, regem Darii devicisset, et regnum Persarum suo dominio subjugasset, et ad quemdam locum, ubi erat mater Darii, devenisset, illa quemdam militem videns, quem propter elegantiam formæ, et magnitudinem personæ, Alexandrum esse credidit, ipsum tanquam regem salutavit. Cumque audiret, quod ille, quem salutaverat, rex non esset, timens, verba quærebat, quibus se excusaret. Cui rex : « Nihil est, quod in hac re debeas formidare : quia et hic Alexander est, et ego sum id quod ipse est. » Ergo, si tanta potuit esse amicitia paganorum se communi amore amantium, quanta cum Christo fuit amicitia apostolorum, quos divinus amor totaliter transformavit in Christum? Omnia ergo servavit Bartholomæus, quæ eum observare voluit Christus. Sed quis est Christo amicus, nisi qui divina observat mandata? Unde conqueritur Dominus, dicens ⁹ : « A sæculo confregisti jugum, et dixisti : Non serviam. » Quis non confregit quidquid in baptismo promisit? Quis penitentia dignus, et non prius abiecit, quam assumpsit? Quis non diabolo, vel mundo, plusquam Christo obedit? Ergo non sumus, fratres, amici Christi, sed potius diaboli, sive mundi.

Tertium, unde probatur amicitiam esse veram, est communicatio animorum, sive omnium secretorum. Constat enim, quod « amor

¹ *Matth.*, xix, 27. — ² *Aug.* — ³ *11 Petr.*, i, 19. — ⁴ *Joon.*, xv, 14. — ⁵ *Salust.*, in *Catilin.* — ⁶ *Act.*, iv, 32. — ⁷ *August.*, *Confess.*, lib. IV, c. vi, n. 44. ex

Horat., *Odar.* lib. I, iii, 8, et lib. II, xvii, 5. — ⁸ *Valer. Max.*, lib. IV, c. vii, extern. n. 2; *Curt.*, *de reb. gest. Alex.*, lib. III. — ⁹ *Jerem.*, ii, 20.

est vita cordis, » sicut Hugo dicit. Ergo qui alteri dat amorem suum, dat illi per consequens et cor suum : sed cor hominis est cellarium continens omne secretum : ergo, cum amicus det amico cor suum, nihil ex omnibus tenet illi celatum : ergo, ubi est amicitia, sive mutua donatio cordium, ibi est communicatio omnium secretorum. Cum igitur inter Apostolum et Christum fuerit mutua donatio animorum, fuit et inter eos communicatio consiliorum. Unde Dominus dicit ¹ : « Jam non dicam vos servos, sed amicos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus ; vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ a Patre meo audivi, nota feci vobis. » Sed quis hodie Christi amicus ? ubi sunt hodie, quibus pandantur divina secreta ? ubi sunt hodie divina miracula ? ubi propheta, cui hodie pandantur divina secreta ? Unde potest hodie dicere cum Propheta religio Christiana ² : « Signa nostra non vidimus, jam non est propheta, et nos non cognosceat amplius. » Et illud ³ : « Prophetæ nostri non invenerunt visionem a Domino. » Quis hodie, juxta Apostolum ⁴, « cognovit sensum Domini ? aut quis consiliarius ejus fuit ? » Sed quare, o fratres, hæc omnia ? quare sic exclusi sumus a Domini nostri presentia ? Numquid non sunt in Ecclesia Dei, qui digni essent hac gratia ? Sunt quidem plurimi, sed ab hac gratia exclusi sunt propter peccata populi. Non sumus, fratres mei, hæc gratia digni, quia non sumus Dei amici, sed potius inimici. Quis rex, si sapiens sit, secreta sua consilia publicat adversariis ? Nam et animalia bruta vias suas, quantum possunt, suis hostibus celant : in tantum, ut leo cauda sua vestigia destruat, ne, quo vadat, venator perpendat. Cervus, canem latere volens, saltus mutat, et nunc ad dexteram, nunc ad sinistram saltat, ut sic canem, sequentem se, fallat. Ergo non est mirum, si sapientissimus Dominus nobis sua consilia celat, eum nos hostes suos esse perpendat.

Quartum et certissimum signum, quo probatur amicitiam esse veram, est, si unus pro alio mala pati non refugiat, sed unus pro alio ad patiendum se offerat. Talis revera amicitia fuit inter Christum, et hunc sanctum Apostolum :

¹ Joan., xv, 15. — ² Psal. LXXIII, 9. — ³ Thren., II, 9. — ⁴ Rom., I, 34. — ⁵ Luc., XII, 4-5. — ⁶ Psal. XXXVII, 12. — ⁷ Mich., VII, 1. — ⁸ Ambros., de Offic., lib. I, c. XLII, n. 216 ; de Amicit. ; Valer. Max., lib. IV, c. VII, de amicitia vinculo ; idque ex Euripide

quia Christus pro illo se obtulit, et Apostolus versa vice pro Christo se impendit. Christus totum corpus suum crucifixoribus flagellandum dedit ; sed Bartholomæus in manibus hostium corium dereliquit. Ad litteram enim excoriatus fuit : quod non sine gravi dolore fieri potuit. Sciebat enim Dominum dixisse illud ⁵ : « Dico enim vobis amicis meis : ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post hoc non habent amplius, quid faciant ; sed potius eum timeate, qui postquam occiderit, habet potestatem animam mittere in gehennam. » Non est, charissimi, timenda mors corporis, quæ de necessitate venit ; sed mors timenda est gehennalis, quæ, sicut est importabilis, sic est inevitabilis, et etiam æternalis. O quam bene, quam feliciter nati, qui vitam hanc temporalem, aliquando necessario perituram, pro Christo ponerent in ruinam, pro morte fugienda æterna, et vita acquirenda perpetua ! Sed hodie hæc vera amicitia penitus recessit ab aula : non est enim qui pro Christo velit pati, non dico suspendium, non aculeum, non diruptiones ossium, vel morsus bestiarum, sed nec durum verbum, imo nec aliquod lesivum. Unde dicit Dominus per prophetam ⁶ : « Amici mei, et proximi mei, adversum me, » etc. O stultitia christiana, et amicitia falsa, sub christiano nomine palliata, quæ sub pelle ovis lupinam animum gerit ! Quid fraudulente christianum esse te asseris, et Christum non imitaris, sed potius in suis membris eum persequeris ? « Omnes dereliquerunt me, dicit Dominus, et factus sum sicut qui colligit racemos post vindemiam, sicut dicitur ⁷. Narrat Ambrosius ⁸, quod duo fuerunt philosophi, qui inter se de morte contendebant, unusquisque pro alio mori volebat. Narrat et Macrobius ⁹, quod multi fuerunt servi, et pagani, qui pro dominis suis temporalibus se tradiderunt morti. Ergo, fratres mei, quanta confusio nobis esse debet, qui sumus fideles, nolle pro illo mori, vel pro eo modicum pati, qui pro nobis affixus est cruci ? Apostolus tradidit pro illo corium, et nos pati non possumus unum verbum ? Quia ergo sic Christi fuit amicus, ideo audire meruit : *Amice, ascende superius*. Nam ascendit primo ad digni-

in *Ephigen. in Tauride* ; et Hygin., c. cxx, de Oreste et Pylade in fabulis tragicis, non autem de philosopho, narratur. Idem docet August., de Amicit., c. I, et *Confess.*, lib. IV, c. VI. — ⁹ Macrobi., *Saturn.*, lib. I, c. XI, ante med.

tatem apostolici officii; secundo, ad excellentiam singularis martyrii, tertio vero, ad sublimitatem excellentissimi præmii. Unde poterat dicere illud ¹: « Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus. » Palma est arbor alta, arbor pulcherrima, omni tempore foliis adornata, arbor victoriæ signativa, et arbor diuturna, arbor fructu dulcissima. Sic et vita illa beata, ad quam hodie ascendit Apostolus obtinendam, est altissima quantum ad locum, propter cælum empyreum; est pulcherrima vita continua, decorata propter aspectum, sive visum; est victoriosissima, quia nunquam ulla pugna concussa, propter continuæ pacis effectum; est immensissima, nullo tempore finienda, propter æternitatis bonum; et est fructu dulcissima propter gustum. Quid ergo est, quod tantum bonum non cupimus? Quid est, quod nos ipsos in mortem pro hoc summo bono non tradimus? quid est, quod omnia mundi bona pro eo obtinendo non damus? Stultissimi mercatores sumus, qui damus pro plumbo argentum, pro aurichalco aurum, imò, pro bono transitorio, bonum summum. Non talis fuit mercator Apostolus, qui pro hoc mercando, non solum bona temporalia dedit, sed seipsum impendit: et ideo sic ascendere dignus fuit.

SERMO II^o.

Posuisti, Domine, super caput ejus coronam ³, etc.

Corona
triplex.

Aurum
quid si-
gnificet.

Stella
quid.

Triples corona legitur in Scriptura: una aurea; altera stellea; tertia vero lapidea. Prima corona datur virginibus; secunda datur prædicantibus; tertia datur martyribus. Dico, quod prima corona, quæ datur virginibus, dicitur aurea: aurum enim, propter suam puritatem, et speciositatem, et incorruptibilitatem, significat incorruptionem, virginitatem, sive carnis integritatem. Et de hac corona dicitur ⁴: « Corona aurea super caput ejus. » Secunda corona, quæ dicitur stellea, datur prædicatoribus: stella enim, propter suam luminositatem, prædicatam significat veritatem; et sicut stella est deviantium directiva, sic veritas prædicata est errantium illuminativa. Et de hac corona dicitur ⁵: « In capite ejus corona stellarum duodecim. » Duodecim stelle, quibus corona componitur, sunt duodecim proprietates stellarum, quæ in sermonibus *de communi Apostolorum* ⁶ ponuntur. Quære ibi, et lege sermones. Tertia

corona, quæ dicitur lapidea, datur martyribus, et pro Christo patientibus. Nam lapis, propter suam soliditatem, significat patientiæ firmitatem. Diabolus enim, quia impugnat per concupiscentiam, superatur a virginibus per virginales munditiam, quibus redditur corona aurea. Item, qui impugnat per fallaciam, vincitur a prædicatoribus per veram scientiam: propter quod datur eis corona luminea. Item, quia impugnat per violentiam, vincitur a martyribus per tormentorum sustentiam: propter quod datur eis corona lapidea. In prima corona coronantur actus concupiscibilis, cujus est carnis desideria frænare. In secunda corona coronantur actus rationalis, cujus est errantes instruere. In tertia corona coronantur actus irascibilis, cujus est ardua viriliter tolerare. Ille triplici corona beatus Bartholomæus est coronatus in patria: quia corona aurea, eo quod, ut creditur, virgo fuit; et corona stellea, quia prædicator optimus fuit; et corona lapidea, quia martyrium fortiter toleravit. Bene ergo de eo dicitur: *Posuisti, Domine*, etc. Et notabiliter dicit: *Coronam de lapide pretioso*, quo jam dicta triplex corona patenter est designata: nam lapis pretiosus habet ad modum auri incorruptibilitatem, sicut patet in adamante, per quod intelligitur virginitatis integritas. Item lapis pretiosus habet luminositatem, sicut patet in carbunculo aperte, in quo intelligitur prædicationis veritas. Uterius patet, quod lapis pretiosus habet soliditatem, in quo designatur patientiæ firmitas. Ergo vere et propriissime dicitur de hoc sancto Apostolo: *Posuisti, Domine, super caput*, etc. In quo verbo maxime tria notantur: primum est sublimitas ex parte donantis; secundum est idoneitas ex parte recipientis; tertium est pretiositas ex parte muneris. Nam primo notatur in conferente sublimitas, sive liberalitas, cum dicitur: *Posuisti, Domine*. Notatur secundo in accipiente idoneitas, sive dignitas, cum infertur: *in capite ejus*. Notatur tertio in munere pretiositas, cum adjungitur: *coronam de lapide pretioso*. Verum, quia multa dixi de corona, quæ omnia Apostolo sunt convenientia, convertamus sermonem ad instructionem nostram. Nos enim pauci sumus, qui has coronas accipimus: quia pauci sunt hodie virgines, pauci boni prædicatores, et nulli quasi martyres. Unde plorantes cum Jeremia possu-

Lapis
quid.

¹ *Cont.*, VII, 8. — ² Hunc non habet edit. Hagen. an. 1496. — ³ *Psal.*, XX, 4. — ⁴ *Ecdi.*, XLV, 14. —

⁵ *Apoc.*, XII, 1. — ⁶ Vid. infra, *De sanctis Apostolis*, serm. III, versus finem.

mus dicere illud ¹ : « Cecidit corona capitis nostri : vae nobis, quia peccavimus. » Est igitur hic notandum, quod triplicem coronam modo portamus, quam non portavit, sed projecit Apostolus. Prima est corona lasciviae, qua carne et mente indicimur; secunda est corona avaritiae, qua ad terrena deprimimur; tertia est corona superbiae, qua in vanum erigimur. Primam coronam nobis imponit corpus inficiens; secundam, mundus deficiens; sed tertiam diabolus fallens, vel decipiens.

Dico, quod prima corona, qua coronata est a carne, est corona lasciviae, quam servi ventris et carnis sibi tota die imponunt. Ad litteram enim videmus, quod servi sui corporis sibi, ad modum coronae, sarta faciunt de floribus, sive rosis. Unde dicunt illud ² : « Coronemus nos rosis, antequam marcescant : » quia eorum coronae mane sunt virides, sero siccæ : mane redolentes, sero foetidae : mane speciosae, in sero apparent nullae. Sic enim habetur ³ : « Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri : exsiccatum est fœnum, et cecidit flos. » Ergo corona, sive gloria carnis, est sicut gloria fœni, vel floris, quæ mane sunt pulchræ, in sero vero siccae, vel nullæ. Propheta ⁴ : « Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit. » ⁵ « Homo natus de muliere : » ecce fragilitas. « Brevi vivens tempore : » ecce vite modicetas. « Repletur multis miseriis : » ecce vite calamitas. ⁶ « Qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra : » ecce vite nostræ vanitas. « Et nunquam in eodem statu permanet : » ecce status varietas, et mutabilis (a). ⁷ « Mane sicut herba floreat, et transeat; vespere decidat, induret et areseat. » Quid ergo, homo carnalis, in corona vanissima gloriaris? Quid de tanta varietate lætaris? Nonne vides, quod cum stent cœlestia corpora, quatuor elementa, stent metalla, multa que talia, tu vero totus vanus, ut umbra, velocius transis, quam umbra vel herba? Nam ⁸ Nero Imperator, qui totus fuit servus carnis, impudice serviens lasciviis, sæpe ferens sarta de rosis, dum vanitatem hominum carnalium non agnovit, dum se diu regnare posse credidit, judicante Deo, quem esse non credidit, manu propria fustem per ventrem transfodit. Hanc coronam sibi non Apostolus, sed coronam po-

tius castitatis imposuit, quæ, sicut dicitur in *Legenda sanctæ Cæciliæ*, nunquam marcescet.

Secunda corona, qua coronantur a mundo, est corona avaritiæ, qua coronantur divites omnes, mundique amatores. Unde scribitur ⁹ : « Die regi et dominatrici : Humiliamini et sedete, quia de capite vestro descendet corona gloriæ vestræ. » Hæc est illa corona, qua quis pingitur coronatus in rota fortunæ : nam quia rota semper volvitur, nec ad momentum stare permittitur, dum ad summum pervenit, descendere cogitur. Et hæc est optima ratio : quia nec in prosperis est gaudendum, nec in adversis est desperandum; quia cum rota stare non possit, sæpe qui imus est, ascendit, et qui summus est, usque ad ima descendit. Unde scribuntur hi versus in rota fortunæ; nam qui in summo est, dicit :

Glorior elatus, descendo mortificatus.

Item alius, qui in imo est, dicit :

Infimus ecce premor, rursus ad astra vehor.

Unde sapiens Salomon mirabatur ¹⁰, qui videbat servos ambulantes in equis, et dominos super terram. Et illud etiam, cum dicebat ¹¹ : « Interdum de carcere et catena quis consurgit ad regnum, et filii regni inopia consumuntur. » Numquid non temporibus nostris reges, principes et barones sunt dejecti, et viles, et humiles exaltati, pauperes ditati, et divites pauperes sunt effecti? Probat enim Valerius Maximus ¹² multis, variisque exemplis, in uno eodemque statu neminem posse stare : quia hi mores fortunæ sunt, hos dejicere, illos elevare, summa imis, et ima summis evertere. Unde dicit, quod quidam Samiorum tyrannus bonis omnibus fuit plenus, et in omnibus videbatur fortunatissimus : nam omne quod desiderabat, sibi veniebat, sicut volebat, ita quod velle sibi esset quasi efficere. Nam et semel (ut dicit) quemdam annulum sibi charissimum in mare projecit, ad videndum, si sibi fortuna mutaret aspectum : quem continuo recuperavit, quia capto maximo pisee, qui annulum deglutivit, annulum ei restituit. Sed fortuna hæc sic grata in principiis, non sic perseveravit, sed faciem eidem mutavit : quoniam captus a præfecto regis, eum cruci affligi fecit. Unde concludit idem Valerius,

Polycrates.

¹ *Thren.*, v, 16. — ² *Sap.*, II, 8. — ³ *Isa.*, XLVI, 6-7. — ⁴ *Psal.* CXXVIII, 6. — ⁵ *Job*, XIV, 1. — ⁶ *Ibid.*, 2. — ⁷ *Psal.* LXXIX, 6. — ⁸ *Sueton.*, in *Nerone*. — ⁹ *Jerem.*,

XIII, 18. — ¹⁰ *Eccle.*, x, 7. — ¹¹ *Eccle.*, IV, 14. —

¹² *Valer. Max.*, lib. VI, c. 18, extern. D. 5.

(a) *Leg. mutabilitas.*

contra divitiarum fortunam loquens ¹ : « Caducanimum, » inquit, « et fragilia, et puerilia sunt hæc temporalia bona, quæ subito adveniunt, subitoque recedunt, et in nullo loco, nullaque persona stabilibus radicibus fixa consistunt : sed illos quos in sublime aliquando extulerunt, improvise recessa, destitutos in miserabilem profundum demergunt. Ob quam causam narrat, quod rex quidam sapiens fuit, cui dum corona regia esset oblata, ut capiti suo imponeret eam, ille eam manu diu dicitur considerasse, et tandem dixisse : « O corona magis nobilis quam felix, quam si quis vere cognoscat, quam multis curis, multisque periculis et miseriis plena sit, nec humi quidem jacentem tollere vellet ! » Hæc ergo omnia dum Apostolus consideravit, propter Christum omnia dereliquit, etc.

Tertia corona, qua a diabolo coronamur, est corona superbiæ. Ipse enim diabolus « est rex super omnes filios superbiæ, » sicut dicitur ². Hæc enim corona tota est vana, super vano fundata : et imo semper est ruinæ parata. Dominus enim alta non in petra, sed in arena fundata, semper minatur ruinam; et tanto major est, quanto situm obtinet altiore : quanto enim lapis a loco sublimiori cadit, tanto ejus casus est gravior. Cum ergo corona superba, et temporaliter alta, sit semper ad ruinam parata, nullo modo est appetenda : nam de hac corona sic dicitur ³ : « Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, et flori decidenti, gloriæ exaltationis ejus : » quasi dicat : Væ æternum erit superbiæ coronantis, cum corona talis sit, sicut gloria floris ad modicum decidentis. Unde statim subditur ibidem ⁴ : « Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum, et erit flos decidens gloriæ exaltationis ejus. » Propter quod damnati dicunt illud ⁵ : « Quid nobis profuit superbia? » Multum, et in tempore brevi Alexander se erexit; sed subito, dum non credidit, velut fumus evanuit. Julianus apostata in tantum ascendit, quod contra Christum Dei filium se erexit; sed dum vincere Persas credidit, a milite invisibiliter victus fuit ⁶. Et dum confirmari in regno speravit, in quo tantum imperaverat tribus annis, tunc subito lancea perforatus interiit, et

vellet, nollet, quod Christus de eo triumphaverit, ore maledico confessus coram hominibus fuit. Propterea sanctus Apostolus coronam superbiæ procul jecit, et dum coronam humilitatis accepit, ad regium et cæleste diadema sublimari promeruit, ut de eo propriissime dici possit : *Posuisti, Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso*. Quam et nobis præstare dignetur, etc.

DE EXALTATIONE S. CRUCIS.

SERMO 7.

Ad populos exaltabo signum meum ⁸. Crux dominica, quia ex tactu dominicæ carnis fuit sanctificata, in qua et facta est redemptio nostra, in multis exstitit exaltata. In dominica passione (a) primo, et principaliter. Nam quando Dominus hajulans sibi crucem, eam super humeros suos elevavit, et tandem ipse super eam ascendit, nonne valde exaltata fuit, quam Altissimus super se portavit? Unde dicitur cruci ⁹ : « Flecte ramos, arbor alta. » Et Dominus prædixit ¹⁰ : « Ego Dominus exaltavi lignum humile. » Vere, secundum Augustinum ¹¹, lignum crucis exstitit exaltatum, quando lignum, quod erat latronum patibulum, factum est regale vexillum, et transivit ad frontes imperatorum. » Secundo crux fuit exaltata in Apostolorum prædicatione, quando per totum mundum gloria crucis divulgata est. Unde et dicebat Apostolus ¹² : « Nihil judico me scire inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. » Non, » inquit, « veni ad vos in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi. » Tertio fuit exaltata in sua inventione propter ea, quæ facta sunt tunc, miracula : lege historiam ¹³. Quarto fuit exaltata in victoriæ collatione, et in hujus signi ostensione ipsi Constantino, cui et dictum est : « Confide : in hoc signo vinces. » Quinto fuit exaltata hodierna die in ejus recuperatione, et victoriæ collatione, in miraculorum multorum operatione : lege hodiernam historiam ¹⁴. Sexto est Crux exaltata in fidelium devotione, eo quod ab omnibus adoretur. Septimo exaltabitur crux Christi in die judicii,

¹ Valer. Max., lib. VI, c. 15, extern. n. 7. — ² Job, XLV, 23. — ³ Isa., XXVIII, 1. — ⁴ Ibid., 3. — ⁵ Sap., V, 8. — ⁶ Nieph., *Hist. eccle.*, lib. X, c. xxxv, circa med.; Cassiod., *Hist. tripart.*, lib. VI, c. XLVII. — ⁷ Hunc et quindecim sequentes habet quoque edit. Hagen. an. 1796. — ⁸ Isa., XLIX, 12. — ⁹ Claudian.

Mamert., hymn. Pass., ad Laudes. — ¹⁰ Ezech., XVII, 24. — ¹¹ Aug., in *Psal.* XXXVI, n. 4, quoad sensum. — ¹² I Cor., II, 2. — ¹³ Ibid., I, 17. — ¹⁴ *Hist. eccle.*, lib. VIII, c. XXIX. — ¹⁵ *Hist. tripart.*, lib. I, c. 19; *Eccle. hist.*, lib. VIII, et lib. II, c. XLVIII.

(a) *Cat. edit.* passionis.

quia, ut dicitur ¹: « Hoc signum erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit. » Bene igitur et proprie dictum est: *Ad populos exaltabo signum meum*. In primo notatur Crucis nobilitas, quam ex tangente contraxit; in secundo Crucis potestas, quam in signis ostendit. Notatur ergo primo excellentia singularis, cum dicit: *Signum meum*. Notatur secundo reverentia popularis, cum addit: *Exaltabo ad populos*. Est igitur hic notandum, quod præter illa beneficia per Crucem nobis ab antiquo collata, magna nobis tota die exhibentur beneficia, plusquam ulla exprimi possit lingua, vel scribi valeat ulla charta. Nam primo crux Christi est signum oberrantibus ad semitam reductivum; et secundo signum pœnitentibus, gratiæ collativum; est tertio signum pugnantibus, impotentiae firmativum; est quarto signum proficientibus, intelligentiæ directivum; est quinto signum diligentibus, misericordiæ promissivum; est sexto signum morientibus, ab hostibus defensivum; est septimo signum pervenientibus, ad gloriam inductivum.

Exem- Dico, quod crux Christi primo est signum re-
plum. clamatorium, quo fœlones revocantur ad manum. In hoc tamen signo, ad modum aucupis, non posuit Dominus carnem alienam; sed propriam, proprio sanguine rubieundam. Sed, proh dolor! quia avis extranea vocata suo reclamatorio venit; sed homo vocatus reclamatorio Christi, sæpe non venit, ad modum saturi accipitris, qui vocatus, redire contemnit. De hoc signo profugos revocante dicitur ²: « Levavit, » inquit, « Dominus signum in nationes, et congregabit profugos (a) Israel. » Qui erant profugi, nisi qui ad modum filii prodigi, erant a Deo peccando elongati? Sed hi ad viam sunt reducti, Crucis signaculo revocati. Nonne hoc est signum, quo carceres fracti, cœli aperti sunt? Nonne hoc est signum, quo sunt leprosi mundati, paralytici erecti, dæmones effugati, cæci ad lumen reducti, et ad vitam mortui revocati? Hæc enim omnia per Crucem fuerunt, et sunt corporaliter facta, et fiunt spiritualiter continue in Ecclesia. Ergo, fratres, si deviamus, hoc tanto signo revocati, redeamus. Nam et Exem- agniculus si in grege erraverit, mox audita,
plum.

quasi quodam signaculo, voce matris, signum agnoscit, et ad eam protinus redit. Restat ergo quod crux sit signum ad semitam reductivum.

Secundo Crux est signum pœnitentibus gratiæ collativum. Signum enim crucis Dominicæ signum est indulgentiæ. Si enim Dominus pro suis crucifixoribus voluit crucem pati; quid factum est homini pœnitere volenti? Exemplum de filio prodigo ³. Unde dicitur ⁴: « Ponam arcum meum in nubibus, et erit signum fœderis inter me et inter te: et non erunt ultra aquæ diluvii ad delendum omnem carnem. » Quid est arcus in nube, nisi Christus in cruce? Arcus ergo ille cœlestis, quia habet cornua versus terram, propter quod non est tensus ad eam ferendam, signat pacem et gratiam. Christus ergo eum in cruce extendit transversaliter brachia, et caput inclinavit ad terram, sicut dicitur ⁵, signavit se ad hoc pati voluisse, ut esset hoc signum gratiæ dandæ, et rigoris temperandi. Unde Bernardus ⁶: « Attende, o homo, capitis inclinationem ad osculum, extensionem brachiorum ad amplexum, apertionem lateris ad affectum. » Igitur sicut circulus est signum tabernæ, sic crux signum fuit gratiæ conferendæ. Numquid rex iste non dicitur exponere militibus thesaurum, qui in multis locis perforat dolium? Ergo, a simili, non vult Christus suæ nobis gratiæ dare donum, quem in cruce vides tot vulneribus perforatum? Bernardus ⁷: « Clamat clavus, clamat vulnus, quod misericordiæ Domini non est numerus (b). » Foderunt, » inquit, « ei manus, pedes, et latus, per quas rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. » Et propter hæc omnia dicit ⁸: « Qui proprio filio non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? » Ergo Crux est signum gratiæ collativum.

Tertio Crux est signum pugnantibus, impotentiae firmativum, confortativum, et roborativum. Sic enim Constantinum, et totum exercitum suum roboravit, quod plenum triumphum non solum de Maxentio, sed de cunctis hostibus reportavit, nec ullus in toto tempore suo, post vexillum crucis dominicæ, quod assumpsit, ei unquam resistere potuit. Heraclius Imperator, dum in hoc signo spem potuit, tantum a Deo robur accepit, quod filium Cosroe in singu-

(a) *Cœt. edit.* natione et congregatione profundi. — (b) *Apud Bern.* vere Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi.

¹ *Offic. Exalt. S. Cruc.*, versic. — ² *Isa.*, xi, 12. —

³ *Luc.*, xv. — ⁴ *Gen.*, ix, 13. — ⁵ *Joan.*, xix, 30. —

⁶ *Bern., de Pass. Dom.*, serm. XLIV. — ⁷ *Id.*, in *Cant.*, serm. LVI, n. 4. — ⁸ *Ibid.*, paulo superius. — ⁹ *Rom.*, viii, 32.

lari certamine vicit, et tandem sibi omnem illius exercitum subjugavit : nam et hoc signum, et vulneratos sanat, et debilitatos roborat. Unde dum filii Israel ab ignitis serpentibus morderentur ¹, præceptum fuit Moysi, ut faceret serpentem æneum, quem pro signo in ligno suspenderet, quem dum vulnerati attenderent, sanarentur. Serpens æneus similitudinem habens serpentis, non tamen habens venenum, fuit Christus non habens peccatum, sed similitudinem carnis peccati. Sicut igitur illi vulnerati a serpentibus, sanabantur ad illius serpentis aspectum; sic modo percussi a dæmonibus sanantur; sic modo percussi per Christum. Unde ipse dicit ²: « Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis : » imo longe magis; quia ibi tantum fuit figura, hic veritas pura. Unde ille serpens, ex virtute hujus serpentis, virtutem habuit sanativam. Unde dicitur ³: « Qui enim ad eum convertebatur, non per hoc, quod videbat, sanabatur, sed per te omnium salvatorem. » Ad litteram legitur de illo serpente, cujus virtus erat per hunc sanare. Quia igitur hoc signum vulneratos sanat, per consequens eos firmat, et ab belandum roborat. Dum enim fidelis miles ducem suum in cruce vulneratum videt, miro modo roboratur ad bellum. Bernardus ⁴: « Si passio Domini ad memoriam revocetur, nihil tam durum, quod non æquo animo toleretur. Valde enim milites animosi fiunt, dum in vexillum regis vident et intendunt. » Et hoc satis aperte dicitur, ubi legitur ⁵: « Et dato eis signo de adjutorio Dei, ipse dux in prima acie commisit bellum : et facto sibi adjutore Omnipotente, interfecerunt fere quattuordecim millia hominum, et reliquos fugere compulerunt. » Ergo crucis signum est vulneratorum omnium sanativum, et omnis debilitatis et impotentiae firmativum.

Quarto signum crucis est signum ambulanti-
bus et proficientibus intelligentiæ directivum. Ambulantes enim sæpe deviant et aberrant, si cruces, quæ ponuntur in viis in multis partibus, non attendant; sic viam ad patriam nescit, qui crucem Dominicam non attendit. Unde dicitur presbyteris, quorum est aliis viam præbere ⁶: « Præparate viam ante omnes, » alios antecedendo, « et plenum facite iter; » de via offendicula removendo, « et levate signum ad popu-

los. » Idem signum crucis eis itinera demonstrat; nam, sicut in eodem dicitur ⁷: « Hæc est via, et non est alia præter ipsam. » Nonne dicit ⁸: « Ego sum via? » Nonne in eodem dicitur ⁹: « Ego sum ostium, et qui aliunde intrat, fur et latro est? » Quid igitur frustra quidam quærunt sibi viam ad patriam per mundum, vel mundi divitias; quidam per carnis delicias; quidam per honorum eminentias? Frustra laborant, qui supra petram seminant, quia non est hæc via ad regnum, sed potius ad infernum. Nonne stultus esset, qui, si vellet ascendere in montem, teneret viam deducentem ad vallem? Quis, nisi stultus, volens cum festinantia ire Romam, viam teneat ducentem in Franciam, quæ semper elongat a Roma? Cum igitur via crucis nihil habeat nisi asperum, et hæc sola sit via ad regnum, restat necessario esse ponendum, quod omnis via, quæ dulce bonum sequitur, non amarum, ductiva sit ad infernum. Sicut enim omnis aqua fluminis intrat, et finitur in mare; sic est, ut dicit Richardus ¹⁰, omnino necesse, ut omnis humana dulcedo terminetur in amaritudine. Quid enim morte amarius, morte scilicet quæ secunda dicitur, et nunquam finitur? Sed quæ est vita in mundo, quæ mortis termino non claudatur? Quæ si in dulcedine ducitur, non solum morte corporis, sed morte gehennali, quæ est gravissima, terminatur.

Ergo, fratres, non laboremus in vanum, non nos decipiat hoc bonum creatum, quia nulla via alia est ad regnum, nisi per Dominum crucifixum. Unde cum sanctus Franciscus multis lacrymis sibi viam salutis a Deo oraret ostendi, librum accepit, quem ad hoc posuerat in altari; quem cum aperisset, ut videret quid sibi occurreret et quid sibi Dominus demonstraret, Dominica passio sibi primo occurrit. Cumque ne casu hoc esset factum, secundo et tertio hoc fecisset, semper sibi idem occurrit. Tunc intellexit vir Dei, quod non erat alia via salutis, quam dominicæ passionis et crucis. Ergo licet concludere, quod crucis vexillum est signum proficientibus directivum.

Quinto crux Christi est signum amantibus misericordiæ promissivum. Si enim ¹¹ « majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis, » patet, quod multum nos amavit, qui pro nobis crucem sustinuit. Bernardus ¹²: « Patet amor cordis per vulnera corpo-

Exem-
pla.

¹ Num., XXI, 6 et seq. — ² Joan., III, 14. — ³ Sap., XVI, 7. — ⁴ Lib. de Pass. Dom., c. LIV. — ⁵ II Mach., XIII, 15. — ⁶ Isa., LXII, 10. — ⁷ Isa., XXX, 21. —

⁸ Joan., XIV, 6. — ⁹ Ibid., X, 1. — ¹⁰ Richard. — ¹¹ Joan., XV, 13. — ¹² Bern., in Cant., serm. LXI, n. 4.

ris. » Et iterum Bernardus ait ¹ : « Hoc est, bone Jesu, quod devotionem meam plus movet, plus urget : calix, Domine, quem bibisti, opus redemptionis nostrae. » Unde de hoc exponitur illud ² : « Radix Jesse, qui stat in signum populo-
rum, ipsum gentes deprecabuntur. » Ad litteram de Christo loquitur, qui fuit radix, quia sicut radix est primum fundamentum et sustentamentum totius arboris, sic Christus est radicale principium omnis gratiæ spiritualis. Sed hic in cruce positus est in signum, ut dum ab omnibus videretur, omnes eum deprecarentur, ut nobis misericordiam impetraret. Non est, fratres, recedendum a corde, non recedendum ab opere : hoc signum nobis est imperativum. Unde dicitur in Exodo ³ (et loquitur de Pascha, in quo passio Dominica est signata) : « Erit hoc quasi signum in manu tua, et quasi monumentum ante oculos tuos : » quasi dicat : Cum converteris cor tuum ad agenda, hoc erit tibi pro signo in manu ; si vero ad cogitanda, erit tibi pro signo ante oculos. Unde *Ecclesiasticus* ⁴ : « Gratiam fidejussoris tui ne obliviscaris : dedit enim pro te animam suam. » Quid pro te dare majus aliud potuit ? Ergo qui pro te dedit animam, non faciet tecum misericordiam, si tamen tanti beneficii non inveniaris ingratus ? Accipe hoc exemplum beati Carpi ⁵, quod ponitur in Legendis, cui Christus dixit, quod erat paratus iterum pro peccatoribus crucifigi. O summa pietas, summaque misericordia Domini Salvatoris, qui cum tota die offendatur a nobis, non tamen nobis sua beneficia retrahit, sed continuam misericordiam nobis impendit, et nunc per interna concilia, nunc per exteriora carnis verbera, nunc per Scripturæ documenta, nunc per beneficia, et nunc æterna comminando supplicia, bonaque promittendo æterna, nos cogit ad regnum ! Ergo crux est signum misericordiæ donativum.

Sexto est signum morientibus ab hostibus defensivum. Non tute quis transit, ubi latrones stant in insidiis, nisi vexillum deferat sancte crucis : nam, hoc signo victorioso viso, terrentur mirabiliter demones, fugantur hostes, nec appropinquare audent demones. Unde quando quis oleo ungitur in extremis, crux ibi dimitti in auxilium morientis consuevit, ut ea visa,

confortetur infirmus, et terreatur diabolus. Unde dictum est in figura ab Angelo percussore ⁶ : « Erit vobis sanguis in signum, et videbo sanguinem, et transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti. » Et propter hoc dicitur Angelo percussori ⁷ : « Signa Thau super frontes virorum gementium et dolentium. » Et subditur ibi : « Super quem videritis signum Thau, ne occidatis. » Ergo si nulli parcitur, sed omnis occiditur super quem Thau non invenitur, restat quod ercis signum est morientium defensivum. Nam et de quodam Judeo narrat Gregorius ⁸, quod dum in quodam templum idolorum propter noctem aliquando declinasset, eo quod aliud hospitium habere non posset, timens, quamvis in Crucifixum non crederet, crucis signaculo se munit : cumque in ipsa nocte ibi multitudo demonum convenisset, unus ex eis ait : Quis est ille qui nos aspicit ? Cumque quidam irent ut viderent, territi clamaverunt : Væ, væ, væ, vas vacuum, sed signatum : statimque omnis illa turba disparuit demonum. Dicitur etiam in *historia tripartita* ⁹, quod nemo illorum, qui tempore Constantini vexillum crucis portabat tempore belli, potuit unquam vulnerari, vel capi. Ergo si ad defensionem hominis tanta in viventibus est virtus crucis, quantum putas auxilii conferre mortuis, cum in extrema necessitate sunt ?

Septimo crux Christi est signum pervenientibus ad gloriam perductivum et in ipsa gloria ornativum. Nulli enim cælestis janua clauditur, si vexillum crucis ab eo feratur. Unde dicitur in quadam historia, quod latro, qui fuerat cum Domino crucifixus, vadens ad paradysum deliciarum, super se detulit crucis signum : quod dum vidit Angelus custodiens paradysum, statim eum intrare permisit. Propter quod et in Apocalypsi ¹⁰ dicitur, quod Joannes vidit numerum signatorum ex omnibus gentibus : stantes ante thronum, amicti (a) stolis albis, et palmæ in manibus eorum. » Cumque quæreret, qui essent, audivit : « Illi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni. » Ergo si in cælis volumus coronari, necesse habemus hoc signo signari, cum sit gloriæ collativum, et in ipsa gloria ornativum : ad quam nos Deus perducere dignetur, etc.

¹ Bern., in *Cant.*, serm. XX, n. 2. — ² *Isa*, XI, 10. — ³ *Exod.*, XII, 9. — ⁴ *Eccli.*, XXIX, 20. — ⁵ De hoc B. Carpo, sancti Pauli Apostoli discipulo, de qua hæc eadem re Petrus de Natalib. in *Catalogo Sanctorum*,

lib. IX, cap. LVI. — ⁶ *Exod.*, XII, 13. — ⁷ *Ezech.*, IX, 4, 6. — ⁸ Greg., *Dialog.*, lib. III, c. VII. — ⁹ *Hist. tripart.*, lib. I, c. V. — ¹⁰ *Apoc.*, VII, 4, 9.

(a) *Cæt. edit.* amictis.

DE S. MATTHÆO APOST. ET EVANG.

SERMO PRIMUS.

Conversus sum, ut viderem vocem quæ loquebatur mecum ¹. Peccatum, sicut docet Augustinus ², est aversio ab incommutabili bono, et conversio ad commutabile bonum. In omni enim mortali peccato sunt necessaria ista duo, scilicet aversio et conversio : sed aversio est in peccato sicut formale, et conversio sicut materiale, et ideo aversio et conversio non sunt duo peccata, sed unum, et sunt simul ista duo, scilicet aversio et conversio. Nam sicut in degeneratione et corruptione elementorum, ut Philosophus dicit ³, generatio unius est corruptio alterius, et e converso; sic etiam suo modo intelligendum est in peccato : quia nunquam quis a Deo avertitur, nisi ad aliud convertatur; et dum ad commutabile bonum convertitur, ab incommutabili bono avertitur. Verum quia omnia peccata in aversione conveniunt, ex illa parte distingui non possunt, quia nulla inter se differunt per ea, in quibus conveniunt : ergo ex parte conversionis ad commutabile bonum fit distinctio peccatorum. Unde conversio ad pecuniam dicitur avaritia; conversio ad propriam excellentiam dicitur superbia : et sic omnis culpa denominatur a conversione propria, ita quod sit hæc denominatio a materia, non a forma.

Sed nota, quod quia simplex est anima, non potest simul, et semel ad duo converti bona, et maxime si sint distantia multum. Quare homo conversus ad incommutabile bonum, non potest converti ad commutabile bonum; imo dum ad Deum convertitur, necesse est ut a bono commutabili ejus facies avertatur. Quia ergo beatus Matthæus, tanquam publicanus, erat ad mundum conversus, et a Deo aversus, a Christo vocatus, necesse habuit faciem a lucro, quod intendebat, avertere, et se ad Christum vocantem convertere. Unde optime dicit : *Conversus sum, ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum* : primo, ut viderem me vocantem. In quo verbo ostendit in duobus suam obedientiam et conversionem esse perfectam, scilicet ex parte cordis, a quo omne bonum initiatur (cor bonum omne initiat, tanquam fontale vite principium), et ex parte operis, quo bonum quodlibet consummatur : cor etiam omne opus bonum con-

summat, dum illud adducit in actum. Notatur igitur primo perfecta conversio cordis, cum dicit : *Conversus sum*. Secundo notatur perfecta superadditio operis, cum addit : *Ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum*. Quid enim fuit vocem videre, nisi eam audire? et quid est vocem audire, nisi voci obedire, quod dicitur in opere ponere? Unde mos est apud quosdam, quod cum nolunt, quod audiunt, facere, dicunt se non audire : Non, inquiunt, te audiemus, id est, quod dicitis non faciemus. Dicit ergo sanctus Matthæus jam ex publicano sanctus apostolus : *Conversus sum, ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum*. Est igitur notandum quod ad conversionem, etsi nos omnia inducant, sunt tamen quatuor quæ nos debent movere, scilicet culpa, gratia, pœna, gloria. Nam nos ad conversionem movere debet primo culpa, qua Dominum Deum Redemptorem offendimus; secundo gratia, quam peccando perdidimus; tertio pœna, quam per culpam meruimus; quarto gloria, a qua nos exclusi fuimus.

Dico quod ad conversionem cum sancto Apostolo faciendam, movere nos debet culpa, qua Deum offendimus. Quid est enim culpa, nisi quedam lutosa fœtensque materia? Sed quis est pulchris pannis ornatus, si in lutum caderet, qui citissime inde non surgeret, si saltem valeret? Sed quid anima pretiosius? Ergo si in lutum cecidit culpæ, numquid non cito inde debet se erigere? Item quis est in regno Franciæ, qui si Regem offendisset, non pro posse laboraret, nec moram interponeret, ut in ejus gratiam rediret? ergo quod fit regi mortali, non magis faciendum est Domino immortalis? Et ideo beatus Apostolus a Christo vocatus, nec rationem Domino reddidit, nec inducias postulavit; sed, ut dicitur ⁴, « surgens, secutus est eum. » Poterat enim dicere illud ⁵ : « Cogitavi vias meas, » id est, affectus meos, « in testimonia tua. Quæ enim mulier, si nobilissimum virum haberet, deprehensa ab eo in adulterio, non statim surgeret, verecundiam induceret, et ad virum indulgentem, et suppliciter vocantem, non statim accederet, et veniam lacrymis postularet? Sed talis est anima, Christi sponsa, peccato prostituta : ergo ipse dicit animæ ⁶ : « Tu, » inquit, « fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, et ego suscipiam te. »

¹ *Apost.*, 1, 12 — ² *Aug.*, de *Civit. Dei*, lib. XII, c. vi et viii, quoad sensum. — ³ *Arist.*, de *Generat.*, lib. I,

c. 10, text. 17. — ⁴ *Matth.*, 1X, 9. — ⁵ *Psal.* CXXIII, 59. — ⁶ *Jerem.*, III, 1.

Solum hoc peto a te, ut te recognoscas in virum tuum, me Dominum tuum, offendisse. Unde statim subdit ibidem ¹: « Leva oculos tuos in directum, et vide ubi non prostrata sis. » O summa et inenarrabilis pietas Domini Dei nostri! fornicatur uxor alienius hominis, et statim eam expellit, et vix unquam ei pareitur; sed peccat anima Christi sponsa, nec uno tantum, nec pluribus peccatis, sed modis innumeris, cum mundo, carne et diabolo: et statim si redeat, statim eam vocat ad se, et omnia peccata condonat, imo quod majus est, nolentem redire vocat; ut redeat et revertatur, revocare non cessat. Unde dicitur ²: « Convertimini, filii revertentes, quia ego vir vester: et assumam vos: » et multa ponuntur ibi de hac materia.

Secundo, ad conversionem nos movere debet gratia, quam peccando perdidimus. Quis enim non doleret, si perderet frumentum in horreis positum? Quis, si perderet vinum in dolliis conservatum? Quis, si amiserit asinum, bovem vel equum? Quis insuper non doleat, si perdat thesaurum diu in scriniis conservatum? Sed quantus credendus est omnis thesaurus corporalis, comparatus spirituali? Quid est enim corpus ad animam? Ergo quanto est anima corpore nobilior, tanto thesaurus animæ est thesauro corporali melior: atque (a) thesaurus animæ est, quo solo anima dives est: ergo si tantum doles pro amissione thesauri corporalis, quantum dolorem decet habere pro amissione thesauri spiritualis? Ergo si perdidisti, necesse habes ad Deum converti, ut deum recuperes quod amissum est. Item considera aliud: Si enim aliquis haberet a rege Franciæ aliquod signum, quo habito esset amicus regis, quo ostenso pateret ei, quodcumque vellet, ingressus ad regem, et quo signo servato deberet a rege regnum magnum accipere: dic, si potes, quantum doleret, si signum hoc perderet? Multum enim doleret. Et pauperes, si contingat eos perdere signum per quod admittuntur ad eleemosynam Papæ, quantum, putas, dolerent? Sed gratia est tale signum, quo habito, amici sumus Regis æterni, et quo ostenso, ad intima secreta ejus admittimur, et quo servato, æternum regnum accipimus. Ergo nonne dolebit ex omnibus medullarum præcordiis,

qui hoc signum per negligentiam suam perdidit? Ergo, fratres mei, ratione signi perditum debemus cum Apostolo ad Christum converti. Unde dicitur nobis ³: « Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, fletu et planctu, et sciindite corda vestra, et non vestimenta vestra. » Ecce qualiter debet converti ad Dominum, qui ejus perdidit signum. Nam debet esse conversio perfecta et integra, quia corde toto; debet esse corporis afflictiva, quia in jejunio; debet esse lacrymosa, quia cum fletu multo; debet esse dolorosa, quia corde perfecto et contrito. Et quia sic ad Christum hic sanctus Apostolus est conversus, poterat dicere illud ⁴: « Postquam convertisti me, egi pœnitentiam. » Et illud ⁵: « Ideo me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere. » O quanta fuit hujus Apostoli pœnitentia! quam dura! quam aspera! quam diuturna in discurrando, in predicando, in fame, in siti, et calore, et frigore, et ultimo mortem pro Domino sustinendo. Unde Apostolus de se aliisque apostolis ⁶: « Puto enim quod nos Deus Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, angelis et hominibus. » Et addit ⁷: « Usque in hanc horam, et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, colaphis cedimur, et instabiles sumus, » etc. Sed quis hodie dolet de gratia perditâ? quis laborat, ut gratiam amissam recuperet per pœnitentiam? Unde Dominus conqueritur dicens ⁸: « Quare dixit populus meus: Recessimus, non venimus ultra ad te? » Heu me! quia a Domino Deo nostro recessimus, ad Deum converti per pœnitentiam non curamus, et tamen Dominus benignissimus dicit: *Populus meus*. Quomodo suus, si ab eo recesserat? quomodo suus, si redire nolebat? Sed suus erat propter faciendam cum eo misericordiam; sed non suus propter culpam commissam: vel suus propter electionem æternam; non suus propter temporalem malitiam: vel suus propter cõs, qui erant ibi boni; et non suus, propter eos qui erant ibi mali.

Tertio ad conversionem nos movere debet pœna, quam peccando meruimus: statim enim ut peccavimus, et gratiam divinam abjecimus, æternæ pœnæ, tanquam mortis filii, sumus obligati; imo statim ut homo peccavit, si Deus non misericorditer expectaret, sed secundum

¹ Jerem., III, 2. — ² Ibid., 14. — ³ Joel., II, 12. — ⁴ Jerem., XXXI, 19. — ⁵ Job, XLII, 6. — ⁶ I Cor., IV, 9. — ⁷ Ibid., 11. — ⁸ Jerem., II, 31.

a) Leg. atqui.

justitiam contra nos procederet, statim nos in infernum dejiceret. Et est mirabile, quia unde deberemus Deo esse subjectiores, et ipsius maximi amatores, inde sumus pejores. Quis judicem non amaret, si ingratus non esset, qui cum mox eum ex justitia occidere posset, eum eum misericordia expectaret? Sed verum est quod scriptum est: « Quia, » inquit, ¹ « non proferatur statim contra malos sententia, filii hominum absque ullo timore perpetrant mala. » Sed sciant peccatores certissime, quod quanto ex misericordia diutius expectantur, tanto, si non convertantur, durius ex justitia punientur; et quod pejus est, misericordia postea transibit in vindictam. Naturale enim est ut judices qui mites sunt, et cum malefactoribus mitius agunt, quod dum illi misericordiam non agnoscunt, judices in iram fortius inardescunt, et tanto fiunt crudeliores, quanto prius fuerant mitiores. Exemplum de illis ², qui rogabant Eleazarum propter antiquam, quam habuerant cum viro amicitiam, ut se comedere carnes porcinas tantum simularet, ut sic mortem evaderet: eumque se hoc facturum negaret, dicitur ibi, quod illi qui prius fuerant ei mitiores, in iram majorem contra eum convertebantur. Et propter hanc causam dicitur ³: « Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit » ad vulnerandum; « arcum suum tetendit, et paravit illum » ad sagittandum, « et in eo paravit vasa mortis » ad æternaliter puniendum. O si scirent quantis pœnis sunt puniendi, quam intensis doloribus affligendi, quam diuturnis et continuis ignibus exurendi, vellent non esse nati. O summa stultitia hominis! quia timet agnus lupum, et eum fugit: timet mus murilegum, et se ab eo abscondit: timet cervus ursum, et animal omne leonem, et ejus rugitum expavescit: timet aquilam omnis avis, dum ipsam in aere sentit, unde, ipsa die qua faleo eam sentit, ad prædandum non exit; et homo, creatura rationalis, cujus est anima immortalis, et pœna, quæ ei dabitur, est ex parte peccati æternalis, non tanta pericula expavescit. Si timet latro suspendium, cujus pœna est ad momentum, quanto amplius esset timendum, si semper duraret suspendium, et pœna illa, quam ex laqueo sentit ad momentum, esset durabilis in æternum? Ergo quomodo sic stulti sumus, ut non timeamus ignem inflammantem, ignem devo-

rantem, ignem indeficientem, et serpentes ignitos, carnes nostras perpetuo et continue comesturos, nunquam ad satietatem venturos? et omnia hæc et alia mala innumera non sustinebunt miseri ad momentum, nec per mille millia annorum, sed per plura millia millenaria, quam sint in mari guttæ aquarum, et magis in infinitum, quia usque in sempiternum. Tunc enim desinet pœna miserorum, quando gloria desinet beatorum, imo, quando Deus desinet esse Dominus omnium. Et propterea sane consulitur homini: « Ne, » inquit ⁴, « tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem, ne subito veniat ira illius, et in tempore ultionis disperdat te. »

Quarto, ad conversionem movere nos debet gloria, quam peccando amisimus. Homo enim, quando equum aut pecuniam perdit, statim surgit, et vadit quærendo, donec reinvenit quod amisit. Exemplum hoc ponit Dominus de illo qui ovem perdidit, et de muliere quæ drachmam amisit. Ergo si sic sit pro parva re temporali et pro re mortali, quid faciendum esset pro re immensissima, nullis temporibus finienda? Ergo, fratres mei, si peccando gloriam illam beatam amisimus, si nos a societate sanctorum reclusimus, per pœnitentiam nos ad Deum convertamus, et indulgentiam illius fuis lacrymis postulemus, quia benignus est Dominus: et recuperabimus quod amisimus. Unde dicitur ⁵: « Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quoniam benignus est » in tolerando, « misericors » in sustinendo, « patiens » in expectando, « multe misericordiæ » in remittendo, « et præstabilis super malitiam, » gratiam conferendo, et gloriam finaliter dando. Et propterea dicitur ⁶: « Convertimini et agite pœnitentiam a criminibus et inquinamentis vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas vestra. » De his quatuor considerationibus ad conversionem monentibus sic ait Bernardus ⁷: « Considera unde venis, et erubescere, » quantum ad primam: « ubi sis, et ingemiscere, » quantum ad secundam: « quo vadis, et contremiscere, » quantum ad tertiam: « ad quid vadas, et concupiscere, » quantum ad quartam. Quod ipse præstare dignetur.

SERMÔ II.

Postquam convertisti me, egi pœnitentiam ⁸. Si-

¹ *Eccl.*, VIII, 11. — ² *II Mach.*, VI, 21 et seq. —

³ *Psal.* VII, 13. — ⁴ *Eccl.*, V, 8. — ⁵ *Joc.*, II, 13.

— ⁶ *Ezech.*, XVIII, 30. — ⁷ *Bern.*, de *prim.*, med. et *noviss.*, serm. XII, II, 1. — ⁸ *Jerem.*, XXXI, 19.

Exem-
plum.

Exem-
plum.

Exem-
plum.

Exem-
plum.

cut enim baptismus est post peccatum, sive post naufragium, prima tabula qua eripimur a procella, sive a culpa, quæ est maris tempestas; sic pœnitentia eis qui relabuntur in culpam, est secunda tabula, qua liberatur anima a recidivo. Nam sicut baptismo liberamur a culpa originali, sic per pœnitentiam liberamur ab actuali: ergo qui post ablutionem baptismatis recidivat in culpam, non debet secundam contemnere medicinam, cum jam amiserit primariam. Egrotus enim, si non sit stultus, si recidivet, postquam a medico est curatus, medicum advocat et rogat, ut secundam medicinam apponat, per quam morbum ejiciat: cum enim ægrotudini sit contraria medicina, et contraria curentur contrariis, sicut calido frigidum, et frigido calidum, quoties replicatur morbus, toties repetenda est medicina: sieque quoties iteratur culpa, toties illi contraria reiteranda est pœnitentia. Cum ergo sanctus Apostolus post mundationem primam in circumcisione factam, fuerat relapsus in culpam, non veritus est agere pœnitentiam. Unde dicit Domino: *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam.* In quo verbo notantur principaliter duo: unum ex parte Dei, ex parte Dei notatur vel monstratur misericordia, qua Apostolum olim publicanum convertit; alterum ex parte Apostoli, ex parte Apostoli notatur justitia, qua se pro peccato punivit. Ostenditur autem divina clementia in Apostolum convertendo, cum dicitur: *Postquam convertisti me.* Secundo notatur Apostoli justitia, in se acriter puniendo, cum additur: *Egi pœnitentiam.* Est igitur notandum, quod ad pœnitentiam, quantum ad presens, quatuor sunt motiva: scilicet mundialis ignominia, in qua sumus; judicialis sententia, quam timemus; infernalis miseria, quam pati meruimus; supernalis gloria, a qua nos exclusimus. Agamus igitur pœnitentiam, vel ut evadamus ignominiam, vel ut redeamus in gratiam, vel ut declinemus æternam miseriam, vel ut admittamur ad gloriam perpetuam.

DE S. MICHAELE.

SERMO ¹.

Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis ², etc. Verbum propositum, as-

sumptum de Psalmo ad laudem et commendationem angelorum, simul quoque excitat nos ad eorum dilectionem, et ad divinam laudem, et gratiarum actionem. Deus enim, propter suam pietatem, deputavit angelicam dignitatem, ad adjuvandam nostram infirmitatem. Describuntur autem sancti angeli in verbo proposito, quantum ad tria: scilicet vel quantum ad officium, vel quantum ad injunctum ministerium, vel quantum ad impensum obsequium, sive beneficium, ita quod in officio extollitur angelica dignitas, cum dicitur: *Angelis suis.*

Angelus enim est nomen officii, non nature: nam Angelus idem est quod nuntius. Non parvæ aut exiguæ dignitatis est esse nuntium Dei; unde Augustinus ³: « Habet Deus, » inquit, « nuntios, id est, angelos, non quod ei quod nescit annuntient, sed bonum eorum est ejus de operibus consulere voluntatem. » In injuncto ministerio ostenditur divina pietas, cum dicitur: *Mandavit de te.* Magnæ pietatis et benignitatis indicium est deputare tales ministros humanæ infirmitatis, sine quibus nullo modo esset tuta. In impenso beneficio exprimitur humana utilitas, cum subjungitur: *Ut custodiant te in omnibus viis tuis.* De quibus custodibus Isaias ⁴: « Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, » etc. Ne autem contingat nos esse ingratos divinis præsiidiis, dicamus aliquid de angelicis ministeriis, et collatis beneficiis. Angeli sancti divino imperio multiplicia nobis impendunt obsequia; multiplicia etiam conferunt beneficia, quæ omnia ad novem reduci possunt, juxta novenarium angelorum ordinem.

Primo enim nobis obsistunt in malis et peccatis, ponentes impedimenta: frequenter enim tum ex natura corrupta, tum ex infirmitate contracta, tum ex malitia concepta, laberemur in multiplicia et enormia peccata, nisi sancti angeli obviarent nobis, et impedimenta apponerent. Quod optime signatum est *Numerorum* ⁵, ubi dicitur, quod contra Balaam Angelus evaginatum habebat gladium, quem cernens asina avertit se, et ibat per agrum: quam cum verberaret Balaam, ut eam ad viam reduceret, stetit Angelus in angustiis duarum maceriarum, quibus vineæ einguntur: quem videns asina junxit se parieti, et attrivit sedentis pedes: at

¹ Neque hunc, neque sequentem habet codex Assis. sac. XII; sed alium prorsus diversum in festo apparitionis S. Michaelis, qui desideratur in edit. Vat. et

Ven., ac proinde in hac nostra Utrumque habet edit. Hageno. an 1496. — ² *Psal.* XC, 11. — ³ *Aug., de Genes. ad litt.*, lib. V, c. VII, n. 37. — ⁴ *Isa.*, LXII, 6. — ⁵ *Nun.*, XXII, 23 et seq.

ille iterum verberavit eam, et tunc Angelus in augusto loco, ubi nec ad dexteram, neque ad sinistram poterat declinari, obvius stetit. Cumque vidisset asina stantem Angelum, concidit sub pedibus sedentis, qui iratus vehementius cædebat fuste latera ejus. Aperuitque Dominus os asinæ, et locuta est: « Quid feci tibi, cur percutis me? » etc. Deinde dixit: « Nonne animal tuum sum, cui semper insidere consuevisti usque in præsentem diem? Dic, quid simile unquam fecerim tibi? » At ille ait: « Nunquam. » Protinus aperuit oculos Balaam Dominus, et vidit Angelum stantem in via, evaginato gladio. Cui Angelus: « Cur tu verberasti asinam? ego veni, ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihi que contraria. » Breviter, quantum ad propositum sufficit, felix talis adversarius, quia in malis adversatur. Et ideo optimum est consilium Salvatoris¹: « Esto consentiens adversario tuo, dum es in via tua, ne forte adversarius tradat te judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. » Adversarius iste bonus Angelus est, qui in malis nobis obsistit, et in his ei consentire debemus, ne forte nos tradat judicæ, id est, Christo judicanti, vel in fine, vel in morte. Angeli enim, qui nos modo custodiunt, postmodum nos accusabunt, ut judex tradat ministro, id est, diabolo tortori, et mittat te in carcerem infernalem, *donec solvas usque ad minimum quadrantem*, id est nihil remanebit impunitum, vel, usque ad minima peccata. Per hoc, quod dicit: *Donec solvas*, pœna intelligitur æterna. Nam illud debitum solvitur, ut non relinquatur pœnitendi locus, non quod aliquando illa pœna cesset. Si autem aliquis curiose inquirat, quomodo asina locuta est, et quomodo Dominus aperuit os ejus: dico quod non contulit sibi Dominus officium loquelæ, nec simpliciter, nec ad tempus, ut quidam dixerunt, sed, ut dicit Origenes et Augustinus², Angelus movebat organa ejus, et plectrum linguæ formabat verba, sicut diabolus serpentem, qui loquebatur Adæ; sed non terrebatur de re tam insolita, quia nimia cupiditate cæcatus ferebatur ad accipiendum munera, quæ Balaam miserat, ut dicit Augustinus³, et assuetus erat monstris Balaam, cum esset incantator.

Secundo, resistunt adversariis, et repellunt hostilia tentamenta. Nam, ut dicit Apostolus⁴: « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem » tantum, « sed adversus principes et potestates, adversus spiritualia nequitie, in cælestibus. » Hinc Petrus⁵: « Adversarius vester diabolus, » etc. « Cui nulla potestas super terram comparari potest, » ut dicit Job⁶. Modo impugnat per violentiam tribulationum, modo per blanditias tentationum, modo per astutias et fraudulentias illusionum et deceptionum, modo per curiositatem. Contra igitur hostes tam callidos, tam potentes, humana fragilitas nequam stare posset, nisi haberet sanctos Angelos adutores, qui eorum sævitiam coercerent, et eorum repellerent impugnationes. Gratias igitur Deo agamus, qui tales nobis dedit propugnatores. Hoc optime signatum est in *Daniele*, ubi dicitur⁷: « Misit Dominus Angelum suum, et conclusit ora leonum, et non me contaminaverunt. » Leones, ut prædictum est, demones sunt, qui multo leonibus crudeliores nos appetunt devorare⁸: « Ne tradas bestiis animas confitentes tibi. » Sed Dominus mittit angelicam potestatem, quæ eorum coeret rapinas, ut aut non noceant, aut, si noceant, non noceant quantum appetunt: et hoc est ora leonum concludere. Hoc nihilominus signatum est⁹ per Angelum Tobie, qui demonem nomine Amoldæum, qui interficiebat viros Saræ, alligavit in deserto superioris Ægypti, ut neminem læderet, hoc est, ejus compescuit potestatem. Hi sunt nostri custodes et protectores, qui semper et ubique nobis assistunt, nec nos patiuntur lædi, nisi velimus. Propter quod dicit illa sancta Judith¹⁰: « Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus hinc euntem, ibi morantem, et inde huc revertentem, et non permisit me coinquinari. »

Tertio peccatores, sive in peccata lapsos, illuminant et excitant ad pœnitentiæ lamenta: sicut enim dicit Salvator¹¹, « qui facit peccatum, servus est peccati. » Ideo, quamdiu voluntas sub peccato astricta est, non potest detestari peccatum: non potest per se sibi displicere peccatum: et ideo undique incitant et stimulant Angeli. Deus igitur, ex sui misericordia, qui non *continet in ira sua misericordias suas*¹², per Angelos facit nos excitari: unde jacentes in peccatis

¹ *Matth.*, v, 25. — ² Imo auctor, quisquis sit, lib. *de Mirabil. S. Script.*, I, xxxiv, inter Opera August., Append. tom. III. — ³ Imo auctor serm. xxxiii, al. *de Temp.*, n. 2, inter Opera Aug., Append.

tom. V. — ⁴ *Ephes.*, vi, 12. — ⁵ *Petr.*, v, 8. — ⁶ *Job*, xli, 24. — ⁷ *Dan.*, vi, 22. — ⁸ *Psal.* lxxiii, 19. — ⁹ *Tob.*, iii, 8 et seq. — ¹⁰ *Judith*, xiii, 20. — ¹¹ *Joan.*, viii, 34. — ¹² *Psal.* lxxvi, 10.

excitant et stimulant, ut resurgant : deinde in-
quiunt : Surge, miser, et considera ubi jaces,
quomodo corrupisti tuam naturam, defecasti
pulchritudinem tuam, qua eras ad imaginem
æternæ pulchritudinis factus : nam repulisti a
te Spiritum sanctum, factus es demonum pro-
stibulum, privasti te æternis præmiis, obligasti
te æternis suppliciis. Surge igitur, et redi ad
pœnitentiam. Hoc signatum est in *Genesi* ¹, ubi
dicitur, quod Agar fugienti a facie Saræ domi-
næ suæ, occurrit Angelus Domini, et dixit ei :
« Unde venis, aut quo vadis ? revertere ad do-
minam tuam, et humiliare sub manu ejus. »
Agar, quæ interpretatur *advena* ², est anima no-
stra, quæ debet esse in hoc mundo peregrina :
Sara, quæ interpretatur *princeps* (a) ³, est æterna
sapientia, cui mens nostra debet esse subiecta.
Ergo Angelus Domini transgredienti divina man-
data, et quia refugit a facie Domini, dicit : *Re-
vertere ad dominam tuam*, converte te ad divi-
nam sapientiam, et humilia te sub manu ejus,
recognoscendo culpam, petendo veniam. Hoc
idem signatum est ⁴, ubi dicitur quod Petro in
carcere compedito « Angelus Domini assistit, et
lumen refulsit in habitaculo, percussoque la-
tere Petri excitavit eum, dicens : Surge veloci-
ter : et ceciderunt catenæ de manibus. » Lumen
refulget in carcere, quando peccatori vinculis
peccati compedito, in tenebris obnubilato, in-
fundit aliquem radium suæ illuminationis. An-
gelus astat, et latus percussit peccatoris, exci-
tando ad lamentum sive gemitum contritionis,
et dicit : *Surge velociter* per peccati derelictio-
nem : et tunc cadunt *catenæ* de manibus per
absolutionem, et bonæ operationis restitutionem.

Quarto, quoniam indigemus, ad resurgendum
a culpa et faciendam pœnitentiam, auxilio gra-
tiæ Dei, apud Deum pro nobis interpellant et
impetrant nobis gratiarum charismata. Sancti
enim Angeli, secundum Augustinum ⁵, sunt sem-
per in vestibulis et thalamo circa Deum, et sem-
per Deo assistunt. Nos autem in isto exilio re-
legati, et a facie Dei exclusi, non possumus ad
Deum habere accessum : ideo ipsi orant pro
nobis Deum, et quando vident Deum contra
peccatores iratum, placant ejus iram, implorant
misericordiam, obtinent gratiam. Quod optime
signatum est in *Zacharia* ⁶, ubi dicitur, quod

Angelus Domini respondit, et dixit : « Domine
exercituum, usquequo non misereberis Hieru-
salem et urbium Judæ, quibus iratus es ? » et
sequitur : « Respondit Dominus Angelo verba
bona, verba consolatoria. » Ad quid respon-
dit Angelus ? fortassis divinæ voluntati, quam
vidit iratam contra Hierusalem. Unde dixit : *Do-
mine exercituum*; in quo manifestatur ejus po-
tentia, quia habet tot angelorum exercitus ob-
temperantes sibi, et parentes suæ voluntati.
Usquequo, etc., id est : quandiu durabit tua ira-
cundia ? placare, Domine, desinat ira tua, fac
cum peccatoribus misericordiam. *Et respondit
Dominus Angelo verba bona, et verba consolatoria.*
Unde sequitur ⁷ : « Revertat ad Hierusalem in
misericordiis. » Si igitur angeli mediatores pro
nobis Deum interpellant, non obduremus, aut
obfirmemus facies nostras : et si Deus converti-
tur, et nos in misericordia respicit, et recipit
nos in gratia, remittit nobis offensam, nos con-
vertamur ad Deum per humilem obedientiam.

Quinto, nos corroborant, et confirmant, et
confortant, et promovent ad exercitia virtu-
tum. Humana enim fragilitas vix auderet ag-
gredi tam arduas perfectionis vias, quæ vi-
dentur esse super naturam et facultatem hu-
manam, nisi haberet auxilia et adjutoria an-
gelica. Quomodo auderet aggredi viam perpetuæ
obedientiæ, totum mundum, et quæ mundi
sunt, relinquere propter Deum ? quomodo au-
deret se morti exponere propter Christum, nisi
Angeli eum confortarent et adjuverent ? Utique
non auderet homo attentare tam grandia ; et si
auderet, non perseveraret. Sed Dominus provi-
dit nobis istos fortissimos adjutores ; quod si-
gnatum est in *Tobia* ⁸, ubi dicitur, quod cum
Tobias pater vellet mittere filium suum ad Ga-
belum cognatum suum, respondit filius quod
nesciebat viam, et dixit ei pater : « Egre-
dere, perge, et inquire aliquem fidelem virum, qui
eat tecum. » Et egressus invenit juvenem stan-
tem præcinctum et paratum ad ambulandum :
et ignorans quod angelus Dei esset, salutavit
eum : et cum quæreretur utrum nosset viam,
quæ ducit ad Rages civitatem Medorum, respon-
dit : « Novi, et omnia itinera ejus frequen-
ter ambulavi. » Quem cum filius introduxis-
set ad patrem, quæsit pater ab Angelo :
« Numquid poteris perducere filium meum ad

principessa. — ⁴ *Act.*, xii, 7. — ⁵ *Aug.* — ⁶ *Zach.*, 1,
12, 13. — ⁷ *Ibid.*, 16. — ⁸ *Tob.*, v, 2-15.

(a) Cat. edit. *particeps.*

¹ *Gen.*, xvi, 7 et seq. — ² Hebr. **בָּרָא**, gher, *advena*.
-- ³ Hebr. **שָׂרָא**, Sar, *princeps*, fœmin. **שָׂרָה**, Sarah,

Gabelum in Rages civitatem Medorum? » Cui respondit Angelus : « Ego ducam et reducam eum sanum ad te. » In omnibus his nihil aliud signatur, nisi quod Angeli nos in via perfectionis dirigunt, ipsi ducunt, ipsi deducunt, ipsi reducant. Nullus ergo debet timere, nullus debet trepidare, aut formidare magna aggredi, cum habeat tales duces, tales adjutores. Hoc ipsum signatum est ¹, ubi dicitur quod « Angelus Domini tetigit latus Eliæ, dixitque illi : Surge, comede : grandis enim restat tibi via. Surrexit et comedit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb. » Angelus Domini hominem *tangit*, quando tepescentem excitat. Dicit : *Surge, comede*, quando eum ad aggrediendum ardua confortat : quia in illa confortatione quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, hoc est toto decursu laborioso istius vite vadit, id est, in virtutibus proficit, quousque veniat in montem Dei Oreb, id est, pertingat ad statum perfectionis, vel, post præsentem laborem, ad montem Domini, id est, ad sublimem et stabilem quietem æternitatis.

Sexto exhibent nobis salutaria documenta, et revelant mysteria. Sancti etenim Angeli, ante rerum fiendarum productionem, ipsarum causam et rationes in Verbo Dei vident. Ipsi nihilominus continue faciem Dei contemplantur ² : « Angeli eorum semper vident faciem Patris, » etc. Unde Gregorius ³ : « Quid est ergo, quod non videant, qui videntem omnia vident? » Ipsi enim de futuris ad salutem nostram spectantibus recipiunt illuminationes : nos autem, quia ⁴ « corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, » ad illa invisibilia contuenda non sumus idonei. Et ideo deus providit nobis magistros, qui nos instruant, et revelent mysteria, et infundant divinas illuminationes. Omnia veteris Testamenti divina mysteria fere facta sunt mediantibus Angelis. Lex enim ministerio angelico fuit tradita, quia, ut dicit Apostolus ⁵, « ordinata fuit per Angelos in manu Mediatoris. » Hoc etiam patet in omnibus Prophetis. Unde Zacharias dicit ⁶ : « Angelus qui loquebatur in me. » Et idem dicitur *Apocalypsis* quarto ⁷ : « Misit Dominus Angelum suum os-

tendere conservo suo, quæ oportet fieri cito. » Non dubito autem quin Angeli maxime assistant studentibus sapientiæ, multa eis revelent, quibus digni sunt.

Septimo mentem nostram elevant et inflamment, desideria lætificant, et ingerunt spiritualia solatia : nos enim sumus tepidi ; ipsi ardent divina dilectione ⁸ : « Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem. » Ideo elevant mentem nostram, et inflamment ad amorem æternorum ⁹ : « Sustulit me Angelus in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Hierusalem. » In montem in spiritu sustulit, quando mentem in infimis jacentem, seu ad infima inclinatam, ad amorem supernorum erigit, et gaudia illius civitatis ostendit, quibus desiderium accendit ulterius : quoniam in ista peregrinatione inter angustias deficeremus, nisi aliqua oblatione cælestium respirarem : ideo ipsi consolantur, et afferunt gaudia, et spirituales consolationes. Unde Angelus Raphael sic salutavit Tobiam ¹⁰ : « Gaudium semper tibi sit, forti animo esto, in proximo est, ut a Deo cureris. » Angelus nihilominus nuntiavit gaudium nativitatis Salvatoris pastoribus, dicens ¹¹ : « Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : quia natus est vobis hodie Salvator » mundi. Angelus etiam nuntiavit gaudium resurrectionis mulieribus ¹² : « Nolite, » inquit, « timere, quia Jesum, qui crucifixus est, queritis : surrexit, sicut dixit, » etc.

Octavo, in conspectu Dei perferunt omnia bona nostra opera, seu merita : non quod Deus non noverit, quem nullum latet secretum, sed quia Deus vult, et ita ordinavit, ut ea, quæ ipse novit et amat, narrent, laudent, et predicent : ideo fortassis, ut ipsi Deum consulentes, nos promoveant semper ad majora ; et ut ipse Deus nobis conferat gratiarum augmenta, et ut opera nostra sint in conspectu Dei accepta. Propter hoc scriptum est in *Tobiæ* libro, quod Raphael dixit Tobię ¹³ : « Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino. » Exemplum hoc est in *Actibus* Exemplum. de Cornelio, qui erat vir religiosus, et timens Deum : dixit Angelus ¹⁴ : « Corneli, orationes tuæ et elemosynæ in memoriam ascenderunt in conspectu Dei » per approbationem et assensio-

¹ III Reg., XIX, 5 et seq. — ² Matth., XVIII, 10. — ³ Gregor., *Moral.*, lib. II, n. 3. — ⁴ Sap., IX, 15. — ⁵ Gal., III, 19. — ⁶ Zach., II, 3. — ⁷ Apoc., XII, 6.

— ⁸ Psal. CIII, 4. — ⁹ Apoc., XXI, 10. — ¹⁰ Tob., V, 11. — ¹¹ Luc., II, 10. — ¹² Matth., XXVIII, 5, 6. — ¹³ Tob., XII, 12. — ¹⁴ Act., X, 4.

nem (a), et per dignam remunerationem. Multum ergo debemus conari et satagere ad bona, quando tales advocatos et tales nuntios habemus, qui statim ea referunt in conspectu Dei, et scribunt in libro vite.

Nono, ipsi perducunt et introducunt electos ad aeterna præmia, sive regna cœlestia, ut monstrat Bernardus in *Dialogo* ¹. In puncto separationis animæ a corpore, obseratis corporis sensibus, Angeli boni et mali conveniunt, vel adveniunt, qui omnia bona et mala ad memoriam revocant, ita quod statim iudicet Dominus omnia bona et mala, merita vel demerita. Hinc est Angelus bonus bona allegans et recitans, inde Angelus accusans, et omnia mala ad memoriam revocans, et si quæ mala bonis præponderent, utpote si reperiatur in mortali, statim traditur tortoribus, qui retrudunt eam in carcerem inferni cruciandam in secula sæculorum: si vero decedat in charitate, tunc cum aliquo purgabili, boni angeli deducunt eam in purgatorium, quæ purgatam deducunt eam in paradysum. Si autem in tanta decesserit charitate, ut omnem consumpserit rubiginem peccatorum, ita quod nihil purgabile secum habeat, statim accipiunt eam Angeli sancti, et deferunt, et introducunt in regnum cœleste, ubi divina visione in perpetuum perfructur. Hoc exemplum habemus in *Luca* de divite epulone et Lazaro mendico ², ubi dicitur quod « mortuus est dives, et sepultus est in inferno. » Utique ad talem parochiam cum tali processione delatus mortuus est pauper, portatusque est ab Angelis in sinum Abrahamæ. Secundum Augustinum ³, « sinus Abrahamæ est secretum quietis, ubi requiescunt animæ separate: » sinus enim communi nomine secretum appellatur. Hoc signatum est *Exodi* xxiii ⁴: « Mittet enim Deus præcursores (b) suum Angelum, ut introducat te in terram Chanaan. »

DE SS. ANGELIS.

SERMO.

Et omnes Angeli stabant in circuitu throni et seniorum, et ceciderunt in conspectu throni in facies

¹ « Dialogus hoc loco citatus est forsitan sermo vel liber Declamationum, inscriptus *Colloquium Petri et Christi*, ut videre est in principio libri, et in Indice operum S. Bernardi, inscribitur *Dialogismus*, in quo de Angelis nihil extat. » Ita Editores Rouani; verum enim vero suspicari licet errorem typographi, qui Bernardum legerit pro Gregorio, *Dialog.*, lib. IV,

suas, et adoraverunt Deum ⁵. ⁶ « Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, » ut per audita et intellecta discamus non solum Deum diligere, sed ipsum amando timere. Et hinc est quod oculis ingratorum introduceitur humilitas Angelorum, qui deo inhærentes fervent incendio dilectionis, et invigilant obsequio devotionis, ut pudeat præsumptio fragilitatis humanæ, ubi sic se humiliat altitudo nobilitatis angelicæ. Et in verbo proposito ostenditur Angelorum studiositas quantum ad duo: primo quantum ad promptitudinem obsequendi, cum dicitur: *Et omnes Angeli stabant in circuitu throni. In circuitu*, dicit, ut intelligatur in Angelis unitas voluntatis, in Deo vero sublimitas potestatis ⁷: « Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei. » Secundo, quantum ad decus reverentiæ, cum addit: *Et ceciderunt in facies suas in conspectu throni, et adoraverunt Deum*. Quorum reverentia in duobus ostenditur, scilicet: in signo humiliationis, quia *ceciderunt in facies suas*; et in iubilo adorationis, quia *adoraverunt Deum*. Propter quod sequitur: *Benedictio et claritas, et sapientia*, etc. Dicit igitur: *Et omnes angeli*, etc.

Licet Angeli, secundum se considerati, omnem creaturam decore transcendant, quia « flores naturæ sunt, » sicut dicit Augustinus ⁸; tamen considerati in quantum in hierarchiis et ordinibus sunt distincti, ita quod superiores inferioribus præferantur, et inferiores superioribus disponantur, quanto hujus ordinationis dispositio in illis relictæ, tanto viris intelligentibus magis placet. Unde si admirata est regina Saba ordinem ministrantium in mensa Salomonis, quanto magis potest anima admirari ordinem ministrantium in mensa Creatoris, vel curia illius, scilicet ⁹ « qui facit concordiam in sublimibus suis. » Et ideo nota quod Angeli distincti sunt in triplici hierarchia, scilicet suprema, media et infima: suprema est assistentium majestati divinæ; media est resistentium potestati contrariæ; infima est ministrantium necessitati humanæ.

c. xv, xix, etc. — ² *Luc.*, xvi, 22. — ³ August., *de Anima et ej. Orig.*, lib. IV, c. xvi, n. 25; *de Genes. ad litt.*, lib. XII, c. xxxiii, n. 63; serm. xiv, iii, 4; *cont. Faust.*, lib. xxxiii, v. — ⁴ *Exod.*, xxiii, 2. — ⁵ *Apoc.*, vii, 11. — ⁶ *Rom.*, xv, 4. — ⁷ *Dan.*, vii, 10. — ⁸ Aug. — ⁹ *Job*, xxv, 2.

(a) *Cat. edit.* ascensionem. — (b) *Item* percussorem.

Prima est assistentium majestati divinæ : et hi sunt quasi cubicularii et palatini in consistorio Dei, quia Deo immediatius conjunguntur, et ipsum vicinius contemplantur : de qua Dionysius in *Cœlesti Hierarchia* dicit ¹ : « Prima cœlestis hierarchiarum in excellentibus essentialis sanctificatur, ordinem habens omnibus altorem : » et quoniam hic accipitur præsens assistentia per conversionem ad Deum, ideo in ordine triplicatur : nam ad conversionem tria sunt necessaria.

Primo, summa dilectio : et hoc quantum ad Seraphin, quæ interpretantur *ardentes*, sive *incendentes*; de quibus ² : « Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis, » vel « ignem urentem, » quia licet omnes alii ardeant in amore divino, isti tamen ardentius, quia amoris ignem in primis accipiunt, et fortius ardentem ad cæteros accendendos flammam dilectionis emittunt. Unde Dionysius ³ : « Prima sanctorum Angelorum dispositio magis similem habet igneam proprietatem, » id est, charitatem : et quoniam charitas omnium virtutum dona excellit, ideo consequens fuit, ut ille ordo, qui omnium eminentissimus est, sola charitate sumeret singularitatem in sui discretionem et appellationem, quamvis et omnia alia cæterarum dona virtutum aliis etiam excellentius possiderent, a quibus appellationem et vocabulum sumere potuissent.

Secundo, perfecta cognitio : et hoc quantum ad ordinem Cherubin, qui interpretatur *plenitudo scientiæ*. Nam cæteris Angelis sunt lumine sapientiæ clariore; et ideo dicuntur signacula divina, specula splendida, et astra matutina. Propter hoc dicit Isidorus ⁴, quod Cherubin sunt « sublimiora agmina angelorum » præter Seraphin, et quod « vicinius sapientiæ divinæ suppositi (a), ampliori divinæ scientiæ dono repleti sunt. » Propter quod dicitur ⁵ : « Elevata est gloria Domini super Cherubin, et atrium repletum est splendore gloriæ Domini. » Et quoniam in eis est manifestatio divinæ claritatis, et ideo petebat et dicebat David in Psalmo ⁶ : « Qui sedes super Cherubin, manifestare coram Ephraim, » etc. Quasi dicat : Sicut illis manifestus es in splendore divinitatis, ita fias nobis manifestus in susceptione humanitatis. De

isto ordine fuit Lucifer ille, qui cecidit, sicut exponit Gregorius ⁷ super illo verbo : *Tu Cherub extensus*, etc., et tamen non erat de illo, sed de ordine Seraphin, sed habebat habitum illi ordini convenientem, etc.

Tertio, perpetua comprehensio sive fruitio : et hoc quantum ad ordinem Thronorum, a Thronis dictus, eo quod in eis Deus sedeat, judicia sua discernat, et cuncta subjecta disponat. De quibus ⁸ : « Aspiciebam, donec Throni positi sunt, et antiquus dierum sedit. » Et quoniam Deus in eis sedet, ideo a beato Dionysio ⁹ sedes vocantur altissimæ, pacatæ, et deifere. Altissimæ sedes dicuntur, quia altæ per divinam auctoritatem, qua in iudicio ordinantur; altiores, per divinam conformitatem, qua iustitiæ regulam imitantur; altissimæ, per divinam sublimitatem, qua ad Deum immediatius ordinantur : pacatæ dicuntur, quia ex qualitate operis descendit qualitas retributionis, scilicet ex culpa, pœna; ex iustitia, gloria. Deifere vero dicuntur, quia Deum præsentem suscipiunt, et deificam potestatem per diversa iudicia judicant et ostendunt. Merito isti tres ordines sunt in prima hierarchia, quia præ omnibus ardent incendio divinæ dilectionis, quoad primos; præ omnibus fulgent radio serenæ cognitionis, quoad secundos; præ omnibus eminent privilegio perpetuæ intuitionis, quoad tertios : et ideo dicuntur assistere, non ministrare, quia nunquam, secundum Dionysium ¹⁰, ad exteriora mittuntur.

Secunda hierarchia est resistentium potestati contrariæ, et hi deputati sunt in regimen reipublicæ, quasi divini exercitus bellatores, qui designari possunt in angelis qui apparuerunt Jacob ¹¹ : « quos dum vidisset, dixit : Castra Dei sunt hæc ; » quia ad modum castrorum nos muniunt, qui sumus faciles ad seducendum, fragiles ad resistendum, debiles ad operandum sive agendum : et ideo occurrunt nobis tanquam potentissimi adjutores, ut eorum auxilio muniti discamus hostium potentias non timere. Ad quorum virtuositatem insinuandam necessaria fuit, vel virtus operativa, vel virtus executiva, vel virtus expeditiva.

Primo, quoad virtutem operativam, sunt Dominationes, quarum est aliis imperare, et in

¹ Dion., *de Cœl. Hier.*, c. VII, § 3. — ² *Psal.* CIII, 4. — ³ Dion., *de Cœl. Hier.*, c. XV, § 2. — ⁴ Isid., *Origin. sive Etymol.*, lib. VII, c. v. — ⁵ *Ezech.*, x, 4. — ⁶ *Psal.* LXXIX, 2. — ⁷ Greg., *Moral.*, lib. XXXII,

c. XVIII, al. XXIII, n. 48. — ⁸ *Dan.*, VII, 9. — ⁹ Dion., *de Cœl. Hier.*, c. VII, § 1. — ¹⁰ Dion., *ibid.* — ¹¹ *Gen.*, XXXII, 2.

(a) *Leg. positi, ut apud Isid.*

spirituali bello nos instruere, sicut dixit Gregorius¹. Unde sunt quasi duces exercitus, quorum prudentia gubernamur. Et tales signari possunt in Angelo, de quo²: « Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, et alius Angelus venit in occursum ejus, et dixit: Curre, et loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Hierusalemi, » etc. Recte igitur spiritualis certaminis possumus esse victores, quando tam excellentissimorum spirituum tutela muniti sumus: quod tunc contingit, cum regnum animæ secundum imperium rationis dirigimus, et carnis voluptatibus relictamur. Nam quid proderit barbaros superasse, si a sola voluptate vincamur? Ad hoc dicitur³: « Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. » Unde Claudianus⁴:

..... Tunc omnia jure tenebis,
Cum poteris rex esse tui.

Secundo, quoad virtutem executivam sunt Potestates, quibus nihil est impossibile exequi, quod imperatur. Propter quod dicit Dionysius, quod sanctæ Potestates æquivalentem cum Dominationibus habent potestatem. Et ideo habent potestates aereas coercere, vel arcere, et ipsas a nocumentis contrariis cohibere. Unde Gregorius⁵: « Potestates etiam vocantur hi, qui hoc potentius cæteris in suo ordine perceperunt, ut eorum ditioni virtutes adversæ subjectæ sint, quarum potestates refrænantur, ne corda hominum tantum tentare prævaleant, quantum volunt. » Quid igitur formidat imbecillis animus Christiani, cui tot Deus contulit præsidia potestatis? Non paveas igitur repentino terrore irruentes contra te impiorum potestates, cum talium militum præsidio sis munitus. Unde ratione potentiæ dicitur⁶: « Benedicite Dominum, omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus. »

Tertio, quoad virtutem expeditivam, sunt virtutes quibus datum est posse super omnia difficultia, ad divinum ministerium pertinentia: et ideo eis attribuitur mirabilia operari. Et ideo dicit Dominus, quod habent deiformem motum firmiter sentientem, insuper substantialem, et pontificiam Dei virtutem. Nam licet impiorum virtus infirma sit, divinæ virtuti comparata,

non tamen infirma est, ab eadem per gratiam firmata. Propter quod dicitur⁷: « Benedicite Domino omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus. » Et ordinantur hi ordines secundum majorem dignitatem et minorem, quia plus est resistere quam repugnare, et repugnare quam per se operari posse. Et sic primus sunt Dominationes, quasi exercitus præceptores; secundus, Potestates, quasi exercitus bellatores; et tertius Virtutes, quasi exercitus servatores. Et in hoc apparet mirabilis Dei sapientia, quæ sic cuncta disposuit, ut nihil inordinatum relinquat. Unde, quia diabolus in nobis, post casum, rationem seducit per astutias, virtutem opprimit per violentias, et voluntatem per blanditias: id ne nobis contingat, tribus ordinibus venit post nos; ut sic non immerito Dominus exercituum nuncupetur.

Tertia hierarchia est ministrantium: et horum est necessaria habitudo ad nos, qui habitant in terra, et isti deputati sunt ad regimen speciale, sive alicujus principis, sive alicujus gentis, vel hominis. De quibus⁸: « Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. » Unde distinguit Apostolus duplicem missionem, scilicet: invisibilem, quæ est Angelorum ad Angelos, et hæc omnibus competit, etiam sublimioribus; et missionem visibilem, quæ est Angelorum ad homines, et hæc competit inferioribus, quibus proprie competit ministrare, de quibus⁹: « Ite, Angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam, ad populum terribilem, » etc. Sed quoniam hæc hierarchia præsens officium ministeriale habet, sic quod triplex est ordo angelicus, secundum quod tripliciter contingit angelos ad regimen alicujus deputari: quia aut ordinati sunt ad regimen alicujus principis, prout eum dirigunt in legibus, sive gradibus præsentia, et sic sunt Principatus; aut ad regimen alicujus gentis, aut multitudinis, prout eos evidenter erudiunt in moribus et sapientia, et sic sunt Archangeli; aut ad regimen alicujus hominis, prout eum custodiunt in semitis innocentia, et sic sunt Angeli. Patet ergo ordo ad sufficientiam istorum, quia plus præsideri principi, quam uni genti, et plus deputari ad custodiam multitudinis, quam ad regimen personæ singularis.

Primo quidam ordinantur ad regimen prin-

¹ Greg., in *Evang.*, hom. xxxiv, n. 14. — ² *Zach.*, 11, 3. — ³ *Prov.*, xvi, 32. — ⁴ Claudian. — ⁵ Greg.,

nbi sup., n. 10. — ⁶ *Psal.* cii, 20. — ⁷ *Ibid.*, 21. — ⁸ *H. br.*, 1, 14. — ⁹ *Isa.*, xviii, 2.

cipum, prout eos dirigunt in gradibus præsidentiae: et sic sunt Principatus, quorum proprium est principes in præsidente dirigere et ordinare secundum Dionysium, et etiam secundum illud ¹: « Princeps, ea quæ digna sunt principe, cogitabit, et ipse super duces stabit. » Et vere: nam quemadmodum ipsi in se ordinati sunt, in quantum ad primum principium reducentur, et ipsum, quantum est possibile, imitantur; sic subditos sibi principes ordinant, et in gradibus præsidentiae dirigendo reformant. Et hi designari possunt in Angelo ² qui apparuit Josue principi exercitus Domini; cui cum diceret: « Noster es, an adversariorum? » respondit: « Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini. » Secundo quidam ordinantur ad regimen gentium, prout eos instruunt in moribus et sapientia: et hi sunt Archangeli, quorum et proprium est multitudinì præsidere, sicut Michael, qui olim fuit prælatus Synagogæ, modo dicitur prælatus Ecclesiæ, sicut dicit Dionysius ³; et hoc est quod dicitur ⁴: « In unamquamque gentem præposuit rectorem, » Glossa: « Id est, Angelos. » Istorum etiam officium est illuminare, purgare et perficere, et sublimia secreta hominibus revelare, necnon et demones a nobis refrænando fugare, sicut patuit in Archangelo Raphael, qui ⁵ relegavit dæmonem in deserto superioris Ægypti. Tertio quidam ordinantur ad regimen hominum, ut eos custodiant in semitis innocentiae: et hi sunt Angeli ad uniuscujusque hominis custodiam deputati, de quibus ⁶: « Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. » Horum proprium est, quos custodiunt, ad Dei reverentiam excitare, semper peccantibus pœnitentiam persuadere, et malos a maleficiis revocare. Propter quod dicit Hieronymus ⁷: « Magna dignitas animarum, ut unaqueque ab ortu suæ natiuitatis habeat Angelum ad custodiam deputatum: et quod magis mirabile est, ipsi etiam obstinatis et perfidis effectus suæ custodiæ non subtrahunt. Ad hoc exigit lex Divinitatis, cuius proprium est in nullo negligere ordinem: sed per prima, media; et per media, extrema reducere. » Dicit igitur: *Et omnes Angeli, etc.*

DE S. LUGA.

SERMO ⁸.

*In lege Domini fuit voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.*⁹. Duplicem actum ha-

bet anima nostra: unum intellectivum, qui perducitur lumine; alterum affectivum, qui amore perficitur inflammante. Lex ergo Domini cum illuminat et inflamat, intellectum perficit circa verum, et affectum inflamat ad bonum. In cujus figura lex in igne Moysi data fuit; et similiter Apostolis, linguis igneis est ostensa, ut, sicut dicit Bernardus ¹⁰, « legem igneam linguæ igneæ loquerentur. » Vel verum et certissimum est, quod ignis et lucet et calet: lucet visui, et calet tactui: ut per hoc daretur intelligi, quod lex quæ dabatur in igne, et erat ad docendum ipsum hominis intellectum, et nihilominus erat ad inflammandum affectum. Lex ergo cum facit creata bona, est amanda, et conscribenda, et est opere adimplenda. Quia ergo beatus Lucas hanc legem amavit, hanc exquisivit et conscripsit, hanc etiam observavit. Ideo de eo bene dicitur: *In lege Domini, etc.* In quo verbo, respectu divinæ legis, commendatur ex parte desiderii, quod habuit in amando, ut sic esset ei amor in affectione; ex parte ministerii, quod habuit in scribendo, simul et studendo, studium in conscriptione simul et lectione; ex parte actus continui in perseverando, labor assiduus in continuatione. Ista enim tria faciunt hominem esse perfectum: primo, si legem interius diligat, notatur sanctum desiderium, quod habet in amando: *In lege Domini fuit voluntas ejus.* Secundo, si in ea studeat, et manu conscribat, notatur ejus ministerium, quod habuit in legendo, scribendo, et meditando: *Et in lege ejus meditabitur.* Meditatio enim, ut dicit Bernardus ¹¹ « investigat quod postea manu scribat. » Tertio vero, si perseveranter hoc agat; et hoc notatur opus continuum, quod habuit semper in studendo, cum additur, *die ac nocte*, bene enim studentes non solum in die student, sed etiam in nocte. Circa ergo studium divinæ legis, quod beatus Lucas habuit, versatur hic iste sermo, etc.

Est ergo notandum, quod sicut iste Evangelista legem tripliciter habuit, ita etiam portavit. Nam eam habuit in affectu per actum dilectionis; et habuit in affatu per actum prædicationis; sed eam nihilominus portavit in manu, per opus conscriptionis, sive per effectum opera-

¹ Isa., xxxii, 8. — ² Jos., v, 13. — ³ Dion., de Cæl. Hier., c. ix, § 2. — ⁴ Eccli., xvii, 14. — ⁵ Tob., viii, 3. — ⁶ Psal., xc, 11. — ⁷ Hieron., in Matth., vi. — ⁸ Hunc habet cod. Assis. sæc. xiii. — ⁹ Psal., i, 2. — ¹⁰ Bern., in fest. Pentec., serm. i, n. 2. — ¹¹ Id.

tionis. Quid enim his melius? quid perfectius? quid Deo placibilis? nihil aliud Deus requirit a nobis, nisi ut legem suam observemus, quæ divina consilia continet et mandata. Primo feramus in corde, eam medullitis diligendo; secundo in ore, eam aliis prædicando; tertio in opere, eam complendo vel observando.

Dico quod sanctus Lucas legem Domini primo portavit in corde, tanquam in bonorum omnium radice: nisi enim radix arboris fuerit bona, omnia quæ sunt illius arboris, fiunt vana, et ad usum inutilia. Unde sapientes agricolæ, dum vident amygdalum incongruum ferre fructum, sub terra fodiunt, et radicem ejus inveniunt, quam clavis perfodiunt, ut totam arberem salutiferam faciant, quia dum per foramina facta noxius humor educitur, arbor tota salubris efficitur: salus enim radicis, arboris salus existit. Cum igitur cor sit membrum radicale, et causa in corpore totius motus et vite, dum cor bene disponitur, omnia bene geruntur, sicut eo infirmato, omnia infirmantur, et eo moriente, membra omnia moriuntur: consuevit enim dici, quod si caput infirmatur, omnia membra languescunt: sed hoc verius de corde dicitur: quia si caput leditur, aut vulneratur, non tamen signa doloris in membris aliis ostenduntur, quamvis ei membra omnia compatiantur; sed cor si ad modicum tangatur, si acu pungatur, si ad modicum vulneretur, omnia membra languescunt, et præ dolore deficiunt. Sapienter enim sanctus Lucas legem Domini prius in corde portavit, ne, si fundamentum bonorum omnium reliquisset, frustra in cæteris laborasset. Frustra enim omnia fiunt in domo, fundamento non antea solidato: frustra homo rivulum purgat, nisi ante fonte purgato: similiter vana sunt verba, nulla omnino sunt opera, nisi purgata prius fuerint corda. Quod sciens beatus Lucas, prius divinam legem studuit habere in corde, ne frustra eam portaret in ore. Unde de eo potest dici illud¹: « Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus: » quasi diceret: ideo ingressus ejus opera solida habuit, quia bonum fundamentum illis substravit, dum prius per amorem divinæ legis cordis substantiam stabilivit. Nos ergo, fratres, exemplo beati Lucæ, divinam legem, id est, divina præcepta amemus, et ipsa in corde portemus, sicut in Deuteronomio² scri-

bitur. Divinum præceptum, quod est præceptorum omnium contentivum, non est in cælo situm, non est ultra mare positum, sed est in cordibus nostris scriptum stylo ferreo, tanquam ungue adamantino, ut inde radi non possit. Unde³: « Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam. »

Sed dices, quod divinum præceptum sit naturaliter nobis impressum.

Certe illud, quod scribitur⁴: « Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis: Hæc est, » inquit, « lex et prophete, » id est, de nihilo aliud prædicant lex et prophete, quia, qui hoc præceptum tenet, et legem omnem et prophetas adimplet. Sed quis hodie est qui observet? unde rixæ? unde discordiæ? unde guerræ? unde odia? unde homicidia? unde furta? unde falsa testimonia? Si faceremus fratribus illa omnia, quæ nobis cupimus ab aliis esse facta, hæc non essent. Sed hodie completa est prophetia, qua dicitur⁵: « Dilacerata est lex. » Nonne lacerata? nonne concussa? nonne abolita, de qua nihil ab omnibus observatur?

Secundo beatus Lucas legem Domini portavit in ore. Non enim sufficit solo corde portare, nisi portetur et in ore: quia non potest ignis in sinu latere, quin foris appareat; nec in domo, quin ardeat. Sicut enim sol non potest non splendere, et sicut rosa non potest odorem non spargere, et sicut aqua fluens non potest terras proximas non irrigare, sic nec cor Deo devotum se potest abscondere, quin manifestet se ore, cum necessitas vel charitas hoc requirit. Nam, sicut dicit Apostolus⁶: « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. » Non potest radix latere sub terra, si vivat, quin in germen arboremque prorumpat. Unde Chrysostomus⁷ dicit, quod si radix lateat, et se exterius non extendat, certum signum est, quod non vivat. Exemplum de Jeremia⁸, qui cum proposuisset in corde suo non loqui in nomine Domini, adeo verbum Dei in corde ejus concaluit, quod illud sustinere non potuit, donec aliis prædicavit. Cum ergo sanctus Lucas hoc igne caleret, non contentus fuit legem Dei tantum corde portare; sed eam studuit ore prædicare, aliosque ad Christum convertere. Unde de eo potest exponi illud⁹: « Lex veritatis fuit in ore ejus, et multos avertit ab iniquitate. »

Exemplum.
Plum.

¹ Psal. xxxix, 9. — ² Deut., vi, 6; xxx, 13-14. —

³ Jerem., xxx, 1, 33. — ⁴ Matth., vii, 12. — ⁵ Habac.,

i, 4. — ⁶ Rom., x, 10. — ⁷ Chrysost. — ⁸ Jerem., i et ii. — ⁹ Malac., ii, 6.

Ipsè enim, sicut medicus fuit corporum, sic fuit per divinum verbum medicus animarum. Ipsum enim divinum verbum frequentius prædicatum est, sicut collyrium oculorum animæ sanativum, et sicut medicamentum sanitatis introductivum¹ : « Lex Domini immaculata convertens animas, » etc. Et² : « Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. » Sed quis hodie cum beato Luca alios docet? Nec prædicamus hodie ore, nec opere : omnia verba nostra hodie sunt mundana, sunt vana, sunt mala, et ad malum inflammantia, non ad bonum. Quis de Deo hodie loquitur ad ædificationem audientium, et non magis ad corruptionem?³ « Corruptunt bonos mores colloquia mala. » Canes, leones, et alia animalia bruta, vivencia de rapina, lacerant ore corpora; sed nos laceramus malevolè ore corda⁴ : « Lingua eorum gladius acutus. »⁵ « Sepulcrum enim patens est guttur eorum. »

Tertio sanctus Lucas legem Domini portavit in opere. Nam et manu eam scripsit, sicut Evangelium opere adimplevit, dum carnis integritatem servavit, jejuniis corpus detrivit, et divina mandata sollicita cura servavit :⁶ « Ex fructu enim arbor cognoscitur. » Nam ex ipso fructu, quem facit, hominibus innotescit, utrum doctor bonus, vel malus sit, utrum etiam arbor vel bona, vel mala sit. Opera enim exteriora probant, qualia corda intus existant. Unde et Dominus dicebat⁷ : « Attendite a falsis prophetis, » etc., et addit : « Ex fructibus eorum cognoscetis eos. » Nam cuius nature vitis sit, exterior fructus ostendit. Nunquam melius, qualis sit, magister agnoscitur, quam per id quod exterius operatur, quia etsi Deus videat corda, nos videre non possumus nisi opera. Bona igitur arbor beatus Lucas fuit, quia bonos fructus portavit, dum, quod corde credidit, ore prædicavit, et operibus adimplevit : sciebat enim esse scriptum⁸ : « Conserva, fili mi, præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ. » Et pater Christus est . sed mater nostra Ecclesia est. Et⁹ : « Custodi legem meam, et erit vita animæ tuæ. » Sed quis hodie divina mandata servat? quis consilia divina sequitur? Certe qui observat ea, ad beatitudinem sufficienter se præparat, juxta illud¹⁰ : « Si quis perspexerit in legem perfectam libertatis, nec auditor obliviosus factus,

sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. » *Legem libertatis*, legem evangelicam, sive gratiæ, dicit, eo quod liberum faciat observantem a spiritu servitutis diaboli, a servitute mundi, et a servitute corporis proprii, et perducet ad libertatem regni, ubi non erimus sicut servi, sed sicut intimi amici, sicut charissimi filii, et sicut reges inelyti, regali diademate coronati. Unde scribitur¹¹ : « Si filius vos liberaverit (a), vere liberi eritis. »

Nam ex consideratione tantæ humilitatis dicebat Propheta¹² : « Bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti. » *Millia* dicit, eo quod plus excedit, quam verbo exprimi possit, quia omnis mundana substantia, et si sit aurea, est tota vana; non satiativa, sed transitoria, multiplices mutationi supposita, et ad mala omnia finaliter inductiva. Sed lex divina est simpliciter vera, quia ab ipsa veritate æterna tradita est, et est ad vitam perpetuam inductiva. Nam quod lex sit vera, Dominus asserit, quando dicit¹³ : « Ego sum veritas, » etc. Si veritas fuit, mentiri non potuit : igitur verum fuit omne quod docuit. Unde et ipse dicit Judæis¹⁴ : « Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? » Item quod divina lex sit æterna, Dominus dicit¹⁵ : « Cælum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. »¹⁶ « In æternum, Domine, permanet verbum tuum. » Item quod lex divina deat ad vitam, ipse dicit¹⁷ : « Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. » Et¹⁸ : « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. » Sed quis hodie est qui observet? O summa fatuitas, et cæcitas detestanda! quia observantur ad unguem statuta civitatum, servantur leges imperatorum et regum, servantur decreta præsulum, servant ægri præcepta medicorum; sed non est, qui legem servet Regis regum, Dei deorum, et Domini dominorum. Et ideo quasi omnes descendimus ad infernum; sed perpauca sunt, qui vadant in cælum.

DE SS. SIMONE ET JUDA.

SERMO.

Qui sunt isti, qui, ut nubes, volant, et quasi columbæ ad fenestras suas¹⁹? Quia priores patres conjugii utebantur, et filias generabant, et cu-

¹ *Psal.* XVIII, 8. — ² *Ibid.*, 9. — ³ *I Cor.*, XV, 33. — ⁴ *Psal.* LVI, 5. — ⁵ *Psal.* XIII, 3. — ⁶ *Luc.*, VI, 44. — ⁷ *Matth.*, VII, 15-16. — ⁸ *Prov.*, I, 8. — ⁹ *Ibid.*, III, 21. — ¹⁰ *Jac.*, I, 25. — ¹¹ *Joan.*, VIII, 35. — ¹² *Psal.*

CXVII, 72. — ¹³ *Joan.*, XIV, 6. — ¹⁴ *Ibid.*, VIII, 46. — ¹⁵ *Marc.*, XIII, 31. — ¹⁶ *Psal.* CXVIII, 89. — ¹⁷ *Joan.*, VI, 61. — ¹⁸ *Matth.*, XIX, 17. — ¹⁹ *Isa.*, LX, 8.

(a) *Curt. edit.* liberavit.

ris (a) rei familiaris intenti, substantias possidebant, ideo Propheta per Spiritum prævidens Apostolos, et eorum sequaces, substantias deserere, conjugia non appetere, filios non generare, nil in terra petere, nihil possidere, non eos per terram, velut homines ambulantes, sed nubes volantes appellat, cum dicit : *Qui sunt isti*, etc. In quibus verbis, de duobus hos gloriosos Apostolos, Simonem scilicet et Judam, commendat.

Primo, de altitudine perfectionis evangelicæ, cum dicit : *Qui sunt isti, qui ut nubes, volant* ? Gregorius ¹ : « Volant enim, qui terram quasi non tangunt, quia in ipsa nil appetunt. »

Secundo, de simplicitatis mansuetudine, cum addit : *Et sicut columbæ ad fenestras suas* ? Gregorius ² : « Ad fenestras suas quasi columbæ sunt, qui per mansuetudinis spiritum in hoc mundo nil per oculos concupiscunt. » Dicit igitur : *Qui sunt isti, qui, ut nubes*, etc. Et convenienter ad quæstionem propositam potest responderi in persona istorum : Isti sunt pastores gregis, conservatores legis, senatores urbis, assessores judicis.

Primo, isti sunt pastores gregis, quibus commissa est cura regiminis universalis : et ideo ad propositam quæstionem : *Qui sunt isti* ? ipsi de se possunt præbere responsum ³ : « Viri pastores sumus : » verborum enim gregem Domini exemplo vitæ, verbo doctrinæ, subsidiis orationis devotæ. Propter quod dicit Bernardus, de Apostolis loquens ⁴ : « Tales decebat humano generi pastores et doctores constitui, qui et dulces essent, et potentes, et sapientes : dulces, ut me blande et misericorditer susciperent; potentes, ut fortiter protegerent; sapientes, ut per viam ducerent, quæ ducit ad civitatem. » Quibus contrarii sunt plerique adeo, ut si quæsieris : *Qui sunt isti* ? poterit utique responderi illud ⁵ : « Hi sunt lupi rapaces, » quia de pastoribus facti sunt lupi, et de custodibus mercenarii.

Secundo, isti sunt conservatores legis, adeo ut pro legis defensione usque ad mortem viriliter decertarent. Et ideo competit eis illud ⁶ : « Zabulon et Nephthali obtulerunt animas suas morti. » Et ideo ad quæstionem propositam :

Qui sunt isti ? potest responderi illud ⁷ : « Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni. » Nec mirum : audierant enim Deum dicentem eis ⁸ : « Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus (b) meis. » Et Domini roborati exemplo, ⁹ « obtulerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem gladii. » Propter quod competit eis illud ¹⁰ : « Hi sunt viri misericordiæ, qui justitiæ oblivionem non acceperunt (c). »

Tertio, isti sunt senatores urbis, quorum Rex Christus ; de quibus ¹¹ : « Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ : » Quos Rex regum per mundum dispersit, ut sicut ignis in scintillis suis aspicitur, sic illorum virtutibus Christi potentia cognoscitur (d). Propter quod cum Abagarus rex vidisset Thaddæum, scilicet Judam, Christi discipulum sibi promissum, asserentem, ille intuitus, cum vidisset in ejus vultu quemdam mirum splendorum mirifice radiantem, adorans Deum, dixit : « Vere discipulus Christi Jesu filii Dei vivi, » etc. Et ideo ad quæstionem propositam : *Qui sunt isti* ? potest non incongrue responderi illud ¹² : « Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. » Hi, dico, sunt non natura, sed gratia, quia natura licet unus sit Deus, participatione tamen non prohibetur esse quamplurimos, secundum illud ¹³ : « Vos autem dii estis, et filii Excelsi omnes. » Isti ita sunt igitur, qui populum eduxerunt de terra Ægypti, id est, gentes ab idolorum cultura ad lumen fidei revocando duxerunt.

Quarto, isti sunt assessores Judicis, secundum quod Dominus in Evangelio repromisit eis, dicens ¹⁴ : « Cum sederit filius hominis » judicare omnes tribus terræ, « sedebitis et vos judicantes duodecim tribus Israel. » Horum enim proprium fuit apparere in mundo. Et ideo ad quæstionem propositam : *Qui sunt isti* ? potest responderi illud ¹⁵ : « Hi duæ olive, et duo candelabra, in conspectu Dei stantes. » Stabunt enim, non ad ferendam sententiam, sed ad probandum ; non ad exhibendam misericordiam, sed potius ad justitiam ulciscendam : et ideo « gladii ancipites in manibus eorum ¹⁶, ad vindictam in nationibus, et increpationes in populis, » etc. Et ut

Exemplum.

¹ Greg., in *Ezech.*, lib. II, hom. XVIII, al. VI, n. 15. — ² Ibid. — ³ *Gen.*, XLVI, 34. — ⁴ Bernard., in *fest. SS. Petri et Pauli*. serm. 1, n. 2. — ⁵ *Matth.*, VII, 15. — ⁶ *Judic.*, v, 18. — ⁷ *Apoc.*, VII, 14. — ⁸ *Luc.*, XXII, 28. — ⁹ *Hebr.*, XI, 33-34. — ¹⁰ *Eccli.*, XLIV, 10. — ¹¹ *Prov.*, XXXI, 23. — ¹² *Exod.*, LXXII, 4. — ¹³ *Psal.*

LXXXI, 6. — ¹⁴ *Matth.*, XIX, 28. — ¹⁵ *Apoc.*, XI, 4. — ¹⁶ *Psal.* CXLIX, 6.

(a) *Cæt. edit.* conjus. — (b) *Item* tribulationibus. — (c) *Vulg.* quorum pietates non defuerunt. — (d) *Leg.* cognoscatur, vel cognosceretur.

ostendatur, quod eorum assistentia non solum terminatur in ulciscenda culpa, sed et in exhibenda gloria, ideo apparent duo quantum ad electos, secundum illud Zachariæ ¹: «Hi sunt duo filii olivæ splendoris (a), qui assistunt Dominatori universæ terræ.» Illi ergo sunt, qui ut *nubes volant*.

Omnes enim Apostoli possunt dici *nubes*, scilicet quia pluunt verbis, quia coruscant miraculis, quia tonant judiciis, quia volant contemplatione mentis.

Primo, pluunt verbis, quia ²: «In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum,» ut aridam terram, corda scilicet hominum, pluvis salutaribus irrigarent. Propter hoc de eis dicitur ³: «Cribans aquas de nubibus cæli.» Hæc fuit pluvia voluntaria, quam irrigavit Dominus hæreditati suæ, dum videlicet Simon in Ægyptum, et Thaddæus ad Abagarum regem Edissæ, et ultimo in Persidem ad prædicandum missi sunt. Ut sic compleretur illud ⁴: «Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent.» Nec mirum: nam, ut dicit Job ⁵: «Frumentum desiderat nubes,» quia nubes rore concresecunt.

Secundo, coruscant miraculis, ut dicamus, quod quemadmodum a nubibus fiunt coruscationes ignis, ita ab Apostolis miraculorum opera. Ibi coruscationes fiunt, vapore humido impellente; hic autem per virtutem gratiæ, Domino in omnibus præsidium (b) conferente. ⁶ «Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: vidit, et commota est terra.» *Commota*, cum videret in istis Apostolis signa et mirabilia inconsueta, scilicet magos in suis præstigiis ligari, serpentes effugari, tigrides mansuetari, mortuos suscitari, et quod plus est, filium puellæ, quem ex adulterio conceperat, unius diei, ad proferendum testimonium, ut diaconum infamatum absolveret, appellari ⁷. Et ideo competit eis illud ⁸: «Imperio suo acceleravit nivem, et accelerat coruscationes emittere iudicii sui.» Propterea aperti sunt thesauri, et evolaverunt nebulae sicut aves. In magnitudine sua posuit nubes, et contracti sunt lapides grandinis. Et ⁹: «Si voluerit extendere nubes

quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet.»

Tertio, tonant judiciis. Sicut prius est coruscatio, quantum ad sensum, quam tonitruum, ut ex fulgore sonitus sentiat, cum tamen simul tempore sint, sic in Sanctis præcedunt mirabilia, ut ex eis signis timeantur judicia. Propter quod ¹⁰: «Vocem dederunt nubes: etenim sagittæ tuæ transeunt, vox tonitruum tui in rota.» Annon maximum tonitruum, cum diceret Judas ¹¹: «Ecce venit Deus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes,» etc.?

Quarto, volant contemplatione mentis: nam ut levitate ventorum flatus cito currunt, sive ad austrum, sive ad occasum, sic agilitate virtutis, a peccatorum ponderibus alieni, volant per mentis decursum, sive in cælum, per contemplationem gloriæ, sive in Deum, per excessum lætitiæ. Et hoc est, quod dicitur ¹²: «Nubes spargunt lumen suum, quæ lustrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne, quod præceperit illis, super faciem orbis terrarum.» Sed quoniam occultæ sunt contemplationis viæ, quibus sancti volant super se, et in dulcedine mentis suæ; ideo addit ¹³: «Numquid nosti semitas nubium magnas, et perfectas scientias?» Quasi dicat: Non: quod illius solius est scire, qui habet animas sursum per contemplationem suspendere, et in se, quasi quibusdam amoris funibus, elevare.

Et ideo notabis, quod volatus sanctorum perficitur quatuor pennis, scilicet dilectionis, orationis, cognitionis et devotionis.

Primo, indigent sancti ad volandum penna dilectionis, sine qua anima inferius, quasi pondere gravata, deprimitur, et cum qua anima ad sublimia elevatur. Unde, sicut avis sine pennis non potest in altum evolare, sic nec potest anima sine dilectione ad cælum ascendere. Propter hoc dicitur ¹⁴: «Homo ad laborem nascitur, sicut avis ad volandum.» Gregorius ¹⁵: «Sancti autem viri, quia transeuntia non amant, non solum nulla rerum temporalium pondera tolerant; sed si qua adversa consur-

¹ Zach., IV, 4. — ² Psal. XLVI, 5. — ³ II Reg., XXII, 12. — ⁴ Eccl., XI, 3. — ⁵ Job, XXXVII, 11. — ⁶ Psal. LXXVI, 19. — ⁷ De his SS. Apostolorum gestis, præsertim vero de infante unius diei perfecte alloquente, Abdias Babyl. Ep., lib. VI, de Simone et Juda, copiose pertractat. — ⁸ Psal. XLIII, 14. — ⁹ Job, XXXVI, 29. — ¹⁰ Psal. LXXVI, 18-19. — ¹¹ Jud., 11-15. — ¹² Job,

XXXVII, 11. — ¹³ Ibid., 16 — ¹⁴ Job, V, 7. — ¹⁵ Greg., in hunc loc. *Moral.*, lib. VI, c. XIII, al. VII, n. 16.

(a) Hieronymus legit, olei, *adempta dictione splendoris; Aquila, splendoris; LXX, pinguedinis; Editio vulgata legit, olei, ut Hieronymus, qui in hebræo est unicus vox quæ oleum et splendorem significat.* — (b) *Col. col.* præsidii.

gunt, in ipsis suis pressuris et languoribus non laborant. » Et ideo bene subditur : *Et avis ad volandum*, quia tanto animus a laboris afflictione se subtrahit, quanto se per spem ad sublimia et summa sustalit. An non, quasi avis, Paulus ad volatum natus fuerat, qui tot adversa sustinens dicebat ¹ : *Nostra conversatio in cælis est?* » Et ideo est hæc penna sustollens, de qua dicit ² : « In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, longitudo sublimitas, et profundum. »

Secundo, indigent penna cognitionis, ut videlicet anima gustet et videat quoniam suavis est Dominus. Quia sicut gustare, proprium est amoris, sic videre cognitionis. Et hæc est penna aquilæ, de qua Habacuc ³ : « Volabunt, quasi aquila festinans ad comedendum. » Aquila enim ut irreverberatis oculis solem in rota conspiciat, et ipsum de remotis contemplatur, sic anima irradiata divino lumine Deum videt, et omnia infra se posita visu contemplationis attingit, cum nullum præter Deum in suis actibus recognoscit. Hoc modo volant sancti, cum Deum non curiosis aspectibus, sed fidelibus contemplantur, sicut dicitur ⁴ : « Faciunt sibi pennas, ut aquilæ, et volant in cælum : » quoniam summum inter omnia desideria, est videre Deum. Et ideo dicit Job ⁵ : « Quis mihi tribuat, ut cognoscam, et inveniam eum, et veniam usque ad solium ejus? » Hoc est solium, ad quod Isaias visione prophetica volando conscendit, cum dixit ⁶ : « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum. »

Tertio, indigent penna devotionis : nam post amorem et cognitionem nil restat, nisi ut anima sperando proficiat, et ad Deum suum se devotionis júbilo contemplando sus-tollat. Divina namque gratia intellectum illustrando illuminat, ut post influentiam luminis, mens tota in desiderium devotionis fervoribus incalescat. Hæc est penna columbæ, de qua ⁷ : « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam? » Volat, id est, desiderio flagrat; sed requiescit, dum conscientiam nostram devotione serenat. Et hinc est, quod ad modum columbæ, anima jubilando deplorat, quia, quo gustu mentis sentit dulciora, quæ sperat, eo

amarius vitam præferitam in amaritudine recompensat (a), secundum illud ⁸ : « Meditabor ut columba. » Et post ⁹ : « Ecce in pace amaritudo mea amarissima. » Columba enim pro cantu gemitum habet. Et ideo dicitur ¹⁰ : « Quasi columbæ meditantur gememus. » Sed quidam habent pennas terrestres, et tales signari possunt ¹¹ : « Volabant in acre duobus cubitis altitudine super terram. »

Quarto, indigent penna orationis : et hæc est conservativa, et etiam contemplativa omnium, quod est vigilantia mente dona datoris cognoscere, et animum a curis etiam sæcularibus sequestrare, ut jam tectum contemplationis ascendens, dicat illud ¹² : « Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto. » Passer est ille, qui sagax ad alta virtutum fugit. Ut tuti a laqueis esse possent, volant solitarii, se supra ad divina levantes, et (b) dum dilecto suo mentis præsentiam ingerunt, aliis patrociniæ miserationis implorant, secundum illud quod signatum in *Levitico* ¹³ : « Cumque dimiserit passerem volare in agro, orabit pro eo, et rite mundabitur. » Qui ergo has quatuor pennas habet, scilicet dilectionis, cognitionis, devotionis, et orationis, recte poterit absque obstaculo ad cœlestia evolare, sicut isti, de quibus dicit potest illud ¹⁴ : « Volabant in humeros Philistinim per mare, simul prædabantur filios Orientis, » quoniam talibus, velut « diligentibus Deum ¹⁵, omnia cooperantur in bonum, » et etiam fortitudo Philistinorum et infidelium, ut capiant hereditatem, a qua angeli desertores exciderunt.

DE FESTO OMNIUM SANCTORUM.

SERMO PRIMUS ¹⁶.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te ¹⁷. Sicut magistri librorum recapitulant in fine summatis lectiones, quas diutius docuerunt, sic Ecclesia solemnitates Sanctorum, de quibus per totum annum solemnizavit, quasi in fine anni in festo omnium Sanctorum epilogat : et sicut regina Saba, videns sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat, et habitationem servorum,

¹ *Philipp.*, III, 20. — ² *Ephes.*, III, 18. — ³ *Habac.*, I, 8. — ⁴ *Prov.*, XXIII, 5. — ⁵ *Job*, XXIII, 3. — ⁶ *Isa.*, VI, 1. — ⁷ *Psal.*, LIV, 7. — ⁸ *Isa.*, XXXVIII, 14. — ⁹ *Ibid.*, 17. — ¹⁰ *Isa.*, LIX, 11. — ¹¹ *Num.*, XI, 31. —

¹² *Psal.*, CI, 8. — ¹³ *Levit.*, XIV, 53. — ¹⁴ *Isa.*, XI, 14. — ¹⁵ *Rom.*, VIII, 28. — ¹⁶ Non hunc, sedum sequentem habet Codex Assis. sæc. XIII. — ¹⁷ *Psal.*, LXXXII, 5.

(a) Forte *leg.* recogitat. — (b) *Cat. edit.* ut.

et ordinem ministrorum, non habuit ultra spiritum (a), dicens ¹: *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* Et in alacritate cordis clamans, ait: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, etc.* Ubi notatur solemnis Sanctorum mansio, et jugis gratiarum actio. Quantum ad primum, notatur habitandi actus, cum dicitur: *Habitant*; habitandi locus, cum dicitur: *In domo tua*; habitantium fructus, cum dicitur: *Beati*. Quantum ad secundum, quod est gratiarum actio, notatur laudis expressio ibi: *Laudabunt*; laudantium recta intentio, cum dicitur: *Te*; et utriusque, tam laudis quam laudantium, continuatio, cum dicitur: *In sæcula sæculorum.*

Domus igitur hæc cœlestis patria est, quam desiderare debemus, ut in ea habitemus ²: « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. » Et secundum diversos domus hujus habitatores, sunt in ea diversæ habitationes ³: « In domo patris mei mansiones multæ sunt. »

Primo igitur est domus hæc opulenta ⁴: « Gloria et divitiæ in domo ejus. » Non sunt illæ divitiæ temporales, quæ relinquunt inquietudinem in cogitatu, insatiabilitatem in appetitu, cæcitatem in intellectu, sterilitatem in fructu; sed spirituales, quæ nec possunt amitti, nec auferri, nec resolvi, nec putrefieri, vel comburi. In ista domo habitant Patriarchæ, et opulenti qui divitiis temporalibus bene usi sunt. Dixit Pharaon Patriarchis ⁵: « In optimo loco fac eos habitare, et trades eis terram Gessen, » quod interpretatur *desiderium*: quia licet temporalia possiderent, tamen cordis intimo desiderio ferebantur ad cœlestia, quæ sola sunt desiderabilia, et fruuntur cœlesti beatitudine. ⁶ « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. » Mites sunt, qui nihil inordinate amant in luto temporalium, et ideo non inveniunt animum eorum turbatum: nam aqua pura in se est serena, sed admixto luto efficitur turbida. Ab inhabitatione hujus domus repelluntur avari, quia nulla opulentiâ possunt satiari: « avarus enim ⁷ non impletur pecunia. » Hi sunt ⁸, « qui inhabitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, et consumuntur velut vestis a linea. » *Domos luteas inhabitant*, qui in face terrenorum exultant. *Terrenum habent fundamentum*,

qui eis innituntur per affectum. *Consumuntur velut a tineâ*, quæ penetrat efficaciter, et tamen insensibiliter: facit enim damnum, sed non facit sonum. Amatores enim temporalium perdunt cordis innocentiam, carnis continentiam, et accessu temporis, vitam et gloriam. Sed damnum hoc negligunt, quoniam in terrenis nimis occupati sunt. Et utinam adverteremus, quod dicit Apostolus ⁹: « Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis. »

Secundo, domus ista domus lucida est, quia ¹⁰ « lucerna posita est super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. » Ibi enim lux increata discipulos suos illuminat, ut illuc desiderio pergat, qui clare veritatem videre desiderat. ¹¹ « Venite et ascendamus ad montem Domini, ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas. » In hac domo habitant prophætæ ¹²: « Ubicumque habitabant filii Israel, lux erat. » Israel, *vir videns Deum*, propheta significat, quia qui hodie Propheta Dei, olim ¹³ appellabatur Videns. Ex summa enim intentione affectuum in Deum summe veniebant, et in illa unione illuminabantur per irradiationem a primo lumine, in qua irradiatione auferebatur velamen vel corpulentia intellectus, ubi limpide cognoscebant, et fervide desiderabant, et nunc fruuntur beatitudine, quia dicitur ¹⁴: « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam. » In hac domo non habitant talpæ, vel capti oculis, qui oculos habent, et non vident: nihil enim noverunt de divinis, sed tota eorum sapientia consistit in fundis, humanis mercationibus et culturis ¹⁵: « Habitatio tua in medio doli: in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus; » vel, sicut Septuaginta transtulerunt: « Usura super usuram, et dolus super dolum. »

Tertio, domus hæc secreta est: a malis enim non invenitur, quia solo desiderio recto introrsum quaeritur. ¹⁶ « Dicitis enim: Ubi est domus Principis? » Valde enim solitarius et segregatum oportet eum esse a negotiis mundi, et in magno fervore amoris vivere, qui domum illam vult invenire. ¹⁷ « Cui dedi in solitudine domum, et tabernacula ejus, in terra salsuginis? Contemnit multitudinem civitatis, » quia vivunt,

Gessen
quid.

Exemplum.

¹ Psal. LXXXIII, 3. — ² Psal. XXVI, 4. — ³ Joan., XIV, 1. — ⁴ Psal. CXI, 3. — ⁵ Psal. XLVII, 6. — ⁶ Matth., V, 4. — ⁷ Eccl., V, 9. — ⁸ Job, IV, 19. — ⁹ II Cor., V, 1. — ¹⁰ Matth., V, 15. — ¹¹ Isa., II, 3. —

¹² Erod., I, 23. — ¹³ I Reg., IX, 9. — ¹⁴ Matth., V, 6. — ¹⁵ Jerem., IX, 6. — ¹⁶ Job, XXI, 28. — ¹⁷ Job, XXXIX, 6-7. — (a) Suppl. sic Ecclesiæ.

ut pauci. In hæc ergo domo secreta sunt Apostoli, quibus Dominus revelavit secreta consilia sua, sicut amicis. ¹ « Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ. » Pauperes fuerunt Apostoli, qui omnia pro Christo reliquerunt, ut præberent I. exemplum imitabile, quia omnia reliquerunt; 2. consilium irrefragabile ²: « Si vis esse perfectus, » etc. 3. Auxilium insuperabile, Christum scilicet, qui dicit de se ³: « Ego autem mendicus sum, et pauper. » 4. Præmium incomparabile, quia regnum cælorum. Falsa enim sapientia sæculi, imo vera stultitia populi illius, cujus dextera plena iniquitate, et ⁴ « promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud, beatum dixerunt populum, cui hæc sunt, » et non « beatum, ejus est Dominus Deus ejus. » Unde philosophi beatitudinem fallacem dicebant, sive ponebant in divitiis. Sed non sic solus et beatus; sed qui beatitudinem in paupertate posuit, qui pauper natus est, vixit, obiit: nisi esset sicut iste dives, de quo ⁵: « Beatus dives, qui post aurum non abiit, » etc. « Quis est hic? » etc. Quæ enim majora mirabilia, quam divitias respuere, quas plurimum procurat diabolus, aufert mundus, silit appetitus? In hæc domo non habitant superbi divites ⁶: « Non habitavit in medio domus meæ qui facit superbiam »: sed habitant cum dæmonibus, ab illa ejectis habitatione pro eorum elatione ⁷: « Gigantes gemunt sub aquis, et qui habitant (a) cum eis. » ⁸ « Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. »

Quarto, domus hæc est firma et robusta, quia ⁹ « fundata est » domus Domini « supra firmam petram. » Vir sapiens ædificavit domum suam supra firmam petram, scilicet triumphantem Ecclesiam, super Christum. Licet enim aliqui lapides, vel paries unus ceciderit de illa domo, tamen illa domus quotidie reparatur, et illi parietes reficiuntur. ¹⁰ « Domus Dei, » quæ est in terra Israel, « quæ incensa est, reædificabitur, ibique revertentur omnes timentes Deum. » In hæc domo securi habitant martyres, de quibus legitur ¹¹: « Occidi possunt, et flecti nequeunt. » Totam enim fiduciam suam in Domino posuerunt, et ideo sicut mons in Domino perstiterunt ¹²: « Qui confidunt in Domino, sicut

mons Sion, » etc. Propter hoc beatus Stephanus securus erat contra lapides, Laurentius contra ignem, Paulus contra gladium, Petrus et Andreas contra crucis patibulum, Sebastianus contra sagittas: Ideo fruuntur illa beatitudine ¹³: « Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, » etc. *Beati*, dico, *propter justitiam*; si enim pro te Dominus sanguinem fudit, sanguinem etiam tuum pro eo fundere debes. Væ igitur carnalibus, quos Dominus solitarios reliquit sine gratia, qui non possunt hanc domum invenire, per quam possunt ad civitatem cælestem intrare, vel inhabitare ¹⁴: « Erraverunt in solitudine, in inaquoso; viam civitatis habitaculi non invenerunt. »

Quinto, domus hæc ornata est ¹⁵: « Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus. » Sicut enim est sol ornamentum cæli et stellarum, sic Dei sapientia ornamentum est domus cælestis, et gloriæ sanctorum. Varia autem gratiarum dona sunt varia ornamenta: ¹⁶ « Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. » Illic ergo habitant confessores, qui varias habuere virtutes. ¹⁷ « Justi confitebuntur nomini tuo, et habitabunt recti cum vultu tuo »: quia justitiam coluerunt in opere, rectitudinam habuerunt in voluntate, et nomen Christi confessi sunt ore. Et bene dicit, *Justi*: justitiam enim lex nature docet, lex Moysi præcipit, lex evangelica consummat. Ejus inchoatio est, nemini injuriam facere; profectus, omnes diligere; consummatio est omnibus benefacere, si potes; si non potes, velle: et quia seipsos mortificaverunt in penitentiis et lamentis, ideo fruuntur beatitudine ¹⁸: « Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. » Luxit autem (b), quia lugens nos monet, nec risisse legitur. Ideo ¹⁹: « Beati, qui nunc fletis, quoniam ridebitis. » Lacrymæ enim sunt lavatorium in claustro animæ, quibus delemus litteras quas diabolo dedimus, quasi chirographum, quando peccavimus, et ideo semper flere debemus: et tamen timere debemus, quia ²⁰ « beatus homo qui semper est pavidus. » Si enim aliqui in via coram latronibus securi sunt, hæc securitas provenit vel ex ignorantia, vel ex inopia, aut cui

¹ Deut. xv, 11. — ² Matth., xix, 21. — ³ Psal. xxvix, 18. — ⁴ Psal. cxxliii, 13, 15. — ⁵ Eccli., xxxi, 8. — ⁶ Psal. c, 2. — ⁷ Job, xxvi, 5. — ⁸ Psal. lxxviii, 11. — ⁹ Matth., vii, 25. — ¹⁰ Tob., xiv, 7. — ¹¹ Cyprian.

— ¹² Psal. cxxiv, 1. — ¹³ Matth., v, 10. — ¹⁴ Psal. cvi, 4. — ¹⁵ Eccli., xxvi, 21. — ¹⁶ Prov., ix, 1. — ¹⁷ Psal. cxxxix, 14. — ¹⁸ Matth., v, 5. — ¹⁹ Luc., vi, 21. — ²⁰ Prov., xxviii, 13.

(a) Cat. edit. habitat. — (b) Suppl. Christus.

quod possit auferri deest, vel qui, (a) possit auferri, abesse putatur. Time ergo, vel quod te invenis non timentem; vel fac ut timeas quod timere te invenis, id est, oculos aperi, aut pauper esto. Ab hac habitatione repelluntur hypocritæ ¹: « Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ. »

Sexto, domus hæc est munda, nihil enim inquinamenti sustinere potest: et ideo ab ea corrumpitur diabolus; post cujus lapsum impolluta est ²: « Nunc, Sancte sanctorum omnium Domine, conserva in æternum impollutam domum istam, quæ nuper mundata est. » Ideo habitant in ea virgines et continentes ³: « Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? » ⁴ « Innocens manibus, et mundo corde, » ⁵ « qui ingreditur sine macula. » Innocentes corde fuerunt virgines, sine macula in carne vel corde; vel dicit innocentes corde, sine macula infamie. Et ideo fruuntur hæc beatitudine ⁶: « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » Sine castimonia nemo potest videre Deum. Sed vae immundis et luxuriosis, qui repelluntur ab hac habitatione.

Dices (b) ergo: Rara castitas ecclesiasticis nostris: ubinam habitant (c)?

In inferno cum Plutone ⁷: « Facta est Babylon magna habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi: » quia viri spirituales facti sunt per luxuriam incolæ ejus, et ibi custodiuntur, sicut in carcere, ad pœnam æternam. Et, *Magna*, dicit propter multitudinem habitantium, quia jam fere passim omnes ad hanc immunditiam convertuntur, et specialiter clerici. Unde Petrus Damianus ⁸: « Veniet dies, imo nox, quando libido tua, o clerice, vertetur in picem, qua se perpetuus ignis in tuis visceribus inextinguibilem nutriat, et medullas tuas, simul et ossa, indeficienti conflagratione depascat. Quare enim flammis libidinis æstuas? qua fronte, qua audacia sacris altaribus appropinquas? Certe, quanto sanctius est ministerium, tanto mundiozem requirit ministrum. Electus es, ut doceas officium castitatis, non ut fias exemplum alienæ libidinis, » etc.

Septimo domus hæc est jucunda, et gau-

diosa ⁹: « Quasi (d) gaudium et lætitia invenitur in ea, gratiarum actio, et vox laudis. » Quod exprimitur in *Nehemia* ¹⁰: « Steterunt duo chori laudantium in domo Domini. » Hi sunt angeli, et homines beati, vacantes laudibus divinis. In hac erga domo habitant angeli, qui non cessant clamare dicentes ¹¹: « Sanctus, Sanctus, Sanctus. » ¹²: « Exulta, et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel. » Omnis enim hierarchia angelica ad Deum laudandum est ordinata; et qui amplius laudant, sublimius remunerantur in cognitione et amore, ut dicit Commentator ¹³ super *Angelicam Hierarchiam*. Laudant autem Deum, quantum a creatura est possibile laudari eum. Cum enim irreverberata mentis acie Dei sapientiam contemplantur, in ipsum suas extendunt intelligentias infatigabiliter, et in gratiarum actiones toti assurgunt; et dum admirantur supra se Deum, qui est unus in substantia, trinus in personis, in quo est summa pax, summa tranquillitas, summa pacis tranquillitate et plenitudine perfruuntur, studentes unum fieri in se, quantum possunt, propter unitatem pacis, quam vident supra se, et ad pacem et ad tranquillitatem pacis revocant omnia sub se. ¹⁴ « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. » Ut ergo eis, qui vitam abjecerunt angelicam, nec faciunt in ecclesiis suis residentiam, aut, si faciunt, propter pecuniam faciunt, horas suas non dicunt ex devotione, nec Deum laudant ¹⁵: « Visitabo, dicit Dominus, super omnes, qui attonsi sunt in comam; quia omnes gentes habent præputium. » Et ¹⁶ ubi est illud: (e) « Districte præcipiendo mandamus, in virtute obedientie, ut officium nocturnum, pariter et diurnum, quantum Deus dederit, studiose celebrent pariter, et devote. » Ubi dicit Apparatus: « Qui contra hoc præceptum faciunt, inobedientiam incurrunt. » Et Bernardus ¹⁷: « Cum psallis, cor ad sensum psalmi habeas, nisi ad sublimius rapiatur, et omnium, quæ ibi dicuntur, vel dicendi in tuo choro, vel audiendi in alio, usque ad unum iota, scias te esse debitorem. » Isti ergo cum stipendia accipiant, et officium non impleant, injustitiam exercent. Et ideo ¹⁸: « Domine, non habitabit juxta te mali-

¹ *Apoc.*, II, 13. — ² *II Mach.*, XIV, 36. — ³ *Psal.* XIV, 1. — ⁴ *Psal.* XXIII, 4. — ⁵ *Psal.* XIV, 2. — ⁶ *Matth.*, V, 8. — ⁷ *Apoc.*, XVII, 2. — ⁸ Petr. Damian. — ⁹ *Isa.*, LI, 3. — ¹⁰ *II Esdr.*, XII, 39. — ¹¹ *Isa.*, VI, 3. — ¹² *Ibid.*, XII, 6. — ¹³ Paraphr. Pachyme. in *Cat. Iber.*, c. VII, § 2. — ¹⁴ *Matth.*, V, 9. — ¹⁵ *Jerem.*,

IX, 25. — ¹⁶ *Clement.*, lib. III, tit. 14, de celebr. Miss., c. 4, *Gravi nimirum*. — ¹⁷ Bern. — ¹⁸ *Psal.* V, 6.

(a) *Suppl.* cum ipsi. — (b) *Cat. edit.* Dicit. — (c) *Item* ubi nunc habitas. — (d) *Del.* quasi. — (e) *Cat. edit.* Extra. de celebratione missarum.

gnus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.»

Octavo, domus est supernaturalis, et supermirabilis incolatus. Virgo et mater Maria, quæ super omnes angelos est exaltata, quam Dominus elegit in habitationem sibi, super omnes habitat eminenter. Elegit eam, et habitare fecit eam in tabernaculo suo. Et quia domus hæc propter habitatorum copiam non angustatur ¹: « O Israel, quam magna est domus Dei: » habitatores requirit, donec impleatur. ² « Compelle intrare, ut impleatur domus mea. » Ideo, licet omnes sanctorum status disparem habeant claritatem, tamen parem habent iucunditatem, quia gaudium unius est gaudium alterius. ³ « Sicut lætantium omnium habitatio est in te. » Et iterum ⁴: « Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum. » Omnes enim unitate charitatis congregati sunt, et omnes nostris miseriis condescendunt. Et ideo ⁵: « Beati misericordes, quoniam misericordiam consecuti sunt. » Repelluntur ergo discordes, et odia reservantes ⁶: « Nequibant pastores habitare communiter Abraham et Loth, quia rixa facta est inter eos. » Patent ergo conditiones domus, et habitantium status, et fructus, cum dicitur: *Beati qui habitant*, etc.

SERMO II.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te ⁷. Considerans David solemnitatem civium supernorum, ait ⁸: « Eructavit cor meum verbum bonum. » Dico ergo: *Beati qui habitant*, etc. Et innuit tria, quæ faciunt ad Sanctorum gloriam: quorum primum est stipendium præmiæ et gloriosum, ibi: *Beati*; quia dicit Augustinus ⁹: « Vita beata est præmium, cujus promissione gaudemus. » Et si gaudemus spe de promissione, multo magis gaudent Sancti de possessione. Unde ¹⁰: « Beatus es tu, Israel: quis similis tui, popule, qui salvaris (a) in Domino? » Secundum est habitaculum regale et gloriosum, ibi: *In domo tua*, non in exilio hujus miseriæ, ubi est hospitium transeuntium, sed in cælo: quia cælum est domus quiescentium, mundus enim (b) hospitium breve, et ideo relinquendum. De hac

domo dicit ¹¹: « Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. » Unde multi in hoc mundo noluerunt, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; sed tanquam peregrini et advenæ in hoc sæculo, habitant in desertis. Tertium est officium æternale, et gaudiosum, ibi: *In sæcula sæculorum laudabunt te*. Illud est officium Sanctorum: cantare, exultare, et Deum laudare ¹²: « Ibi vacatur Dei laudibus, qui erit (c) omnia in omnibus. » Unde ¹³: « Benedicam Dominum, in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. » Semper laudat, qui semper diligit.

Videamus quibus viis et gradibus Sancti ascenderunt ad istam beatitudinem, ut eorum imitando vestigia, beati esse possimus.

Primo videamus de rege Christo, qui est Rex gloriæ, quia licet omnium virtutum prærogativam habeat, tamen, appropriate loquendo, beatificatus est est propter innocentiam: licet enim omnia quæ sunt hominis sumpserit, non tamen ignorantiam et peccatum. Unde ipse solus dicit ¹⁴: « Ego autem in innocentia mea ingressus sum, » hanc scilicet beatitudinem. O Deus, innocentiam restitutor, et auctor, quis te mitior? quis te innocentior? Si, secundum quod dicit Augustinus ¹⁵: « Innocens est qui nec sibi, nec alii nocet, » ipse non solum nulli nocuit, sed omnibus profuit: et tamen passus fuit dura verba, duriora verbera, et horrenda mortis supplicia, sicut dicit Bernardus ¹⁶: et tamen fuit agnus sine macula: et certe quanto mansuetior in illata injuria, tanto debetur ei altior beatitudinis gloria. Ille enim, qui, secundum Bernardum ¹⁷, fuit mitissimus super omnes homines, magisterium mansuetudinis specialiter sibi appropriavit, dicens ¹⁸: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, » etc. O serpentine filii Adæ! Adhuc multi videntur de veneno serpentis, qui Adam intoxicavit, habere in cordibus per rancores; in lingua, per blasphemias; in manibus, per oppressiones. cum tamen, postquam facti sunt christiani, venenum tale deberent deponere in aqua baptismi. Ergo, et ex quo christianus es, non tantum ore et verbo, sed opere et veritate te talem esse ostende: et, ut directe imiteris Christi mansuetudinem, res-

¹ Bar., III, 24. — ² Luc., XIV, 23. — ³ Psal., LXXXVI, 7. — ⁴ Psal., CXXXI, 1. — ⁵ Matth., V, 7. — ⁶ Gen., XIII, 6. — ⁷ Psal., LXXXIII, 5. — ⁸ Psal., XLIV, 2. — ⁹ August., de Morib., Eccl. cath., XXV, 37. — ¹⁰ Deut., XXXIII, 29. — ¹¹ Psal., CXXI, 1. — ¹² August., de Civit. Dei, lib. XXII, c. LXX, n. 1. — ¹³ Psal., XXXII, 2. —

¹⁴ Psal., XXV, 11. — ¹⁵ Aug., Enarr. in Psal., c, n. 4. — ¹⁶ Bern. — ¹⁷ Id., in Convcr. S. Pauli, serm. V, n. 1. — ¹⁸ Matth., XI, 29.

(a) Cæt. edit. salutaris. — (b) Log. autem. — (c) Cæt. edit. est.

pice in faciem Christi tui, et considera coronam spineam, alaparum injuriam, virgam araudi-neam, sputorum nauseam, in manibus et pedibus clavorum fixuram, in latere acutissimam lanceam, in ore felleam spongiam, in aure garrigentium contumeliam, in toto corpore flagellorum vulnera, et in ligno crucis ignominiam, et pro his omnibus recompensationem nullam ¹ : « Pater, » inquit, « ignosce (a) illis. » Non dicit : Vindica. O cor amarissimum, quod ad ad tam suavissimam vocem non dulcescat, et amaritudinem odii non deponat ! Qui igitur vult ad beatitudinem cum Christo pervenire, « debet, sicut ille ambulavit ², » etc., et discat ejus doctrinam, ut sit mitis et mansuetus in affectione, et in sermone et in conversatione, quia ³ : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. » Super quo dicit Glossa : « Mitis est, quem nec ira, nec rancor afficit, sed omnia æquanimiter sustinet, nec turbatur. » Ideo dicit ⁴ : « Fili, in mansuetudine serva animam tuam. »

Secundo, beatificata est cœli Regina per humilitatem obedientiæ, et reverentiæ. Sicut enim Adam et Eva per superbiam et inobedientiam perdidit paradysum terrestrem, sic Mater gratiæ, per humilitatem profundissimam, acquisivit beatitudinem cœlestem. Unde ipsa dixit illud ⁵ : « Respexit humilitatem ancillæ suæ ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. » Quasi singulariter hanc virtutem proponit. Unde, quia te, Maria, humiliasti usque ad ancillam, ille qui deposuit potentes de sede, exaltavit te in cœli Reginam. Unde per humilitatem ad sublimitatem ascenditur, nec est via alia præter ipsam. Qui enim aliter vadit, cadit. Ergo descendere, ut ascendas ; humiliare, ut exalteris. Humilitas igitur exaltat, et magnificat. Licet gloria mundi videatur hominem magnificare, sicut stulti dicunt ⁶ : « Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt, » etc. ; tamen non est appetenda, sicut dicitur ⁷ : « Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt. » Istam beatitudinem mundanam non elegit sibi Maria ; sed meliorem partem elegit, scilicet humilitatem. Si igitur beati esse volumus, humilitatem Virginis imitemur. Unde de hac humilitate dicitur ⁸ : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est

regnum cœlorum : » de qua Glossa sic ait : « Non inflati, non superbi. » Pauperes spiritu sunt humiles et timentes Deum, id est, non habentes inflantem spiritum : et hæc est melior pars, quam elegit Maria.

Tertio, beatificati sunt angeli sancti per firmitatem adhærentiæ. Sicut enim Lucifer, et ei consentientes, aversi sunt per amorem propriæ excellentiæ a Creatore suo, et tanquam visco hærentes ceciderunt, sic qui, adhærentes Deo, permanserunt firmiter, et stabiles in illa beatitudine facti sunt. Certum est, quod sicut qui adhæret labenti labitur, qui sic stanti adhæret stabilitur. Unde dicitur super illud ⁹ : *Stellæ de cælo ceciderunt* : « Nullum permittit Deus cadere, qui ei servit vero amore. » Cum ergo, sicut dicit beatus Augustinus ¹⁰, beatitudo sit Deo adhærente, angeli, qui Deo adhærent, beati sunt. Ideo dicitur ¹¹ : « Beati viri tui, » scilicet stabiles et viriles per amorem ; « et beati servi tui, » quia parati ad tuam laudem, « qui stant coram te semper, » per gloriæ confirmationem. O felix glutinum, et bonum vinculum charitatis, quod sic glutinat angelos Deo, ut nunquam dissolvi valeant, et disjungi ! Hoc est *vinculum perfectionis*, ut dicit Apostolus ¹², quod non solum angelos Deo, sed et homines unit, quia eos facit deiformes secundum Anselmum ¹³ *de Similitudinibus*. O charitas, quam magnum est vinculum tuum, quod non angelos Deo, sed Deum etiam in unam personam, et hominem mirabiliter copulasti ; Deum ad terram traxisti, ad columnam ligisti, cruci affixisti, sepulero clausisti, tandem ad inferos attraxisti ! Quis, inquam, fecit hæc omnia, nisi amor salutis nostræ ? O graviore saxo et plumbo, quos tanti amoris vinculum non traxit sursum ad Deum, ex que prius traxit Deum deorsum ad homines ! Unde, qui vult beatificari cum angelis, oportet ut Deo jungatur per amorem : illi soli perfingere ad beatitudines possunt, qui casto amore Deo adhærent. Unde ¹⁴ : « Mihi adhærente Deo, bonum est : » quasi diceret : Adhæreant alii quibuscumque voluerint : ego Deo adhærebo qui est protector meus in via, et beatificator in patria.

Quarto beatificati sunt Patriarchæ per largitatem misericordiæ : fuerunt misericordiæ operibus pleni, operiebant nudos, et hujusmodi.

¹ Luc., xxiii, 34. — ² I Joan., ii, 6. — ³ Matth., v, 4. — ⁴ Eccli., x, 31. — ⁵ Luc., i, 48. — ⁶ Psal., cxliiii, 15. — ⁷ Isa., lii, 12. — ⁸ Matth., v, 3. — ⁹ Apoc., vi, 13. — ¹⁰ Aug., de Civit. Dei, lib. xii,

c. l, n. 2; ibid., c. vi. — ¹¹ III Reg., x, 8. — ¹² Coloss., ii, 14. — ¹³ Imo Eadmer., de S. Anselm. similit. — ¹⁴ Psal., lxxii, 28.

(a) Vulg. dimitte.

Ideo sunt de numero eorum, de quibus ¹ : « Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur (a). » Et vere misericordiam consequentur, cum Dei misericordia sit fons, et nostra misericordia sit rivus ad proximum derivatus, cum fons ipsius misericordiae prius sit ad nos. Unde ² : « Beatus vir, qui intelligit super egenum, et pauperem. » *Egenum* dicit, non superabundantem et divitem ³ : « Cum facis prandium, » etc. O Deus aeternae, si misericordes erunt beati, numquid immisericordes erunt miseri? ⁴ « Judicium sine misericordia possidebit, qui non facit misericordiam. » Quid dicam de illis, qui despiciunt pauperes, abominantur inopes, affligunt humiles, persequuntur debiles? Certe expedit eis, ut suspendatur mola asinaria in collo eorum, et mittantur in profundum maris. ⁵ « Qui despicit proximum suum, peccat; qui autem miseretur pauperis, beatus erit. » Tales fuerunt (b) patres antiqui, qui de suis facultatibus pauperibus impertiti sunt. Isidorus ⁶ : « Hoc tantum habet rerum possessio praesentium, si reficiat vitam miserorum. » Servando amittimus, largiendo servamus. Unde versus :

Solas quas dederis, semper habebis opes.

Quinto, beatificati sunt Prophetae propter veritatem intelligentiae ⁷ : « In ore ipsorum non inventum est mendacium, » neque dolus in lingua, neque falsitas in verbis, neque duplicitas in locutione. Ideo « ante thronum Dei sunt » beatificati, qui pro veritate se opposuerunt, et potius volebant vitam perdere, quam veritatem, sicut patet in Isaia, Michaea, et caeteris. Unde de eis potest dici illud ⁸ : « Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, » scilicet per falsitatem et mendacium. O quam pauci hodie homines inveniuntur de istis beatis! quoniam veritas in plateis corrui, et falsitas ubique regnat : rosa aruit, spina crevit. O abusio maxima! cum falsitas nihil valeat, sicut denarius falsus, ad accipiendum, cur ita appetiatur a Christianis, qui debent esse filii veritatis? Falsi sunt in omni venditione, et emptione, et in omni congregatione et natione. Unde ⁹ : « Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium? » Hoc est certe signum divinae gratiae reprobativum. Unde

sequitur ¹⁰ : « Disperdat Dominus universa labia dolosa, » etc. Et ¹¹ : « Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. » Qui ergo vult esse beatus, diligat veritatem cum Prophetis.

Sexto, beati sunt Apostoli et Evangelistae propter paupertatem indigentiae : ipsi enim sunt primi in beatitudinibus ¹² : « Beati pauperes spiritu, » etc. Aliis promittitur beatitudo de futuro : sed Apostolis pauperibus et Martyribus de praesenti. Jam habent clavem regni, jam custodiam januae, ut alios possint intrmittere in aeternam beatitudinem : et propter hoc divites sunt, licet nihil habeant temporale. ¹³ « Beatus dives, qui inventus est sine macula, » etc. Bene pauper Christi dives est, qui electus ad regnum et haeres regni caelestis est. ¹⁴ « Omne gaudium existimate, » etc. Glossa : « Non indignemini, fratres, si mali florent in hoc mundo, et vos patimini : » non est enim christianae dignitatis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Illi nihil habent in caelo; vos nihil in mundo : spe ergo illius boni, ad quod tenditis, quidquid in via contigerit, gaudere debetis. Quid igitur dicemus? quid pretiosius vera paupertate, quae est pretium regni caelestis? Augustinus ¹⁵ : « Venale habeo, » etc. ¹⁶ « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo? » Non igitur displiceat tibi paupertas, qua nihil potest divitius inveniri : quia regnum caelorum per paupertatem comparatur. O charissimi, si beatitudo et verae divitiae essent in auro, numquid non eam sibi Christus retinisset, et discipulis suis dedisset? Sed non solum non habuit; sed etiam contempsit, paupertatem elegit, tenuit, et docuit, et discipulis suis divitias prohibuit. Si primo fugiebat ante Christi adventum, non est mirum, quia nesciebatur retium ejus; sed postquam Deus in suam accepit partem, amplectenda est tanquam res pretiosa. Sicut enim vinum infusione pigmentorum fit claretum vel nectar, sic paupertas Christi amore dulcorata, in quo sunt omnia aromata, et qui est fons totius dulcedinis, fit potio saluberrima. Unde paupertas omnibus Christianis debet esse sapida. Sed hodie multi eam abhorrent, et habent palatum affectu cupiditatis felle infectum, qualis fuit ille, cui Petrus dixit ¹⁷ : « In felle amaritudinis et obligatione iniquitatis te video esse. »

Septimo beatificati sunt Martyres propter sta-

¹ *Matth.*, v, 7. — ² *Psal.* XL, 2. — ³ *Luc.*, XIV, 11. — ⁴ *Jac.*, II, 13. — ⁵ *Prov.*, XIV, 21. — ⁶ *Isid.*, *Sent.*, II, c. LX. — ⁷ *Apoc.*, XIV, 5. — ⁸ *Eccli.*, XIV, 1. — ⁹ *Psal.* LV, 3. — ¹⁰ *Psal.* XI, 4. — ¹¹ *Psal.* V, 7. —

¹² *Matth.*, v, 3. — ¹³ *Eccli.*, xxxi, 8. — ¹⁴ *Jac.*, I, 2. — ¹⁵ *Aug.*, in *Psal.* xciii, v. 24. — ¹⁶ *Jac.*, II, 5. — ¹⁷ *Act.*, viii, 23.

(a) *Cat. edict* consequuntur. — (b) *Item* fuerant.

bilitatem patientiæ. Ipsi enim tanquam robusti milites, sustinuerunt tribulationes et persecutiones : cum essent fortes et bene armati armis fidei, vere vicerunt regna, acquisierunt beatitudinem, aperuerunt cælum : « regnum enim cælorum vim patitur, » sicut dicitur ¹, et « violenti rapiunt illud. » Armatura eorum non hasta, non gladius, non clypeus; sed sola patientia, maxima virtutum, pugnat, quia inermis armatos solet sæpe vincere viros. Unde, sicut dicitur ² : « Confregit potentias, arcum, scutum, gladium, et bellum. » Propterea semper habet victoriam et coronam. ³ « Beatus vir qui suffert tentationem, » etc., quia nemo Sanctorum sine patientia coronatus est. Ideo Iacobus monet ⁴ : « Patientes estote, » etc. Quia ⁵ : « Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, » etc. Sed, heu ! hodie sunt multi sicut columna putrida, quæ cito frangitur, et ad flatum venti cito cadit. Homo impatiens est, sicut homo nudus, quem virga vulnerat. Fratres, armate vos patientia, quia tempus est belli, dum vivimus : in agone certaminis positi sumus ⁶, quia ⁷ « militia est vita hominis super terram. » Qui ergo vult vincere, firmiter teneat arma patientiæ.

Octavo, beatificati sunt confessores propter sobrietatem abstinentiæ : cibis enim non vacabant, sicut bruta animalia, comessionibus et ebrietatibus; sed parce vivebant, in jejuniis multis, et abstinentia. Natura enim docet abstinentiam, quæ homini dedit os parvum præ cæteris animalibus, etc. Et sicut ille dives epulo, propter sui voracitatem, descendit ad æternam famem, sic sancti per sobrietatem ascenderunt ad gloriæ beatitudinem. Levium enim proprium est ascendere, et e converso gravium. Apostolus ⁸ : « Sobrie, juste, et pie vivamus, » etc. ⁹ « Beati, qui nunc esuritis, » etc.

Nono, beatificati sunt virgines propter puritatem castimonie. Vita enim virginum et continentium spem habet specialem beatificationis in terra, quia cælicæ vite assimilantur ¹⁰ : « Simile est regnum cælorum decem virginibus, » etc. Unde ¹¹ : « Beati immaculati in via, » etc., id est, in præsentī vita, quæ aliis est via ad cælum, aliis ad patibulum, aliis ad miseriam, aliis ad gloriam. Unde in medio positi sumus, ut immaculati possimus ascendere ad cælum,

et iniqui projiciantur ad inferni sterquilinum. Et certe anima nobilis debet abhorrere istam maculam, ne in via polluantur pedes affectionis, vestis corporis : et maxime Clerici et Religiosi.

Decimo beatificati sunt finaliter pœnitentes per justitiam ¹² : « Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, » etc. Et ¹³ : « Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. » Et aliud ¹⁴ : « Beati, qui custodiunt justitiam, » quia punierunt, vel purgaverunt corda in contritione, os in confessione et oratione, manus in eleemosynarum largitione.

DE ANIMABUS.

SERMO.

Mementote vinctorum, tanquam et ipsi victi ¹⁵. Secundum beatum Gregorium ¹⁶ animæ perfectorum statim evolant ad cælum; animæ reproborum statim descendunt ad infernum : « Sicut enim electos a die sui exitus corporis (a) beatitudo lætificat, ita credi necesse est, ut a die exitus sui, reprobos ignis exurat. » Animabus igitur purgandorum defunctorum prosunt suffragia. De istis, quasi in proximo regnaturis, post festum Sanctorum omnium, feliciter regnantium, Ecclesia solemnizat hodie. In verbis propositis, juxta litteram sumptis, Apostolus nos specialiter hortatur ad compassionem et subventionem vinctorum propter Evangelium Christi; quoad intelligentiam spiritualem, hortatur omnes universaliter Christianos ad compassionem et suffragia defunctorum carcere purgatorii detentorum. Ait ergo, *Mementote*, etc., primo dissuadens ingratitude oblivionis; secundo persuadens promptitudinem compassionis; tertio persuadens sollicitudinem provisionis.

Proponit nobis igitur defunctos in speculum memorie, ut recordemur, quales fuerint quantum ad unitatem hujus peregrinationis. ¹⁷ « Memento, quoniam omnes in correptione (b) sumus : » ubi Glossa : « Universa vanitas et afflictio spiritus. » Secundo, in speculum intelligentiæ, ut contemnemur, quales sunt quantum ad necessitatem obligationis, cum addit : *Vincto-*

¹² *Psal.* XXXI, 1. — ¹³ *Ibid.*, 2. — ¹⁴ *Psal.* CV, 3. — ¹⁵ *Hebr.*, XIII, 3. — ¹⁶ *Gregor.*, *Dialog.*, lib. IV, c. XXVIII, non dicit statim. — ¹⁷ *Eccli.*, VIII, 6.

(a) *Apud Greg.* non legitur a die exitus corporis. — (b) *Cæt. edit.* corpore.

¹ *Matth.*, XI, 12. — ² *Psal.* LXXV, 4. — ³ *Jac.*, 1, 12. — ⁴ *Ibid.*, v, 7. — ⁵ *Matth.*, v, 10. — ⁶ *Hieron.*, in *Eccli.*, v. — ⁷ *Job.*, VII, 1. — ⁸ *Tit.*, II, 12. — ⁹ *Luc.*, XI, 21. — ¹⁰ *Matth.*, XXV, 1. — ¹¹ *Psal.* CXXVII, 1. —

rum. ¹ « Vinetis compassi estis, et (a) rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. » Tertio, in speculum providentiæ, ut præstolemur, quia tales erimus ad identitatem conditionis, cum subdit : *Tanquam vineti*, expectantes adventum parisi conditionis² : « Unus est omnibus introitus ad vitam, et similis exitus. ³ « Memor esto iudicii mei : sic enim erit et tuum : mihi heri, et tibi hodie. » Mementote ergo recolentes incolatum peregrinationis vinetorum, considerantes reatum obligationis, tanquam simul et vineti, expectantes adventum parisi conditionis.

Circa primum, proponentes nobis in speculum memoriæ incolatum peregrinationis, consideremus qualiter effloruerunt in ortu, emarcuerunt in transitu, exaruerunt in obitu. Ortus enim abominabilis ducit in contemptum sui; transitus miserabilis, in contemptum mundi; obitus horribilis, in contemptum peccati. Hoc speculum proponit nobis Bernardus ⁴ dicens : « Quid superbis, terra et cinis? ejus conceptio, culpa; nasci, miseria; vita, pœna; mori, angustia. »

Primo ergo recordemur, in contemptum nostri, ortum abominabilem. Si enim consideremus semen conceptus, alimentum fœtus, periculum partus, vocem ploratus, spurcitiam ortus, cum aliis circumstantiis, satis apparebimus conditione originis tales in oculis nostris. Propter hoc dicitur ⁵ : « Memento quæ ante te fuerunt (b), » qualiter generatus ex semine vilissimo, plasmatus ex limo, creatus ex nihilo. Quid ergo superbis, terra et cinis? Unde est ergo quod non adverlimus, quod oculis videmus? Nempe quia concupiscentia carnis est præstigiatrice sensuum : præterdit enim corpori juventutem, stabilitatem, sanitatem, pulchritudinem et fortitudinem. Unde, et quasi vitiosa naturali consuetudine, omnis homo ostendit pulchra, occultat vilia et turpia; et sic concupiscentia deludens sensus spirituales, et oculum rationis, obscurat bona animæ spiritualia. Hæc est facinorosa concupiscentia, quæ facit veritati non obedire. ⁶ « O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati? » Homo cum sit creatura dignissima,

tamen, separata anima, corpus remanet creatura vilissima. Super illud ⁷ : *Nolumus vos ignorare de dormientibus*, etc.. Glossa Augustini ⁸ : « Corpus, quod vivit ex anima, fit, anima discedente, examine : quod ambulabat, jacet; quod loquebatur, tacet : oculi clausi luce non capiunt, aures nulla voce patescunt, membrorum officia requiescunt, non est qui moveat gressus ad ambulandum, manus ad operandum, sensus ad perficiendum. » Nonne ista est domus, quam nescio quis invisibilis inhabitator ornabat? Recessit, quod cum amore colebatur; remansit, quod cum horrore videtur. »

Secundo recordemur, in contemptum mundi, transitum miserabilem. « Homo enim ⁹ brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, nunquam enim in eodem statu permanet. » ¹⁰ « Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea. » Tabescere enim est quasi mori sub miseria vitæ, mortem expectare continue. ¹¹ « Quotidie morimur, quotidie demitur aliqua pars vitæ : eum crescimus, vita decrescit. » ¹² « Memento quia (c) mors non tardat. » De miseriis hujus mundi Bernardus ¹³ : « Mundus est, ubi malitiæ plurimum, sapientiæ modicum, ubi vitiosa omnia, lubrica, opaca, obsessa laqueis peccatorum, ubi periclitantur animæ, affliguntur spiritus, ubi tantum vanitas est, et afflictio spiritus. » Sed a consideratione hujus miseriæ nos avertit concupiscentia mundi, sophisticatrix mentium : sophisticando enim suas viles merces, occultat onera sub honoribus, pericula sub dignitatibus, dolores sub deliciis, languores sub divitiis. Unde sic sunt respersa amaritudinibus omnia, quod diligenter examinata, plus habent de tristabili, quam de delectabili. Hoc optime figuratum est libro quarto *Regum*, quia ibi dicitur ¹⁴, quod « Jezabel depinxit oculos suos stibio. » Jezabel interpretatur *fluxus* ^{Jezebel quid.} *vanus*, vel *sterquilinum*, et signat mundum, qui nihil est, nisi quidam fluxus vanitatis et vilitatis : qui tunc stibio oculos suos pingit, cum dolores, angustias, amaritudines, quasi pingens coloribus, sophisticis delectationibus superfundit.

Tertio recordemur, in contemptum peccati, obitum horribilem. Nam secundum Platonem ¹⁵,

¹ *Hebr.*, x, 34. — ² *Sap.*, vii, 6. — ³ *Eccli.*, xxxviii, 23. — ⁴ Imo auctor *Meditat.*, iii, 8, inter Spuria Bernardi. — ⁵ *Eccli.*, xli, 5. — ⁶ *Gal.*, iii, 1. — ⁷ *I Thess.*, iv, 12. — ⁸ Gloss. ex Aug. — ⁹ *Job*, xiv, 1. — ¹⁰ *Tloren.*, iii, 20. — ¹¹ Senec., epist. cl. —

¹² *Eccli.*, xiv, 12. — ¹³ Bernard., in *Ascens. Dom.*, serm. v, n. 2. — ¹⁴ *IV Reg.*, ix, 30. — ¹⁵ Plat., de *Anim. immortalit.*

(a) *Cart. edit. doest et.* — (b) *Item fuerint.* — (c) *Fulg.* Memor esto quoniam.

summa philosophia est assidua mortis meditatio. ¹ « In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. » Quod pertractans Bernardus ait ² : « Novissima tua sunt, mors, iudicium, gehenna. Nihil morte horribilius, nihil iudicio terribilius, nihil gehenna intolerabilius cogitanti. » Ad perfectum ergo contemptum peccati, et si multis annis vixerit homo, et in his omnibus letus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, etc. Sed a consideratione mortis avertit concupiscentia vitæ, alienatrix mentium ³ : « Una est catena, quæ alligatos omnes nos tenet, » scilicet amor vitæ. Non est quod mors timeatur : « Stultius enim nihil est secundum ipsum ⁴, quam timore mortis mori. » Est tamen cum diligenti dispositione certitudinaliter expectanda. Unde : « Incertum est, quo te loco mors excipiet : itaque tu illam omni loco expecta. »

Circa secundum principale, proponit nobis speculum intelligentiæ, reatum obligationis, cum addit : *Vinctorum*. Attendendum igitur est, quod sicut vincula durissimi carceris auferunt facultatem operandi, libertatem ambulandi, potestatem libere agendi, et inferunt necessitatem tolerandi; sic animabus purgandis carcer purgatorii reddit meritum impossibile, jugum ineffugabile, debitum insolubile, incendium intolerabile. Hæc autem quatuor de istis vinctis comprehenduntur unico versu psalmi ⁵ : « Sedentes in tenebris, » etc. *Tenebræ* impediunt operationem, *vincula* evasionem, *mendicitas* solutionem, *ferrum* inducit afflictionem.

Primo igitur attendendum est, quod sedentes in tenebris purgatorii, non possunt mereri, possunt tamen per merita juvari : membra enim vincta, cum non sint mortua, sicca, vel paralytica, possunt recipere corporis influentiam, licet non possint rependere administrationis officium. Hoc autem fit iustitia Dei benignitatem recipiente, quia decesserunt in gratia; et misericordia indulgente, quia non possunt se juvare per propria. Ideo Salvator consulit ⁶ : « Operari oportet dum dies est; veniet (a) nox, quando nemo poterit operari. » O negligentia nostra! videmus nos incarcerari, et negligimus operari, ut possimus per opera liberari. Propter hoc reprehendit nos Sapiens ⁷ :

« Quodcumque potest manus tua, instanter operare. » ⁸ « Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. » *Tempus* seminandi est præsens vita, in qua currimus : in hac licet nobis quod volumus operari; cum vero transierit, operandi tempus auferetur (b). Signanter autem addit : *Maxime quoad domesticos fidei*. Licet enim suffragia omnibus iustis indigentibus prosint, maxime tamen his, pro quibus specialiter fiunt. Si enim charitas, gradus habens, opus informat, et intentio ordinat, certum est quod non frustratur intentio, et devotio satagentis. In persona horum mereri potentium clamat Apostolus ⁹ : « Mementote (c) vinculorum meorum. »

Secundo attendendum est jugum ineffugabile, propter quod dicuntur *vincti*. Omnes enim adstricti tenentur ex decreto divinæ iustitiæ, donec reddiderint novissimum quadrantem. Cujus ratio est, quia ¹⁰ in supernam Hierusalem nihil inquinatum intrare potest. Impossibile est animam intrare regnum gloriæ, quamdiu habet aliquid purgandum. Hoc figuratum est libro tertio *Regum*, ubi dicitur ¹¹ : « Malleus et securis non sunt audita in ædificatione templi : prius enim quadrabantur et dolabantur lapides et ligna in Libano, et postea collocabantur in templo. » Sic lapides vivi necessario in hac vita quadrantur, et poliuntur merito, vel post hanc vitam igne purgatorio, antequam superædificentur in cælo. Ille igitur solus ¹² « educit vinctos in fortitudine, » et potest liberare; nos autem possumus procurare, et elemosynis et orationibus impetrare. ¹³ « Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. » O mirabilis cæcitas! permittimus, imo procuramus nos ligari funiculis peccatorum, et per consequens jugo pænæ; et nolumus solvere vincula colli nostri, donec facti simus impossibiles ad solvendum. Ideo clamat Isaias ¹⁴ : « Solve vincula colli tui, captiva filia Sion. » Præveniamus ergo istam necessitatem faciendo dignos fructus pœnitentiæ, nec præcludamus nobis libertatem ingressus ad regnum.

Tertio attendendum est debitum insolubile; unde dicit : *Mendicitate*. Nam manente reatu

¹ *Ecclesi.*, VII, 40. — ² Bern., *de Prim.*, med. et noviss., serm. XII, de diversis, n. 4, quoad sensum. — ³ Senec., epist. CI. — ⁴ Id., epist. XXIV et LV. — ⁵ *Psalm.*, LXV, 10. — ⁶ *Johan.*, IX, 4. — ⁷ *Ecclesi.*, IX, 10.

— ⁸ *Gal.*, VI, 10. — ⁹ *Coloss.*, IV, 18. — ¹⁰ *Apoc.*, XXI, 27. — ¹¹ III *Reg.*, VI, 7. — ¹² *Psalm.*, LXVII, 7. — ¹³ II *Mach.*, XII, 46. — ¹⁴ *Isa.*, LII, 2.

(a) *Cæt. edit.* venit. — (b) *Item* auferetur. — (c) *Vuty.* Memores estote.

peccati, et deficiente moneta meriti, non possunt solvere quod ab eis exigitur, nisi per violentiam supplicii. Et dignum est, quod quidam, cum otiantur tempore ubertatis mundi, egent tempore necessitatis. ¹ « Qui stertit in aestate, filius confusionis est. » O qualis et quanta mendicitas! Mendici sunt, et tamen mendicare non licet, nisi quod pro eis mendicans Ecclesia clamat ²: « Miseremini, miseremini, » etc.: licet Gregorius concedat ³, quod aliqui ex privilegio speciali obtinuerunt suffragia per seipsos: quod eis dispensative indultum est ad procurandum propriam liberationem, et propter nostram instructionem. Quanto igitur mendicitas major est, tanto in subveniendo pietas virtuosior debet esse. Dicit Augustinus ⁴: « Curatio funeris, conditio sepulturæ, pompæ exequiarum, magis sunt vivorum solatia, quam subsidia defunctorum; » et tamen secundum Augustinum ibidem ⁵, Tobiam sepeliendo mortuos, Deum promeruisse, teste Angelo, demonstratur: Si igitur curam sepulturis impendis, quæ, in quantum hujusmodi, parum potest prodesse defunctis, est tamen tanti meriti, quantum meritoria est illa pietas, illos juvare, qui juvare se non possunt, ut illos expeditos a vinculis, postmodum habeamus intercessores in cælis. Secundum enim Augustinum ⁶: « Non est negandum defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis Mediatoris sacrificium offertur. » Hæc eadem sententia ponitur in Glossa.

Quarto attendendum est supplicium incomparabile, quod signatur in ferro. In persona horum dixit Manasses ⁷: « Incurvatus sum vinculis ferri. » ⁸ « Gravior est purgatorius ignis, quam quidquid potest homo pati in vita ista. » Unde est igitur, quod tanta pœna in momento non expiat peccatum? quoniam ⁹ « misericordia superexaltat iudicium. » Si enim supplicium statim non purgat omne peccatum, illa pœna est parum satisfactiva, licet multum sit acerba, quia magis est juste inflictæ, quam sit sponte assumpta. O summa perversitas! recusamus facere pœnitentiam, trepidantes timore, ubi non est timor; et illa horrenda supplicia parvipendimus, in quibus Deus ¹⁰ « armavit creaturam

ad ultionem inimicorum! » Nisi forte aliquis datus sit in reprobum sensum, ut non eredit se vivere post hanc vitam, sicut quidam ex proprio intellectu, et ex dictatu propriæ rationis, se concludunt mortales, tanquam essent, convincunt irracionales ¹¹. *Tanquam igitur et ipsi vincti, mementote victorum*, ne nos veniamus in hunc locum tormentorum. Exemplum est Machabæorum dicentium ¹²: « Nos ergo in omni tempore sine intermissione memores sumus vestri in sacrificiis, quæ offerimus, » etc.

Exemplum.

DE S. MARTINO.

SERMO.

In bonitate et alacritate animæ suæ placuit Deo Israel ¹³. Loquens Ecclesiasticus acta patrum præcedentium, et ipsorum opera nostris auribus ingerens, inter Patriarchas, Prophetas, Sacerdotes et Reges, hoc ad commendationem Phinees dixit, vel intulit, cujus conversatio testimonium magnæ laudis assumpsit: et post competit beatissimo Martino, cujus hodie memoriam celebramus.

In quo commendatur primo ut virtuosus in innocentia venustate, cum dicit: *Bonitate*. Bonitas enim subjectum et objectum virtutis est; et ideo ipsi virtuti est necessaria, ut nihil sit virtuosum, nisi in quantum bonitatem participat. Propter quod dicit Augustinus ¹⁴: « Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nemo male utitur, qua Deus in nobis sine nobis commendatur. » In hac Martinus tantum profecit, ut in omni statu semper ad majora ascenderet. Nam bonus fuit in statu militari, melior in habitu monachali, sed optimus in cathedra pontificali.

Secundo, ut graciosus iustitia sive lætitia delectante, cum addit: *Et alacritate animæ suæ*, id est, securitate conscientia, qua nihil homini jucundius esse potest, secundum illud ¹⁵: « Non est oblectatio (a) super cordis gaudium. » Vide quanta jucunditas est semper in bono proficere, et criminis infectione carere, inter hostes vivere, et nihil hostilitatis habere, etc.

Tertio, ut generosus amicitia sive notitia sublimante, cum additur: *Placuit Deo Israel*: ut

¹ Prov., x, 5. — ² Job, xix, 21. — ³ Greg., *Dialog.*, liv. IV, c. LV. — ⁴ Aug., *De cur. pro mort. ger.*, II, 4. — ⁵ *Ibid.*, III, 5. — ⁶ Aug., serm. CLXX, al. XXXI, *de verb. Apost.*, n. 2, quoad sensum. — ⁷ Oral. Manass., inter apoc. Bibl. — ⁸ *De ver. et fals. Pœnit.*, XVIII,

34, inter Opera Aug., App. tom. VI. — ⁹ *Jov.*, II, 13. — ¹⁰ *Sap.*, v, 18. — ¹¹ *Loc. corr.* — ¹² I *Mach.*, XII, 11. — ¹³ *Ecclesi.*, XLV, 29. — ¹⁴ August., *de Lib. Arb.*, lib. II, XIX, 50, quoad sensum. — ¹⁵ *Ecclesi.*, xxx, 16.

(a) *Vulg.* oblectamentum

sic merito dicamus de eo illud ¹: «Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores, translatus est.» Dicit igitur: *In bonitate*, etc., cum malum per oppositum privet bonum, quia contrarium malum bono, sicut dicitur in *Ecclesiastico* ².

Ideo, ut clareat bonitas virtutis, ac ex seipsa se nobis amabilem et desiderabilem reddat, ordinem contra ipsam ex opposito malum, quatenus opposita, juxta se posita, pulchrius elucescant ³. Propter quod scire debemus, quod bonitas circuit omnes virtutes, sicut per oppositum malitia omnia genera vitiorum: et ideo quanto nobilior et perfectior, tanto in pluribus reperitur, et a pluribus indiget, videlicet: in subiectione, humilitas reverentiæ; in compassione, pietas conscientiæ; in conversatione, integritas continentiæ; in refectioe, sobrietas temperantiæ; in responsione, virilitas, sive longanimitas patientiæ; in affectione, charitas amicitiae; in operatione, strenuitas providentiæ. Humilitati obviat malum, quod dicitur fastuositas arrogantiae; pietati, cupiditas avaritiæ; castitati, fœditas petulantiae; sobrietati, voracitas gulae; virilitati, animositas iracundiæ; strenuitati, tepiditas negligentiae. Et sic patet.

Primo, complectitur bonitatem in subiectione, humilitas reverentiæ. Nam ille perfecte bonus est, qui non timet animo, non tonat verbo, non recalcitrat facto; sed in omni re se subjicit propter Deum, secundum illud ⁴: «Qui bonus est, hauriet a Domino gratiam,» supple, justificationis. Hæc est illa gratia, quæ sola respicit, et cognoscit humilia, sola dignificat, et extollit ad summa, de qua loquitur Ecclesiasticus dicens ⁵: «Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.» Hanc humilitatem Martinus verbo et exemplo firmavit, et contra consuetudinem magnatum, non solum superioribus ex officio paruit, sed quod est mirabilius, subjecto sibi famulo se humilitate subiecit. Unde in *Legenda* sua ⁶ dicitur, uno tantum servo, comite, contentus erat, cui versa vice dominus serviebat, etc. Pudeant igitur, qui in honoribus constituti, humilia dedignantur, cum humilitas in homine honor sit honoris, et dignitas dignitatis, ut dicit Bernardus ⁷. Propter hoc poterat Martino a Domino

dici illud, quod legitur in libro primo *Regum* ⁸: «Beatus es tu, et bonus in conspectu meo exitus tuus, et introitus tuus mecum est, et non inveni quidquam mali. Sed non places satrapis,» id est, superbis. Et ideo huic obstat malum, quod dicitur fastuositas arrogantiae, de qua ⁹: «Qui diligitis Dominum, odite malum,» supple, superbiæ: quia ¹⁰ «odibilis coram Deo, et hominibus est superbia.»

Secundo, in compassione pietas conscientiæ, de qua dicit Sapiens ¹¹: «Non prohibere benefacere; sed si vales, et ipse benefac.» Et ideo ignorantibus, vel forte contemnentibus pietatem, dicitur ¹²: «Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere judicium, et diligere misericordiam.» Ex hoc bono commendatus est Tobias ¹³, qui pauperes vicinos vocavit ad prandium, afflictos consolabatur eloquio, et mortuis sollicitè sepulturam exhibebat. Propter quod dictum est filio Tobiae ¹⁴: «Filius boni et optimi viri es; bene sit tibi, fili mi.» Hanc bonitatem habebat Martinus, qui, ut dicitur, studebat assistere laborantibus, opem ferre miseris, alere egenos, vestire nudos, nihilque sibi præter quotidianum victum reservans. Exemplum de paupere, cui dimidiam chlamydem, vel vestem, se nudato, dimisit. Propter quod ponderator operum, et retributor virtutum, dixit: «Martinus adhuc catechumenus hac me veste contextit ¹⁵.» Et ideo recte potest dici de eo illud ¹⁶: «Benefacit animæ suæ vir misericors; qui autem crudelis est, propinquos abjicit.» Propter quod huic obstat cupiditas avaritiæ. ¹⁷ «Radix omnium malorum est cupiditas:» hanc amant et exquirunt, qui non cupiunt regnare cum Christo. De quibus dicitur ¹⁸: «Odio habuerunt bonum, et diligunt malum, qui violenter tollunt pelles eorum, de super eis carnes eorum,» etc.

Tertio, in conversatione integritas continentiae. Et hæc est puritas illa, quæ relucet in his, qui diligunt corporis et animæ venustatem. De qua dicit Apostolus ¹⁹: «Bonum est homini si sic permanserit, sicut et ego:» supple, virgo, et castus: cuius proprium est non solum actum cohibere, sed appetitum restringere. Hanc puritatem habuit Martinus, qui, ut dicitur, integer ab his vitis fuit, quibus genus hominum impli-

Exemplum.

¹ Sap., IV, 10. — ² Eccli., XXXIII, 15. — ³ Arist., *Probl.*, sect. XXII, text. 11. — ⁴ Prov., XII, 2. — ⁵ Eccli., III, 20. — ⁶ Surin., die 11 Novembr. — ⁷ Bern. — ⁸ I Reg., XXIX, 3, 6. — ⁹ Psal., XLVI, 10.

— ¹⁰ Eccli., x, 7. — ¹¹ Prov., III, 27. — ¹² Mich., VI, 8. — ¹³ Tob., I, 20, etc. — ¹⁴ Tob., VII, 7. — ¹⁵ Leg. S. Martin., 11 Nov. — ¹⁶ Prov., XI, 17. — ¹⁷ I Tim., VI, 10. — ¹⁸ Mich., III, 2. — ¹⁹ I Cor., VII, 8.

carum solet : ut Regis per innocentiam posset complacere conspectui, ejus contubernium diligebat. Ratione ejus dicere poterat illud ¹ : « In multitudine videbor bonus : » scilicet sublimitate animi continentis, in bello fortis, diurnitate meriti prævalentis. Hæc enim duo sunt in quolibet continente, scilicet sublimitas animi in aspernatione desiderii lascivie, et diurnitas meriti in consummatione prælii consurgentis. Nam, ut dicit Augustinus ² : « Inter cætera Christianorum certamina, duriora sunt prælia casûs, ubi quotidiana pugna, sed rara victoria. » Huic opponitur fœditas petulantie, quæ fœdat naturam, exterminat gratiam, depravat et deordinat conscientiam; de qua Dominus dixit ³ : « Malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum. » Ex corrupta conscientia non nisi corrupta opera generantur. Propter hoc malum Deus mundum diluvio peremit, sicut patet ⁴ : « Vidit Deus quod cuncta cogitatio cordis humani intenta esset ad malum omni tempore : penituit eum hominem fecisse super terram, » etc.

Quarto, in refectione sobrietas, de qua dicitur ⁵ : « Bona est oratio cum jejunio, et elemosyna, magis quam thesauros auri recondere, » quia per orationem reficimur suavitate contemplationis, et per jejunium afficimur puritate et alacritate. Ad devotionis elemosynam faciendam notatur ⁶ votiva promissione retributionis oratio : unde media inter istas socias constituta volat duabus alis ad cœlum, ut tantum noverit carnalia blandimenta, propter æternas delicias, fastidire. Propter hoc Augustinus ⁷. « Pedes enim nostri quidam animæ perneces sunt, fides atque jejunium. » Qui cito de humilioribus ad altiora ascendunt, cito de terrenis ad cœlestia gradiuntur. Hæc bonitas in Martino præstanter refulsit, qui, ut dicitur, pervigil in oratione, fastidientes artus spiritui servire cogebat, considerans illud Apostoli ⁸ : « Bonum est homini non comedere (a) carnes, et non bibere vinum, » in quo frater tuus offendatur judicii temeritate, aut infirmetur sua fragilitate. Huic bono obstat voracitas gulæ, quæ hodie regnat in multis, qui in ventris saturitate suam gloriam posuerunt. De qua dicitur ⁹ : « Malum est homini, qui per offendiculum mandu-

cat : » malum quidem, quia non possunt mentales delicias cum carnalibus possidere; secundo, quia scandalizat proximum.

Quinto, in responsione longanimitas patientiæ, quæ præcipue in adversitatibus et contumeliis comprobatur. De qua ¹⁰ : « Noli vinci a malo, sed vince in bono malum ; » quasi diceret : Tunc vinceres, cum irascendo recalcitras ; tunc prævales, cum contumelias obmutescendo relaxas. Et si ille putet superasse, gaudeas in malis silentium posuisse, secundum illud ¹¹ : « His quidem, qui per patientiam boni operis gloriam, et honorem, et incorruptionem quæerunt, vitam æternam (reddet). » Hanc bonitatem Martinus exereuit, qui dure increpatus a principe, nulla fractus aut mutatus injuria, moderate respondens, patientiæ meritum non perdidit, sed servavit. Et ideo iturus ad Christum, poterat proferre securus illud Ezechie ¹² : « Memento, queso, Domine, et obsecro, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. » Sed huic bono obstat animositas iracundiæ, de qua ¹³ : « Semper jurgia quærit malus ; Angelus autem crudelis mittetur contra eum. » Sequitur ¹⁴ : « Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus. » Hujus culpa ostenditur maxima, quoniam per ipsam destruitur et vitiatur imago divina. Unde Gregorius ¹⁵ : « Quanta sit iracundiæ culpa, pensemus, per quam dum (b) mansuetudo amittitur, supernæ imaginis similitudo vitiat. »

Sexto, in affectione charitas amicitie; per hanc enim omnis virtus perficitur, de qua dicitur ¹⁶ : « Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio argenti et auri contra bonitatem fidei illius. » Hanc bonitatem perfecte ostendit Martinus, qui inter spem amoremque positus, dubitabat pene, quid mallet : quia nec Ecclesiam Christi deserere, nec a Christo volebat diutius separari, attendens illud ¹⁷ : « Spera in Domino, et fac bonitatem, et inhabitabit terram, et pasceres in divitiis ejus. » Hæc est virtutum nutritrix, hæc est bonorum omnium consummatrix. Unde sicut solis radius terram germinare facit, et alia virtute caloris membra fœcundat corporis ; sic amor divinus « si men-

¹ Sap., VIII, 15. — ² Aug., serm. de Tempore, CCLII. — ³ Matth., XII, 35. — ⁴ Gen., VI, 6. — ⁵ Tob., XII, 8. — ⁶ Locus corruptus. — ⁷ Aug. — ⁸ Rom., XIV, 21. — ⁹ Ibid., 20. — ¹⁰ Rom., XII, 21. — ¹¹ Rom., II, 7.

— ¹² Isa., XXXVIII, 3. — ¹³ Prov., XVII, 11. — ¹⁴ Ibid., 13. — ¹⁵ Greg., Moral., lib. V, c. XLV, al. XXX, n. 78. — ¹⁶ Eccli., VI, 15. — ¹⁷ Psal. XXXVI, 3.

(a) Vulg. manducare — (b) Ita apud Greg. Cort. edit. omnis.

tem incenderit, ad innumerabilia opera se extendit, » ut dicit Augustinus ¹. Sed huic bono obstat perversitas invidiæ, de qua dicitur ² : « Qui perversi cordis est, non inveniet bonum. » Nam proprium est invidiæ etiam aliorum bonis anxietate torqueri, sicut amicitia per oppositum in bonis jucundari. Propter quod ³ : « Nequam est oculus lividi, et avertens faciem. » Et post ⁴ : « Oculus malus ad mala, » etc.

Septimo, in operatione strenuitas providentiæ. Et hic est, qui semper oculum habet ad præmium, dicens illud ⁵ : « Bonum autem facientes, non deficiamus; tempore enim suo metemus; » quasi diceret : Sicut multiplicatio operum, sic perceptio præmiorum : illa seminantur in via; ista metuntur in patria. Propter quod dicitur ⁶ : « Bonorum laborum gloriosus est fructus. » Hæc bonitas fuit in Martino; et ideo plenum bonis operibus in cælum angeli cantando tulerunt ⁷, sicut sanctus Severinus Coloniensis Episcopus asperxit, et audivit. Hinc Martinus et in suo transitu dæmoni astanti respondit : « Quid hic adstas, eruenta bestia? nihil in me, funeste, reperies. » Poterat igitur illud dicere ⁸ : « Puer eram ingeniosus, » id est, strenuus in operando, « et sortitus sum animam bonam, » boni operis meritum continuando. Sed huic obstat tepiditas negligentia, de qua ⁹ : « Multam malitiam docuit otiositas. » Unde servo pigro flagellum in ultionem servatur. Hoc enim multiplex bonum debemus amplecti, cum odio et fuga mali oppositi, secundum illud ¹⁰ : « Odientes malum, adhærentes bono. » Et quare? Certe quia ¹¹ « procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii. »

DE S. ELISABETH ¹².

SERMO ¹³.

Hæc erat in omnibus famosissima : timebat enim Deum valde, nec erat, qui loqueretur verbum malum de ea ¹⁴. Commendatur beata Elisabeth super personam hujus viduæ, a perfectione operis : *Hæc erat famosissima ; ex timore cordis : Timebat*

enim Deum ; ex testimonio oris : Nec erat, qui loqueretur de ea verbum malum.

1. Quantum ad primum ex tribus, acquiritur bona fama 1. ex probitate : sic enim famosus fuit rex David, qui interpretatur *manu fortis*. 2. Ex sapientia : sic enim famosus fuit rex Salomon : « Omnes enim ¹⁵ desiderabant audire sapientiam ejus. » 3. Ex sanctitate : sic famosus fuit rex Josias. Sed beata Elisabeth fuit in omnibus famosissima : famosa enim fuit ex probitate, quam habuit contra carnem, quam subjugavit per cilicium asperitatis; contra mundum, quem subjugavit per eminentiam paupertatis; contra diabolum, quem subjugavit per exercitium humilitatis.

De primo ¹⁶ : « Confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum alium nescieris; et ideo manus Domini confortavit te, et eris benedicta in æternum. » Maxime enim fuit austeritatis. Carnem austeritate mortificavit, spiritum castitate. Vovit enim castitatem sive continentiam in matrimonio, si superviveret marito, et in juventute elegit beatum Joannem Evangelistam castitatis suæ custodem ¹⁷. Unde cum quidam avunculus suus episcopus vellet ei dare maritum, et ipsa renuisset, quæsit ab ea : « Quid fecisses, si dedissem tibi virum vel maritum, et fecissem te cogi? » Respondit : « Præcidissem mihi nasum, et deformassem me, ne amplius concupiscerem. » Quod et nos ad exemplum ejus impleamus illud ¹⁸ : « Quæcumque sunt pudica, quæcumque sunt sancta, quæcumque bonæ famæ, hæc cogitate. » Fugiamus ergo eos, de quibus ¹⁹ : « Quorum viæ perversæ sunt, et infamæ gressus eorum : ut eruaris a muliere aliena, » etc., id est, quæ nos alienat a Deo. Et secundum Gregorium ²⁰ : « Hoc est vitium, eo quod superiores, sive patres, sive prælati, inferiores non corripunt, sicut debent, » similes Heli, qui filios suos, qui dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad ostium tabernaculi, non corripuit severitate iudicis, aut (a) negligentia patris, dicens ²¹ : « Quare facitis res hujusmodi, quas ego audio? Nolite, filii mei : non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini. »

¹ Aug. — ² Prov., xvii, 20. — ³ Eccli., xiv, 8. — ⁴ Ibid., 10. — ⁵ Gal., vi, 9. — ⁶ Sap., iii, 13. — ⁷ Surius, die 11 Nov.; *Vit. S. Martin.*, per Sever. Sulpit., ejusd. discip. — ⁸ Sap., viii, 19. — ⁹ Eccli., xxxiii, 29. — ¹⁰ Rom., xii, 9. — ¹¹ Joan., v, 29. — ¹² Hæc Elisabeth fuit regis Hungariæ filia, quæ obiit anno Dom. 1231, die 19 nov. — ¹³ Hunc non habet Codex Assis. sæc. xiii. — ¹⁴ Judith, viii, 8. —

¹⁵ III Reg., x, 24. — ¹⁶ Judith, xv, 11. — ¹⁷ Hæc, et reliqua gesta quæ sequuntur, desumpta sunt ex Legend. Vorag., c. 164, ex Surio, die 2 Novemb., et ex Catalog. SS., lib. V. — ¹⁸ Philip., iv, 8. — ¹⁹ Prov., ii, 15-16. — ²⁰ Greg., *Pastor. cur.*, part. II, c. vi, al. xvii, quoad sensum. — ²¹ I Reg., ii, 23-24.

(a) *Leg. sed.*

De secundo ¹ : « In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, in omni patientia, in tribulatione, » etc. Et sequitur : « Per infamiam et bonam famam. » Ista enim ministravit patienter Domino in ministerio paupertatis. Cum enim esset filia regis, expulsa fuit a dotalitio sponsi post mortem ejus, compulsa in paupertate manere, vel vivere, in hara porcorum pernoctare, et media nocte veniens ad Fratres Mnores, fecit eos cantare : *Te Deum laudamus*, præ gaudio paupertatis inventæ. Hæc confundit eos, qui paupertatem voverunt, et eidem libellum repudii porrigunt. Et nota quod dicit, *per infamiam, et bonam famam* : hodie enim pauperes Christi infamantur, qui bonæ famæ sunt apud Deum, dum a malis hominibus blasphemantur, et eis molestiæ et injuriæ inferuntur, et detractiones.

De tertio ² : « Auribus nostris audivimus famam ejus. » Verba sunt angelorum famam Job commendantium. Cujus humilitas patuit, cum vetula, cui benefica fuerat, eam in lutum impulit. Et signum fuit perfectæ humilitatis corde et (a) habitu Minorum, quem, ut potuit, assumpsit, sicut ego ipse audivi ab ejus confessore, et ab ejus ancilla, quæ fuerat secum nutrita a juventute. Quæ tantæ austeritatis erat, quod nec panem, nec carnes, nec pisces edebat, nec vinum bibebat, et super tabulas ad dormiendum jacebat.

2. Fuit etiam famosa (b) in sapientia : sapiens enim fuit thesauraria, scholastica, operaria, etc.

De primo ³ : « Inventa pretiosa margarita, dedit omnia sua, et comparavit eam. » Non de vilibus, hoc est, de temporalibus, sed de lapidibus pretiosis fecit thesaurum suum, hoc est, de bonis spiritualibus, scilicet virtutum operibus. Unde ab infantia ludebat pro *Ave Maria*. Regnum mundi commutavit in regnum cæli. « Fama nominis ejus crescebat, et per cuncta ora volitabat ⁴. » Unde, ad exemplum ejus, multæ nobiles egerunt pœnitentiam, et ingressæ sunt religionem. « Consideravit enim ⁵ agrum, et emit illum. » Bona enim mercatrix bene scivit emere, bene scivit vendere. Emit enim cœleste regnum, quo nihil est vilius, cum emitur; nihil est charius, cum possidetur. ⁶ « Malum est, malum est, dicit omnis emptor : et cum discesserit, gloriabitur. »

De secundo, sicut enim Salomoni infusa est

sapientia dormiendo, sic isti beatæ in orando, ut impleretur in ea illud ⁷ : « Vicisti famam virtutibus tuis. » Et ⁸ : « Dixit regina Saba regi Salomoni : Major est sapientia tua quam rumor, quem audivi. » Legebat enim in libro conscientie, et conferebat cum Domino orationem, et Deus inspirabat sibi sapientiam suam in devotione. Quod signatum est in juvene illo scholari, pro quo oravit, et oratione infusa eum inflammavit, et sic inflammatus ordinem Minorum intravit, in quo diu et sancte vixit.

De tertio patet in ejus miraculis : infirmos curabat, mortuos suscitabat, ut impleretur in ea illud ⁹ : « Exivit fama ejus in universam terram illam. »

3. Fuit etiam famosa pro religione et sanctitate sua. Sancta enim fuit per puritatem respectu sui, per pietatem respectu proximi, per charitatem respectu Dei.

De primo ¹⁰ : « Velox apud cunctos fama percrebuit : Hæcine est illa inter pulchras pulcherrima ? » Pulchra enim fuit in conscientia, et pura. Cum enim adhuc esset quinquennis, ibat ante altare psalterium aperiendo, genuflexiones faciendo. Et sicut dicitur ¹¹ : « Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. » Et propter hanc puritatem contraxit divinam amicitiam ¹² : « Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum habebit amicum regem. »

De secundo ¹³ : « Fama bona impinguat ossa. » Erat enim plena pinguedine compassionis, quæ irrigat ariditatem mentis, condonat enim faciliter delinquentibus. Nunquam enim, sicut lego, invenitur irata, vel turbata : donabat indigentibus, serviebat impotentibus, ulcera et apostemata contrectabat propriis manibus, ¹⁴ « esurientes alebat, nudis vestimenta præbebat, et mortuis sepulturam sollicite exhibebat. » Et hoc patuit in hospitali, quod ipsa construxit, ubi compassionem suam per opera pietatis ostendit.

De tertio ¹⁵ : « Fama virtutis ejus diffundebatur ubique, » quia ¹⁶ *charitas Dei erat diffusa in ejus corde*, ut scilicet soli Christo per dilectionem adhereret, omni alio delectabili ab eo remoto. Nam proprium filium anni et dimidii a se elongari fecit; duas ancillas, quas a juventute habuerat, ab ea ejus confessor amovit; pos-

¹ I *Cor.*, VI, 4-8. — ² *Job*, XXVIII, 22. — ³ *Matth.*, XIII, 46. — ⁴ *Esth.*, IX, 4. — ⁵ *Prov.*, XXXI, 16. — ⁶ *Prov.*, XX, 14. — ⁷ II *Paral.*, IX, 6. — ⁸ III *Reg.*, X,

7. — ⁹ *Matth.*, IX, 26. — ¹⁰ *Ruth*, I, 19. — ¹¹ *Prov.*, XXII, 6. — ¹² *Ibid.*, 11. — ¹³ *Ibid.*, XV, 30. — ¹⁴ *Tob.*, I, 20. — ¹⁵ II *Mach.*, VIII, 7. — ¹⁶ *Rom.*, V, 5.

(a) Forte *leg. ex.* — (b) *Cæt. edit.* formosa.

sessionibus omnibus renuntiavit, quia dicitur¹: « Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil reputabit eam. » Unde ergo fuit famosa in sanctitate? Quia purissima in conversatione, piissima in compassione, et ardentissima in dilectione.

II. Sequitur de timore cordis: timebat enim Dominum valde timore casto, quo mulier casta timet, et diligit sponsum; non servili, quo adultera timet eum. Timendus enim est Christus, ut pater piissimus, magister sapientissimus, Dominus justissimus; nos autem filii, discipuli, servi ejus. Pater igitur est, qui nos vult reconciliare²: « Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se. » Ut magister, quia vult nos docere, et consilium dare³: « Qui timent Dominum, præparabunt corda sua. » Ut Dominus, quia nostra habet judicare mala⁴: « Si ergo Dominus, ubi est timor meus? » Quem timorem exprimit Job⁵: « Quasi tumentes super me fluctus, timui Dominum, et pondus ejus ferre non potui. »

III. Sequitur de testimonio oris, cum dicitur: *Nec erat*, etc. Non enim loquebatur illa de aliquo verbum malum, quia noverat, quod⁶ « de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent (a) rationem in die judicii. » Et Jacobus⁷: « Sic loquimini, et sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari. » Non loquebatur enim ei quis verbum malum, quia non sustinebat, sed interrompebat: consueverat enim dicere: « Ubi non est Dominus? » quasi diceret: Non deficit, quin habeatur semper materia loquendi de ipso.

Unde per eam⁸ « obstructum est os loquentium iniqua. » Erubescant ergo, qui sedentes in mensa, detrahunt absentibus, loquentes quod non decet⁹: « Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. » *Non loquebatur de ea aliquis verbum malum*, quia non poterat.¹⁰ « Est tacens non habens sensum loquente. » Et in signum puritatis (b) ei aviculæ suo modo locute sunt in sepultura ejus, cantantes mira dulcedine supra locum ubi sepeliebatur, et exequiæ celebrabantur. Qui enim locutus est in asina, ad corripendam prophete vesaniam, loqui potuit in avibus, ad manifestandam Sanctæ innocentiam¹¹:

« Correptionem habuit Balaam suæ vesaniæ, subjugale mutum animal in hominis voce loquens. »

DE S. CÆCILIA.

SERMO 12.

*Præstitisti decori meo virtutem*¹². Dives et largus Dominus magna exhibet suis militibus munera: unde confert eis *decorem*, ut placeant, et *virtutem*, qua adversarios vincant. Ista enim duo miro modo perficiunt animam, Dei ancillam et famulam, scilicet decor pudicitiae, et virtus patientiae: ut per pudicitiam haberet se ad bona, sed per patientiam fortis fieret contra mala. Unde in verbo præmisso sancta virgo hæc duo tangit: unum, ex parte Dei; alterum, ex parte sui. Nam primo tangit dominicam largitatem, secundum quod accipitur in donante: *Præstitisti*, inquit. Secundo tangit suam utilitatem, sive muneris quantitatem, secundum quod fuit in accipiente, cum addit: *Decorum meo virtutem*. Vel aliter potest dici, et in idem redit: videlicet, quod primo notatur liberalitas Domini tribuentis, cum dicitur: *Præstitisti*; secundo notatur honestas et sanctitas virginis capientis, cum additur: *Decorum meo virtutem*. Verum quia virtus est decor animæ, virtus comprehendit decorem, et ideo de sola virtute sufficit dicere.

Est ergo notandum, quod indigemus multiplici virtute, quam scimus fuisse in anima sanctæ Cæcilie, videlicet 1. virtute pœnitentiæ, virtus pœnitentiæ est animæ purgativa; 2. virtute patientiæ, virtus patientiæ est virtus in dubiis directiva; 3. virtute perseverantiæ, virtus perseverantiæ est virtus in bonis continuativa.

Dico primo (c), quod cum beata Cæcilia indigemus virtute pœnitentiæ, quæ est animæ purgativa. Unde habetur in ejus *Legenda*¹³, quomodo sub vestibus deauratis cilicium ipsa ferebat, et quomodo carnem jejuniis edomabat: quæ omnia sunt opera pœnitentiæ. Ipsa enim sciebat apostolum Petrum dixisse¹⁴: « Ministrare in fide vestra virtutem, » id est fidei vestræ adite opera pœnitentiæ: vel: Sicut habetis fidem in corde, sic pœnitentiam habeatis in opere. Quare credere, et non agere, non est assecu-

¹ *Cant.*, VIII, 7. — ² *Psal.* CII, 13. — ³ *Eccli.*, II, 20. — ⁴ *Malac.*, I, 6. — ⁵ *Job*, XXXI, 13. — ⁶ *Matth.*, XI, 36. — ⁷ *Jac.*, II, 12. — ⁸ *Psal.* LXII, 12. — ⁹ *Psal.* XLIX, 20. — ¹⁰ *Eccli.*, XX, 6. — ¹¹ *II Petr.*, II,

16. — ¹² Hunc non habet Cod. Assis. sec. XIII. — ¹³ *Psal.* XXIX, 8. — ¹⁴ *Sorius*, die 21 Nov., sub init., et *Legenda SS. Vorag.* — ¹⁵ *II Petr.*, I, 5.

(a) *Cat. edit.* reddant. — (b) *Forte leg.* ejus — (c) *Cat. edit.* non habent primo.

vum vitæ¹ : « Fides sine operibus mortua est. » Unde fides non operantium, est sicut fides dæmonum : ipsi² « credunt, et contremiscunt. » Unde et beata Cæcilia dicebat ad suos³ : « Eia, milites Christi, abjicite opera tenebrarum, et induimini armis (a) lucis, » id est, peccata abjicite, et per domum pœnitentiæ virtutes induite.

Secundo, opus habemus cum sancta Cæcilia virtute patientiæ, quia non prodest, si pœnitentiam agamus, nisi malis occurrentibus resistamus. Quid valet carnem frenare, et suggerenti diabolo consentire? Unde virgo hæc sancta tantum fuit patientiæ virtute firmata, ut nulla tyrannorum expavesceret verba, nulla timeret tormenta, ut patet in ejus Legenda⁴. Sciebat Apostolum scripsisse⁵ : « Confortamini in Domino, et in potentia (b) virtutis ejus, et induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. » Vera Dei virtus et armatura est ipsa patientia, qua omnia sustinemus adversa. Quæ unquam galea, vel quæ lorica, quæ scuta, quantumcumque fortia, sunt nos protegenda, ut patientia? Sæpe occiditur homo sub galea, sed nunquam sub patientia. Prius enim potuerunt martyres capi, verberibus cædi, carceribus macerari, et toto corpore dissipari, quam eorum patientia infirmari. Nam et sanctus ille Stephanus, dum lapidibus quateretur, in tantum firmabatur, ut pro lapidantibus Dominum precaretur. Vere ergo sancta Cæcilia, dum ab hostibus premeretur, poterat dicere illud⁶ : « Domine, Domine, virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli. » Sed quis est hodie hæc virtute armatus? abjectus est modo clypeus fortium, ut nulla virtus sit ad agendum, et omnino nulla ad patientiam.

Tertio, cum beata Cæcilia indigemus virtute sapientiæ, qua in omnibus dirigamur, doceamur, et Christi adversarios confundamus. Hæc enim virgo sacra sapientia mira resplenduit, Christum aliis prædicavit, adversarios fidei confutavit, multos ad fidem convertit, ita ut tradatur a multis, quod sicut habuit aureolam virginitatis, et effusionis sanguinis, sic habuit et prædicationis. Nonne ipsa virum convertit? Nonne cognatum suum rationibus multis ad fidem duxit⁷? De hac virtute dicebat Dominus

Apostolis⁸ : « Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto. » Hæc enim virtus desuper data fuit ad illuminandum, ad loquendum, ad docendum, ad testificandum. Unde dictum est⁹ : « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes. » Unde, ad signandum ista, in linguis igneis Spiritus sanctus apparuit, quia divina sapientia maxime in linguis se manifestat. Unde Dominus dicebat Apostolis¹⁰ : « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri. » Sed hodie non est sapientia, non divina scientia; sed regnat quedam grifonica et malitiosa astutia, ad proximum involvendum, ad fallendum, et ad confundendum¹¹ : « Sapientes sunt ut faciant mala; bene autem facere nescierunt. »

Quarto, indigemus cum beata Cæcilia virtute perseverantiæ, ut in bono, quod incepimus, non deficiamus. Quid enim valet optima fundamenta supponere, parietes altos erigere, sed tectum non addere? Verum sancta Cæcilia bonum, quod incepit, usque ad finem perduxit, et optima morte conclusit, sicut Legenda ostendit. Non enim pro Christo mori timuit, quæ de eo Prophetam dicentem audivit¹² : « Qui dat lasso virtutem, et his, qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat. » Quis enim timet, qui talem auxiliatorem habet? Unde Propheta dicit¹³ : « Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia : Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te. »

DE S. CATHARINA.

SERMO.

*Pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri*¹⁴. Quoniam duplex est status justitiæ, quidam peregrinationis in pugna per exercitium charitatis, quidam fruitionis in gloria per desiderium veritatis; ideo ab isto duplici statu potest beatissima Catharina non immerito commendari : primo a claritate nominis, quia nobilis primo rectitudinis evidentia, cum dicit : *Pennæ columbæ deargentatæ*, id est, divinis eloquiis erudite. Habuit enim in sancta conversatione rectitudinem justitiæ, pulchritudinem sapientiæ, et dulcedinem eloquentiæ.

¹ Jac., II, 14. — ² Ibid., 19. — ³ In fest. S. Cæcil., antiph. ad Benedictus. — ⁴ Surius, ubi sup. — ⁵ Ephes., VI, 10. — ⁶ Psal. CXXXIX, 8. — ⁷ Surius et Vorag., ubi sup. — ⁸ Luc., XXI, 19. — ⁹ Act., I, 8. —

¹⁰ Luc., XXI, 15. — ¹¹ Jerem., IV, 22. — ¹² Isa., XL, 29. — ¹³ Psal. LXXXIII, 13. — ¹⁴ Psal. LXVII, 14.

(a) Off. S. Cæc. induite arma. — (b) Cæt. edit. patientia.

Quod patuit in disputatione, quam fecit, in qua quinquaginta philosophos oratores superavit, et ad fidem Christi convertit. Nec mirum: nam, ut dicit Psalmista ¹: « Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, » etc. Secundo, a dignitate muneris, quia mirabilis beatitudinis affluentia, cum addit: *Et posteriora dorsi ejus in pallore auri*. Glossa: « Posteriora hujus columbæ, id est, ultima in specie auri splendent: quia postquam de mundo exiit, super aurum in charitate lueet, quia nunquam excidit. Dicit igitur: *Pennæ columbæ, etc.* »

Nec mirum, si columba fuit, quam Spiritus sanctus edocuit, quæ virentibus foliis martyrii, ad arcam summæ thesaurizationis ascendit. Sed nota, quod columba habet quinque proprietates, ratione quarum beata Catharina columba dici potest. Est enim columba humilis in affectu, et per hoc designatur simplicitas innocentie; lugubris in cantu, et per hoc designatur asperitas pœnitentiæ; mutabilis in visu, et per hoc designatur sagacitas providentiæ; celer in volatu, et per hoc designatur obsequiositas obedientie; fertilis in effectu, et per hoc designatur fecunditas continentie.

Primo, columba est humilis in affectu, sine convictu: felle enim caret, et ideo rostro non lædit: prædam non accipit, nec unguibus aves discerpit, sicut dicit Philosophus ²: et per hoc designatur simplicitas innocentie, quam Catharina virgo corde tenuit, ore docuit, et opere custodivit. Et ideo commendatur a sponso suo Christo ³: « Una est columba mea, » id est, non duplicitate animi, sed simplicitate desiderii, quia virtutibus et charismatibus plena (a), simplicitate perficitur. Et dicit ⁴: « Una est matri suæ, » quia per gratiam regenerata fuit, in simplicitate electa, et in electionis merito custodita. Hanc simplicitatem Christus suis discipulis commendavit, ut videlicet neminem simplicitate deciperent, nec dolositate turbarent, dicens ⁵: « Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. » In hoc innuit Dominus, quod debet esse in nobis sagacitas serpentina, ut ea put custodiamus; et simplicitas columbæ, ut nemini noceamus. Sed, heu! hodie quidam perdiderunt simplicitatem columbæ, et assump-

serunt ferocitatem aquilæ, quæ parvas, et magnas aves suo substernit dominio per rapinas, et quas non potest contingere rostro, saltem conturbat imperio. De quibus ⁶: « Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes, iudices ejus lupi, » etc.

Secundo, est lugubris in cantu, gemitum habet pro cantu: et per hoc designatur asperitas pœnitentiæ, quam hæc virgo, ab annis puerilibus mundana contemnens, in suo corpore Domino consecravat: licet, quid fieret, non haberet in opere, fastigium tamen regale contempsit, ut Dominum inveniret. Propter hoc poterat dicere illud ⁷: « Sicut pullus hirundinis, sic clamabo, meditabor ut columba. » Sequitur: « Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. » Optimum est homini prius flere delicta, quam sentire tormenta. Igitur (b) peccator es, melius est tibi lacrymas fundere, quam perire. Ideo dicit Augustinus ⁸: « Tolle vocem corvinam, et habe gemitum columbinum. » Si vero peccator non es, jura nihilominus pœnitentis invadas, nec cum pharisæis in stultitiam seducaris, qui convertunt asperitatem pœnitentiæ in dulcedinem vitæ; et talibus restat gemitus infructuosus, periculosus, et dolosus, quia gemitus infernalis. De quibus ⁹: « Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ gememus. » Ibi erit captivatio desolantis angustie, et murmuratio cruciantis conscientie. ¹⁰ « Minabantur gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus suis, » etc.

Tertio, est mutabilis in visu. Nonies enim visum amittit, et nonies recuperat, ut dicit Gregorius ¹¹. Et per hoc signatur sagacitas providentiæ, quam hæc virgo ostendit contra triplicis impugnationis insultum, scilicet contra concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ. Propter hoc competit sibi illud ¹²: « Oculi ejus sicut columbæ super rivos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluentia plenissima. » Et bene dicit, *resident (c) juxta fluentia plenissima*, ut in aqua umbram, vel formam accipitris intuentes, velocius currant, et fugiant, et cautius declinent periculum. Dicit igitur Philosophus ¹³, quod tria sunt genera accipitris persequentis columbas: unum,

¹ Psal. XI, 7. — ² Arist., *Hist. animal.*, lib. VIII, c. III, de victu *Columbarum*. De felle autem, lib. II, c. XV, ubi fel non jecori, sed intestino earum inesse ait. — ³ Cant., VI, 8. — ⁴ Ibid. — ⁵ Matth., X, 16. — ⁶ Soph., III, 3. — ⁷ Isa., XXXIII, 14, 15. — ⁸ Aug.,

de verb. Dom., serm. XVI, al. LXXII, n. 14; Etarr. in Psal. CII, n. 16, quoad sensum. — ⁹ Isa., LIX, 11. — ¹⁰ Nah., II, 7. — ¹¹ Gregor. — ¹² Cant., V, 12. — ¹³ Arist., *Hist. Animal.*, lib. V, c. XXXVI. — (a) *Al. leva.* — (b) *Suppl. si.* — (c) *Caet. edit. residentes.*

quod tantum prædatur in terra sedentes; alterum, in aere volantes; sed tertium, in arbore quiescentes. Omnia tamen hæc, columba, naturali quadam industria, deludit genera: nam si vidit accipitrem in aere prædantem, fugit ad terram; si prædantem in terra, fugit ad arbores; si autem prædantem in arbore, in aere elevatur. Et hoc designat triplex genus tentationis diabolicæ, quo accipitres impugnant christianam animam, scilicet avaritiæ, luxuriæ, superbiæ. Propter quod dicit Hieronymus de agmine columbarum¹: « Crebro accipiter unam separat, quam statim invadit, et lacerat, et tunc eruore et carnibus satiatur. » Sed quoniam Catharina hæc tria providentiæ clypeo devicit, ideo dicitur de ea²: « Oculi tui columbarum, » id est, provisiones tuæ. Sed quidam amittunt sagacitatem providentiæ, et perdunt limiditatem conscientiæ. Unde dicitur³: « Efficiemini quasi columba seducta, non habens cor. »

Quarto celer est in volatu: catervatim enim progreditur, et nidum suum intrando frequentat. Et per hoc designatur obsequiositas obedientiæ, quam in sanctis admiratur Isaias⁴: « Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas? » Nam divino imperio subditi volant ad fenestras suas, id est, ad custodiam suorum sensuum, vel examinationem suorum operum, vel ad mandatorum legalium executionem, secundum illud⁵: « Avolabunt quasi avis ex Ægypto, et quasi columba de terra Assyriorum, » etc. Quod et hæc virgo imitatrix sanctorum perfecit, dum oculos visui, manus operi, pedes gressui spontanea obsequiositate paravit. Propter quod poterat dicere cum Propheta⁶: « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam? » Sed quidam non habent obsequiositatem obedientiæ, sed remissionem negligentiam, de qua dicitur⁷: « Et erunt in montibus quasi columbæ convalium, omnes trepidi. »

Quinto, est fertilis in effectu: frequenter enim in anno pullificat. Et per hoc etiam designatur fecunditas conscientiæ (a), quæ major est fecunditate (b) naturæ: quia, ut dicit Ambrosius⁸, « Non matrimonii onus, non dolor partus; et inde numerosior soboles mentis piæ, quæ omnes pro liberis habet, fecunda successionebus,

sterilis orbitatibus, nescit funera, novit hæredes. » Huic soli dicitur⁹: « Aperi mihi, soror mea, amica mea. columba mea, » etc. Et nota, quod vocat eam sororem, quia coheredem habitatione; *amicam*, quia ferventem dilectione; *columbam*, quia fertilem operatione; *immaculatam*, quia fulgentem professione. Merito Catharina dicta est¹⁰ « columba nidificans in summo ore foraminis, » in vulneribus Christi. Ibi enim grandescunt mentes, ibi non honoribus, sed virtutibus fecundantur. Ad quod vocatur?¹¹ « Veni, columba mea, in foraminibus petrae. » Dicitur igitur: *Pennæ columbæ deargentatae*.

DE DEDICATIONE.

SERMO.

*Elegi locum istum mihi in domum sacrificii*¹². Ista fuerunt verba Domini ad Salomonem, post fabricationem et dedicationem templi: et possunt esse verba ejusdem Domini ad Episcopum post consecrationem ecclesiastici habitaculi. In quo duo continentur circa ecclesiam ad honorem Domini dedicatam: scilicet appropriatio domini, cum dicitur: *Elegi locum istum mihi*; et intentio officii, cum subditur: *In domum sacrificii*. Ideo dicitur: *Elegi locum istum mihi*, quia domus in ecclesiam consecrata debet esse ab omnibus profanis separata, et ritui dominico deputata; et dicitur: *Domum sacrificii*, quia ibi quotidie immolatur hostia vera, scilicet corpus Filii Dei.

Hæc domus pro tanta hostia immolanda fit ad conditionem quadruplicem: videlicet, ad instructionem laicorum, ad perfectionem clericorum, ad vicinam communicationem supernorum, et amotionem sordium et vitiorum.

Quantum vero ad instructionem laicorum, est ecclesia domus eruditionis pro audienda prædicatione Scripturarum, domus spiritualis pro postulanda impetratione gratiarum, domus exultationis pro obtinenda refectione animarum in celebratione Missarum.

I. Primo ergo, quantum ad instructionem laicorum, est ecclesia domus eruditionis pro audienda prædicatione Scripturarum.¹³ « Appropinquate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ. » Verbum est divinæ sa-

¹ Hieronymus, ad *Demetriad.*, de *serv. Virginit.*, epist. xcviij, al. viii, versus fin. — ² *Cant.*, iv, 1. — ³ *Ose.*, vii, 11. — ⁴ *Isa.*, lx, 8. — ⁵ *Ose.*, xi, 11. —

⁶ *Psal.* liv, 7. — ⁷ *Ezech.*, vii, 6. — ⁸ Ambros. — ⁹ *Cant.*, v, 2. — ¹⁰ *Jerem.*, xlviii, 28. — ¹¹ *Cant.*, ii, 14. — ¹² *II Paral.*, vii, 12. — ¹³ *Eccli.*, li, 31.

(a) *Fortè leg. gratiæ.* — (b) *Cæt. edit. jucunditate.*

pietiae ad laicos, qui dicuntur indocti, eo quod in divinis eloquiis non sunt instructi. Isti appropiant ad sapientiam increatam, quando tam aurium, quam cordium praebent audientiam ad praedicatorum eloquentiam. Congregantur in domum disciplinae, quando adunantur intra parietes ecclesiae materialis, ubi in diebus solemnibus tractanda sunt verba dominicae doctrinae. Qui autem vult plene ad divinam sapientiam appropinquare, debet, quando ingreditur ecclesiam, omnes curas saeculi de suo pectore relegare, et pedem affectus ab omni immunditia separare, ut sit intentus in his, quae dicuntur, et possit ad ea totis viribus anhelare. Ideo dicitur ¹: « Custodi pedem tuum ingrediens in domum Dei, et appropinqua, ut audias. » Ille meretur ad legem sive veritatem intellectus appropinquare, qui novit pedem, id est, puritatem affectus a sordibus custodire.

Secundo, ecclesia est domus orationis, pro postulanda impetratione gratiarum. De qua dicitur ²: « Domus mea, domus orationis vocabitur. » Loquitur Dominus Judaeis de templo, in quo, quia videbat negotia saecularia tractari, facto flagello de funiculis, coepit vendentes ejicere et ementes: quia ecclesia est locus orationis et consecrationis, non venditionis, vel merationis. Ideo ad hanc domum debent Christiani una convenire in diebus solemnibus et festivis, pro gratia Dei impetranda, pro culpa dimissa diluenda, et pro societate angelorum habenda, quia ³ « praevenerunt principes, » id est, angeli, « psallentibus conjuncti, » id est, in charitate confederati; et etiam pro pace conservanda, qui ibi, in dominicis diebus et solemnitatibus, pacis oscula sibi invicem porrigunt Christiani. Quamvis enim quilibet locus habeat Deum praesentem, tamen locus in ecclesiam consecratus est ad orationem praecipue eligendus, scilicet propter memoriam Crucifixi habendam, propter societatem angelorum acquirendam, et propter pacem hominum conservandam. Unde ⁴: « Introibo ad domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. »

Tertio, est ecclesia domus exultationis pro obtinenda refectione animarum in celebratione Missarum. Ideo ⁵: « In domum Domini ibimus, » id est, in ecclesia cum letitia convenimus, quia ibi celebrantur Missae, in quibus

funt orationes, obsecrationes, postulationes, et gratiarum actiones; et quia ibi conficitur sacratissimum corpus Christi, in cibum et alimentum mentium devote intendentium sacramentalem, si recipitur; vel spiritualem, si devote creditur. Et quamvis in qualibet Missa possit corpus Domini ab audiente spiritualiter manducari, tamen ter in anno, vel semel, videlicet in pascha saltem, a quolibet Christiano sacramentaliter sumi debet, ut sic corpori Christi mystico, quod est sancta et universalis Ecclesia, per susceptionem corporis Christi veri possit incorporari. Et si letanter in domum convivii trahit appetitus corporalis, exultanter certe in ecclesiam Dei ad receptionem corporis Christi debet trahere appetitus spiritualis, quia in illo cibo uniuntur caro Christi glorificata, et anima beatificata, et divinitas Christi tam carni, quam animae, indissolubiliter sociata.

II. Secundo, ad perfectionem clericorum est ecclesia dedicata, ut sit domus immolationis in oblatione holocaustorum; domus benedictionis, in administratione sacramentorum; domus decantationis, in frequentatione psalmodiarum, hymnorum et canticorum. Ista enim tria competunt clericis in divino cultu deputatis, quia debent seipsos in corpore et in anima Deo totaliter immolare, sacramenta populo ministrare, et Deo laudes continuas decantare; ut sint in se quasi hostiae immolati, ad proximum obligati, et ad Deum ordinati. Eligant abjecti esse in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum: quia beati qui sic inhabitant in praesenti, quantum ad Ecclesiam militantem, ⁶ « in saecula saeculorum laudabunt » Dominum in futuro, quantum ad Ecclesiam triumphantem.

Primo ergo, quantum ad perfectionem clericorum, est ecclesia dedicata, ut sit domus immolationis in oblatione holocaustorum. De qua dicitur ⁷: « Introibo in domum tuam, » scilicet Domini, « in holocaustis. » Quod fit, quando clericus ordinatur (a) in Ecclesia, et per veram continentiam Deo dedicat animam et corpus: holocaustum enim erat sacrificium, quod totum Deo incendebatur. ⁸ « Reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea. » Quod fit, quando corde puro et corpore casto Deo ministrans obsequitur. Vota sua reddit Deo, quia

¹ *Eccle.*, IV, 17. — ² *Matth.*, XXI, 13. — ³ *Psal.*, LXVII, 26. — ⁴ *Psal.*, V, 8. — ⁵ *Psal.*, CXXI, 1. —

⁶ *Psal.*, LXXXIII, 5. — ⁷ *Psal.*, LXIII, 13. — ⁸ *Psal.*, LXV, 13.

(a) *Cæt. cat.* ordinatus.

Corpus Christi quot modis suscipiendum, et quoties.

Holocaustum quid.

votum castitatis ordini sacro annexum est. Si enim est clericus scholaris, servare tenetur; si vero est regularis, vel religiosus et perfectus, votum continentiae et castitatis, votum obedientiae et humilitatis, et votum indigentiae sive paupertatis debet profitendo labiis distinguere, et toto tempore vivendo servare. Hoc enim dicitur in persona clerici transeuntis ad ministerium Dei.

Secundo, est ecclesia dedicata ut sit domus benedictionis in administratione sacramentorum. Unde Psalmus in persona praelatorum dicit ¹: « Benediximus vobis, » scilicet populis, sacramenta divina sive ecclesiastica conferendo, « de domo Domini. Deus Dominus, » qui eis praebeat auctoritatem praesidentiae, « illuxit nobis, » conferendo veritatem sapientiae. Nam in clericis et praelatis est auctoritas ad conferenda sacramenta, et veritas luget in eis ad tradenda documenta.

Tertio est ecclesia dedicata ut sit domus cantationis, in frequentatione Psalmorum. Isaias ²: « Domine, salvum me fac, et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitae nostrae in domo Domini, » etc. Illic in ista auctoritate, ad exemplum Ezechiae, informantur clerici, ut hoc debeant postulare, scilicet ut solvantur (a) ab omni iniquitate, et ut in suae vitae continuitate laudes divinas in ecclesia, in qua serviunt, cantent cum jucunditate, et ut torpor et pigritia procul abscedat ab eis. Psalmista, exhortando eos, dicit ³: « Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro, » etc.

III. Tertio, quantum ad vicinam communicationem supernorum, loquitur divina Scriptura de domo in ecclesiam consecrata quantum ad tria: scilicet, quantum ad divinam attentionem, quantum ad angelicam protectionem, et quantum ad caelicam apertionem. Nam in ecclesia est divina attentio, ad exaudiendum invocantes; angelica protectio, ad custodiendum adorantes; et caelae erectio, sive caelica apertio, ad introducendum in caelum perseverantes. Primo igitur in Ecclesia est divina attentio ad exaudiendum invocantes: cuius figura praecessit, quando Dominus dixit Salomoni ⁴: « Sanctificavi domum hanc, quam aedificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum; et erunt oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus. »

Secundo in ecclesia est angelica protectio ad custodiendum adorantes; unde dicitur ⁵: « Circumdabo, » id est, defendam, animabo, et confortabo fideliter orantes in ea ab adversariis praeservans, ne iniquent « domum meam, » id est, Ecclesiam militantem; « ex his, qui militant mihi, » id est, per angelos « euntes, scilicet in caelum, ut orationes nostras Deo praesentent, « et redeuntes (b) » ad ipsos oratores in ecclesia, ut eos ad similia moveant et confortent. Tertio in Ecclesia est caelae erectio ad introducendum in caelum perseverantes ⁶: « Cum venisset Jacob ad quemdam locum, » etc., ubi ostenditur Ecclesiae dignitas: quia per Jacob, qui interpretatur *luctator*, et *supplantator*, intelligitur Christus, qui luctam in cruce cum diabolo fecit, et ipsum viriliter supplantavit « post solis occubitum, » id est, post suum transitum de mundo ad Patrem: « Et vellet in eo requiescere, » id est requiescere apud nos in Sacramento, « tulit de lapidibus qui jacebant, et supposuit capiti suo, » quando consecrari voluit corpus suum in altari, lapides, « et dormivit in eodem loco. » Et sequitur ⁷, quod « vidit in somnis, » hoc est, videre facit membra sua, et fideles, per speculum in aenigmate: « Scalam stantem, » id est, sacramenta: « Super terram, » quia in Ecclesia conferuntur: « Et cacumen illius attingens caelum, » quia per eam est ascensus animarum de corporibus exutarum, de mundo ad caelum, de miseria ad gloriam, de periculo ad securitatem, de morte ad aeternitatem: « Angelos quoque Dei ascendentes, » (c) animas exutas ad gloriam deducendo: « Et descendentes per eam, » animas adhuc in corpore degentes, de bono in melius promovendo: « Et Dominum innixum scale, » quia per sacramenta Dominus animam christianam viventem in carne protegit, et conservat, et exeuntem de carne perficit, et conservat interius, dans efficaciam sacramentis, quibus sanatur aegrotantis affectus, et exterius dans luculentiam documentis, quibus illuminatur caecitas intellectus. Et sic Jacob, id est, Christus in se certus, et alios certificans, prorupit in vocem, et dixit ⁸: « Non est hic aliud, nisi domus Dei » habitantis per spiritualem gratiam, « et porta caeli » recipientis animas ad aeternalem gloriam: et sicut per ea, quae in hac domo geruntur, animae intra caeli palatium aggregantur, ne eis de-

Jacob
quid.

¹ Psal. cxvii, 26. — ² Isa., xxviii, 20. — ³ Psal. xciv, 1. — ⁴ III Reg., ix, 3. — ⁵ Zach., ix, 8. — ⁶ Gen., xxviii, 11. — ⁷ Ibid., 12. — ⁸ Ibid., 17.

(a) Forte *leg. salventur*. — (b) *Vulg. revertentes*. — (c) *Cælt. edit. præmittit. qui.*

Defuncti cur intra septa ecclesie sepeliantur. mones tentationes immittere possint, sic defunctorum corpora intra septa ecclesie, in sacris cœmeteriis tumulantur, ne liceat eis facere illusiones.

IV. Quarto, et ultimo, de domo in ecclesiam consecrata loquitur divina Scriptura, quantum ad abjectionem sordium et vitiorum. Quia divina attentio tam specialiter respicit consecratam, vel dedicatam ecclesiam, angelica protectio tam solemniter officitur circa eam, et quia cœlica apertio nobis patet per ea, quæ geruntur intra ecclesiam; merito nec a clericis, nec a laicis quibuscumque sordibus, quibuscumque vitiis, quibuscumque maculis debet talis domus inquinari, sed ritu conformitatis, puritatis, et etiam corporalis speciositatis debet celebriter coli, et conservari. Debet ergo ab ista domo ad sacrificandum hostiam laudis a Domino electam, abesse contentio superborum, infectio lubricorum, detentio cupidorum.

Primo igitur ab ista domo debet abesse contentio superborum. Unde Psalmista, in persona boni clerici ad clericum ¹: « In domo Domini ambulavimus cum consensu. » Non enim placet Deo plenarie solemnitas officiorum, quando inter clericos est contentiosa conversatio, sed quando ambulant cum consensu ex communi victu. Unde ²: « Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam. » Sed tunc habitant in domo Dei, quando sunt conformes ex communis propositi intentione, concordantes ad honestatem vitæ, unanimes ad speciositatem gratiæ, et tunc domum Dei facit ³ « unius moris in domo, » id est, unius consensus et voluntatis.

Secundo ab ecclesia debet abesse infectio lubricorum, quia non potest in domo Dei digne ministrare, qui non elegerit immaculatus in via Dei ambulare. Ideo dicitur ⁴: « Domum tuam, Domine, decet sanctitudo, » id est, munditia castitatis et continentie. ⁵ « Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. » Requiritur enim munditia et continentia in eis, qui ferunt vasa Domini ⁶, id est, qui sacramenta

ministrant: quia res sacras contrectare manibus sordidis non possunt, absque provocatione divinæ severitatis et displicentiæ.

Tertio debet ab ecclesia abesse detentio cupidorum, quia non possunt digne in domo Dei ambulare, vel habitare, qui propter avaritiam detinent, et ad usus proprios retinent et convertunt res oblatas, datas, deputatas, relictas, et delegatas ad fabricationem ecclesiarum, ad orationem altarium, ad emptionem calicum, et breviter ad decorationem eorum omnium, quæ ad Dei cultum pertinent, sicut in libris ecclesiasticis, et in paramentis sacerdotum, et cæteris ad solemnitatem divini sacrificii competentibus. Talis erat, qui dicebat ⁷: « Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum, » etc. Non enim diligit decorem domus Dei, qui pulchrius habet mantile in mensa sive in disco, quam in altari vel in pulpito; qui pulchriorem habet scyphum ad recipiendum corporale poculum, quam habeat calicem ad sanguinem sumendum dominicum; qui speciosiorum et ornatiorem habet cameram ad jacendum, quam habet capellam ad corpus dominicum conficiendum; qui etiam pulchriorem habet et nitidiorem, et etiam secretiorum habet pyxidem ad denarios observandum, quam habeat in altari capsam ad corpus Christi detinendum. Qui autem se innocentem debite voluerit conservare, ad domum illam tandem poterit pervenire, de qua ⁸: « O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus, magnus et non habens finem, excelsus et immensus! » Ista autem domus est cœlum empyreum, totum clarum et luminosum, non alia claritate nisi claritate illius sacratissimæ Trinitatis; ubi continue et indesinenter habitat, et inaccessibiliter (a) in sanctis suis refulget; in quo est universitas spirituum beatorum, felicitas et tranquillitas, sive securitas animarum, et corporum gloriosorum; in quo etiam erit immunitas peccatorum, et exterminatio dæmoniorum. Ad quam domum nos perducat, qui sine fine vivit et regnat, etc. ⁹.

nes de Dedicacione, exemplo cæterorum Editorum, ad calcem partis sequentis, scilicet Sermonum de Sanctis in communi, remittimus.

(a) *Al.* incessabiliter.

¹ *Psal.* LV, 15. — ² *Psal.* C, 2. — ³ *Psal.* LXXVII, 7. — ⁴ *Psal.* XCII, 5. — ⁵ *Psal.* C, 7. — ⁶ *Isa*, LV, 11. — ⁷ *Psal.* XXV, 8. — ⁸ *Bar.*, III, 24. — ⁹ Alios sermo-

INDEX MATERIARUM QUÆ IN TOMO TERTIO DECIMO

OPERUM

SANCTI BONAVENTURÆ CONTINENTUR

PREFATIONIS LOCO, ex Prodomo.

| | | | |
|---|----|--|-----|
| 1. SERMONES DE TEMPORE. Dominica 1. Adventus Domini. Sermon. 1. <i>His autem fieri incipientibus.</i> | 1 | 35. Dominica inf. Oct. Nativ. Dom. Sermon. 1. <i>Positus est hic in ruinam, et resurrectionem.</i> | 55 |
| 2. Sermon. 2. <i>Veniet desideratus cunctis gentibus.</i> | 5 | 36. Sermon. 2. <i>Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem.</i> | 60 |
| 3. Sermon. 3. <i>Emitte manum tuam de alto.</i> | 8 | 37. Sermon. 3. <i>Tuam ipsius animam pertransibit gladius.</i> | 61 |
| 4. Sermon. 4. <i>Quis poterit cogitare diem adventus ejus.</i> | 10 | 38. Sermon. 4. <i>Puer autem crescebat.</i> | 62 |
| 5. Sermon. 5. <i>Hora est jam nos de somno surgere.</i> | 11 | 39. In Circumcisione Dom. Sermon. 1. <i>Apparuit gratia Salvatoris nostri.</i> | 64 |
| 6. Sermon. 6. <i>Ecce rex tuus venit tibi.</i> | 12 | 40. Sermon. 2. <i>Postquam consummati sunt dies octo.</i> | 65 |
| 7. Sermon. 7. <i>Benedictus qui venit in nomine Domini.</i> | 14 | 41. Sermon. 3. <i>Postquam consummati sunt dies octo.</i> | 66 |
| 8. Dominica 2. Adventus Domini. Sermon. 1. <i>Deus autem patientiæ et solatii.</i> | 15 | 42. Sermon. 4. <i>Vocatum est nomen ejus Jesus.</i> | 68 |
| 9. Sermon. alius. <i>Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi.</i> | 16 | 43. In Epiphania Dom. Sermon. 1. <i>Cum natus esset Jesus.</i> | 69 |
| 10. Sermon. 2 (al. 3). <i>Excita potentiam tuam, et veni.</i> | 20 | 44. Sermon. 2. <i>Ubi est qui natus est rex Judæorum.</i> | 70 |
| 11. Sermon. 3 (al. 4). <i>Quæcumque scripta sunt.</i> | 21 | 45. Sermon. 3. <i>Apertis thesauris suis.</i> | 73 |
| 12. Sermon. 4 (al. 5). <i>Tunc videbunt Filium hominis.</i> | 22 | 46. Sermon. 4. <i>Apertis thesauris.</i> | 75 |
| 13. Sermon. 5 (al. 6). <i>Scitote quia prope est regnum Dei.</i> | 24 | 47. Dominica inf. Oct. Epiph. Sermon. 1. <i>Fili, quid fecisti nobis sic.</i> | 76 |
| 14. Dominica 3. Adventus. Sermon. 1. <i>Medius autem vestrum stetit.</i> | 25 | 48. Sermon. 2. <i>Post triduum invenerunt eum in templo.</i> | 80 |
| 15. Sermon. 2. <i>Deus ab austro veniet.</i> | 28 | 49. Sermon. 3. <i>Post triduum invenerunt.</i> | 81 |
| 16. Sermon. 3. <i>Joannes cum audisset in vinculis opera Christi.</i> | 29 | 50. Sermon. 4. <i>Post triduum invenerunt.</i> | 82 |
| 17. Sermon. 4. <i>Tu es qui venturus es.</i> | 30 | 51. Sermon. 5. <i>Pater tuus et ego dolentes quærebamus te.</i> | 83 |
| 18. Dominica 4. Adventus. Sermon. 1. <i>Parate viam Domini.</i> | 32 | 52. Sermon. 6. <i>Pater tuus et ego dolentes quærebamus te.</i> | 84 |
| 19. Sermon. 2. <i>Veniens veniet, et non tardabit.</i> | 35 | 53. Dominica 1. post Oct. Epiph. Sermon. 1. <i>Nuptiæ factæ sunt.</i> | 86 |
| 20. Sermon. 3. <i>Ipsc est, qui post me venturus est.</i> | 36 | 54. Sermon. 2. <i>Deficiente vino.</i> | 87 |
| 21. Sermon. 4. <i>Dirigite viam Domini.</i> | 37 | 55. Sermon. 3. <i>Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factum.</i> | 88 |
| 22. In vigilia Nativit. Dom. Sermon. 1. <i>Vade ad pulvum, et sanctifica illos.</i> | 38 | 56. Sermon. 4. <i>Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ.</i> | 90 |
| 23. Sermon. 2. <i>Cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum.</i> | 40 | 57. Dom. 3. post Epiph. Sermon. 1. <i>Domine, si vis, potes me mundare.</i> | 93 |
| 24. Sermon. 3. <i>Cras erit vobis salus.</i> | 41 | 58. Sermon. 2. <i>Ecce leprosus veniens adorabat eum.</i> | 94 |
| 25. Sermon. 4. <i>Cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum.</i> | 42 | 59. Sermon. 3. <i>Tantum dic verbo, et sanabitur.</i> | 97 |
| 26. In Nativitate Dom. Sermon. 1. <i>A summo cælo egressio ejus.</i> | 44 | 60. Sermon. 4. <i>Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.</i> | 99 |
| 27. Sermon. 2. <i>A scissus est lapis de monte sine nubus.</i> | 45 | 61. Dominica 4. post Epiph. Sermon. 1. <i>Ascendente Jesu in naviculum.</i> | 100 |
| 28. Sermon. 3. <i>A summo cælo egressio ejus.</i> | 46 | 62. Sermon. 2. <i>Ecce motus factus est magnus in mari.</i> | 101 |
| 29. Sermon. 4. <i>Evangelizo vobis gaudium magnum.</i> | 47 | 63. Sermon. 3. <i>Ecce motus factus est in mari.</i> | 103 |
| 30. Sermon. 5. <i>Ecce evangelizo vobis gaudium magnum.</i> | 49 | 64. Sermon. 4. <i>Domine, salva nos, perimus.</i> | 104 |
| 31. Sermon. 6. <i>Invenietis infantem.</i> | 50 | 65. Dominica 5. post Epiph. Sermon. 1. <i>Simile est regnum calorum homini, qui seminavit.</i> | 107 |
| 32. Sermon. 7. <i>Invenietis infantem pannis involutum.</i> | 52 | 66. Sermon. 2. <i>Simile est regnum calorum homini, qui seminavit bonum semen.</i> | 110 |
| 33. Sermon. 8. <i>Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.</i> | 53 | 67. Sermon. 3. <i>Triticum autem congregate in horreum meum.</i> | 112 |
| 34. Sermon. 9. <i>Verbum caro factum est.</i> | 54 | 68. Sermon. 4. <i>Domine, nunc bonum semen seminati in agro tuo.</i> | 113 |

| | | | |
|---|-----|--|-----|
| 69. Dominica in Septuagesima. Serm. 1. <i>Voca operarios, et redde illis mercedem suam.</i> | 114 | 112. Serm. 4. <i>Turba multa, quæ convenerat ad diem festum.</i> | 191 |
| 70. Serm. 2. <i>Itte et vos in vineam meam.</i> | 117 | 113. In Cena Domini. Serm. 1. <i>Cum dilexisset suos qui erant in mundo.</i> | 192 |
| 71. Serm. 3. <i>Voca operarios, et redde illis mercedem suam.</i> | 119 | 114. Serm. 2. <i>Si non laveris te, non habebis.</i> | 193 |
| 72. Serm. 4. <i>Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi.</i> | 120 | 115. Serm. 3. <i>Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.</i> | 194 |
| 73. Dominica in Sexagesima. Serm. 1. <i>Quod autem in terram bonam.</i> | 121 | 116. Serm. 4. <i>Hoc facite in meam commemorationem.</i> | 196 |
| 74. Serm. 2. <i>Exiit qui seminat.</i> | 125 | 117. Serm. 5. <i>Paratum panem de celo præstitisti eis sine labore.</i> | 197 |
| 75. Serm. 3. <i>Exiit qui seminat.</i> | 127 | 118. Serm. 6. <i>Paratum panem de celo præstitisti eis sine labore.</i> | 198 |
| 76. Serm. 4. <i>Aliud cecidit in terram bonam.</i> | 128 | 119. In Parasceve. Serm. 1. <i>Vere languores nostros ipse tulit.</i> | 200 |
| 77. Dominica in Quinquagesima. Serm. 1. <i>Tradetur enim gentibus.</i> | 130 | 120. Serm. 2. <i>Vere languores nostros ipse tulit.</i> | 201 |
| 78. Serm. 2. <i>Tradetur gentibus et ihudetur.</i> | 133 | 121. Serm. 3. <i>Cum videris nudum, operi eum.</i> | 202 |
| 79. Serm. 3. <i>Cæcus quidam sedebat.</i> | 134 | 122. Serm. 4. <i>Spiritus oris mei Christus Dominus captus est in peccatis nostris.</i> | 204 |
| 80. Serm. 4. <i>Confestim vidit.</i> | 136 | 123. Serm. 5. <i>Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.</i> | 205 |
| 81. In die Cinerum. Serm. 1. <i>Ago penitentiam in farilla et cinere.</i> | 137 | 124. Serm. 6. <i>Colligite quæ superaverunt fragmenta.</i> | 206 |
| 82. Serm. 2. <i>Conspargere cinere: luctum unigeniti fac tibi.</i> | 138 | 125. In Sabbato sancto. Serm. 1. <i>Requievit Deus die septimo.</i> | 207 |
| 83. Serm. 3. <i>Convertimini ad me in toto corde vestro.</i> | 140 | 126. Serm. 2. <i>Septimus dies erit vobis sanctus, sabbatum et requies Domini.</i> | 209 |
| 84. Serm. 4. <i>Convertimini ad me.</i> | 141 | 127. In Resurrectione Domini. Serm. 1. <i>Exurge, Domine, salvum me fac, quoniam tu percussisti.</i> | 210 |
| 85. Serm. 5. <i>Convertimini.</i> | 142 | 128. Serm. 2. <i>Exurge, gloria mea.</i> | 214 |
| 86. Serm. 6. <i>Cum jejunatis.</i> | 143 | 129. Serm. 3. <i>Fac meum signum in bonum.</i> | 216 |
| 87. Dominica 1. in Quadragesima. Serm. 1. <i>Ecce nunc tempus acceptabile.</i> | 145 | 130. Serm. 4. <i>Fac meum signum in bonum.</i> | 217 |
| 88. Serm. 2. <i>Ductus est Jesus a Spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo.</i> | 146 | 131. Serm. 5. <i>Jesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic.</i> | 218 |
| 89. Serm. 3. <i>Ductus est Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.</i> | 150 | 132. Serm. 6. <i>Ego sum resurrectio et vita.</i> | 219 |
| 90. Serm. 4. <i>Cum jejunasset quadraginta diebus.</i> | 151 | 133. Fer. 2. post Pascha. Serm. 1. <i>Mane nobiscum, Domine, quoniam alvesperascit.</i> | 220 |
| 91. Serm. 5. <i>Tunc assumpsit eum diabolus.</i> | 152 | 134. Serm. 2. <i>Nonne cor nostrum ardens erat in vobis.</i> | 222 |
| 92. Dominica 2. in Quadragesima. Serm. 1. <i>Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra.</i> | 154 | 135. Serm. 3. <i>Surrexit Dominus vere.</i> | 223 |
| 93. Serm. 2. <i>Dimitte eam, quia clamat post nos.</i> | 155 | 136. Fer. 3. post Pascha. Serm. 1. <i>Stetit Jesus in medio.</i> | 224 |
| 94. Serm. 3. <i>Dimitte eam.</i> | 156 | 137. Serm. 2. <i>Pax vobis.</i> | 226 |
| 95. Serm. 4. <i>Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum, et Joannem.</i> | 157 | 138. Serm. 3. <i>Pax vobis.</i> | 227 |
| 96. Serm. 5. <i>Catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa.</i> | 162 | 139. Fer. 4. post Pascha. Serm. 1. <i>Erant simul Simon Petrus et Thomas.</i> | 228 |
| 97. Dominica 3. in Quadragesima. Serm. 1. <i>Erat Jesus ejiciens demonium.</i> | 163 | 140. Serm. 2. <i>Erant simul Simon Petrus et Thomas.</i> | 229 |
| 98. Serm. 2. <i>Porro si in digito Dei ejicio demonia, profecto venit in vos regnum Dei.</i> | 164 | 141. Dominica in Octava Paschæ. Serm. 1. <i>Pax vobis.</i> | 231 |
| 99. Serm. 3. <i>Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se.</i> | 167 | 142. Serm. 2. <i>Gavisi sunt discipuli, viso Domino.</i> | 232 |
| 100. Serm. 4. <i>Beatus ventor qui te portavit.</i> | 168 | 143. Serm. 3. <i>Accipite Spiritum sanctum.</i> | 235 |
| 101. Dominica 4. in Quadragesima. Serm. 1. <i>Sequebatur eum multitudo magna.</i> | 169 | 144. Serm. 4. <i>Affer manum tuam, et mitte in latus meum.</i> | 237 |
| 102. Serm. 2. <i>Est puer unus hic, quinque panes hordeaceos habens.</i> | 173 | 145. Dominica 1. post Oct. Paschæ. Serm. 1. <i>Ego sum Pastor bonus: bonus pastor.</i> | 238 |
| 103. Serm. 3. <i>Est puer unus hic habens quinque panes hordeacos.</i> | 174 | 146. Serm. 2. <i>Ego sum Pastor bonus.</i> | 242 |
| 104. Serm. 4. <i>Hic est vere Propheta.</i> | 176 | 147. Serm. 3. <i>Animum meam pono pro ovis meis.</i> | 243 |
| 105. Dominica in Passione. Serm. 1. <i>Si sanguis hircorum et taurorum.</i> | 177 | 148. Serm. 4. <i>Alius oves habeo, quæ non sunt ex hoc orili.</i> | 244 |
| 106. Serm. 2. <i>Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi.</i> | 178 | 149. Dominica 2. post Oct. Paschæ. Serm. 1. <i>Iterum molicum, et videbitis me.</i> | 246 |
| 107. Serm. 3. <i>Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum.</i> | 180 | 150. Serm. 2. <i>Iterum autem videbitis me.</i> | 247 |
| 108. Serm. 4. <i>Tulerunt lapides Judæi.</i> | 183 | 151. Serm. 3. <i>Mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini.</i> | 248 |
| 109. Dominica in Ramis Palmarum. Serm. 1. <i>Egreddimini, et videte, filie Sion.</i> | 184 | 152. Serm. 4. <i>Tristitia vestra vertetur in gaudium.</i> | 251 |
| 110. Serm. 2. <i>Cum appropinquasset Dominus Jerusalem.</i> | 188 | 153. Dominica 3. post Oct. Paschæ. Serm. 1. <i>Cum autem venerit ille, arguet mundum.</i> | 253 |
| 111. Serm. 3. <i>Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinum.</i> | 189 | 154. Serm. 2. <i>Princeps mundi hujus jam judicatus est.</i> | 254 |


| | | | |
|---|------|--|-----|
| 155. Serm. 3. <i>Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.</i> | 255 | 201. Serm. 4. <i>Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.</i> | 321 |
| 156. Serm. 4. <i>Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.</i> | 258. | 202. Dominica 1. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Estote misericordes, sicut et Pater vester.</i> | 323 |
| 157. Dominica 4. post Oct. Paschæ. Serm. 1. <i>Petite et accipietis, ut gaudium vestrum.</i> | 259 | 203. Serm. 2. <i>Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester.</i> | 326 |
| 158. Serm. 2. <i>Petite et accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit.</i> | 262 | 204. Serm. 3. <i>Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.</i> | 328 |
| 159. Serm. 3. <i>Ipsæ enim Pater amat vos.</i> | 263 | 205. Dominica 2. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Homo quidam fecit ranam magnam.</i> | 329 |
| 160. Serm. 4. <i>Nunc scimus quia scis omnia.</i> | 265 | 206. Serm. 2. <i>Homo quidam fecit cæcum.</i> | 332 |
| 161. In diebus Rogationum. Serm. 1. <i>Esther regina confugit ad Dominum.</i> | 266 | 207. Serm. 3. <i>Jan parata sunt omnia.</i> | 334 |
| 162. Serm. 2. <i>Confitemini ad alterutrum peccata.</i> | 269 | 208. Serm. 4. <i>Compelle intrare, ut impleatur domus mea.</i> | 335 |
| 163. Serm. 3. <i>Petite, et dabitur vobis.</i> | 270 | 209. Dominica 3. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Inveni orem quam perdideram.</i> | 337 |
| 164. Serm. 4. <i>Petite, et dabitur vobis.</i> | 271 | 210. Serm. 2. <i>Inveni drachmam, quam perdideram.</i> | 338 |
| 165. Serm. 5. <i>Confitemini ad alterutrum peccata vestra.</i> | 272 | 211. Serm. 3. <i>Gaudium est angelis Dei super uno peccatore.</i> | 339 |
| 166. Serm. 6. <i>Quærite, et invenietis.</i> | 274 | 212. Serm. 4. <i>Gaudium est angelis Dei super uno peccatore.</i> | 340 |
| 167. Serm. 7. <i>Quærite, et invenietis.</i> | 275 | 213. Dominica 4. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Ascendens autem in unum nœm.</i> | 344 |
| 168. Serm. 8. <i>Confitemini ad alterutrum peccata vestra.</i> | 276 | 214. Serm. 2. <i>Concluserunt multitudinem piscium copiosam.</i> | 346 |
| 169. Serm. 9. <i>Pulsate, et aperietur vobis.</i> | 278 | 215. Serm. 3. <i>Eæ hoc jam eris homines cupiens.</i> | 347 |
| 170. Serm. 10. <i>Pulsate, et aperietur vobis.</i> | 279 | 216. Serm. 4. <i>Relictis omnibus, secuti sunt eum.</i> | 348 |
| 171. In Ascensione Domini. Serm. 1. <i>Namquid ad præceptum tuum elevabitur aquila.</i> | 280 | 217. Dominica 5. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Omnia qui irascitur fratri suo, reus erit.</i> | 351 |
| 172. Serm. 2. <i>Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cælum.</i> | 281 | 218. Serm. 2. <i>Si ergo offers munus tuum.</i> | 353 |
| 173. Serm. 3. <i>Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam.</i> | 282 | 219. Serm. 3. <i>Si offers munus tuum ad altare.</i> | 356 |
| 174. Serm. 4. <i>Ascendit Deus in jubilatione.</i> | 284 | 220. Serm. 4. <i>Vade prius reconciliari fratri tuo.</i> | 357 |
| 175. Dominica inf. Octav. Ascensionis. Serm. 1. <i>Vos testimonium perhibebitis.</i> | 286 | 221. Dominica 6. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Cum turba multa esset cum Jesu.</i> | 359 |
| 176. Serm. 2. <i>Vos testimonium perhibebitis.</i> | 287 | 222. Serm. 2. <i>Unde illos poterit quis saturare.</i> | 362 |
| 177. Serm. 3. <i>Ab initio mecum estis.</i> | 288 | 223. Serm. 3. <i>Misereor super turbam.</i> | 363 |
| 178. In die sancto Pentecostes. Serm. 1. <i>Nolite contristare Spiritum sanctum.</i> | 290 | 224. Serm. 4. <i>Mulieraverunt, et saturati sunt.</i> | 364 |
| 179. Serm. 2. <i>Nolite contristare Spiritum sanctum.</i> | 291 | 225. Dominica 7. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Omnia arbor que non facit fructum.</i> | 366 |
| 180. Serm. 3. <i>Nolite contristare Spiritum sanctum.</i> | 292 | 226. Serm. 2. <i>Omnia arbor que non facit.</i> | 369 |
| 181. Serm. 4. <i>Ascendit ignis de petra.</i> | 293 | 227. Serm. 3. <i>Omnia arbor bona fructus bonos facit.</i> | 370 |
| 182. Serm. 5. <i>Factus est repente de cælo sonus.</i> | 295 | 228. Serm. 4. <i>Qui facit voluntatem Patris mei.</i> | 371 |
| 183. Serm. 6. <i>Factus est repente de cælo sonus.</i> | 296 | 229. Dominica 8. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Vocavit illum, et ait illi : Quod hoc vultis.</i> | 373 |
| 184. Serm. 7. <i>Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater.</i> | 297 | 230. Serm. 2. <i>Redde rationem villicationis tuæ.</i> | 375 |
| 185. Serm. 8. <i>Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater.</i> | 298 | 231. Serm. 3. <i>Facite vobis amicos.</i> | 377 |
| 186. Serm. 9. <i>Spiritus Domini ornavit cælos.</i> | 299 | 232. Serm. 4. <i>Facite vobis amicos.</i> | 378 |
| 187. Serm. 10. <i>O quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus.</i> | 303 | 233. Dominica 9. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Cum appropinquaret Jesus Jerusalem.</i> | 379 |
| 188. Serm. 11. <i>O quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus.</i> | 304 | 234. Serm. 2. <i>Si cognovisses et tu.</i> | 386 |
| 189. Serm. 12. <i>O quam bonus et suavis.</i> | 305 | 235. Serm. 3. <i>Circumdabant te, et coangustabant.</i> | 382 |
| 190. Feria 2. Pentecostes. Serm. 1. <i>Sic Deus dilexit mundum.</i> | 307 | 236. Serm. 4. <i>Domus mea, domus orationis vocabitur.</i> | 383 |
| 191. Serm. 2. <i>Sic Deus dilexit mundum.</i> | 308 | 237. Dominica 10. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Publitanus a longe stans.</i> | 386 |
| 192. Serm. 3. <i>Repleti sunt omnes Spiritu sancto.</i> | 309 | 238. Serm. 2. <i>Deus, propitius esto mihi peccatori.</i> | 388 |
| 193. Feria 3. Pentecostes. Serm. 1. <i>Oves illum sequuntur.</i> | 311 | 239. Serm. 3. <i>Descendit hic justificatus in domum suam ab illo.</i> | 389 |
| 194. Serm. 2. <i>Fur non venit, nisi ut furetur, et mactet, et perdat.</i> | 312 | 240. Serm. 4. <i>Qui se exaltat, humiliabitur.</i> | 390 |
| 195. Serm. 3. <i>Repleti sunt omnes Spiritu sancto.</i> | 315 | 241. Dominica 11. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Statum aperto sunt aures ejus.</i> | 393 |
| 196. Feria 4. Pentecostes. Serm. 1. <i>Nemo potest venire ad me.</i> | 314 | 242. Serm. 2. <i>Solutum est vinculum lingue ejus.</i> | 394 |
| 197. Serm. 2. <i>Nemo potest venire ad me.</i> | 315 | 243. Serm. 3. <i>Solutum est vinculum lingue ejus.</i> | 397 |
| 198. Dominica in Oct. Pentecostes de S. Trinitate. Serm. 1. <i>Sanctus, sanctus, sanctus.</i> | 317 | 244. Serm. 4. <i>Bene omnia fecit.</i> | 399 |
| 199. Serm. 2. <i>Quis appendit tribus digitis molem terræ.</i> | 318 | 245. Dominica 12. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.</i> | 400 |
| 200. Serm. 3. <i>Tres sunt, qui testimonium dant in cælo.</i> | 320 | 246. Serm. 2. <i>Diliges Dominum Deum tuum.</i> | 401 |
| | | 247. Serm. 3. <i>Appropians alligavit vulnera ejus.</i> | 402 |

| | | | |
|---|-----|--|-----|
| 248. Serm. 4. <i>Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho.</i> | 404 | 291. Dominica 24. Serm. 1. <i>Cum videritis abominacionem desolationis.</i> | 484 |
| 249. Dominica 13. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Cum ingrederetur Jesus quoddam castellum.</i> | 408 | 292. Serm. 2. <i>Vae autem prænantibus, et nutrientibus in illis diebus.</i> | 489 |
| 250. Serm. 2. <i>Levaverunt vocem dicentes : Jesu præceptor.</i> | 409 | 293. Serm. 3. <i>Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ.</i> | 490 |
| 251. Serm. 3. <i>Nonne decem mundati sunt.</i> | 410 | 294. Serm. 4. <i>Tunc apparebit signum Filii hominis in celo.</i> | 491 |
| 252. Serm. 4. <i>Steterunt a longe, et levaverunt vocem dicentes.</i> | 412 | SERM. DE SANCTIS TOTIUS ANNI. 1. De S. Andrea. Serm. 1. <i>Mihi absit gloriari, nisi in cruce.</i> | 493 |
| 253. Dominica 14. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Nemo potest duobus dominis servire.</i> | 415 | 2. Serm. 2. <i>Christo affixus sum cruce.</i> | 495 |
| 254. Serm. 2. <i>Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis</i> | 417 | 3. Serm. 3. <i>Proposito sibi gaudio sustinuit crucem.</i> | 497 |
| 255. Serm. 3. <i>Quærite ergo primum regnum Dei.</i> | 418 | 4. De S. Nicolao Episcopo. Serm. 1. <i>Procedat Dominus meus ante servum suum.</i> | 500 |
| 256. Serm. 4. <i>Primum quærite regnum Dei, et justitiam ejus.</i> | 419 | 5. Serm. 2. <i>Servus meus es tu, Israel.</i> | 503 |
| 257. Dominica 15. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Ecce defunctus efferebatur.</i> | 423 | 6. De S. Ambrosio Episcopo. Serm. 1. <i>Dedi te in lucem gentium.</i> | 505 |
| 258. Serm. 2. <i>Resedit qui erat mortuus.</i> | 424 | 7. Serm. 2. <i>In medio Ecclesiæ aperuit os ejus.</i> | 507 |
| 259. Serm. 3. <i>Resedit qui erat mortuus, et cepit loqui.</i> | 425 | 8. De S. Lucia Virgine et martyre. Serm. 1. <i>Certamen forte dedit illi, ut vinceret.</i> | 509 |
| 260. Serm. 4. <i>Resedit qui erat mortuus... et magnificabant Deum.</i> | 426 | 9. Serm. 2. <i>Certamen forte dedit illi, ut vinceret.</i> | 510 |
| 261. Dominica 16. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Cum intrasset in domum cujusdam principis.</i> | 430 | 10. De S. Thoma Apostolo. Serm. 1. <i>Quia vidisti me, Thoma, credidisti.</i> | 513 |
| 262. Serm. 2. <i>Anice, ascende superius.</i> | 431 | 11. Serm. 2. <i>Noli esse incredulus, sed fidelis.</i> | 515 |
| 263. Serm. 3. <i>Qui se humiliat, exaltabitur.</i> | 432 | 12. De S. Agneta Virgine et Martyre. Serm. 1. <i>Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.</i> | 517 |
| 264. Serm. 4. <i>Ipsæ vero apprehensum sanavit eum, et dimisit.</i> | 434 | 13. Serm. 2. <i>Venerunt nuptiæ Agni, et uxor Agni præparavit se.</i> | 520 |
| 265. Dominica 17. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Diliges Dominum Deum tuum.</i> | 437 | 14. In Conversione S. Pauli Apostoli. Serm. 1. <i>Surrexit Saulus de terra, apertisque oculis, nihil videbat.</i> | 522 |
| 266. Serm. 2. <i>Diliges Dominum Deum tuum.</i> | 439 | 15. Serm. 2. <i>Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram regibus, et gentibus, et filiis Israel.</i> | 525 |
| 267. Serm. 3. <i>Diliges Dominum Deum tuum.</i> | 440 | 16. De S. Agatha Virgine et Martyre. Serm. 1. <i>Fortitudo mea, et laus mea Dominus.</i> | 528 |
| 268. Serm. 4. <i>Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.</i> | 441 | 17. In Cathedra S. Petri Apostoli. Serm. 1. <i>Beatus es, Simon Barjona.</i> | 531 |
| 269. Dominica 18. Serm. 1. <i>Ecce offerebant ei paraliticum.</i> | 445 | 18. Serm. 2. <i>Ecce constitui te super universam terram.</i> | 533 |
| 270. Serm. 2. <i>Ut autem scialis quia filius hominis habet potestatem.</i> | 446 | 19. De S. Matthia Apostolo. Serm. 1. <i>Dilectus meus candidus, et rubicundus.</i> | 536 |
| 271. Serm. 3. <i>Tolle lectum tuum.</i> | 447 | 20. Serm. 2. <i>Beatus, quem elegisti, et assumpsisti.</i> | 539 |
| 272. Serm. 4. <i>Surge, tolle lectum tuum.</i> | 449 | 21. De B. Gregorio Papa. Serm. 1. <i>Audi, fili mi, et esto sapiens.</i> | 541 |
| 273. Dominica 19. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Simile factum est regnum colorum homini regi.</i> | 452 | 22. Serm. 2. <i>Os justi meditabitur sapientiam.</i> | 543 |
| 274. Serm. 2. <i>Rex autem cum cubisset, iratus est.</i> | 453 | 23. De S. Marco Evangelista. Serm. 1. <i>Mihi enim, omnium sanctorum minimo.</i> | 546 |
| 275. Serm. 3. <i>Anice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem.</i> | 456 | 24. Serm. 2. <i>Opus fac Evangelistæ : ministerium tuum imple.</i> | 548 |
| 276. Serm. 4. <i>Multi sunt vocati, pauci vero electi.</i> | 457 | 25. De SS. Philippo et Jacobo Apostolis. Serm. 1. <i>Nimis honorati sunt amici tui, Deus.</i> | 550 |
| 277. Dominica 20. Serm. 1. <i>Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur.</i> | 458 | 26. Serm. 2. <i>Venite, filii, audite me.</i> | 553 |
| 278. Serm. 2. <i>Domine, descende, priusquam moriatur filius meus.</i> | 460 | 27. De Inventione sanctæ Crucis. Serm. 1. <i>Lignum vite est hoc, qui apprehenderunt eam</i> | 555 |
| 279. Serm. 3. <i>Hora septima reliquit eum febris.</i> | 463 | 28. Serm. 2. <i>Omnis qui quærit, invenit.</i> | 559 |
| 280. Dominica 21. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Serve nequam, omne debitum dimisi tibi.</i> | 464 | 29. De S. Antonio Paduano. Serm. 1. <i>Iste est frater parvulus.</i> | 560 |
| 281. Serm. 2. <i>Serve nequam, omne debitum.</i> | 465 | 30. Serm. 2. <i>Invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ.</i> | 564 |
| 282. Serm. 3. <i>Omne debitum dimisi tibi.</i> | 466 | 31. De S. Joanne Baptista. Serm. 1. <i>Dedi te in lucem gentium.</i> | 567 |
| 283. Serm. 4. <i>Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.</i> | 468 | 32. Serm. 2. <i>Joannes est nomen ejus.</i> | 570 |
| 284. Dominica 22. post Pentecosten. Serm. 1. <i>Magister, scimus quia errar es.</i> | 471 | 33. De SS. Petro et Paulo. Serm. 1. <i>Vos qui secuti estis me.</i> | 571 |
| 285. Serm. 2. <i>Ostendite mihi numisma census.</i> | 474 | 34. De S. Maria Magdalena. Serm. 1. <i>Quemadmodum desiderat cervus.</i> | 573 |
| 286. Serm. 3. <i>Reddite ergo quæ sunt Cesaris, Cesari, et quæ sunt Dei, Deo.</i> | 476 | | |
| 287. Serm. 4. <i>Cujus est imago et superscriptio.</i> | 477 | | |
| 288. Dominica 23. Serm. 1. <i>Domine, filii mea modo defuncta est : sed veni.</i> | 478 | | |
| 289. Serm. 2. <i>Cum ejecta esset turba, intravit Jesus.</i> | 479 | | |
| 290. Serm. 3. <i>Confide, filia, fides tua te salvam fecit.</i> | 480 | | |

| | | | |
|---|-----|--|-----|
| 35. Serm. 2. <i>Remittuntur ei peccata multa</i> | 575 | 47. De SS. Angelis. Serm. <i>Et omnes Angeli stant in circuitu throni.</i> | 607 |
| 36. De S. Jacobo. Serm. 1. <i>Dilectus Deo et hominibus Moyses.</i> | 577 | 48. De S. Luca. Serm. <i>In lege Domini fuit voluntas ejus.</i> | 610 |
| 37. Serm. 2. <i>Erit sepulcrum ejus gloriosum.</i> | 579 | 49. De SS. Simone et Juda. Serm. <i>Qui sunt isti, qui, ut nubes, volant.</i> | 612 |
| 38. De S. Petro ad Vincula. Serm. <i>Surge velociter.</i> | 581 | 50. De festo Omnium Sanctorum. Serm. 1. <i>Beati qui habitant in domo tua.</i> | 615 |
| 39. De S. Laurentio. Serm. 1. <i>Probavit me quasi aurum.</i> | 584 | 51. Serm. 2. <i>Beati qui habitant in domo tua.</i> | 619 |
| 40. Serm. 2. <i>Igne me examinasti.</i> | 587 | 52. De Animabus. Serm. <i>Mementote victorum, tanquam et ipsi vincti.</i> | 622 |
| 41. De S. Bartholomæo Apostolo. Serm. 1. <i>Amice, ascende superius.</i> | 590 | 53. De S. Martino. Serm. <i>In bonitate et acri- tate anime sue plucuit.</i> | 625 |
| 42. Serm. 2. <i>Posuisti, Domine, super caput ejus coronam.</i> | 594 | 54. De S. Elisabeth. Serm. <i>Hæc erat in omnibus famosissima.</i> | 628 |
| 43. De Exaltatione S. Crucis. Serm. <i>Ad populos exaltabo signum meum.</i> | 596 | 55. De S. Cæcilia. Serm. <i>Præstitisti decori meo virtutem.</i> | 630 |
| 44. De S. Matthæo. Serm. 1. <i>Conversus sum, ut viderem vocem.</i> | 600 | 56. De S. Catharina. Serm. <i>Pennæ columbæ deargentate.</i> | 631 |
| 45. Serm. 2. <i>Postquam convertisti me, egi penitentiam.</i> | 602 | 57. De Dedicacione. Serm. <i>Elegi locum istum mihi in domum sacrificii.</i> | 633 |
| 46. De S. Michael. Serm. <i>Angelis suis mandavit de te.</i> | 603 | | |







BX
890
B673
1864
t.13

Bonaventura, Saint, cardinal
Opera omnia

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

